


R.a BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DI TORINO
L
II 83

CONCILIA GERMANIÆ.

TOMUS I.





Ios. et Ioan. Klauber Cath. Sculps. Aug. Vind.

CONCILIA GERMANIÆ,

QUÆ

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU

CL. JOANNES FRIDERICUS SCHANNAT

MAGNA EX PARTE PRIMUM COLLEGIT,

DEIN

P. JOSEPHUS HARTZHEIM S. J.

EJUSDEM CELSISSIMI IMPENSIS

PLURIMUM AUXIT, CONTINUAVIT,

NOTIS, DIGRESSIONIBUS CRITICIS, CHARTA, ET DISSERTATIONE CHOROGRAPHICIS

ILLUSTRAVIT.

TOMUS I.



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOAN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum.

ANNO MDCCLIX.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

REVERENDISSIMO. CELSISSIMO.
DOMINO. DOMINO.

JOANNI. MAURITIO. GUSTAVO.

DEI. GRATIA. ARCHI-EPISCOPO. PRAGENSI.
SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATO. NATO.
S. ROMANI. IMPERII. PRINCIPI.
COMITI. DE. MANDERSCHEID-BLANCKENHEIM.
ET.
GEROLDSTEIN.
LIBERO. BARONI. IN. JUNCKERATH.
DOMINO. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.
UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ. HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARIO. INTIMO. ACTUALI.
INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATI.
ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET. CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITO. SENIORI. AC. THESAURARIO.
ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM.
PARITER. PRÆPOSITO.
NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARIO. PERPETUO.
ET. PROTECTORI. &c. &c.



REVERENDISSIME ARCHI-EPISCOPE, CELSISSIME PRINCEPS AC DOMINE!



Quantum momentum ad hiſtoriam ſacram Eccleſiarum Germaniæ, jam per XVII. Sæcula florentium, habeat accurata notitia Conciliorum, in his Eccleſiis ab Germaniæ Epiſcopis celebratorum, multi eruditi Viri dudum viderunt, & votis ſuis publicatis orbi demonſtrârunt: ſed hactenus intra vota ſtetimus.

Major acceſſio ex his Conciliis fit ad perpetuam auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ demonſtrandam & pro-

probandam. Etsi enim in singulis Episcopis resideat Christus, quod S. Ignatius Martyr monet in Epistola ad Trallianos: (a) *Reveremini Episcopum vestrum sicut Christum, uti nobis Beati Apostoli præceperunt:* attamen in Conciliis evidentior apparet unitas & concordia Fidei, ac Dogmatum Catholicæ Ecclesiæ ex testimonio Episcoporum orbis, vel Nationis, vel Provinciæ. Ostenditur unitas in disciplina promovenda, & Hierarchia Cleri firmanda, in eliminandis hæresibus, erroribus, superstitionibus, abusibus, defectibus, peccatis: cujusmodi semper fuerunt, semper erunt in Ecclesia militante; utì agro ferace tritici & zizaniorum, areâ frumenti & palearum plenâ, reti claudente pisces bonos & malos: quæ peccata, errores, hæreses, non sunt peccata, nec errores Ecclesiæ Christi, sed hominum in Ecclesia viventium, vel ab Ecclesia exeuntium, aut exiturorum. Unde necessitas Conciliorum Ecclesiasticorum, omni anno celebrandorum, inde à Concilio Nicæno primo definita fuit. Demum in Conciliorum saluberrimis & Sanctissimis Decretis apparet promissa Spiritûs S. assistentia, docentis Ecclesiam Christi omnem veritatem, (b) arguentis (c) mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.

Primi enim Concilii publici inter Apostolos celebrati vox à Spiritu Sancto veritatis dictata, & veluti frons & introductio ad Canones Apostolicos & Ecclesiasticos

(a) S. Ignatii Martyris Epistola ad Trallenses. (b) Joan. XVI, 13. (c) Ibid. v. 8.

ſiaſticos in Conciliis definitos & definiendos uſque ad conſummationem ſæculi hæc eſt: (d) VISUM EST SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS.

Horum optatiſſimorum Conciliorum collectionem debet Germania noſtra TIBI, CELSISSIME PRINCEPS ARCHI-EPISCOPE, cujus zelo, præſidio, & auctoritate, prodit in lucem Tomus hic primus, quatuor minimùm Tomis proſequendus.

Erit hæc Corona gloriæ TUÆ longitudinis dierum, quâ replevit TE Dominus : Erit monumentum æternum heroicæ liberalitatis TUÆ, & inexhauſtæ caritatis erga Eccleſias, non ſolùm TIBI commiſſas regendas, ſed erga omnes Germaniæ Eccleſias ornandas, & ſuo in ſplendore collocandas, qui ſanè nullo in loco adeò patens eſt & manifeſtus, atque in Conventibus Antiſtitum.

Jam Eccleſiæ ſpeciales Germanicæ, quæ TE PRÆPOSITUM feliciſſimo voto delegerant, dudum fructum Conſilii ſui deguſtârant Metropolitana Illuſtriſſima, & Perilluſtris Gereonitica Colonienſis, Argentinenſis Cathedralis, non ſolâ ſapientiâ TUI Regiminis ſuaviſsimi perſpectâ, in ſervandis & poſtliminio vindicandis delicatiſsimis juribus Prælatorum ſuorum, ſed & in liberalitate & munificentiâ Baſilica, in procuranda, augenda & ditanda re veſtiaria ſacra ad ornatum Domûs Dei, TIBI dilectiſsimæ.

Principes Electores S. R. I., & horum Caput Auguſtum

**

(d) Actuum Cap. XV. 28.

guſtum, CAROLUS VI., ſimul ùt TE Conſiſtorii ſacratioris intimi Conſiliarium adſciverunt ob meritum ſcientiæ Juris Publici, Eccleſiaſtici, & Cæſarei, eâdem lubenter uſi ſunt in Legationibus arduis, TIBI deferendis.

Sereniſsimus Elector, & Metropolita Colonienſis, ad Thronum Cæſareum TE ablegavit, inveſtituræ Feudorum capeſſendæ causâ, Eccleſiis & Statui Principali annexorum. Auguſtiſsimus verò CAROLUS longè difficiliori legationi TE deſtinaverat. Quorum laborum, pro Imperio & Eccleſia exantlatorum, vel præmia, vel teſtimonia, credo fuiſſe Mitras, venerando Vertici TUO impoſitas, Epiſcopalem NEOSTADIENSEM in Auſtria: PANORMITANAM in Sicilia, & PRAGENSEM in Bohemia Archi-Epiſcopales, quæ TIBI, Sapientiſsime Antiſtes, TUOque Heroico Pectori quid aliud extiterunt, quàm novus ſtimulus, aut campus, exercendi zeli TUI, & magnanimitatis pro Eccleſia & Imperio, pro Cleri & populi ſalute, pro ovibus, TIBI commiſsis, verbo & exemplo paſcendis. Harum nempe ovium ſalus unica TUA CURA eſt, unicæ deliciæ Archi-Epiſcopi.

Hæc evectio CELSITUDINIS TUÆ ad Cathedram Metropolis Regni Bohemiæ, & Primatis ordinum, tantò felicior, & regno glorioſior fuit, quòd in ea nunc Cathedra ſedeat Conſanguineus JOANNIS, BOHEMIÆ, & POLONIÆ REGIS, ac DUCIS LUXEMBUR-

BURGENSIS: nam hoc vero titulo Consanguinei JOANNES MONARCHA BLANCKENHEIMIOS AVOS TUOS, FRIDERICUM ARNOLDUM, & GERARDUM salutabat, & novis identidem gratiis cumulabat. Id quod Diplomata authentica & coæva annis MCCCXXI. MCCC XXV. ex tabulario Blanckenheimio, unà cum *Eifflia Boreali illustrata* orbi literato patefacient.

Nunc in hujus operis, TUIS auspiciis & adjumentis publicati, tomo I, videbit demum orbis literatus, quarto sæculo ecclesias Germaniæ primæ & secundæ, licet pulsatas Arianorum è Syrmiensi conciliabulo literis, perstitisse in avita fide homousii Filii DEI confitenda, neque ab illius vocis, à Nicœnâ Synodo approbatæ, usu deflectere voluisse, ùt ùt perversum illi sensum affingere Ariani allaborârint.

Ecclesias Germanicas, quæ sæculis quinto, sexto & septimo, vel ad Rheni littora, vel in Norico constiterant, sæculo octavo videbimus, Deo benedicente, Episcopatibus & Diœcesibus mediterraneis, ut ità dicam, augeri & ampliari: quatuor in Bavaria, totidem in Franconia, Thuringia, & Alemannia, zelo S. Bonifacii, Legati Apostolici, surrexerunt ecclesiæ: unde & Episcoporum Concilia frequentiora & illustriora, & causæ gravissimæ tractatæ ac decisae fuêre. Adalbertus Gallus, & Clemens Scotus, & Godalsatius, Expiscopi hæretici, fuêre condemnati duplici Concilio Germa-

maniae, & uno Romano & excommunicati. Pſeudo Epiſcopi, gradu iſto indigni, depoſiti, & digni ac idonei paſtores animarum in eorum locum ſurrogati. Superſtitiones & abuſus, partim ex praeterito ſtatu paganiſmi reſidui, partim ſimplicitate plebis, & diaboli perſuaſionibus introducti, damnati, & vera ac ſana morum doctrina populo praedicata. Fuêre deſtinati praecones Evangelii in Saxoniam, Friſiam, & Borealis trans Albim Germaniae partes, in Conciliis Moguntino, Wormatienſi, Paderbornenſi: eo fructu, ut ſub finem ſaeculi octavi octo novae Diœceſes Epiſcopales deſignatae, fundatae, & initio ſaeculi noni perfectae fuerint.

Haec tam illuſtria facta, & augmenta, Eccleſiae Germanicae debent tum Synodis celebratis ab Epiſcopis, tum auctoritati & liberalitati Ducis Carolomanni, Regum Pippini, & Caroli, Ducis Taſſilonis, &c. quorum brachio indigebat Eccleſia contra Lupos, & Pſeudo-Presbyteros, à ſatana immiſſos, ad turbandam Eccleſiam Dei: quæ omnia in hoc Tomo repræſentantur.

Præterea Canones fuêre Clero præſcripti & regulæ, vitæ altari & functionibus ſacris dignæ, non ſolùm ab Epiſcopis privatim pro ſua Eccleſia, uti à S. Bonifacio Archi-Epiſcopo Moguntino, Chrodegango Metenſi, Remedio Curienſi, Notungo Conſtantienſi, Sindeperto Auguſtano, Halitgario

Came-

Cameracensi, Rabano Moguntino conditi fuerunt, sed & à Patribus, coactis in Concilio, quod Annalistæ Francorum sæpe narrant: at annus DCCCXVI, & eo anno celebratum Aquisgranense Concilium, Canonicorum Regulam edidit Libro uno, & altero Regulam Sanctimonialibus scripsit, quorum Canonum authentiæ, & puritati conservandæ, & perpetuandæ LUDOVICUS PIUS Augustus omnem suam potestatem interposuit, exempla Canonum conditorum in hoc Concilio per Nuntios misit, executionem eorundem vigilantiæ & zelo Archi-Episcoporum, & per hos Suffraganeorum seriò inculcavit; asservari in Archivis Ecclesiarum eosdem jussit, & in Palatio suo illibatos, & sacrosanctos apices hos custodiri significavit, ut ne ulla ætas fraudem illis allinere, aut eos oblivione intervertere ausit.

Hæc emolumenta Rei Catholicæ profluxerunt ex Synodis Episcoporum, hoc primo Tomo comprehensis.

Faxit Deus O. M. ut Sanctissima Intentio TUA, CELSISSIME PRINCEPS, in hoc opere promovendo, & labor noster in eodem suscipiendo, & exequendo, ad majorem Sui Nominis Gloriam propagandam, ad Ecclesiam Catholicam Domini nostri JESU ædificandam & ampliandam, usque ad ultimos orbis noti fines, usque ad Germaniæ totius sub unum ovile, & sub uno Pastore in una fide reductionem proficiat.

Ecquis enim è popularibus nostris, jam per Bap-

tiſmum JESU Chriſto regeneratus, adeò excors & ferreus ſit, ut viſâ hac catenâ teſtimoniorum à Sæculo quarto ad XV: viſâ hac nube teſtium graviſſimorum, & illuſtriſſimorum virorum, quos Sæcula ſingula tulêre : viſâ unitate Symboli in fronte Synodorum plerumque poſiti & acceptati, fateri non cogatur cum Conſtantino Auguſto, finitâ Nicænâ Synodo, ad Eccleſias ſcribente: " Libentibus animis, (e) Decretum Ni-" cænæ Synodi, tanquam donum Dei, & mandatum " reverà cœlitùs demiſſum, amplexandum. Nam " quidquid in Sanctis Epiſcoporum Conciliis de-" cernitur, id univerſum Divinæ voluntati attribuen-" dum eſt.

Similis eſt ſententia CAROLI MAGNI, ex Concilio Francofordenſi ſcribentis ad Elipandum, Toletanæ Sedis Archi-Epiſcopum, & cæteros Hiſpaniæ Epiſcopos, errore Felicis, Orgellitani Epiſcopi, ſeductos, *Pag. 320.* hujus Tomi: " Ad multitudinem (f) " Populi Chriſtiani, & ad SACERDOTALIS Con-" cilii unitatem revertimini. Si enim duorum, vel " trium ſancto, pióque conſenſui ſecundùm ſuam " promiſſionem Dominum eſſe præſentem non dubi-" tamus; Quanto magìs, ubi tot Sanctiſſimi Patres, " tot Venerabiles Fratres, tot Filii piæ Matris Eccleſiæ " in nomine illius pacificâ conveniunt unanimitate, " eum adeſſe medium, non eſt dubitandum, & illorum

(e) Euſebius L.IV. vitæ Conſtantini C.XIV.

(f) Epiſtola Caroli M. ad Elipandum.

" rum regere Conſilia, qui ſui Nominis laudem quæ-
" rere dignoſcuntur?

Hanc, inquam, æſtimationem & venerationem Germanis omnibus erga ſuarum Eccleſiarum Concilia & Antiſtites, inſidere cupio & inſculpi, cujuſmodi Catholici hi Auguſti, CONSTANTINUS & CAROLUS, magni bello, majores pace, maximi religione & tuitione Eccleſiæ, & Catholicorum Antiſtitum, corde, manu, & publicâ profeſſione in Conciliis præ ſe tulerunt.

Eandem mentem TUAM, CELSISSIME PRINCEPS, fuiſſe, laudatiſsimæ vitæ glorioſus decurſus innumeris benefactis, tum vel ipſum hoc opus ſuſceptum, & promotum, adeóque pleno jure NOMINI TUO inſcriptum, dicatum, conſecratum, demonſtrat: Quare ut ejuſdem fructum in Eccleſiam redundare ſerò videas, Neſtoreos annos apprecor

CELSITUDINIS TUÆ


Servus deditiſſimus
Jos. Hartzheim S. J.

PRI-





FACULTAS Rev. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.



Cùm Vidua Joannis Wilhelmi Krakamp, & Hæredes Christiani Simonis, Bibliopolæ Colonienſes typis vulgare deſiderent Librum, cui Titulus: *CONCILIA GERMANIÆ, quæ Celſiſſimi Principis, JOANNIS MAURITII, Archi-Epiſcopi Pragenſis ſumptu Cl. Joannes Fridericus Schannat primùm collegit, dein P. Joſephus Hartzheim S. J. Ejuſdem Celſiſſimi Impenſis plurimùm auxit, continuavit* &c. Ego infraſcriptus, Provinciæ Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi factâ ab Adm. R. P. N. LAURENTIO RICCI, Societatis JESU Præpoſito Generali, Iisdem ad primam hanc duntaxat editionem Tomi primi prædicti operis facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis ac Typographis prohibetur, ne dictum Librum citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines S. R. I. inferre præſumant. In cujus rei fidem has Eis manu propriâ ſubſcriptas, ac conſueto officii Sigillo munitas dedi. Coloniæ 4. Nov. 1758.




Ferdinandus Rissen S. J.

PRÆ-



PRÆFATIO.



Nvitatus à Celſiſſimo Archi-Epiſcopo Pragenſi, JOANNE MAURITIO ex Comitibus de Manderſcheit-Blanckenheim, ad perficiendam collectionem Conciliorum Germaniæ, à Clariſſimo Schannato, bonæ memoriæ, tentatam, & ex parte adornatam, circumſpicere cœpi, quibus adjumentis tam vaſto operi, tam diu à Germania noſtra deſiderato, perficiendo par fierem.

§. I.

Fons primus ipſa Concilia edita vel Mss. Eccleſiarum Germaniæ.



Oſt Concilia Generalia toties jam edita, ter minimùm hîc Colonienſi typo, à tribus indefeſſis viris *Crabbeo*, *Surio*, *Binio*, luſtranda fuiſſent ſpeciatim Archivia Eccleſiarum Germaniæ ſingularum, pro Conciliis Provincialibus & Diœceſanis; ſed magnam horum partem DD. Proteſtantium manus poſſidet, adeóque Catholico ſcriptori non facilè aperiuntur.

Interim fatendum eſt, multos ex D. D. Proteſtantibus archæa, & hiſtoriam, & Synodos Eccleſiarum, quas poſt pacem Weſtphalicam obtinent, communicâſſe orbi Literario.

Eccleſiarum verò, quas Catholici retinuerunt, & poſſederunt ab initio Chriſtianiſmi uſque ad noſtram ætatem, acta, quotidie tum ex antiquis coævis hiſtoricis, tum ex archæis Eccleſiarum illuſtriora & ampliora inſigni cum delectu & criſi prodire videmus, unde & Conciliorum in dies major fit numerus, & acta integriora haurimus.

§. II.

Fons secundus Collectores Canonum primo Millenario.

ALtera via perficiendæ collectionis Conciliorum sunt Collectores vel Conciliorum, vel saltem Canonum, in iis conditorum.

Eos divido in Collectores primi & secundi Millenarii Christiani.

Primo Millenario habuit Italia Dionysium Exiguum, deinde Pontifices Romanos, perpetuos custodes, imò Conditores Canonum, qui & cæteras Occidentis Ecclesias è sua Cathedra, & Bibliotheca docuerunt, & donârunt, & dotaverunt Epistolis Canonicis, imò Libris integris oblatis, ùt infra videbimus. Habuit Africa Ferrandum & Crisconium Epitomatores veriùs, quàm Collectores. Habuit Hispania Isidorum Hispalensem, & Martinum Bracarensem Lusitania.

At Germania nostra primo Millenario habuit non tantùm Doctores, sed & Collectores, editis Libris Clarissimos.

S. Bonifacium Archi-Episcopum primò regionarium, post Coloniensem, subinde Moguntinum: Chrodegangum Metensem, Angilramnum Metensem sæculo octavo: sæculo nono Remedium Curiensem, Notungum Constantiensem, Haytonem Basileensem, Halitgarium Cameracensem, Rhabanum Moguntinum Episcopos, Benedictum Levitam Moguntinæ Ecclesiæ; Sæculo decimo Reginonem Prumiensem Abbatem, & Ricolfum Archi-Episcopum Treverensem. Videtur igitur non exiguos progressus fecisse Juris prudentia sacra inter Episcopos Germaniæ.

§. III.

Fons tertius Concilia, quibus Germani Episcopi primo Millenario interfuerunt.

NEc id à vero abhorret. Jam Sæculo quarto Conciliis extra Germaniam interfuerant Germaniæ Episcopi: Legationibus ad Augustos functi erant pro Ecclesia: Controversiæ Donatistarum dijudicandæ Romæ & Arelati judices & arbitri sederant.

In Concilio Sardicensi Anni 347. è sola Germania Rhenana decem Episcopi assederunt, *pag.* 8. hujus voluminis enumerati; è Concilio Sirmiensi Anno 357. ab Arianis Episcopis Literæ datæ sunt ad Episcopos Germaniæ primæ & secundæ *pag.* 8., qui eadem Constantiâ, quâ Sardicæ nuper, sic nunc suis in sedibus Ariano errori restiterunt, nec à Nicæni Symboli professione latum unguem abierunt, propterea magnis laudibus à S. Hilario deprædicati *pag.* 2. & 3. hujus primi Tomi.

Gregorius Magnus, exeunte Sæculo sexto, Theoderico & Theodeberto Regibus Francorum, Germaniæ Rhenanæ imperitantibus, Canonica quædam Decreta scribit, & Synodum Episcoporum, ad labem Simoniacam compescendam congregari per hos Principes, uti Advocatos & Tutores Ecclesiarum, desiderat, *pag.* 19. 20.

Sæculo

Sæculo ſeptimo Martinus I. Papa mittit Amando Epiſcopo Trajectenſi acta Synodi Romanæ, à ſe contra Monothelitas Romæ celebratæ: narrat eidem ſcandala, in Eccleſia Conſtantinopolitana ex ambitione & hæreſi Præſulum orta, neceſſitatem indictæ à ſe Synodi; adjungit Encyclicas Epiſtolas ſimiles ad Germaniæ & Galliæ Epiſcopos: Acta hæc in *Synodo* prælegi mandat, & conſenſu Epiſcoporum ſubſcripto, ratificanda Anno 649. *pag.* 28. 29.

Hinc liquet, à Sæculo quarto ad ſeptimum Germaniæ Epiſcopos variis Conciliis Orientis, Italiæ, Galliæ interfuiſſe, Dogmata, & Canones primitivæ Eccleſiæ noviſſe: & Eccleſiam Romanam ſuo lacte puriſſimo, Literarum Canonicarum commercio, Præſules Germanos, Rhenanos, Noricos, Pannonios imbuiſſe.

§. IV.

Enumerantur Canoniſtæ Germani: Primus BONIFACIUS.

SÆculo octavo Anglia (quæ ſæculo ſexto per ſubmiſſos à S. Gregorio Magno Apoſtolicos Viros, mirificos progreſſus in Doctrina Chriſti & moribus fecerat) multos & Illuſtres Viros, Apoſtolico Spiritu plenos, Germaniæ erudiendæ reſtituit, vel miſit, SS. Willibrordum, Bonifacium, Willibaldum, Wunnibaldum, Eobanum, Lullum &c. qui primò Romam, velut ad Eccleſiarum omnium Matrem, profecti, à Summis Pontificibus paternâ benevolentiâ excepti, ſaluberrimâ inſtitutione Catholici Dogmatis, & Canonum muniti, Presbyteri, & Epiſcopi ordinati, remiſſi ſunt in Germaniam Borealem, adhuc gentilitatis tenebris obductam, in Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, ad circumjectas Viſurgi, & Albi nationes varias:

Quos inter emicuit S. Bonifacius, natione & ipſe Anglus, at zelo major aliis popularibus: nam ab Anno 717., quo ex Anglia in Friſiam abiit, ad 754. quo in eadem Friſia Evangelium, annis XXXIX. prædicatum, Martyrio glorioſo coronavit, impendit ſe totum Germaniæ Boreali, ab Ethnicismo ad veræ fidei lucem traducendæ. Quem in finem Romam ter adiit, & Presbyter ordinatus primùm à Gregorio II., ſeu juniore, miſſus fuit in Alamanniam, Thuringiam, cum munere & charactere Legati Apoſtolici, fidei prædicator.

Anno 723. die S. Andreæ Romæ ab eodem Gregorio ordinatus Regionarius Epiſcopus, cum ampliori poteſtate remittitur in Germaniam.

Anno 732. à Gregorio III. pallio donatur, Archi-Epiſcopus nuncupatur, quamvis nullius certæ ſedis. *pag.* 38.

Anno 739. quatuor inſtituit, & diſtribuit in Bojaria Epiſcopatus, & pro aliis tres Epiſcopos conſecrat, nam Vivilus Patavienſis Romæ ante conſecratus fuerat. *pag.* 40.

Epiſcopatus Bajoariæ vocat Gregorius III. in partibus *Heſperiis* ſitas, *pag.* 41. Etſi Bajoaria, & Thuringia, & Auſtraſia magis ſint ſitæ in parte Boreali oppoſitâ Romæ, quàm in parte Occidentali, vel *Heſperia.* Hiſpania ad Occidentem; Germania ad Boream Romæ obverſa eſt.

Anno 741. tres in Francia Orientali, Burchardum apud Wurtzburg, Wittam Buraburgi, Adelharium Erphesphurdiæ, & quartum Aichſtadii Willibaldum Epiſcopos ordinat. *pag.* 42.

Anno 743. tres in Neuſtria Archi-Epiſcopos inſtituit, quà Miſſus S. Petri, nempe Remis, Rothomagi, & Senonibus. Demum Synodos ab Anno 740. ad 754. quot inſtituerit; dicam in Diſſertatione poſt ſæculum octavum.

Inter Concilia impreſſa à Synodographis, hactenus primum eſt, Anni 742. quo ſtatuitur, ideo *ſingulis annis* Synodum congregandam, ut præſentibus Epiſcopis, Principe & Optimatibus, uti tutoribus Eccleſiæ, CANONUM DECRETA, & ECCLESIÆ JURA reſtaurentur: Clerici, qui contra hæc peccârunt, puniantur, degradentur: & juxta SANCTORUM PP. CANONES Presbyteri omnes ſubjecti ſint Epiſcopo ſuæ Parochiæ: Epiſcopi JURE CANONICO circumeant quot annis Diœceſin: Ignoti & undecunque venientes Presbyteri ſecundùm Canonicam cautelam non admittantur ad Miniſterium. *Canonibus I. II. III. IV. V. pag.* 49. En cauſam, finem, & materiam cogendarum annuarum Synodorum in Germaniæ tum antiquis Epiſcopatibus, tum in illis octo à S. Bonifacio in Bavaria, & Auſtraſiæ demum tribus Archi-Epiſcopatibus, in Neuſtria inſtitutis.

Meriamur hinc Canonum ſcientiam in Sancto Bonifacio, tunc Eccleſiaſticam Hierarchiam ordinante, hos novos Antiſtites & harum Diœceſes inſtituente, docente, tot Synodos regente, moderante. In Synodo Sueſſionenſi Anni 744. *pag.* 37. conſtituitur primo Canone ſervanda fides catholica, 318. Epiſcoporum in Nicæno Concilio, dein *JUDICIA CANONICA aliorum Sanctorum PP., quæ conſtituerunt in Synodis ſuis.*

Ipſe Bonifacius, præter Epiſtolas Canonicas varias, ad ipſum à tribus Pontificibus, Gregorio II. Gregorio III. & Zacharia ſcriptas, reſponſorias ad Bonifacii, & ad Pippini Ducis interrogata, eidem directas: ſcripſit Statuta Canonica N. XXXVI. quæ licet Dacherius in *notis* adjectis, à me *recuſis pag.* 73. *dicat* nonnulla deſumpta eſſe ex poſterioribus Conciliis Carolinis, vel ex Libris Capitularium; longè tamen veroſimilius eſt, Anſegiſum, & Patres Concilii Moguntini ea ex Bonifacio ſumpſiſſe, quàm contrà.

Præter hæc Statuta Canonica antiquiſſima, à Germaniæ Epiſcopo collecta, ſcripſit S. Bonifacius libros dogmaticos & hiſtoricos.

Dogmaticus Liber eſt, *de Unitate fidei Catholicæ*, laudatus à Papa Zacharia *pag.* 83. 85.

Item ſermo de abrenuntiatione in Baptiſmo, editus à *Pezio Tom. IV. Theſauri anecdotorum* parte II. ultra varias Epiſtolas ad Pontifices, ad Reges & Epiſcopos Anglos, relatas *Hiſtoriæ Literariæ Benedictinæ parte tertiâ. p.* 56. 57.

§. V.

CHRODOGANGUS.

ALter Canoniſta Germanus ejusdem ſæculi octavi fuit CHRODOGANGUS, Epiſcopus Metenſis, Pippini Regis conſobrinus, & Caroli Martelli Cancellarius, vel Referendarius.

Papa Stephanus, quem Româ in Franciam deduxit Anno 753., eidem Pallium dedit, & Titulum Archi-Epiſcopi, & facultatem conſecrandi Canonicos, & Presbyteros diverſarum Eccleſiarum. Interfuit Conciliis Compendienſi, Attiniacenſi, Metenſi.

Ejuſdem

Ejusdem *Regula*, *Clericis observanda Metensibus*, quæ in multis vestigia Regulæ S. Benedicti sequitur, edita fuit à *Luca D'acherio in Spicilegio Capitibus LXXXVI.* distincta, quam edidimus.

Maluit Labbeus edere regulam Chrodogangi, Cap. XXXIV. constantem, ex codice Ms. Vaticano, quam unà cum regula, in Concilio Aquisgranensi Anno 816. propositâ, suæ collectioni inseruit, quasi hæc Aquensis prolixior, sit interpolata; illa brevior, sit genuina Chrodogangi.

Cointius demum, *Judice Fabritio*, sinceram dedit *Tomo V. Annalium Ecclesiæ Francorum ad Annum Christi 757. ex cod. Ms.* collato cum D'acheriana, & Labbeana editione. Verùm cùm ex Mss. codicibus certò ostendi nequeat, quæ ex his tribus, vel quatuor sit genuina: primam D'acherii edidimus, donec ex Mss. clarior lux affulgeat. Obiit Chrodogangus 6. Martii Anno 766. sepultus Gorziæ. Sancti nomen, & cultum habet apud Metenses. *Fabritius Biblioth. med. & inf. Latinitatis.*

§. VI.

ANGILRAMNUS.

ANGILRAMNUS, Metensis Episcopus, Chrodogangi Successor à 25. 7bris Anno 768. qui & Archi-Episcopus audit, dicitur Hadriano Pontifici obtulisse collectionem 72. aut 80. Capitulorum juxta *quosdam cod. Mss.* In aliis codicibus Hadrianus Papa dicitur ea donâsse Angilramno. Sed *Calmeto* videtur pars prior verosimilior: eò quòd in codice, quem Hadrianus Papa dedit Carolo Magno, nulla fiat mentio Epistolarum Pontificiarum ante Siricium: at in hac collectione citantur Epistolæ Pontificum ante Siricium, quas Isidorus peccator primus supposuit non suis auctoribus. Unde videtur Angilramnus usus Isidoriana collectione veterum Conciliorum: qualem Hadrianus Carolo minimè dedit, adeóque nec veram credidit. Obiit Angilramnus Anno 791. VII. Kal. Novembris, Palatii Regii Capellanus.

§. VII.

SIMPERTUS.

SINTPERTUS, aliis SIMPERTUS, fuit Abbas Murbacensis Cœnobii Ordinis S. Benedicti: subin Episcopus Augustanus ab Anno 788. ad Anni 818. 13. Octobris, quo obiit, *teste triplici Catalogo* vetustissimo, producto à Cl. Petzio *in Dissertatione Isagogica ad Tomum II. Thesauri Anecdotorum pag. XX.*

Expungunt eum ex serie Abbatum Murbacensium Gabriel Bucelinus, & Carolus le Cointe *in Annal. Francorum*: sed restituit illum Mabillonius, qui sedem ejusdem Episcopalem sibi ignotam scribit. Eckartus L.XXV. N. 47. rectè probat, Simpertum Ratisponensis Ecclesiæ Episcopum, Anno 791. obiisse, quod non negatur: sed an hic fuerit Abbas Murbacensis, id quæritur. Augustanæ Ecclesiæ Catalogi antiquissimi *Sintpertum* ab Anno 788. fuisse suæ Ecclesiæ antistitem evidenter demonstrant: eundem fuisse Murbacensem in Alsatia Abbatem, &

veteres membranæ docent, & ex iis descripta statuta regularia pro Monachis. Cæterùm quæ Petzius edidit documenta *Tomo II. Anecdotorum Parte III.* de vita, & miraculis, & translatione secunda post Anno 1400., recentia esse non inficior.

§. VIII.

HATTO.

HATTO, aliis Hayto, Hetto, teste Walafrido, quinquennis puerulus Deo, & B. Pirminio in Abbatia Augiæ est oblatus: qui cùm dein non doctrinâ tantùm, & specie corporis externâ, Monachos omnes antecelleret: verùm etiam morum gravitate, & omnium virtutum decore; factum est, ut Waldone, tunc Augiæ Abbate, ad S. Dionysii Parisiense Monasterium translato, Hetto Augiense Monasterium à Carolo M. Imperat. & Fratribus, regere jussus fuerit Anno DCCCVI. Vir fuit doctus, & eximiè sanctus; sub illo enim Augiensis schola maximè florere cæpit: ipse Sacras literas professus. Unde Magnorum Procerum, Ducum, & Comitum filii ad Augiam convolârunt, literis, & bonis moribus initiandi, ut deinde ad Episcopatus, & Ducatus gubernandos idonei fierent: quorum nonnulli nominatissimi facti sunt Magistri. Scripsit inter alia *Ordinationum in sua Diœcesi Basileensi servandarum Librum unum.*

Carolus enim Magnus perspectâ viri scientiâ, Basileensi Cathedræ eundem præfecit, & Constantinopolim ad Orientis Imperatorem Nicephorum gravibus de causis misit Anno DCCCXI. nempe ob insignia Dei in eum dona à multis vocatus fuit *Caroli deliciæ*, *Caroli corculum*, qui & suo testamento Hettonem voluit subscribere. Postquam Abbatiam, & Diœcesim sedecim annos felicissimè gubernâsset quoad Disciplinam Ecclesiasticam, regimen politicum & œconomicum, Basileensis Basilicæ antiquæ dirutæ loco novam magnificam extruxisset; Anno DCCCXXII. contemplationis studio abreptus, & jam annis gravis, Abbatiæ, & Episcopatui renuntiavit, in suâque Augia sub Erlibaldo Abbate privatus vixit ad anni DCCCXXXVI. XVII. Martii, quo obiit.

Regulæ vivendi & agendi, Clero & Sacerdotibus, suæ Diœcesi Basiliensi subjectis, ab ipso præscriptæ, adhuc Mss. in Augia asservantur. *Joannes Egon. L. de viris Illustribus Augiæ divitis, editus à Petzio Thesauri Antecdotorum Tom. I. Parte III. pp.* 637. 646. 727.

Capitulare ad Presbyteros Diœceseos Basileensis circa Annum 827. promulgatum Capitulis XXV. publicavit D'acherius Tomo VI. spicilegii editionis novæ Tomo I. pag. 584. 586.

§. IX.

REMEDIUS.

REMEDIUS (aliis *Remigius*) Episcopus Curiensis in Rhætia, temporibus Caroli Magni floruit. Stumpfio dicitur decimus nonus Curiensis antistes in Rhætia *L. X. p.* 584. Ejusdem Canones Ecclesiasticos ex Pontificum Romanorum sparsis ab Isidoro peccatore suppositiciis Epistolis edidit *Goldastus rerum Alamannicarum Tom. I. Part. I. p.* 121. *Fabritius Biblioth. med. & insi. Latin.*

§. X.

§. X.

HALITGARIUS.

HALITGARIUS (*Alitgarius*, *Halitcharius*) erat Anno DCCCXVI. Cameracensis, & Atrebatensis Episcopus. Fuit cum Ebbone, Remensi Episcopo, missus ad prædicandum Danis Evangelium. Deinde Anno DCCCXXVIII. ab Imperatore Ludovico Pio legatus fuit ad Michaëlem Balbum, Imperatorem Orientis.

Abiit ad superos Anno DCCCXXX. 25. Junii. Scripsit Libros V. de vitiis, virtutibus, & ordine pœnitentium, editos ab Henrico Canisio *Tomo V. Lectionum antiquarum Parte II. pag.* 227. *Ingolstadii Anno* 1604. in ejusdem Libri nova editione Basnagiana *Tomo II. Parte II. pag.* 87. in Bibliotheca PP. Coloniensi anni 1618. Tomo VIII. Parisiensi anni 1654. Tomo V. Lugdunensi Tomo XIV.

His Libris habent pleraque similia Libri Rabani, postea Archi-Episcopi Moguntini, de eodem argumento scribentis.

Sextus Liber, quem è scrinio S. Romanæ Ecclesiæ Halitgarius ait se descripsisse, fuit à Stevartio vulgatus in Supplemento Canisii. *pag.* 793. & in Basnagiana editione *pag.* 132. Sub *pœnitentialis Romani* Titulo è Corbeiensi Ms. edidit eum Hugo Menardus ad Gregorii M. Sacramentarium. *Tomo III. Operum S. Gregorii edit. Parisinæ* anni 1705. *pag.* 462. Ubi observat Menardus, hunc codicem fortè non esse integrum, quia in eo quædam inveniuntur citata à Burchardo, alia non inveniuntur.

Cl. Morinus post commentarium Historicum de disciplina in administratione Sacramenti pœnitentiæ, subjecit appendicem veterum codicum pœnitentialium, in quorum numero primas obtinet *Liber VI. Halitgarii*, post Menardum denuo publicatus ex eodem codice Ms. Corbeiensi, è quo Menardus eum primùm ediderat.

Addit autem Morinus adnotationem memorandam. Quòd hic Liber sit antiquissimus ex Romano scrinio descriptus in hac materia: cùm verò in quinque libris primis multa jam retulisset, huc spectantia; hinc in sexto Libro parcior est.

§. XI.

ANSEGISUS.

ANSEGISUM, quem Sigebertus *in Chronico* ad Annum DCCCXXVII., & Trithemius, Abbatem Laubiensem, Diœcesis Leodiensis, fuisse scripserant, diversum esse ab Ansegiso, Senonum Archi-Episcopo, jam Sirmondus ostenderat in Epistola ad Constantinum Cajetanum: cætera Trithemio, & Sigeberto subscripserat.

At Mabillonius *Saculi quarti Benedictini, Anno* 1677. *Lutetia impressi, parte I. pag.* 630. ostendit ex duobus antiquioribus scriptoribus, præsertim ex Chronico Folcuini Abbatis Laubiensis, eum in numero Abbatum hujus Cœnobii nequaquam reperiri, sed eundem fuisse Abbatem Luxoviensis, & Fontanellensis Cœnobiorum Ord. S. Benedicti: Illius ab Anno 817., hujus ab 823. Ludovici Imperatoris Augusti gratiâ: defunctum Anno 835. XX. Julii. Ex vita

S. Anſegiſi ab Autore Chronographo Fontanellenſi coævo ſcripta, quam *Mabillonius* edidit l. cit.

Eundem primum Capitula Regum Francorum, quæ *diverſis fuerant data Conciliis*, excepiſſe, & volumine uno, in quatuor Libros partito, collegiſſe narrat ADSO Abbas Luxovienſis Sæculo X., ſcribens de miraculis S. Waldeberti.

Igitur inter Germanos Canonum compilatores referri non poteſt Anſegiſus, uti Sigebertus eum retulerat.

§. XII.

BENEDICTUS.

SEptimus Canonum veterum Collector ſit Benedictus Levita, ſeu Diaconus Eccleſiæ Moguntinæ, qui juſſu Autgarii Archi-Epiſcopi ſui, circa annum DCCCXLV. curam hanc ſuſcepit, ut Capitula Caroli M. & Ludovici Pii, ab Anſegiſo prætermiſſa in quatuor jam vulgatis libris, ipſe colligeret pro DEI omnipotentis amore, & ſanctæ DEI Eccleſiæ, ac ſervorum ejus, ac totius populi utilitate.

Invenit autem ea in ſanctæ Moguntiacenſis Eccleſiæ ſcrinio à Riculfo, & Autgario Archi-Epiſcopis aſſervata, nullo quidem ordine, ſed in diverſis ſchedis, quædam initio, quædam fine diverſa, & diſparata. Quæ confuſio ſcriptorum fecit, ut nec ipſe Benedictus ordinem temporis, vel Conciliorum, vel Epiſcoporum, vel doctrinæ Canonicæ ſervare potuerit, ùt in præfatione conqueritur apud *Baluzium Tomo I. Capitularium pag.* 803.

Hunc tamen qualemcunque in tribus libris ſibi præfixit ordinem:

In primi Libelli fronte poſuit Zachariæ Papæ Epiſtolam ad omnes Epiſcopos, & reliquos Eccleſiaſtici ordinis gradus, & ad cunctos Duces, & Comites, omnésque DEUM timentes, per Gallias & Francorum Provincias, directam.

2. Duos Synodales Conventus, Canonicè celebratos à Carolomanno, & Bonifacio, ut agnoſcant omnes, hæc prædictorum Principum Capitula Apoſtolicâ autoritate fore firmata. Poſt iſta ſequuntur, quæ eâdem autoritate, & omnium Francorum utriuſque ordinis virorum aſſenſu, ſunt roborata. *Continet Capita* 405.

In ſecundo Libello ſunt excerpta ex lege Divina, ut appareat concordia legis Divinæ, & Regularum Canonicarum. *Continet Capita* 436.

Tertio Libello poſt Capitula, ſubjungit ex Canonibus, à Paulino Epiſcopo, & Albino Magiſtris, & reliquis, juſſu Caroli collectis, regulas Monaſticas: & demum ad totius Chriſtiani populi utilitatem conſcripta Capitula *numero* 478.

Baluzius *in præfatione N. XLV.* autumat, Benedictum collegiſſe primùm Capitula, quæ citra controverſiam edita ſunt à Regibus: tum ea, quæ ab ipſis, vel eorum juſſu, ab Epiſcopis, aut viris doctis excerpta ſunt ex libris divinæ ſcripturæ, ſicut ea ſparſim in eorum mixta capitulis ſe reperiſſe profitetur: tum deſumpta ex Canonibus Conciliorum, ex Decretis Romanorum Pontificum, ex dictis Sanctorum Patrum, ex inſtitutionibus Synodalibus Epiſcoporum Gallicanorum, ex codice Theodoſiano, ſive Aniani interpretationibus, Pauli ſententiis, Juliani Anteceſſoris Novellis, codice Wiſigothorum, ex lege Salica, ex lege Ripuariorum, ex lege Bajuvariorum. Ex his enim omnibus confarcinata eſt illa Benedicti

Benedicti collectio confusè sanè facta, nullo servato temporum ordine, mutatis etiam sæpe verbis capitum, quæ illic referuntur.

Hactenus *Baluzius*, qui simile elogium poterat addere quatuor Ansegisi Libris.

Herardum, Archi-Episcopum Turonensem, Isaacum, Episcopum Lingonensem, Capitula sua ex tribus Libris Benedicti excerpsisse, & abbreviâsse, non diffitetur.

Nihilominus spernenda non est hæc Benedicti collectio, absque cujus diligentia & labore careremus plerisque sanctissimis & optimis Principum Francorum constitutionibus, quæ alibi non reperiuntur. *Ejusdem Baluzii hæc est confessio & Apologia.*

§. XIII.

RHABANUS.

OCtavus inter Canonistas Germaniæ fit RHABANUS Magnentius Maurus, Moguntiæ natus, Fuldæ à puero educatus. Monachus factus inde Turonos missus fuit ad scholam Albini, seu Alcuini Abbatis, gratiâ liberales discendi artes, unà cum Hattone, post Fuldensi Abbate, & Heimone vel Heymone, post Halberstadensi Episcopo. Presbyter ab Haistulpho Moguntino ordinatus X. Kal. Januarii Anno 814. desinente, sive Anno 1mo Ludovicii Pii: & Abbas Anno 822. Verùm ob disciplinæ Benedictinæ rigorem, & sacrarum literarum studium, exosus fratribus, è Monasterio abiit Anno 842. Post mortem Otgarii 847. fit Archi-Episcopus Moguntinus 26. Junii, die Dominicâ consecratûs: obiit demum Anno 856. 4. Febr.

Quantus hic vir fuerit vastissimâ scientiâ primò Divinæ scripturæ plurimis commentariis illustratæ variis *Tomis* in Folio: quantus scientiâ Canonicâ Dogmatum Hierarchiæ & disciplinæ Ecclesiasticæ: quantus in Liturgica, in scientia ascetica monastica: quantus & in profanis, Grammatica, Poesi, docent *VII. Tomi* in Folio, Coloniæ editi, Anno 1627. studio Jacobi Pamelii, & Georgii Colvenerii, Cancellarii universitatis Duacenæ, præstantissimorum virorum. Elogium viri innumeri scripsère, quos Serarius & Labbé *in Dissertatione historicâ de scriptoribus Ecclesiasticis* recensent. Ad nos spectant sequentes Libri:

1. *De Clericorum institutione, & ceremoniis Ecclesiæ* Libri tres, scripti Anno 819. ad Haistulphum Archi-Ep. Moguntinum, sub Eigile Abbate Fuldensi.

2. *De Sacris Ordinibus, Sacramentis divinis, & vestimentis Sacerdotalibus* Liber unus, ad Thiotmarum.

3. *De Disciplina Ecclesiastica*, ad Reginaldum Libri tres.

4. *De quæstionibus Canonum pœnitentialium* ad Heribaldum Libri tres. *Mabillon Sæculi IV. Benedictini parte II.* spurium opus Rabani censet, & certò est Halitgarii Cameracensis; consentit Baluzius.

5. *De vitiis & virtutibus, de peccatorum satisfactione & remediis* Libri tres. Liber *de vitiis* Rabani, est primus Halitgarii. Secundus de virtutibus *Rabani est* & 2dus Halitgarii: 3tius Rabanicus, cujus sit, incertum.

 6. *Pœni-*

6. *Pœnitentium Liber unus* ad Otgarium, Moguntinum Archi-Episcopum Anno 842. judice Mabillonio *p. II. Sæculi IV.*

7. *Quotâ generatione licitum sit matrimonium?* ad Humbertum Episcopum Würtzburgensem.

8. *De consanguineorum nuptiis, & magorum præstigiis.*

9. *De anima & virtutibus* ad Lotharium Regem. Hactenus *Labbé in Dissertatione Historicâ de scriptor. Ecclesiasticis*, qui ait sex Tomis Coloniensibus tres Epistolas Mss. addendas; Sed Fabritius *Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis*, novem opera inedita prodit, nempe.

10. *Epistola Rabani de Chorepiscopis* ad Drogonem Anno 841. Metensem Ep. curâ *Stephani Baluzii edita in tertiâ editione Librorum Petri de Marca, de Concordia Sacerdotii & Imperii. Mabillon. p. II. Sæculi IV. Benedictini pag.* 38.

11. *Liber de reverentia filiorum erga Patres, & Subditorum erga Reges*, ad Ludovicum Imp. scriptus post ann. 839. Vocatur hic Liber *Collectarium* à Rudolfo Fuldensi Monacho Biographo Scholastico, quem Browerus, Bollandus, Colvenerius & recentissimè Mabillon recudit *hac parte II. Sæculi IV.*

12. *Epistola Synodalis Rabani*, in Conciliis jam citanda Anno 848. alia Anno sequenti 849. *alia ad Hincmarum de eodem Concilio.*

13. *Epistola ad Notingum Veronensem Episcopum de Gottescalco. Hæc ab Ughello recusa T. III. Italiæ.*

14. *Epistola* ad Egilonem Abbatem Prumiensem, quæ creditur excidisse.

15. *Epistola ad Heribaldum Antissiodorensem Episcop.* à Stevartio primùm edita ex Weingartensi cœnob. *recusa à Baluzio*, post opera Rheginonis; à nobis recudenda.

16. *Epistola ad Regemboldum Chor-Episcopum Moguntinum, de quibusdam quæstiunculis pœnitentiæ* anno 848. scripta, sed *Judice Mabillonio.* Anno 842.

17. *Epistola ad Herebardum Comitem contrà Gottescalcum. X. Kal. Maji* 847.

18. Canones Moguntini Concilii Ludovico Regi Juniori obtulit Anno 847. Trithemius pœnè infinita, ait, opuscula scripturarum composuit. *Ex Baronii I. Tom. X. Annal. Eccles.* unum Elogium addam: „Emicuit planè Rhabanus, „ùt fulgentissimum sidus, cujus, quæ extant scripta, tanquam lucis radii, ex„cellentiam demonstrant autoris, ut & iisdem illustrata Germania glorietur, su„um haud adeò imparem magnis habuisse Doctorem.

Synodos tres celebravit Archi-Episcopus; Primam Anno 847. circa Kal. Octobris Moguntiaci in Monasterio S. Albani: Occasio Synodi, Laicorum invasio in bona Ecclesiarum, de qua re, cùm apud Regem conquerentur, indicitur Provinciale Concilium. *Epistola Synodica edita in coll. Conciliorum, ubi & personæ præsentes.*

Anno 848. Secundam Moguntinam sub Rabano. Actio I. pacificatio Moguntinorum cum Rabano, Rege Ludovico Germanico mediante. Secunda Gottescalci Monachi correctio. *Synodica Rabani ad Hincmarum, II. ad Notingum III. ad Herardum vel Heberardum Comitem.* Trithemius ex his duabus Synodis *unam facit, ait Mabillon. pag.* 32.

Anno

Anno 852. Tertiam Moguntinam ſub Rabano. Mabillon ex Henſchenio in commentario n. 51. corrigente Trithemium. Serarius Mogunt. *p.* 645. 4tam Francoforti ſub Ludovico & Rabano, anno 853. celebratam addit Mabillonius.

Idem in actis Ss. Sæculi IV. Benedictini parte II. vitam B. Rabani dat ex *Rodulpho* Scholaſtico Fuldenſi ejus Diſcipulo: deinde amplius elogium, quàm Serarius ſubjicit vitæ, & ex coævis ac poſterioribus ſcriptoribus id conficit.

§. XIV.

REGINO.

REGINO primùm Monachus fuit cœnobii Benedictini Prumienſis in Archi-Diœceſi Treverenſi, cujus ſubinde Abbas fuit ab Anno 891. ad 899. à qua dignitate, æmulorum, ùt ajunt, invidiâ dejectus, privatam Monachi vitam duxit in celebri ejusdem Ordinis S. Benedicti Monaſterio Sanmaxminianæo, ſub mœnibus urbis Trevericæ: in quo ſacro otio varios libros ſcripſit. Ad noſtrum inſtitutum unus facit, inſcriptus Rathbodo (*a*) Treverorum Archi-Epiſcopo, hoc titulo: *De diſciplinis Eccleſiaſticis, & religione Chriſtiana.* Nam ejusdem Archi-Epiſcopi juſſu, & ad uſum ejusdem Archi-Diœceſeos hanc collectionem Canonum inſtituit Libris duobus. *Primo* tractat de rebus & perſonis Eccleſiaſticis: *Secundo* de vita & converſatione Laicorum. Continent hi duo Libri nongenta fermè Capitula: ſed pauciora aut plura in diverſis Mss. codicibus.

Reginonem primùm edidit Helmæſtadii Joachimus Hildebrandus Ann. 1659. ex veteri codice Ms. Bibliothecæ Juliæ. Aliam editionem inſtituit Stephanus Baluzius Pariſiis Anno 1671. in Octavo, quam eruditis notis illuſtravit.

§. XV.

RUTGERUS.

RUTGERUS Trevirorum Archi-Epiſcopus in Concilio Provinciali ſuo Anni 927. fecit Sanctionum Eccleſiaſticarum Librum, ſummo Patrum aſſenſu probatum, & à Clero receptum. *Browerus in Annal. Trevirenſibus ad h. a.*

Atqui hi ſunt Collectores Canonum primo Millenario Germanicis in Eccleſiis nati & ſuperſtites.

Secundi Millenarii æræ Chriſtianæ vel præcipuus inter Germanos, vel unicus Canonum Collector eſt, qui ſequitur

§. XVI.

BURCHARDUS.

BURCHARDUS, in Haſſia natus parentibus ſecundùm Sæculi dignitatem non infimis: apud Confluentiam Canonicè primùm nutritus, deinde per loca diverſa, causâ ſtudii directus eſt. Poſtea verò Willigiſo Moguntinenſis Sedis venerabili Archi-Epiſcopo ſe adjunxit, illiúſque ſalutari ſapientia repletus, & ſecundùm ſuos nobiles mores imbutus fuit,

(*a*) Ratbodus electus Anno 883. ſedit in cathedra Trevirenſi ad Annum 915.

Wormatienſis Epiſcopus, FRANCO, Ottoni tertio de ſucceſſore ſciſcitanti, fratrem ſuum Burchardum commendaverat. Otto licet id eidem ſanctè promiſiſſet, duobus aliis candidatis Cathedram Wormatienſem poſt mortem Franconis donavit, quorum prior quarto, alter decimo tertio die è vivis abierunt priùs, quàm Cathedram adiiſſent, demum recordatus promiſſi, Franconi facti, eidem Burchardo obtulit pedum Eccleſiæ Wormatienſis, quod hic ab initio recuſat, at conſilio Moguntini Archi-Epiſcopi accepto, conſentit, à quo & Seligenſtadii Sacerdos primùm, poſtridie Epiſcopus conſecratur: Hæc Biographus anonymus. Cl. Schannatus Burchardum Anno 997. VI. idus Martii Presbyterum, Anno 1006. vel 1008. Epiſcopum ordinatum ſcribit.

Exorſus fuit Paſtor bonus officium ſuum à viſitandis ovibus ſuis: quas inter, civibus Wormatienſibus urbem mænibus nudatam querentibus, mœnia inſtauravit. Henricus Bavarus Rex poſt mortem Ottonis III. Wormatiam venit, & inde Moguntiam abiit, ubi Sceptrum Regni collaudantibus cunctis accepit. Interea Burchardus paci civium & Eccleſiarum multarum ædificationi invigilans minimè neglexit ſacrorum Canonum ſtudium: nam variis Synodis Tremoniæ, Francofurti, Moguntiæ, Saligunſtadii interfuit: quas inter Epiſcopales occupationes oratorium & cellam, in foreſto, duobus milliaribus Wormatiâ diſſito ædificavit, uti opportuno loco ad adornandam collectionem Canonum, ad quam Waltherius Spirenſis Epiſcopus eundem extimulabat, & Brunicho Præpoſitus.

Olbertus (Albertum vocat Trithemius) ejus olim in Lobienſi cœnobio Præceptor, operis condendi adjutor dicitur Trithemio.

Vitam Sanctam tot rebus præclarè geſtis & re Literariâ promotâ Sancto fine concluſit Anno MXXV. XIII. Kal. Septembr. nil theſauris ex ſuis relinquens præter denarios tres: reliquos per pauperum manus jam cœlo transmiſerat. Soror ejusdem Mechtildis Abbatiſſa heres fuit opum in Scrinio recluſorum; nempe Cilicii hirſutiſſimi, & ferreæ catenæ, quaſi ex uſu attritæ.

Editio Colonienſis Burchardi, Anni 1578. continet primo Libros XX. ejusdem. Præmittit vitam Sancti Epiſcopi, ab anonymo coævo ſcriptam.

Secundò leges & Statuta, Familiæ S. Petri Eccleſiæ præſcripta, quam Eccleſiam ipſe nuper erectam cum Canonicorum Collegio, novis à ſe fortunis & opibus aucto, Henrico Regi oſtendit. Recudit has leges Cl. *Schannatus in cod. probationum hiſtoriæ Wormatienſis N. LI.* ex Archivio Eccleſiæ Cathedralis Wormatiæ.

Tertiò habet admonitionem in Synodo, finito Evangelio à Diacono legendam, Epiſcopo, & cæteris in ordine ſedentibus.

Quartò Concilium in Saligunſtadt celebratum Anno 1023. indict. V.II. idus Auguſti, Præſide ARIBONE Archi-Epiſcopo Moguntino & Epiſcopis BURCHARDO Wormatienſi, WERENHARIO Argentinenſi, BRUNONE Auguſtenſi, EBERHARDO Babenbergenſi, MAGINHARDO Würceburgenſi.

Quintò Inſtructionem, quomodo initianda ſit Synodus, & quomodo Sæculo XI. in Eccleſiis Germanicis celebrabatur.

Albertus Fabritius *in Bibliotheca med. & inf. Latinitatis* cenſet Burchardi opus

opus integrum necdum lucem vidisse, sed tantùm excerpta ex illo, vix sextam æquantia portionem, divisáque in Libros XX. ex quibus Surius XVI. duntaxat habuisse videtur.

In Operibus Georgii Cassandri observatur, Ms. Burchardi Epistolæ paraphrasin totam immutatam ab opere Parisiis impresso Anno 1549. & Librum impressum vigesimum Burchardi continere C. capitula, Mscriptum verò CLVIII. & Capitum ordinem quorundam immutatum.

Cl. Schannatus multa Capita Burchardi ex Ms. quodam codice citat, quæ impresso desunt: ubi verò hic Ms. codex lateat, non adscripsit, aliàs accuratus auctor.

Statuta Canonum de officio Sacerdotum ex Libris Burchardi vulgavit Canisius *Tom. VI. antiquarum Lectionum.* Videatur *Tomus III. editionis Basnagianæ. fol.* 797.

Est hæc collectio Librorum XX. hujus Antistitis, omnium, quæ hactenus prodierunt, uti amplissima, ità & ordinatissima: nam primò diversas Juris Canonici materias in viginti classes secrevit. Secundò singula Decreta, vel Canones ostendit, ex quibus fontibus hauserit; primò quidem & ante omnia è Conciliis, quorum permultis ipse coràm interfuit.

Secundò Romæ fuit, & Romanæ Ecclesiæ Canones, ac Epistolas Pontificias studiosè indicat, etsi aliquando infeliciter non tam suo vitio, quàm sæculi, in quo vivebat, genio & simplicitate, Isidori peccatoris collectionem pro verâ amplexi.

Tertiò, cùm ad aulam Cæsaris accedere cogeretur, & imperii negotiis definiendis interesse, sensit sanè, & expertus est difficultatem concordiæ inter Sacerdotium, & Imperium: neque tamen à constantia Sacerdotali latum unguem discessit, sed Ivoni & Gratiano viam stravit promovendæ scientiæ Canonicæ.

Unde miror Clmi viri BALUZII bilem in BURCHARDUM, licèt moribus Sanctissimum antistitem, tam vehementer effusam, ut eum non tantùm *lapsum fuisse* dicat; sed valde eidem indignetur, quòd cum Saxonibus reve„rentiam erga Capitularia Francorum exuerit, quòd Reginonem compilaverit Pla„giarius, nec ex eo decerpta Capitularia citet: quòd Reginonem, Ansegisum, Be„nedictum non laudet. *Audacem* insuper, & *Mendacem* inverecundo scommate „compellat, & in indice Tomi II. Burchardi Wormatiensis FRAUDES specia„li titulo indicat, ideo, quia Capitula, quæ, licet plurima in Reginone & in Ca„pitularibus Regum Francorum extabant, maluit tribuere Conciliis quibusdam, „aut Patribus antiquis. quàm Regibus Francorum: quia Francorum appel„latio usurpari desierat ætate Burchardi, & à Saxonibus exuta esset omnis Capi„tularium istorum reverentia. *Hactenus Baluzius in præfat. ad Tom. I. Capitularium* §. *XX.*

§. XVII.

BREVIS APOLOGIA BURCHARDI.

VErùm pace Clarissimi viri dicam, hanc notam vel malæ fidei, vel mendacii, vel plagii nullatenus cadere in collectionem Sancti & docti Burchardi. Qui Canones colligere & edere vult, is ante omnia fontem indigitare debet, unde

Canones prodierint : nempe Concilia, & Patres. Hinc Burchardus longè prudentiùs & accuratiùs, feliciúsque collegit canones indicando *Concilia*, & *Patres* antiquos, quàm Reginonem, vel Ansegisum, aut Benedictum Levitam, vel alium similem, Capitularium meros compilatores, sinè ordine, sinè chronologia, & sæpe sinè fonte indicato scribentes.

Capitularia Francorum non plus habent autoritatis, quàm Synodi, vel Sancti Patres, unde desumpta fuère : usque adeò, ut Regino, ea citans, dicat plerumque : ex *Capitulis Synodalibus Caroli Augusti*, vel Caroli *Calvi*, indicans, ea vim nullam obtinere ex qualicunque compilatione Ansegisi, vel Benedicti, vel Theodori, vel alterius Collectoris.

Sit sua laus Capitularibus Francorum, & Collectoribus eorundem. Jure consultus tamen ante omnia consulat Concilia, in quibus conditi fuère canones, à quibus comitiis veluti Synodicis Ecclesiæ Catholicæ, in nomine Christi congregatis, fluit autoritas obligatoria Episcoporum docentium, servare omnia, quæ Christus eis mandavit, delegavit, & apud eos custodienda deposuit, populo fideli publicanda suo tempore & loco : uti in prima Solymæa Synodo factum fuit Act. XV. Laudandus ergo Burchardus, quòd canones maluerit referre ad Concilia, quàm ad collectores Canonum Reginonem, Ansegisum, & cæteros.

§. XVIII.

QUÆNAM COLLECTIO CANONUM PRÆCIPUA?

INter has collectiones Conciliorum & Canonum præstantior omnium est DIONYSII exigui Sæculo VI. Romæ scripta; tum, quia prima est ex omnibus notis : tum quia continet antiquissima Concilia, quorum summa autoritas semper in Ecclesia Catholica fuit, hodiéque manet. Eadem collectio Dionysiana fortè S. Bonifacio, sed certè CAROLO Regi Magno data fuit ab HADRIANO Papa. Eadem ab omnibus Germaniæ & Franciæ Episcopis summa cum veneratione excepta, & hucusque servata fuit.

Huic subnexuimus nostra Concilia Germaniæ, quæ tam illustri fundamento, nempe quatuor primis Oecumenicis Ecclesiæ Conciliis superstruimus, ut pateat orbi universo, Ecclesias Catholicas Germaniæ inde à quarto Sæculo ad hoc XVIII. quod vivimus, eodem Spiritu, fine, modo, normâ, convocâsse, celebrâsse Concilia, quo primorum sæculorum sanctissimi Episcopi ea convocârunt, celebrârunt : & in iis Doctrinam, scripto & traditione acceptam, contra hæreses, & novatores quovis sæculo propugnârunt : Hierarchiam Episcopalem, & reliqui cleri conservaverunt, demum hæreses, errores, & defectus correxerunt, & debitis pœnis coercuerunt. Hic finis, hæc causa Conciliorum Ecclesiæ, quæ nunc Ordine temporum, vel certo, vel verosimili, quo celebrata fuere, edemus ex testibus aut coævis, aut supparibus, servatâ primigeniâ phrasi codicum Mss. quod ideò monendum, ne barbarismi, aut errores contra Grammaticam in autoribus inventi, & à nobis religiosè & studiosè transscripti nobis adscribantur.

§. XIX.

§. XIX.
FINES CONCILIORUM GERMANIÆ SUMENDI EX EPISCOPATIBUS GERMANIÆ.

INstituturi Collectionem Conciliorum Germaniæ primò constituamus terminos Episcopatuum Germaniæ, ne alienis plumis, uti cornicula Æsopica, inflati, ansam demus calumniæ violatorum finium, vel alienæ Diœceseos in Germaniam invectæ. Certum est quidem hoc Sæculo XVIII., Ecclesias olim, quæ Germanicæ fuêre, in Territoria extraneæ nationis migrâsse: unde à præsenti statu metiri Ecclesiarum vel primam originem, vel antiquiorem statum, incongruum est, & erroneum.

Cogitavi igitur distinguenda esse tempora, ut secernantur Jura: duásque mappas geographicas Lectori exhibendas, veteris, & præsentis Germaniæ Catholicæ. Veteris Germaniæ Episcopos intelligo eos, qui à Sæculo quarto ad decimum quintum absolutum recensiti fuêre in Matricula Imperii, veluti membra, Proceres, & Principes Sacri Romano-Germanici Imperii:

Quem in finem addidi *præfationem* chorographicam, seu notitiam omnium S. R. I. Episcopatuum ab Anno 300. Christi ad 1500. Tomo IV. aut V. præmittetur alia charta, & notitia chorographica mutationum, quæ in Diœcesibus Germanicis acciderunt ab 1500. ad 1750.

§. XX.
QUÆ PERSONÆ DE JURE VEL CONSUETUDINE VEL DE FACTO CONCILIIS INTERSINT?

„Concilia Ecclesiastica Catholica, uti primum Solymæum, de Jure ordina„rio non constant, nisi ex iis, quos Spiritus S. posuit Episcopos, ad re„gendam Ecclesiam DEI *Act. XV.*

Est enim in Ecclesia Christi, uti in omni ordinata Republicâ, ab ipsomet Christo institutum discrimen inter oves, & Pastores: inter docentes, & discentes: inter Magistros & Discipulos: inter Patres Spirituales, & filios in Christo genitos. *Verbo*, datur Jurisdictio Spiritualis, à Christo derivata in Petrum, & Apostolos, & Episcopos, Apostolorum Successores, quod Catholici Doctores clarissimè probant, Primò ex Sacris Literis: Secundò ex perenni usu hujus Sacræ potestatis, indè à Petro ad Clementem XIII.: ab Jacobo Solymeæ Ecclesiæ Episcopo, ab Materno Agrippinensis Ecclesiæ Episcopo primo ad præsentem Clementem Augustum in Cathedra eadem sedentem.

Hanc Thesin uti apud nos certam & apud omnes Doctores Canonici Juris supponimus: hîc non probamus. Illud unum miror, DD. Protestantes, qui omnem potestatem in Sacra, & de Sacris, Regi, aut Domino Territorii tribuunt, jactare *Jus Canonicum*, cujus fundamento carent.

Ex hac Jurisdictione, à Spiritu Sancto data, sequitur, solos Episcopos de Jure cogere concilia, sive ad Dogmata proponenda, & ad errores proscribendos, sive ad mores cleri, & populi commissi corrigendos. Soli Episcopi *judicantes* Synodis subscribunt: soli votum *decisivum* habent.

Sententia hæc Catholicorum de Jurisdictione, Episcopis divinitus datâ, non debet displicere DD. Augustanæ confessioni addictis: qui in Articulo VII. *de Potestate Ecclesiastica* Anno 1530. coram Carolo V. & S. R. I. Proceribus hæc declarârunt:

„Secundùm Evangelium, seu, ùt loquuntur, de Jure Divino hæc Jurisdi-„ctio competit Episcopis, ùt Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum mi-„nisterium verbi, & Sacramentorum, remittere peccata, Doctrinam ab Evan-„gelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere „à communione Ecclesiæ, sinè vi humana, sed verbo: hinc necessariò & de Ju-„re Divino debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam juxta illud; *Qui vos audit,* „*me audit. Cœlestinus Historia Comitiorum Augustæ* Anni 1530. *pag.* 185.

Eadem vox Catholicorum Ægyptiorum in Concilio Chalcedonensi: Synodus Episcoporum est, non Clericorum... superfluos foras mittite, Imperator Episcopos vocavit...... *Tomo IV. Conciliorum parte III.*

In Concilio Basiliensi Presbyteri, & Doctores Juris, & Principum, vel statuum Legati admissi fuère ad suffragium decisivum, sed perperam, & contra morem *omnis* antiquitatis. *Bellarminus L. I. de Ecclesia. Cap. XV.*

DE CONSUETUDINE præter Episcopos etiam Seniores Ecclesiarum, quales sunt Prælati, Presbyteri, Abbates Monasteriorum, sæpe convocati fuère ad Concilia, non quidem cum facultate judicandi, vel voti decisivi ferendi, sed cum facultate, consilia sua promendi. Generatim, qui intersunt Concilio, & non sunt Episcopi, votum habent consultivum. *Tournelius Tomo I. de Deo Q. 4. prævia* de Conciliis mihi *pag.* 170. *Van Espen Juris Ecclesiastici universi parte I. Tit. XX. Cap. I. N.* 16. 17.

DE FACTO Laici Principes, & Reges intervenerunt multis, præsertim œcumenicis, & nationalibus Conciliis: Eadem suâ præsentiâ tuiti sunt, concordiam & pacem conservârunt: Executionem Decretorum Synodalium promoverunt, hæreticos compescuerunt: Cæterùm nullus Catholicus Princeps arrogavit sibi autoritatem dogmatis Catholici definiendi, hæreses, & hæreticos judicandi: etsi hæreticos condemnatos à conciliis vel ad obedientiam flectendi, vel pœnis debitis coercendi. *Lege Benedictum XIV. L. III. de Synodis Cap. IX. Quo titulo Principes, aliique Laici intervenerint aliquibus Conciliis. Thomassinum de Conciliis, Dissert. III. ad Synodum Nicænam.*

EX FACTO Imperatorum Constantini, Theodosii, & Caroli Synodos convocantium, vel Synodis præsidentium immeritò colligitur, Synodorum œcumenicarum convocationem ad Romanum Pontificem non pertinere. *Quod egregiè demonstrat Natalis Alexander Histor. Ecclesiasticæ Sæculi IV. Dissertat. XI.*

§. XXI.

DE VARIO GENERE CONCILIORUM.

POst personas, quæ de Jure, vel consuetudine intersunt Synodis Ecclesiasticis, videndum est, quot generum Synodi celebratæ fuerint.

Distinguendæ sunt Synodi ipsæ in *Generales*, *Nationales*, *Provinciales*, *Diœcesanas.*

GENE-

GENERALES proprio & rigoroſo ſenſu ſunt, & ſolùm eæ dicuntur, ad quas Epiſcopi totius orbis Catholici evocantur, invitantur, licet actu non interveniant. Hinc eædem dicuntur œcumenicæ, & univerſales. Qualis omnium conſenſu habetur prima Nicæna Anni 325., cui plurimi Orientales, admodum pauci Occidentales Epiſcopi, univerſim non niſi CCCXVIII. Patres interfuêre.

Hujuſmodi in Germania tres nuncupantur Conſtantienſis Anno 1414. Baſileenſis Anno 1431. Tridentina Anno 1546.

Quas toties jam editas in Conciliorum Generalium collectionibus Crabbii, Surii, Binii, Romana, Veneta, Regia Pariſina, Labbei, Coſſartii, Harduini, recudere opus non erit: ſed ea tantùm accuratiùs & pleniùs referre convenit, quæ à Germanicis Auguſtis, & Epiſcopis, *in* - & pro iſtis Synodis acta fuêre, aut ſcripta.

Fuêre etiam ſtilo veteri multæ Synodi *plenæ*, *generales*, *univerſales*, *pleniſſimæ* nuncupatæ, quarum Epiſcopi vix nationem unam alterámve exceſſerint: Exempla dat Thomaſſinus *de veteri* & *nova Eccleſiæ diſciplina* Tom. II. Part. II. Lib. III. Cap. XLV.

Quanquam igitur plura Concilia Nationalia & Provincialia dicta fuerint *Generalia* vel *Plenaria*, vel *Univerſalia*, noſtrâ tamen, & communi Dialecto XVIII. duntaxat reputantur Generalia Concilia, quorum primum eſt Nicænum Anni 325. & poſtremum Tridentinum in Germania Anno 1546. cœptum.

NATIONALIA Concilia in Germania multa habita fuêre, inter quæ primum eſt Anni 358. contra Arianos *pag.* 1. Illud Anni 742. cui ſeptem Epiſcopi nominati, præter alios Epiſcopos non ſpecialiter nominatos interfuêre. *pag.* 48. Concilium Liptinenſe Anni 743. *pag.* 50. Moguntinum Anni 752. *pag.* 92. Synodus in Duria, palatio Regio Anni 779. *pag.* 239. Synodus Ratisbonenſis Anni 792. *pag.* 287. Francofordienſis Anni 794. *pag.* 288. hæc ex ſeptem primis Sæculis indicamus: plura annis ſequentibus ſeſe offerent?

PROVINCIALE Concilium eſt, ad quod unius Provinciæ Epiſcopi ſub Metropolitano Præſide conveniunt.

DIOECESANUM denique, ad quod Eccleſiæ Antiſtes clerum ſuæ Diœceſeos cogit. In œcumenico Concilio tractantur ea, quæ ad univerſæ Eccleſiæ doctrinam, pacem, quietem, mores ſpectant, quæ ad hæreſes reprimendas, hæreticos coërcendos, & corrigendos, Baptiſmi, & Sacramentorum uſum legitimum opportuna ſunt.

Nationale examinat ſanam doctrinam Nationis unius vel plurium; & quæ ad diſciplinam Cleri roborandam & ſanciendam conducunt.

Provinciale & Diœceſanum concilia inquirunt & ſtatuunt de doctrina orthodoxa, diſciplina, & moribus unius Diœceſis, aut plurium.

§. XXII.
DE EPISCOPIS APUD CURIAM PRINCIPIS MORANTIBUS.

EPiſcoporum numerus ordinariè apud Aulas Regum frequens erat, quos vel Reges ipſi conſilii causâ accerſebant, vel qui ob cauſas ſuæ Eccleſiæ aut miſerabilium agendas illuc ventitabant. E De

De Orientalibus Conſtantinopolim confluentibus Epiſcopis, Legatur *Thomaſſinus Tom. II. Parte II. L. III. C.* 43. *de veteri & nova diſcipl.*

Nos in Occidente maneamus & in Germania. Anno Chriſti 386. plures Epiſcopi Treveros confluxerant ad aulam Maximi Imperatoris: quam & duo Sanctiſſimi antiſtites iſtius ſæculi, Ambroſius, & Martinus juſtiſſimâ de cauſa adierant.

Quo in loco duo Concilia Eccleſiaſtica agitata fuêre, *pag.* 51. hujus voluminis deſcripta ex *Sulpitio Severo.*

In Aula Pippini, Caroli Magni, ordinariè erant Epiſcopi, diverſis licet ex cauſis eò vel profecti, vel vocati.

Quos inter eminebat Epiſcopus Cancellarius, vel Archi-Capellanus, uti Chrodegangus ſub Carolo Martello; Angilramnus & Hildebaldus ſub Carolo M. de quibus *pag.* 329. videre eſt licentiam Pontificis & conſenſum Synodi Francofurtenſis Anni 794. Unde & legimus tot Epiſcoporum *Concilia* coacta fuiſſe in *Palatiis Regum Franciæ: Verno, Liptinis, Attiniaci, Aquis, in Duria, Noviomagi, in Ingelheim, Triburiæ, Francofurti,* quæ omnia erant Palatia Regum, & Conciliis plurimis nomen dederunt, quod notatu dignum eſt: Quia Concilia Eccleſiaſtica per ſe in Eccleſiis, vel in Secretario, Eccleſiæ contiguo, ubi Sacri Libri pro ſacrificio & officio reponebantur, celebranda ſunt, & celebrata fuerunt; Attamen ob reverentiam Regum, eorúmque protectionem & autoritatem ſacris cœtibus acquirendam conveniens erat & commodum palatia Regum adire.

§. XXIII.

CUJUS SIT CONVOCARE CONCILIA?

OEcumenicum Concilium Jure Romanus Pontifex convocat. Non demonſtrabimus hanc Theſin multis rationibus, ſed facto uno & altero.

Primi Oecumenici Concilii Nicæni primum Locum tenuit Oſius, Epiſcopus civitatis Cordubæ, Vitus & Vincentius, Romanæ Eccleſiæ meri Presbyteri, ante Patriarchas, Primates, & Metropolitas, & omnes Orientis Epiſcopos.

Hoc factum indubitatum eſt. Lege ſubſcriptionem in omnibus codicibus Mss. antiquiſſimis *pag.* 140. & vide, quinam primo Loco inter CCCXVIII. Patres ſubſcripſerint, judicârint, definîerint Symbolum fidei contra Arium, & XX. Canones de diſciplina Eccleſiaſticâ. In reliquis ſubſcriptionibus Epiſcoporum variæ Lectiones ſunt, ſed in his tribus nominibus ſcribendis primo loco, concors eſt Mss. codicum ſcriptura.

Alterum factum eſt Anni 1530. quo omnes Germani Principes & Status, etiam ſeptem proteſtantes, judicarunt Auguſtæ Vindelicorum Concilii Oecumenici, vel Nationalis indictionem à Romano Pontifice per Carolum V. Auguſtum *petendam* eſſe: & ſeptem, tum Luthero addictos ſtatus, idem judicâſſe, & rogâſſe Cæſarem, factum eſt indubitatum.

Erat ergo Anno 1530. ſenſus univerſæ Germaniæ, Procerum, & populorum, ad Romanum Pontificem ſpectare indictionem Concilii Generalis & Nationalis. *Vide præfationem Confeſſionis Auguſtanæ impreſſam apud Cæleſtinum in Hiſtoria Comitiorum Anni* 1530.

Concilia autem Oecumenica & Nationalia congruum, & conveniens eſt, non

non fine consensu Principum & Regum fieri : quod Catholici Principes Constantinus, & alii Imperatores Orientis, Carolus M. & Imperatores ac Reges, Franci & Germanici, demum Carolus V, opere ipso declarârunt, dum suam augustam operam & sæpe personam, aliàs Legatos suos Conciliis, & autoritatem & benevolentiam lubentissimè impenderunt.

Quo sensu Augusti & Reges dicti fuerint Concilia convocâsse, eis præsedisse, *in digressione ad Sæculum VIII. dicemus.* Minor autoritas requiritur ad indicenda Concilia Provinciæ, aut Diœceseos unius, nam ad illam Archi-Episcopi, ad hujus Episcopi voluntas rationabilis sufficit. Archi-Episcopo impedito, vel mortuo, Senior Comprovincialis Episcopus Provincialem Synodum indicit & convocat. Observat Thomassinus, Concilia Nationalia, & Provincialia priùs, quàm Diœcesana adhibita fuisse in Ecclesia. Antiquissima enim illa de Baptismo hæreticorum sub Firmiliano in Oriente, sub S. Cypriano in Africa fuere nationalia :

Ancyranum Concilium antiquissimum in Codice Dionysii exigui, XV. Annis ante Nicænum, nationale erat, XXVIII. Episcoporum ex variis Provinciis Asiæ minoris : itidem Neocæsariense in eodem codice, Carolo Magno oblato, Nationale erat.

Provincialia & Diœcesana seriùs fuère celebrata, post primum autem Millenarium plura unius Provinciæ ac Diœceseos, pauciora Nationis integræ Concilia numeramus.

Summi Pontifices, sæpissimè Germanos, & aliarum nationum Episcopos hortati fuère, ad Concilia Provincialia, vel Diœcesana celebranda, sed ordinariè iis præsedit, ea convocavit solus Archi-Episcopus, vel Episcopus.

Testis est Epistola gemina S. Gregorii Magni ad Reges Francorum Theodoricum & Theodebertum *pag* 22. 23. ad Synodos celebrandas admonentis, & per Bonifacium Legatum suum præsidentis variis Conciliis in Germania & Francia. Sed hæc extraordinaria fuit præsidentia, non ordinaria Synodorum Provincialium, vel Diœcesanarum.

§. XXIV.

DE TEMPORE CONCILIORUM CELEBRANDORUM.

SAcrum Nicænum Concilium Canone V. statuit : "Placuit Annis singulis per „unamquamque Provinciam bis in Anno Concilia celebrari : ut communiter „omnibus simul Episcopis Congregatis Provinciæ, discutiantur hujusmodi quæ„stiones *pag.* 138. Hic sermo est de Provinciali Concilio sub Archi-Episcopo celebrando ob delicta, & pœnas Canonicas, delinquentibus infligendas.

Secundò in eodem canone ulterior definitio procedit : Unum Concilium celebrandum ante quadragesimam Paschæ : Secundum circa tempus autumni. Equidem Canone XXXVIII. *pag.* 134. hujus Libri inter Apostolicos perantiquos, idem statutum legitur. "*Bis in Anno Episcoporum Concilia celebrentur ; ut in„ter se invicem dogmata pietatis explorent , & emergentes Ecclesiasticas contentio„nes amoveant.* Verùm in Concilio Chalcedonensi cùm hic zelus Conciliorum

cogendorum refrigesceret, Cap. XIX. (pag. 179.) renovata fuit lex antiqua saluberrima: "Pervenit ad aures nostras, quòd in Provinciis Statuta Episcoporum Concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur Ecclesiasticarum causarum, quæ correctione indigent: Decrevit itaque S. Synodus secundùm Canones Patrum, Episcopos bis in Anno in idipsum in unaquaque Provincia convenire, quò Metropolitanus Antistes probaverit.

Nihilominus eadem lex variè in variis locis Orientalium & Occidentalium Ecclesiarum observata fuit. In Germanico Concilio Anni 742. statuitur per Annos singulos Synodum congregandam.

§. XXV.
MATERIA CONCILIORUM.

Superest, ut videamus, quæ sit materia Conciliorum Ecclesiasticorum. Ea apud Catholicos alia esse non potest, quàm hæc triplex: 1. Fidei conservatio, promulgatio, & errorum ac hæresum confutatio, Hæreticorum & Ethnicorum ad fidem veram Conversio, aut ex Ecclesia depulsio. 2. Disciplina Cleri, & populi: sublatio, & punitio abusuum aut delictorum, & correctio delinquentium. 3. Ordo & pax in Hierarchia Ecclesiastica inter Clericos, Monachos, & Laicos. Hæc spectant ad forum Ecclesiæ & Episcoporum.

At in eodem Conventu inveniuntur tractata negotia tum Ecclesiastica, tum politica ad Civitatis regimen & pacem spectantia?

Respondeo, id reverà factitatum fuisse, at eâ discretione & prudentiâ, ut Ecclesiastica Episcopis, sæcularia Comitibus deliberanda committerentur; utrúmque sententia audiretur, ac demum Rex Regiâ autoritate suâ Clerum, & populum ad observantiam Capitulorum Sanctorum obligaret.

Clarissimum hujus facti argumentum sufficit Moguntina Synodus Anni 813. à Carolo M. celebrari jussa, præter quatuor alias in quatuor civitatibus Regni sui eodem Anno celebratas.

Ad eam Synodum convenerunt Episcopi Abbates, Comites, Judices Regii. Post Triduanum cum Litaniis jejunium, ab omnibus observatum, convenerunt universi in Claustro Basilicæ sancti Albani Martyris Moguntiæ. Funditur oratio, & gratiarum actio pro Imperatore, Ecclesiæ Dei Tutore. Dein fit ex communi consensu divisio Procerum in tres turmas, seu Collegia, seu Cameras, ut nos loqui amamus. In prima turba consederunt Episcopi XXX. cum quibusdam Notariis, legentes atque tractantes sanctum Evangelium, nec non Epistolas, & Actus Apostolorum: canones quoque, ac diversa Sanctorum Patrum opuscula, pastoralémque Librum GREGORII, cum cæteris sacris dogmatibus, diligenti studio perquirentes, quibus modis statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum sanâ doctrinâ & Exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratiâ Dei, perficere, & conservare potuissent. In alia verò turma consederunt Abbates XXV., ac probati Monachi, regulam S. Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent. In tertia denique turma sederunt Comites, & judices, mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes,

quirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, justitias terminantes. Canones in Moguntino & quatuor aliis Conciliis conditos Imperator voluit ad se mitti, confirmandos, aut supplendos, aut emendandos: sic enim loquuntur P. P. Concilii Moguntini in *præfatione.*

„De his tamen omnibus valde indigemus vestro adjutorio, atque sanâ doctri-„nâ, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ „paucis subter perstrinximus capitulis, à vestra authoritate firmentur; si tamen „vestra pietas ità dignum esse judicaverit; & quidquid in eis emendatione dig-„num reperitur, vestra Magnifica Imperialis dignitas jubeat emendare. Similem Clausulam Concilii Arelatensis V. refert PAGIUS in Critica Anni hujus n. XIX. *Canones LVI. à Crabbe, Surio, Binio, & Synodographis descripti spectant* tantùm Clericos & Monachos. Baluzius autem præter Canones Moguntini Concilii Anni hujus, & Canones quatuor Conciliorum, de quibus ipse non agit, habet Capitularia tria, inter quæ primum est Capitulare ex his V. Synodis conflatum, Capitulorum XXVII. Capitulare secundum & tertium hoc anno 813. Mense Decembri sunt Aquis data, quæ continent tum Ecclesiastica, tum politica decreta.

Ex actis hujus Synodi Anni 813. conficitur, Reges Francorum, etsi in eadem Synodo Episcopos, & Comites convocari jusserint, & de causis tum Spiritualibus, tum Civilibus egerint; easdem tamen separâsse, & alias causas Episcopis, alias Comitibus examinandas, & definiendas commisisse, adeóque ex simultaneo conventu Personarum diversi ordinis perperam deduci, vel concludi, quòd Civiles Judices, Comites, Duces se dijudicandis causis Spiritualibus immiscuerint, & contrà Episcopi politica, civilia negotia definierint. Neutrum rectè, neutrum verè dicitur. Hinc Libri Capitularium secernunt Capitula *Imperialia* & Regia ab Episcopalibus & Ecclesiasticis: Capitula Legalia à Sacris & Canonicis. Uti Martinus Braccarensis Ecclesiastica & sæcularia negotia Laicorum separavit. Idem Regino fecit, neque præsentia Regum, interventio, convocatio, præsidium, si ità loqui vis, autoritatem ad definienda dogmata fidei vel hæreses damnandas infert Laicis.

MARTIANUS Imp. *in Oratione ad Synodum Chalcedonensem.* «Nos „(ait) ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exem-„plo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus; ne vel alterius „populi pravis suasionibus separentur. *Citatus à De Marca L. I. T. II. Concordiæ Sac. & Imperii Cap. 6. n.* 14.

S. AMBROSIUS Ep. XXXIII. «Allegatur Imperatori licere omnia: „ipsiûs esse universa. Respondeo: Noli te gravare, Imperator! ut putes te „in ea, quæ Divina sunt, Imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere: sed „si vis diutius imperare, esto DEO subditus. Scriptum est; *Quæ DEI DEO;* „*quæ Cæsaris Cæsari.* Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccle-„siæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.

THEODOSIUS Imp. in Epist. ad Synodum *Ephesinam*: Candidianum, ait, «ad Sacram Synodum vestram abire jussimus, sed eâ lege, & conditione; „ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogma incidunt, nihil

F „quidpiam

„quidpiam commune habeat. Nefas eſt enim, qui Sanctiſſimorum Epiſcoporum „catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe „immiſcere. *Citat. à De Marca loco allegat.*

Perperam igitur, & contra omnem antiquitatem, contra publicam profeſſionem Imperatorum Orientis, & Occidentis, & Regum faciunt, qui Jurisdictionem Sacram, & præſertim autoritatem docendi Laicis tribuunt, & ideo Regibus tribuunt hanc poteſtatem, quia interfuerunt Conciliis Epiſcoporum.

§. XXVI.

DE SYNODO AGRIPPINENSI ANNI CCCXLV. ALIISQUE PRÆTERMISSIS.

ERunt, qui me reprehendant ob omiſſam Synodum Agrippinenſem Anno CCCXLV. quæ à Synodographis Surio, Binio, Sirmondo & cæteris magno apparatu in fronte Synodorum Germaniæ, & Galliæ collocari ſolebat, & à Schannato fuerat adnotata. Verùm, priuſquam collectionem Germaniæ Synodorum aggrederer, continerémque me intra anguſtam periodum Synodorum Colonienſium perficiendam, jam decreveram apud me; hanc Synodum ſpectatis omnibus nullam fidem mereri, & ſæculi IX. aut decimi figmentum eſſe, quod Abbas Laubienſis Harigerus ſæculi XI. initio, velut emblema memorandum, Hiſtoriæ Epiſcoporum Leodienſium inſeruit, unde gloria Sancti Servatii Epiſcopi Tungrenſis, & Maximini Treverenſis, cæterorúmque Germaniæ Rhenanæ & Galliæ Antiſtitum illuſtrior evaderet. Imò ex ea Synodo poſteriores ſcriptores probarunt exiſtentiam Epiſcoporum ſuæ Eccleſiæ. Carolus à S. Paulo in Geographia ſacra Epiſcopos Argentinenſes, Spirenſes, Vangionum &c. primos in hac Synodo ſubſcribentes, & Photini hæreſin damnantes demonſtrâſſe ſe mirificè opinatur.

Meo judicio, ſpectatis omnibus, quæ ingenioſiſſimi critici pro hac Synodo tuenda & retinenda excogitarunt, manent inſanabiles contradictiones, tum ex ratione temporis, tum ex ratione perſonarum, tum ex ipſomet errore Photini, qui damnatus illic fuiſſe narratur, ut eam jam ſuſtineri nulla ratione videam. Taceo adhuc ſilentium omnium coævorum & ſupparium à Sæculo quarto ad XI. quo ſcribebat Harigerus; ſed quid dico ſilentium? coævi ſcriptores ea ſcribunt de his annis & perſonis, quæ nullo colore veri conciliari poſſunt cum actis & perſonis Concilii Agrippinenſis.

Certum eſt primò: Euphratam Epiſcopum Agrippinenſis Coloniæ, quæ eſt ſuperioris Galliæ Metropolis, cum Vincentio Capuano Epiſcopo Legatum fuiſſe ex Concilio Sardicenſi Anno CCCXLVI. celebrato, ad Auguſtum Conſtantium.

Certum ſecundò: Maximinum, Servatium, Euphratam, cæteróſque in Agrippinenſi Synodo laudatos, interfuiſſe Synodo Sardicenſi: unde Hiſtoria Epiſcoporum Germaniæ nihil detrimenti facit, eliminatâ vel obſcuratâ Agrippinenſi Synodo: habet enim ſinceriorem & indubitatum fontem pro ſuis Epiſcopis ſæculi quarti aſſerendis, nempe SARDICENSEM Synodum.

Certum

Certum tertiò : Photini hæresin non ante Annum CCCXLVI. & Synodum Sardicensem innotuisse Ecclesiæ Orientali. Quomodo igitur Patres Ecclesiæ Occidentalis, tanto intervallo locorum & temporum disjuncti, anno uno citius eam Coloniæ rescire & damnare potuerunt ? Quomodo Euphratas veluti huic errori insordescens & contumax ante annum CCCXLVI. damnari ?

Certum quartò : Euphratam Coloniensem S. Athanasio, & Maximino & Patribus Concilii Sardicensis Catholicis & perspicacissimis Doctoribus notum fuisse, uti insignis virtutis, & orthodoxæ fidei elogio celeberrimum Antistitem : nec à coævo scriptore ullo nominatum sinè commendatione ejusdem fidei Catholicæ, ac virtutum omnium choro.

Certum quintò : S. Maximinum ante ann. 349. ex Oriente non rediisse ad suam Ecclesiam Treverensem, & Anno eodem defunctum. Euphratas noster Coloniensis Anno 346, 347, 348. fuit in Oriente, & non Coloniæ.

Hinc jam facillimè diluitur, quidquid pro defendendâ Synodo nostrâ à Surio, Binio, Crombachio hactenus excogitatum fuit.

Prima evasio : Euphratas, à Synodi Sardicensis Patribus Legatus ad Augustum, fuit Episcopus Agrippinensis & Coloniensis, sed non Agrippinensis nec Coloniæ in Germania vel Gallia : nam Agrippinenses Episcopi in Africa memorantur ; In Asia verò sunt duo Colonienses Episcopi, *pag.* 142. 185. hujus Collectionis laudati. Unde non palliatur hæresis Euphratæ Coloniensis ad Rhenum ob Orthodoxiam aliorum Episcoporum, qui Agrippinenses vel Colonienses scribuntur.

Respondetur, S. Athanasium non ἁπλῶς affirmasse, Euphratam legatum fuisse ex Sardicensi Concilio, sed Euphratam Episcopum Agrippinæ, quæ est superioris Galliæ Metropolis, adeóque hoc effugium Mörckensii nullum esse liquet, imò jam tum præclusum fuisse ab S. Athanasio, qui coram Euphratam viderat, & noverat : & mille testium instar unus est.

Altera evasio. In Data hujus Synodi error cubat. Non enim An. CCCXLV. sed Anno CCCXLVIII. vel CCCXLIX. celebrata est : triennio, aut quadriennio post Datam in libris impressis extantem.

Respondetur, parum verosimile esse, lapsum Euphratam in hæresin fuisse post biennium, quo cum Patribus Catholicis Sardicæ, cum præstantissimis Catholicæ Fidei vindicibus Athanasio & Maximino in Oriente conversatus est, & pro Catholica fide servanda legatione functus fuit, & adeò derepente aberrâsse à Doctrina tanto tempore in facie Concilii, Ecclesiæ, & Aulæ Constantii Augusti propugnata.

Respondetur secundò : Falsæ igitur & commentitiæ sunt concertationes inter Euphratam, & Maximinum, & Athanasium, & pertinax professio erroris Photiniani coram his Episcopis ; quæ nulla verisimilitudine ab hujus Synodi auctore conficta sunt, quibus tuendis decem minimùm mendaciis opus esset : nec sic tamen fidem mereretur.

Respondetur tertiò : Maximinum Anno 349. defunctum non potuisse Synodo præsidere.

Tertia evasio est : Nihil novi aut miri esse, quod Episcopi lapsi in hæresin,

 sed

ſed reſipiſcentes, fuerint reſtituti priori gradui, & ad officia Eccleſiaſtica adhibiti.

Quamvis ergo demus, Euphratam Anno 345. lapſum fuiſſe, potuit reſipiſcere, & ſuam reſipiſcentiam Patribus Sardicenſibus demonſtrâſſe, adeóque ab iis adhiberi ad legationem obeundam, pro Catholicæ Eccleſiæ Antiſtitibus revocandis.

Reſpondetur : Primò probandus fuiſſet lapſus Euphratæ, poſt de eo ſanando vel tegendo cogitandum eſſe.

Quomodo autem lapſus tanti viri, in tanto Concilio palam damnati, depoſitione publicâ ab Epiſcopali cathedra diffamati, fugiſſet omnes ſcriptores ſæculi quarti, qui lapſus Oſii & aliorum Catholicorum Antiſtitum longè minores non diſſimulârunt?

Reſpondetur ſecundò. Ea reſipiſcentia nec probatur ab ullo ſcriptore coævo aut ſuppare, ſed Sancti Severini Colonienſis Antiſtitis immediatè ſecuta ſurrogatio in Cathedram Colonienſem vacantem conſtanter aſſeritùr: Nec ullus antiquus autor reſipiſcentiæ Euphratæ meminit: unde gratis citra ullum teſtimonium hæc aſſeritur pro fabella Concilii prætenſi defendenda.

Secundò omiſimus Concilium in Provincia Colonienſi, aut in Auſtraſia, ſub Theodorico III. circa DCLXIV. celebratum, in quo S. LAMBERTUS Tungrenſis Epiſcopus, & S. LEODEGARIUS Auguſtodunenſium Epiſcopus, de ſedibus ſuis dejecti & in exilium pulſi aſſeruntur, conſilio Ebroini majoris Domûs, cui Epiſcopi in Concilium acciti, aut adulando conſenſerunt, aut tacendo inſtar canum mutorum iniquo Ducis judicio non ſe oppoſuerunt.

Primus Aſſertor hujus Concilii eſt SIGEBERTUS in Chronico ad Annum DCLXXXIII. Ubi cùm narrâſſet, Ebroini conſilio Epiſcoporum Synodum coactam fuiſſe, in qua multi Epiſcopio privati, alii inſuper irrevocabili exilio damnati fuerint; addit ſub tam procelloſo tumultu etiam S. LAMBERTUM Epiſcopatu Trajectenſi amotum fuiſſe, & ſeptennio Stabulenſi in Monaſterio delituiſſe. Sigebertum ſecutus eſt Illmus Baronius ad annum DCLXXIV. verùm *in actis Sanctorum Septembr. Tom. V. pag.* 528. Suyskenius Commentator ad vitam S. Lamberti hanc Synodum negat interceſſiſſe. *Ratio I:* Quia ex ſeptem Biographis S. Lamberti, quatuor Sigeberto anteriores nil de hac Synodo meminerunt: etſi amotionem à Cathedra accuratè deſcripſerint. *Secundò* ex eo, quòd S. Leodegarius fuerit fortè Synodo coactâ dejectus, non ſequitur S. Lambertum eadem viâ depoſitum fuiſſe. *Tertiò* annus à Sigeberto adnotatus non congruit Chronologiæ antiquorum Biographorum, juxta quam S. Lambertus circa DCLXXIV. amotus, & circa DCLXXXI. reſtitutus eſt, ut hagiographi demonſtrant. Hæc ſunt, benevole Lector, quæ tum amicorum ſuaſu, tum Conſilii mei exponendi causâ præfari volui, & quæ ad plenam notitiam Eccleſiarum Germaniæ conſequendam opportuna cenſui, auditurus lubenti animo, quemcunque meliora ſuggerentem.

PRÆFATIO CHOROGRAPHICA.

PRÆFATIO
CHOROGRAPHICA
ET
HIERARCHICA,
DE
EPISCOPATIBUS GERMANIÆ
AB ANNO CHRISTI CCC. AD MD.



CAPUT PRIMUM.
QUI, ET QUOT DE HIERARCHIA GERMANICARUM ECCLESIARUM SCRIPSERINT?



Qui Episcopatus ad Germaniam pertineant à Sæculo IV. ad XV. à Christo nato, sperabam, me ex CAROLI à S. PAULO Episcopi Abrincensis *Geographia Sacra*, seu *Notitia antiqua Diœcesium omnium, Amstelodami elegantissimo typo anno* 1711. cum notis *Lucæ Holstenii* recusâ, descripturum; sed præter opinionem accidit mihi, quòd in totius Orbis Catholici, primo millenario noti, descriptione ab illo facta, nulla Ecclesia Germaniæ, nulla Germanica Diœcesis reperiatur. Galliæ, Hispaniæ, Illyrici Occidentalis & Orientalis: Patriarchatus Orientalium Ecclesiarum, Constantinopolitanæ, Antiochenæ, Jerosolymitanæ, Alexandrinæ demum, & Africæ Ecclesiæ, Diœceses, Metropoles sunt & historicè descriptæ, & in æs incisæ; nihil hujusmodi de Germaniæ Ecclesiis exspecta.

Potuisset tamen earum mentio honorifica fieri inde à II. Sæculo Christiano, quo scribebat *S. Irenæus*, Lugdunensis Episcopus, affirmans *L.* 1. *adversùs Hæres. Cap. III.* " Has, quæ in Germaniis sunt Ecclesiæ, non aliter credere, nec aliter " tradere, quàm Ecclesias in Iberis, in Celtis, in Oriente, in Lybia. "

Ante Illustriss. *Carolum à S. Paulo*, qui anno 1640. ediderat Geographiam sacram, *Melchior Haiminsfeldius Goldastus* Francofurti anno 1606. typo vulgavit rerum Alamannicarum Tomos tres. Tomo III. inseruit brevem annotationem de civitatibus, & Metropolibus orbis Catholici, & quales hæ sub se habeant civitates, erutam ex vetustissimo codice, qui anno Regni Caroli M. XLII, Imperii autem IX. scriptus est, judice Goldasto. In eâ sequentes Provinciæ, Metropoles & civitates Germanicæ enumerantur.

Prima Provincia Belgica habet civitates numero IV.

Metropolis civitas Treveris.

Civitas Mediomartis, id est, Metis.

Civitas Lecorum, id est, Tullo.

 Civi-

Civitas Viriduno.

Secunda Provincia Belgica habet civitates numero XII.

Metropolis civitas Remis.
Civitas Seſſionis.
Civitas Catalonis.
Civitas Veremundis, id eſt, Noviomacus.
Civitas Atravitum.
Civitas Camaracus.
Civitas Turnacus.
Civitas Silvanetis.
Civitas Belviaco.
Civitas Ambianis.
Civitas Morinus, id eſt, Ternacus.
Civitas Bononia.

Prima Provincia Germaniæ habet civitates numero II.

Metropolis civitas Agrippina, id eſt, Colonia.
Civitas Tungris.

Secunda Provincia habet civitates numero VIII.

Metropolis civitas Moguntiacus.
Civitas Argentoratenſis, id eſt, Straſburg.
Civitas Nemnetis, id eſt, Spira.
Civitas Wangionum, id eſt, Wormatia.
Civitas Wirtzburgenſis.
Civitas Conſtantia.
Caſtrum Rubilocus, quod Eichſteti dicitur.
Civitas Auguſta Vindelicûm, id eſt, Auverpurch.

Provincia Bajoariorum, id eſt, Noricus Ripenſis ſuper Danubium, ſive Noricus Mediterraneus, habet civitates numero VI.

Metropolis civitas Juvavo, id eſt, Salzburg.
Civitas Regino.
Civitas Pataviæ.
Civitas Friſingenſis.
Civitas Nova.
Civitas Sabionenſis.

Provincia Sequanorum habet civitates numero VII.

Metropolis civitas Veſontio.
Civitas Equeſtris, id eſt, Aventicus.
Civitas Baſilienſis.
Civitas Vindonenſis.
Civitas Argentarienſis.
Civitas Ebritunenſis.
Civitas Rauracenſis.

Aubertus Miræus anno 1613. Antverpiæ edidit notitiam Orbis Chriſtiani Libris quinque. Libro II. profert *Codicem Provincialem veterem*, vel *Provinciale Romanum*,

manum, ex quatuor MSS. Parisinis, qui codex jam antea Romæ anno 1603. impressus, & alibi recusus fuerat.

In eo leguntur octo Archi-Episcopatus in Alemannia.
Moguntinus Archi-Episcopatus cum quatuordecim Suffraganeis.
Coloniensis Archi-Episcopatus cum quinque Suffraganeis.
Bremensis Archi-Episcopatus cum quinque Suffraganeis.
Rigensis Archi-Episcopatus cum sex Suffraganeis.
Magdeburgensis Archi-Episcopatus cum quinque Suffraganeis.
Salisburgensis Archi-Episcopatus cum octo Suffraganeis.
Treverensis Archi-Episcopatus cum tribus Suffraganeis.
Vesontionensis Archi-Episcopatus cum tribus Suffraganeis.

Ipse *Carolus à S. Paulo* in *Geographia Galliæ* recitat acceptam à SIRMONDO notitiam Provinciarum & civitatum Galliæ, *Honorii Augusti*, ùt videtur, temporibus conditam, in qua recensentur
Provinciæ Belgicæ primæ Metropolis civitas Treverorum,
Provinciæ Germaniæ primæ Metropolis civitas Moguntiacensium,
Provinciæ Germaniæ secundæ civitas Agrippinensium Metropolis,
Provinciæ maximæ Sequanorum Metropolis civitas Vesontionensium.

Post Geographiam *Caroli à S. Paulo* recusam Amstelodami anno 1711. subnectitur *Parergon*, in quo quintuplex exhibetur *Notitia antiqua Patriarchalium & aliarum Ecclesiarum.*

I. Notitia Græco-Latina ex codice Vaticano.

II. Notitia veterum Provinciarum, & urbium, quæ sub Imperatore Romanorum apud Constantinopolim sedente reguntur, Græco-Latina ex Vaticano eodem vetere codice.

III. Notitia Ecclesiastica ex Regia Bibliotheca Parisina, Græco-Latina.

IV. Notitia quinque Patriarcharum, ex Regia Parisina Bibliotheca, Latina tantùm. In hâc septem Archi-Episcopales Ecclesiæ Germaniæ leguntur.

Archi-Episcopus Moguntinus habet sub se Suffraganeos: Pragensem, Moraviensem, vel Holomucensem: Eistetensem, Herbipolensem, vel Wirceburgensem: Constantiensem, Curiensem, Argentinensem, Spirensem, Verdensem, Udemesensem, Alunstatensem, Patterburnensem, Pandeburgensem, Augustensem.

Archi-Episcopus Coloniensis hos habet Suffraganeos: Leodiensem, Trajectensem, Monasteriensem, Mindensem, Osemburgensem.

Archi-Episcopus Bremensis hos habet Suffraganeos: Barduicensem, Solesvicensem, Raskeburgensem, Zermensem, Libicensem, Rigensem, vel Amonensem.

Archi-Episcopus Magdeburgensis hos habet Suffraganeos: Aldeburgensem, Brandeburgensem, Misensem, vel Misnensen: Merseburgensem, Cicensem, vel Nunburgensem.

Archi-Episcopus Salzeburgensis hos habet Suffraganeos: Pataviensem, Ratisbonensem, Frisingensem, Gurcensem, Brixinensem.

Archi-Epiſcopus Treverenſis hos habet Suffraganeos: Metenſem, Tullenſem, Virdunenſem.

Archi-Epiſcopus Biſuntinus hos habet Suffraganeos: Baſilienſem, Lauſanenſem, ſive Sillicenſem.

In ultima notitia PARERGI, deſumptâ ex veteri MS. Bibliothecæ *Tuanæ*, iidem ſeptem Archi-Epiſcopatus Germaniæ enumerantur: ſed inter Moguntini Suffraganeos additur Alberſtadienſis, & Parabergenſis, ſub quibus nominibus latent Halberſtadienſis, & Bambergenſis. Rurſum Bremenſi ſubjiciuntur Mickelburgenſis, vel Cerinenſis; qui idem erit, ac ſupradictus Zermenſis, pro Swerinenſi. Rigenſis, ſeu Livenenſis loco Amonenſis: Sôlonienſis idem, qui Solesvicenſis, Schlesvicenſis. Salisburgenſi ſubjiciuntur Sequonenſis, Riemeſenſis, Lâvendienſis, Remenſis, Seckovienſis. Reliqua nomina eadem ſunt, quæ in notitia quarta recitantur. Non mutavi Orthographiam Civitatum Epiſcopalium Germaniæ, cum eædem ſatis notæ ſint Hiſtoriophilis, & Germaniæ popularibus.

Limnæus Tom. I. Juris Publici Imperii Romano-Germanici, Anno 1645. *Argentorati* Impreſſo *Cap. VIII.* edidit Catalogum Ordinum Sacri Imp. Romano-Germanici, qui intra annos circiter CCCC. civitati Germaniæ adſcripti, jus ſuffragiorum in Comitiis habeant; quem catalogum deſumpſit tum ex tabulis publicis, quas *Fridericus III.* in Comitiis Ratisbonenſibus anno 1471. In acta Imperialia referri mandavit, tum ex Receſſibus & Matriculis Imperii variis, veteribus & novis.

Petrus Bertius Commentariorum de rebus Germaniæ Lib. II. Cap. III. hanc eandem matriculam excuderat Amſtelædamenſi typo *Joannis Janſonii* anno 1616. Quæ ideo adnoto, ne quis Tiro ex hodierno ſtatu & numero Epiſcoporum metiatur ſtatum & numerum Epiſcoporum Germaniæ ante annum MD. In iſtis autem Catologis, ſeu Matriculis exeunte ſæculo XV. inter membra Imperii Eccleſiaſtica ſequentes leguntur

ARCHI-EPISCOPI.

Archi-Epiſcopus & Elector Moguntinus.
Archi-Epiſcopus & Elector Trevirenſis.
Archi-Epiſcopus & Elector Colonienſis.
Archi-Epiſcopus Aquilejenſis Patriarcha.
Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis, Primas Germaniæ.
Archi-Epiſcopus Lugdunenſis, Primas Galliæ.
Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, Legatus Sedis Apoſtolicæ.
Archi-Epiſcopus Bremenſis in Saxonia.
Archi-Epiſcopus Biſantinus in Burgundia.
Archi-Epiſcopus Gnesnenſis in Polonia.
Archi-Epiſcopus Lundenſis in Dania.
Archi-Epiſcopus Rigenſis in Livonia.
Archi-Epiſcopus Pragenſis in Bohemia.

EPIS-

E P I S C O P I.

Bambergensis, immediatè sub Romano Pontifice.
Misnensis, immediatè sub Romano Pontifice.

S U F F R A G A N E I.

Sub Moguntino.

Episcopus Herbipolensis, qui & Wirceburgensis.
Episcopus Vangionum, qui & Wormatiensis.
Episcopus Nemetum, qui Spirensis.
Episcopus Argentinensis, qui Strasburgensis.
Episcopus Aureatensis, qui Eychstetensis.
Episcopus Pragensis } à Carolo IV. in Archi Episcopatum
Episcopus Olomucensis } Bohemicum translati sub Clemente IV.
Episcopus Constantiensis, qui & Merseburgensis, ad lacum Podamicum.
Episcopus Curiensis in Rhætia.
Episcopus Verdensis in Saxonia.
Episcopus Augustanus in Vindelicia.
Episcopus Hildesheimensis in Saxonia.
Episcopus Paterbornensis in Westphalia.
Episcopus Halberstadensis in Saxonia.

S U F F R A G A N E I.

Sub Archi-Episcopo Coloniensi.

Episcopus Tungrorum, qui Leodiensis.
Episcopus Mimingerodensis, vel Mimingardifurdensis, qui Monasteriensis in Westphalia.
Episcopus Trajectensis in Hollandia, qui Ultrajectinus.
Episcopus Minindonensis, qui Mindensis in Westphalia.
Episcopus Osnabrugensis in Westphalia.

S U F F R A G A N E I.

Sub Aquilegiensi, vel Forojuliensi.

Episcopus Tarvisinus in Marchia Veneta, quæ imperitè vulgò dicitur Vandalica.
Episcopus Polensis, vel Polanensis in Histria.
Episcopus Tergestinus, qui & Triestensis in Histria.

S U F F R A G A N E I.

Sub Parthenopolitano seu Magdeburgensi.

Episcopus Martisburgensis, qui Merseburgensis.
Episcopus Mœsianus, qui Michnensis.

Episcopus Neapolitanus, qui Naumburgensis, olim Citizensis.
Episcopus Brennopolitanus, qui Brandeburgensis.
Episcopus Havelburgensis.

S U F F R A G A N E I.

Sub Archi-Episc. Juvavensi, seu Salisburgensi.

Episcopus Reginoburgensis, qui Ratisbonensis.
Episcopus Laureacensis, postea Pataviensis.
Episcopus Tridentinus.
Episcopus Brixinensis.
Episcopus Fraxinensis, qui Frisingensis.
Episcopus Chiemsensis, qui & Chiemseensis.
Episcopus Gorciensis, qui & Gurcensis in Carinthia.
Episcopus Seccoviensis, qui & Segoviensis.
Episcopus Laubianus, qui Laventinus in Carnia.
Episcopus Fabianensis, qui Viennensis in Austria.
Episcopus Neostadiensis: hic nondum Sessionem in Comitiis obtinuit.

S U F F R A G A N E I.

Sub Hammaburgensi, sive Bremensi.

Episcopus Vagrianus, qui Lubecensis, olim Aldenburgensis.
Episcopus Suerinensis in Megalopolia.
Episcopus Libussinus in Brandenburgia.
Episcopus Sleswicensis in Dania.
Episcopus Caminensis in Pomerania.
Episcopus Raceburgensis in Megapolia.
Episcopus Obotritorum.

S U F F R A G A N E I.

Sub Bisantinensi, vel Burgundici.

Episcopus Rauracorum, qui Basiliensis.
Episcopus Aventicorum vel Antuatum, qui Lausanensis.
Episcopus Bellicensis.

S U F F R A G A N E I.

Sub Gneznensi, seu Polonici.

Episcopus Vratislaviensis, qui Breslensis in Silesia.
Episcopus Clocensis in Masovia.
Episcopus Uladislaviensis, seu Leslawensis in Cujavia.
Episcopus Warmiensis in Borussia.
Episcopus Cracoviensis in Polonia.
Episcopus Lublinensis in Polonia.

Hi

Hi ſub Alberto I. Imp. & Wenceslao Rege Bohemiæ & Poloniæ inter Ordines Imperii celebrati memorantur, uti & Epiſcopus Poznanienſis, qui anno 968. ſub Magdeburgenſi fuit, nunc eſt ſub Gneznenſi.

S U F F R A G A N E I.

Sub Rigenſi, ſeu Livonici.

Epiſcopus Curienſis, qui & Curlandicus.
Epiſcopus Revalienſis.
Epiſcopus Oiſelienſis.
Epiſcopus Torpatenſis, qui & Darptenſis.

S U F F R A G A N E I.

Sub Pragenſi, vel Bohemici.

Epiſcopus Olomucenſis in Moravia.
Epiſcopus Lutomiſchlenſis.
Epiſcopus Blyzimenſckianus. Hujus nomen non legitur in Receſſibus Imperii: attamen Goldaſtus eum enumerat ex matricula anno 809. condita.

S U F F R A G A N E I.

Sub Remenſi.

Epiſcopus Cameracenſis.
Epiſcopus Atrebatenſis, qui & Arraſenſis.
Epiſcopus Tornacenſis.
Epiſcopus S. Audomari in Flandria.

S U F F R A G A N E U S.

Sub Viennenſi in Gallia.

Epiſcopus Sedunenſis, qui & Valleſianus, & Sittenſis.

S U F F R A G A N E I.

Sub Lugdunenſi in Gallia.

Epiſcopus Cabillonenſis, qui Chalonienſis, vel Schalonenſis.
Epiſcopus Matiſconenſis in Burgundia.

E P I S C O P I.

Sub magno Magiſtro Ordinis Teutonici, qui in Boruſſia obtinet dignitatem Archi-Epiſcopi.

Epiſcopus Ermlandiæ.
Epiſcopus Heilspergenſis.
Epiſcopus Culmenſis, qui & Culmſeenſis.
Epiſcopus Premislavienſis.
Epiſcopus Pomeranenſis.
Epiſcopus Sambienſis, qui & Samlandiæ.
Epiſcopus Riſeburgenſis.

Hi omnes, tanquam origine Germani, & in Provincia Germanica residentes, ad decidendas gravissimas Imperii controversias adhibiti fuerunt ante annum. MD. alii stabiliter, alii per duo aut tria sæculi. Hactenus *Limnæus loc. cit.*

Quis Status harum Diœcesium fuerit post annum MD. dabimns suo loco ex *Oldenbergi Limnæo enucleato Tom. I. L. I. C. V.* & ex *Hermanno Conringio de finibus Imperii Germanici.*

Caspar Bruschius Bohemus ex Egra anno 1549. Norimbergæ edidit de omnibus totius Germaniæ episcopatibus epitomen, quam *Joannes Geroldus* anno 1551. Germanicam fecit.

Ex his manifestum videtur, scientiam Hierarchiæ Germanicarum Ecclesiarum Illustrissimo Carolo à S. Paulo non defuisse, sed voluntatem, cujus causam non indago; sed mortuo bene precor.

Judicavi autem, Mappam Chorographiam episcopalium sedium Germaniæ, quotquot ab anno Christi CCC. ad MD. extitêre, huic operi lucem esse fœneraturam, cui brevem in hac Præfatione addendum duxi notitiam Originis, simúlque factas fortè in his sedibus mutationes Lectori indicandas post *Aubertum Miræum*, qui anno 1620. Lugduni edidit *Geographiam Ecclesiasticam*, in qua Provinciæ Metropoles, sive urbes titulo Episcopali illustres serie Alphabeti digestæ leguntur. Sequor & Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ anno 1631. edito Coloniæ *verbo Episcopus.*

Sequor & *P. Scherer è Soc. Jesu*, qui brevem Geographiam Hierarchiæ, sive Statûs Ecclesiastici Romano-Catholici per orbem universum distributi succinctam descriptionem Historico-Geographicam edidit anno 1703 Monachii. *P. Hadrianus Daude Professor publ. Historiarum in universitate Wurceburgensi*, Majestatem Hierarchiæ ecclesiasticæ conscripsit, anno 1745. Wurceburgi typis excusam, cujus Cap. IV. Sect. II. de Archi-episcopis Germaniæ: Cap. V. Sect. II. & III. de episcopis Germaniæ sigillatim tractat. De iisdem agit *Pfeffinger ad Vitriarium Tom. I. L. I. Tit. XV. Christophorus Wutzler* I.V.L. de Jurisdictione episcoporum Germaniæ.

Ex his condo sequentem Catalogum Sedium Metropolitanarum & Cathedralium Germanicarum.

CAPUT II.

Catalogus Ecclesiarum Germanicæ Hierarchiæ, seu Metropolitanarum & Cathedralium, additis earundem primordiis, & designatis Episcopus, qui easdem circa annum MD. tenuerunt.

MAGUNTIA METROPOLIS.

ARchi-Episcopus Moguntinus refert initia suæ Sedis ad tempora Apostolorum. Est Sacri Rom. Imperii Princeps, Elector, & Archi Cancellarius per Germanicam.

Anno

Anno MD. hanc regebat Ecclefiam *Bertholdus Comes ab Hennberg de Rembild*, in Epifcoporum Moguntinorum ordine XCII. Archi-Epifcopus LII. Elector XXXVI. *Judice Serario.*

Suffraganeos tum habebat Epifcopos XII. plures aliis annis huic Metropoli fuére fubjecti, quos nunc ordine Alphabetico enumerabo.

ARGENTINENSIS Epifcopus jam fæculo VII. erat *S. Amandus*. Hujus fubin fucceffores S. R. I. Principis & Landgravii Alfatiæ titulo fuere condecorati.

Anno MD. *Carolus Lotharingiæ Dux*, & S. Rom. Ecclefiæ Cardinalis, hanc Cathedram tenuit Antiftes LXXXII.

AUGUSTANI Epifcopi fuæ primordia ecclefiæ petunt à *S. Dionyfio* circa annum Chrifti CCCII. *Judice Corbiniano Khamm.*

Anno MD. eidem præfuit *Fridericus Comes à Zolleren*, Epifcopus Auguftanus LVII.

BASILEENSIS Cathedra, olim Auguftæ Rauracorum, fuit fub Vifontino Metropolita maximæ Sequanorum, feu Lugdunenfis V.: inde circa annum DV. Bafileam translata. Eodem anno DV. *Adelphius* Rauracorum Ep. Synodo Aurelianenfi interfuit.

Anno MD. *Cafp. r zu Rhin von Mulhufen* erat LI. Epifcopus Bafileenfis.

BURABURGENSIS in Haffia Epifcopus I. *Albinus*, feu *Witta*, à *S. Bonifacio* Legato Apoftolico inftitutus fuit anno DCCXLI. fed paulo poft fub fecundo Antiftite defiit hic Epifcopatus, ejúfque major pars Paderbornenfi, nonnulla Moguntinæ Diœcefi acceffit.

CONSTANTIA ad *S. Beatum*, Apoftolicæ ætatis virum, fuæ refert Ecclefiæ originem, priùs tamen Vindoniffæ, quæ Suffraganea erat maximæ Sequanorum fub Vefontino Archi-Epifcopo, fixa fuiffe fedes, indéque circa annum DXCVII. Conftantiam translata creditur.

Anno MD. *Hugo de Hohenlandenburg* hanc Ecclefiam moderabatur Epifcopus LXXXIV.

CURIA, Rhætorum civitas, ad Sæculum II. Chriftianum Évangelii lucem fibi illuxiffe credit.

Anno MD. *Henricus Baro de Hoven* in ejus Ecclefiæ Cathedra fedebat.

EYSTAT, AICHSTADIUM (Aureatum aliàs dictum à civitate, quam Attila evertit) à *S. Bonifacio* primum accepit Epifcopum *Willibaldum* circa annum DCCXLI.

Anno MD. *Gabriel ab Eyb*, LII. hujus Sedis Epifcopus numerabatur.

ERPHESFURT in Thuringia primum & ultimum habuit Epifcopum *Adalarium*, à *S. Bonifacio*, quà Legato Sedis Apoftolicæ, conftitutum. Subinde ea Thuringiæ portio Moguntini Archi-Epifcopi ditioni incorporata fuit, hodiéque manet.

HALBERSTADIUM primum Epifcopum vidit *Hildigrimum* fub Ludovico

Pio Imp. anno DCCCXIV. Jam ſub Carolo M. Salingenſtadii, ſæculo VIII. exeunte, deſignata illic dicitur fuiſſe Sedes epiſcopalis.

Anno MD. *Erneſtus Saxoniæ Dux*, & Archi-epiſcopus Magdeburgenſis, ſimul Halberſtadienſem adminiſtravit Eccleſiam, à *S. Hildegrimo* trigeſimus nonus.

HERBIPOLENSIS, ſeu WIRCEBURGENSIS epiſcopatus inſtitutus eſt à *S. Bonifacio* Legato Apoſtolico anno DCCXLI., primo hujus Sedis Præſule conſecrato *Burchardo*:

Paulò ante annum MD. *Laurentius à Bibra* LXI. ejuſdem eccleſiæ Antiſtes ſalutabatur.

HILDESHEIMIUM ſub Ludovico Pio Imp. *Guntharium* primum epiſcopum obtinuit anno DCCCXIV., quanquam *Carolus M.* aulicæ jam pridem deſtinâſſet virum, illi parti Saxoniæ invigilantem.

Anno MD. *Bertholdus Baro de Landsberg* mitram Hildeſienſem ſimul & Verdenſem geſtabat, epiſcopus Hildeſinus XLV.

PADERBORNA, à Carolo M. ſæpius viſitata, primùm Wirceburgenſi epiſcopo commiſſa fuit. *Schatenus S. Hathumarum* anno DCCXCV. primum illi epiſcopum datum ſtatuit, &

Anno MD. *Hermannum Haſſum*, Colonienſem Archi-epiſcopum, eccleſiæ Paderbornenſis Adminiſtratorem, epiſcopum numero XXXVI.

SPIRENSIS Civitas, Nemetum præcipua Sedes, jam IV. Sæculo habebat *Jeſſen* epiſcopum, Concilii Sardicenſis collegam anno CCCXLVI., nec prioris cujuſpiam eſt memoria.

Anno MD. *Philippus à Roſenberg* Antiſtes LXVIII. eandem gubernabat.

VERDENSIS, ad Alleram & Viſurgim confluentes ſitæ civitatis, primus epiſcopus dicitur *S. Swibertus*, qui tamen priùs Bardevici, quàm Verdæ, ſtationem fixerit.

Anno MD. Catholicum Præſulem numero XLIX. habebat *Bertholdum ex Baronibus de Landsberg*.

WORMATIA, Vangionum urbs capitalis, *Victorem*, Sardicenſi Concilio anno CCCXLVII. præſentem, & antiquiſſimum Præſulum ſuorum oſtentat.

Anno MD. *Joannem à Dahlberg* epiſcopum LXII. venerabatur.

BAMBERGA, Franconiæ urbs, ſita quidem intra Provinciam Moguntinæ, attamen ab *Henrico Sancto* Imp. inſtituta ibidem & dotata eccleſia primum epiſcopum *Eberhardum* in Concilio gemino Francofortenſi anno MVII. & MVIII. habuit, eámque ſoli Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectam, declaravit Eugenius III. Papa, Bullâ anni MCXLV.

Anno MD. *Henricus Groſs à Drockau* Antiſtes Catholicus XXXVI. Bambergam paſcebat.

PRAGENSIS & OLOMUCENSIS eccleſiæ ab Moguntiæ Archi-epiſcopo exemptæ, infrà ſuo loco memorabuntur. V. *Serarium Moguntiacarum rerum L. I. C. XXII.*

TRE-

TREVERIS METROPOLIS.

TREVERIS, urbs antiquissima, ab Apostolorum ævo Ecclesiæ suæ primum Episcopum multis sæculis credidit *S. Eucharium*. Hoc sæculo *S. Agritius*, qui Arelatensi I. Concilio subscripsit anno CCCXIV., primus ejusdem Sedis certus Episcopus scribitur à nonnullis.

Anno MD. *Joannes Marchio Badensis* hanc antiquissimam Cathedram rexit Episcopus CL., S. R. I. Elector, per Galliam, & Regnum Arelatense Archi-Cancellarius.

Suffraganeas habet Metas, Tullum, Verodunum.

METÆ, Mediomatricum civitas, primum Episcopum *Clementem*, S. Petri Discipulum, suis in fastis nominat. *Victor*, qui Concilio Sardicensi anno CCCXLVII. subscripsit, notior est.

Anno MD. *Henricus*, Lotharingici sanguinis Princeps, huic Ecclesiæ præsidebat.

TULLUM, Leucorum civitas, *S. Mansuetum*, Apostolorum discipulum, primum habet in catalogo suorum Antistitum,

Anno verò MD. *Obricum de Blammont*, Episcopum LXXI.

VERODUNUM, urbs Lotharingiæ, *B. Santinum*, Concilii Sardicensis, anno CCCXLVII. celebrati, nobile membrum, primum sibi fuisse Episcopum, constanti, & universali traditione paternâ credit. Idem Anticlavorum Episcopus dicitur apud *Chapeauvillæum*.

Anno MD. diem supremum vidit *Guillielmus de Haraucourt*, qui sedis hujus LXXX. numeratur Episcopus à *Bucelino*.

COLONIA METROPOLIS.

COLONIA, Augusta Agrippinensium civitas, *Maternum*, Apostolici sæculi virum, Principem suorum Episcoporum statuit. *Launoio*, & ejus sequacibus *Maternus* nullus Coloniæ vixit, nisi is, qui sæculi IV. initio anno CCCXIII. Romano Concilio interfuit.

Anno MD. *Hermannus* ex *Hassiæ* Landgraviis summa cum laude hanc Ecclesiam gubernabat Episcopus LXVI, per Italiam Archi-Cancellarius, Sedis Apostolicæ Legatus natus, Dux Westphaliæ, S. R. I. Princeps Elector.

Suffraganeæ Coloniensis.

LEODIENSIS Ecclesia, antea Tungrensis & Trajectensis, primum Episcopum suum *S. Maternum* numerat, eundem, quem Colonia, & Treveri præ se ferunt. *S. Servatius*, qui Sardicensi, & variis Synodis Sæculo IV. interfuit, notior est.

Anno MD. *Joannes Comes Hornensis* LXXXIII. Sedis hujus Episcopus fuit, *teste Bucelino*. Scribitur Dux Bulloniæ, & Comes Lossensis.

MONASTERIENSIS, seu MIMIGARDEFORDENSIS in Westphalia Præsul I. fuit *S. Ludgerus*, designatus jam pridem à *Carolo. M.* circa annum DCCXC.

ſed non ante annum DCCCIV. conſecratus ab *Hildebaldo* Archi-Epiſcopo Colonienſi Metropolita ſuo.

Anno MD. Monaſterienſibus præerat *Conradus Comes de Rietberg* Epiſcopus XLIV.

OSNABRUGENSIS, vel OSSEMBRUGENSIS Civitas, ab Anno DCCLXX. deſtinata modò fuit Sedes Epiſcopalis à *Carolo M.* *Wibo* primus ejuſdem Epiſcopus initiatus eſt ab *Altfrido* Leodienſi comprovinciali ſuo anno DCCLXXX. judice *Schateno*.

Anno MD. eundem cum Monaſterienſi Eccleſia Epiſcopum numero XLVIII. reverebatur *Conradum V. Comitem Rietbergenſem*.

MINDENSIS Diœceſis *Ercambertum* Epiſcopum primum non niſi anno DCCCIV. adiiſſe ſtabile regimen, judicat *Erkartus Tom. II. Hiſt. Franc.* ad h. annum.

Anno MD. *Franciſcus* Dux *Brunswicenſis* inter Catholicos hujus Eccleſiæ Præſules LII. numerabatur.

ULTRAJECTENSIS Eccleſiæ, ſeu Wiltabergi primam curam ſacram ſuſcepit *Cunebertus* Archi-Epiſcopus Colonienſis: ſubin *Willibrordus*, & *Bonifacius* Apoſtolicâ prædicatione locum illuſtrârunt. Anno DCCLXXVII. poſt obitum *Gregorii* Abbatis, Eccleſiæ Trajectenſis ad Rhenum Rectoris, ſuffectus eſt *Albinus I.* à Colonienſi Metropolita Epiſcopali dignitate donatus.

Anno MD. *Fridericus Marchio Badenſis*, Antiſtes Ultrajectinus LVIII. clavum hujus Eccleſiæ moderabatur.

BREMA, Viſurgi incumbens civitas, *Caroli M.* Regis Zelo fidei præconem primum obtinuit *Willebadum*, anno DCCLXXX. in Wigmodiam & circumjecta loca miſſum. Hic anno DCCLXXXVII. Wormatienſi in Synodo conſecratur Bremenſium Epiſcopus, Metropolitæ Colonienſi ſuffraganeus, ùt ait *Cranzius*. Anno DCCCXLVII. Eccleſia Bremenſis unita fuit Hamburgenſi, ſimúlque exempta ab obedientia ſedi Colonienſi debita. Teſte *Bulla Nicolai I. Papæ de anno DCCCLXIV.*

LAUREACENSIS METROPOLIS.

LAUREACUM urbs erat, haud procul à Danubio, & Anaſo confluentibus ſita: Metropolis Norici, & Pannoniæ à Sæculo V. ad VIII. & IX. Ad *S. Marcum*, Apoſtolorum diſcipulum, exordia fidei & Cathedræ referebat. *S. Maximilianus* medio ſæculo III. Laureacenſium Archi-Epiſcopus & Martyr audit. Laureaco everſo, Pataviam tranſlata ſedes. *Theodorus* ex Chor-Epiſcopo Laureacenſi primus Patavienſis Epiſcopus obiit anno DCXXIII. *Urolphus* ſæculo IX. Pallium ab *Eugenio II. PP.* accepiſſe ſcribitur: unde & uſque ad extremum IX. & medium ſæculum X. dicuntur Archi-Epiſcopi. Cæterùm à ſæculo X. ad XV. Patavienſes Epiſcopi ſuffraganei fuerunt ſub Salisburgenſi Metropolita.

Suffra-

Suffraganei Laureacensis Ecclesiæ certi fuêre sequentes.

FAVIANENSIS, seu VINDOBONENSIS Episcopus in Pannonia. Sæculo V. hanc sedem tenuit *Mamertinus*, sæculo IX. *Rathfredus*. *Favianæ*, seu *Fabianæ*, & *Vindobonæ* rectè congruere nomen *Viennæ* Austriæ, scribit *Hansitzius Tomo I. Germaniæ sac. pag.* 72.

SPECULIANENSIS Antistes *Methodius* anno DCCCXXIV. inclaruit. Fors eadem hæc sedes est, quæ hodie Olomucensis.

NITRAVIENSIS Episcopus *Adelwinus*, deinde *Wichindus* sub *Woldinio* Laureacensi Episcopo floruerunt.

VETUARENSIS in Pannonia Episcopus sæculo IX. notus est sub *Urolpho* Metropolita.

Sequentes Episcopatus certi sunt; dubitatur autem, quibus Archi-Episcopis subjecti fuerint, Laureacensi, an Aquileiensi, an Juvaviensi.

CELEIANUS, seu CELEIENSIS Episcopus *Joannes* Synodo Gradensi anno DLXXIX. assedit.

PETOVIENSIS, PETOVIONENSIS, seu PETABIONENSIS, *Victorinus* Episcopus sæculo III. claruit, sæculo IV. *Marius*, & *Julianus Valens* intrusus, sæculo VI. *Virgilius*.

TIBURNIENSIS Episcopus. Tiburnum urbs erat Norici mediterranei, cujus *S. Paulinus* sæculo V. erat Episcopus. Deinde *Leonianus* & *S. Modestus*.

ÆMUNDA Urbs est Histriæ, in cujus reliquiis exstructa fuit civitas nova Episcopalis sub Aquileiensi Patriarcha.

ÆMONA, EMONA vel HEMONA rectè cum Labaco, hodiernâ Carniolæ Metropoli, confunditur.

Concludo cum *Hansitzio*: Laureacensis Metropolis intra IV. & VIII. sæculum septem Suffraganeas sedes numerabat, vel septem Parochias, ùt Pontifices loquuntur. In Pannonia superiore Vindobonensem, Stridonensem, Sisciacensem: in inferiore Mursensem, Cibulensem, Sirmiensem: in Mœsia superiore Singidunensem. An autem, & quæ ex his sedibus subinde ad Salisburgensem, aut Aquilejensem transierint: an & quæ civitates penitus extinctæ: quæ nomine mutato supersint, nunc examinare non vacat. *Hansitz. in Corollar. Tom. I. Germ. Sacræ.*

Lazius aliter hos Episcopatus enumerat. Laureacensi Metropoli subfuerunt Tiberinensis, Quintaviensis, Pataviensis in Vindelicis: Ovilabiensis in Norico Ripensi. Juvaviensis, Soliensis, Celeianus, Petoviensis, & Taurisanus Episcopatus in Norico Mediterraneo. *Lazius L. II. Rerum Viennens. C. II.* cui subscribit *Miræus in Geograph. Ecclesiastica*, & *Caspar Bruschius.*

K SA-

SALISBURGUM METROPOLIS.

SALISBURGUM, olim JUVAVIUM, primum Epiſcopum *S. Rupertum* numerat, qui anno DCCXVI. cathedram fixit in Bajoaria ſub Duce *Theodone.* Anno DCCXCIII. *Arno* Epiſcopus VI., Primus Archi-Epiſcopus, pallium accepit à *Leone III.* Papa.

Anno MD. *Leonardus* nobilis de *Reutſchach* Archi-Epiſcopus XLVII. florebat, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus natus, Primas Germaniæ.

Eccleſiæ Suffraganeæ.

Auguſtana, cujus Epiſcopus primus *S. Dionyſius* ſcribitur à Bucelino circa annum CCXCVI. ab aliis CCCII. floruiſſe, & ſub Salisburgenſi, vel Laureacenſi ſtetiſſe: ſed qui eum ſecuti ſunt, certò fuêre Suffraganei Metropolitæ Moguntini.

BRIXINA primum *S. Caſſianum* Epiſcopum circa annum CCCLX. Sabione reſidentem oſtendit, unde Sabionenſes Epiſcopi dicti; donec MXXXVIII. Sabione Brixinam ſedes tranſlata fuit.

Anno MD. *Melchior à Beckaw*, S. R. E. Cardinalis, Brixinenſis Epiſcopus in Comitatu Tirolis erat.

CHIEMSEENSIS Epiſcopatus ad lacum cognominem inſtitutus fuit ab *Eberhardo II.* Salisburgenſi Metropolita anno MCCXV. Primus Epiſcopus *Rudigerus de Radech.*

Anno MD. ejusd. ſedis Antiſtes XXIV. fuit *Ludovicus Ember.*

FRISINGA primum Epiſcopum *S. Corbinianum* habuit circa annum DCCXXX.

Anno MD. *Philippus, Comes Palatinus Rheni, & Bavariæ Dux* hanc cathedram ornabat.

GURCUM, civitas in Carinthia, à flumine Gurco nomen trahit: à Metropolita ſuo Salisburgenſi proprium & primum nacta fuit Epiſcopum, *Guntherum Comitem Helfenſteinium* anno MLXXII. pro Carenthanis, & Sclavis juvandis.

Anno MD. *Raymundus Perauldus, S. R. E.* Cardinalis idem & Epiſcopus Gurcenſis erat.

LAVANTINA Diœceſis inſtituta fuit ab *Eberhardo II.* Metropolita Salisburgenſi anno MCCXXVI. apud S. Andream in Laventmund. *Udalricus* primus ei Epiſcopus datus.

NEOSTADIENSIS in Auſtria civitas, *Friderico IV.* Auguſto erecta eſt ſedes Epiſcopalis anno MCCCCLXVIII. à Paulo II. Papa.

PATAVIENSIS (antea Laureacenſis) à ſæculo X. ad XV. ſubjectus fuit Epiſcopus Metropolitæ Salisburgenſi. *Vide ſupra Laureacenſis.*

RATISBONENSIS Epiſcopatus multos Slavorum Apoſtolos, ſeu Epiſcopos numerat inde à *S. Paulino*, circa annum CCCCLXX. Certior notitia eſt Epiſcoporum à *Gaubaldo*, annò DCCXL. per *S. Bonifacium*, Legatum Apoſtolicum, inſtituto, conſecrato, & à tribus aliis Bajoariæ Epiſcopis diviſo.

Anno MD. *Rupertus II. Comes Palatinus*, *Bavariæ Dux*, eam cathedram regebat.

SECCO-

SECCOVII in Stiria ſedem Epiſcopalem ſtatuit ſuprà laudatus *Eberhardus II.* Archi-Epiſcopus Saliſburgenſis, circa annum MCCXX. *Carolus* primo Antiſtiti nomen erat.

Anno MD. *Matthias Scheid* ex adminiſtratore Patriarchatûs Aquilejenſis conſecratur Romæ Seccovienſis Epiſcopus XXIII.

TRIDENTUM. Sanctum *Hermagoram* , *S. Marci* diſcipulum , primi Antiſtitis *Jovini* inſtitutorem veneratur.

Anno MD. *Udalricus IV. de Liechtenſtein* Epiſcopus XCIV. in faſtis Tridentinis numeratur apud *Bucelinum.*

VIENNENSIS (olim Fabianenſis) uſque ad annum MDCCXXI. ſub Saliſburgenſi Metropolita fuit. Primi Fabianenſium ac Noricorum Apoſtoli celebrantur ſæculo V. S. Severinus, ac Mamertinus : reſtaurata ſedes à Paulo II. MCCCCLXVIII. Friderico IV. Auguſto

Anno MD. *Bernardus Baro de Polheim* ſæculum XV. ùt conjicio , claudebat.

LABACUM (olim Æmona) civitas eſt accubans fluvio Laubach, Epiſcopum habet nulli Metropoli obnoxium, ſed ſummo Pontifici. Inſtitutus hic fuit Epiſcopatus anno MCCCCLXVIII. à Paulo II. PP. ad votum Friderici IV. Auguſti. *Sigismundus à Lamberg* primus Antiſtes fuit.

Anno MD. *Chriſtophorus Rauber*, nobilis Carniolus, eam ſedem obtinebat.

BREMENSIS, ſubin HAMMABURGENSIS METROPOLIS.

CUm *S. Anſcharius* Anno DCCCXLVII. *Ludovici* Regis , & *Nicolai I.* voluntate Cathedram Bremenſem conjungeret Hamburgenſi ; Bremenſis ſubtracta fuit Colonienſi Metropoli , & Archi-Epiſcopalis audiit.

Anno MD. Bremenſem Metropolim regebat *Joannes Radius* , à primo Antiſtite XXXIX , qui *Chriſtophorum* , *Ducem Brunswicenſem* Catholicum , ſibi Coadjutorem elegit.

Suffraganeæ Bremenſis Metropolitanæ.

ALDENBURGENSIS & Wagriorum Eccleſia, poſtmodum LUBECENSIS, jam ab anno DCCCCLXX. *Marconem* primum Wagriorum Epiſcopum habuit. Anno MCLVIII. *Geroldus* Aldenburgenſis XII. Lubecenſis primus Antiſtes Romæ conſecratur , reſiſtente *Hartwico* , Metropolitano Bremenſi.

Anno MD. *Theodoricus Arndes* Lubecenſi Eccleſiæ præerat , qui *Friderico* Holſatiæ Duci feudum Ducatûs Holſatiæ contulit Kiloniæ in foro publico.

CAMINENSIS , ſeu Pomeraniæ, Epiſcopus primus ab *Innocentio II.* Papa conſtitutus fuit *Adelbertus* in civitate Wollin. *Otto* Pomeranorum primus Apoſtolus celebratur circa annum MCXL. Anno MCLVIII. *Conradus* ſucceſſor in Epiſcopatu Pomeraniæ, Wollino ſedem Epiſcopalem Julinum transtulit : inde tandem anno MCLXXV. *Caſimirus*, *Wratislai* Ducis filius, eandem in oppido Camino collocavit , approbante translationem *Clemente III.* anno MCLXXXVIII.

Anno MD. *Martinus Carith*, XXIV. ab *Adelberto* Epiſcopus Caminenſis, Catholicam hanc Cathedram poſſidebat.

MECKLEBURGUM Provincia & oppidum, duos ſub hoc nomine Epiſcopos habuit *Joannem Scotum*, & *Everardum* Sæculo XII. *Benno III.* Mecklenburgicus Epiſcopus, primus Swerini ſedem fixit poſt annum MCLX.

Anno MD. *Conradus Loſtius* XXXII. à primo, regebat Eccleſiam *Swerinenſem*.

RATZEBURGUM Civitas, primum Epiſcopum ſuum fuiſſe prætendit *Ariſtonem*. Tempus primordiorum hujus Cathedræ incertum eſt.

Circa annum MD. *Joannes Parckentin* erat XXVII. Catholicus Antiſtes.

SLESWICUM, urbs Epiſcopalis, Metropoli Hamburgenſi paruit uſque ad annum MLXVI., quando ſub *Aſcbero*, Lundenſi Metropolitano, tam Sleswicenſis, quàm reliqui Daniæ Epiſcopi, ab Hamburgenſi Metropolita exempti fuêre. *Ericus* primus fuit Sleswicenſium Antiſtes anno DCCCCXXXVII.

Anno MD. *Detlevus van der Wiſch* eam Cathedram tenuit, electus anno MCCCCXCIX. 20. Decembris, Sleswicenſium Præſulum Catholicorum penultimus.

MAGDEBURGUM METROPOLIS.

MAGDEBURGUM civitas, diploma fundatæ apud ſe Eccleſiæ ad annum DCCCCXXXVII. ſub *Ottone I.* refert. Sed anno DCCCCLXVIII. in ſecunda Synodo Ravennæ, conſentientibus *Hattone* Moguntino, & *Haldiwardo* Halberſtadienſi Epiſcopis, *Adelbertus* Magdeburgenſis Metropolita eſt confirmatus à *Joanne XIII.* Papa, à quo & Pallium accepit. Subjecta illi primitus fuêre Merſeburgum, Cizicum, Miſnia: tum Naumburgum, & quæ Moguntino antea paruerant, Brandeburgum, Havelberga; Poznania item in Polonia, ac demum Lebuſium.

Anno MD. *Erneſtus* ex *Saxoniæ Principibus*, Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis Comitiis Imperii Auguſtanis interfuit, & inter Aſſeſſores Regiminis Imperii locum obtinuit.

Eccleſiæ Suffraganeæ.

HALBERSTADIUM primum Epiſcopum habuit *Hildegrimum*, ex Catalaunenſi cathedra anno DCCCXIV. *à Ludovico Pio* ad hanc civitatem traductum.

Anno MD. *Erneſtus Saxo* Præſul XLI. hunc adminiſtrabat Epiſcopatum, ſimul Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis.

MISNENSIS Eccleſiæ primum Epiſcopum *Burchardum*, Suffraganeum ſuum conſecravit *Adelbertus* Magdeburgenſis, anno DCCCCLXVIII. Anno autem MCCCCII. Cathedra Miſnenſis exempta, & Romano Pontifici immediatè ſubjecta fuit.

Anno MD. hanc Sedem obtinebat *Joannes VI. de Salhauſen* Epiſcopus à primo *Burchardo* XLII.

BRANDEBURGENSIS civitatis ad Havelam primus Epiſcopus, *Ottonis I.* Imp. beneficio, dictus fuit *Ditmarus*, Moguntini Metropolitæ Suffraganeus ab

anno

anno DCCCCXLVI. ; ſed anno DCCCCLXVIII. Diœceſis hæc Archi-Epiſcopum ſuum agnovit Magdeburgenſem.

Anno MD. Brandeburgenſibus præerat *Joannes de Bredaw*, Epiſcopus Catholicus XXXVII.: aliis ſcribitur *Joachimus de Bredaw*.

HAVELBERGENSIS Epiſcopatus fundatus eſt ab *Ottone I.* anno DCCCCXLVI. VII. Idus Maji., *Udone* Præſule nominato, ſub Metropoli Moguntina. Dein verò anno DCCCCLXVIII. tranſcripta fuit Provinciæ Magdeburgenſi ope ejuſdem *Ottonis* Auguſti, & *Joannis XIII.* Papæ.

Anno MDI. obiit *Otto II. de Königsmarck*, Havelbergenſis Epiſcopus XXXV.

LEBUSIENSIS in Marchia Brandeburgica Epiſcopus primus numeratur *Hyacinthus* circa annum DCCCCLXV. Hujus cathedræ Præſules primùm Gnesnenſi Archi-Epiſcopo paruerant: demum ſubjecti Magdeburgenſi.

Anno MD. *Theodoricus de Bulow* XXXIV. Epiſcopus erat, judice *Auguſto Benedicto Michaëlis*, *Philoſopho Göttingenſi*.

MERSEBURGI primus Antiſtes nominatus eſt *Boſo* circa annum MCCCCLXIX.

Anno MD. *Tilo à Trotte* Epiſcopus XL. hanc Eccleſiam gubernabat.

CITIZUM primum Epiſcopum habuit *Hugonem*, Monachum Benedictinum, ſub annum DCCCCLXXIV. Anno autem MII. Citizo ſedes translata eſt Naumburgum, vel Newenburgum ad Salam.

Anno MD. præfuiſſe huic ſedi videtur *Joannes de Schonberg*, Epiſcopus XXXVI. ab Erneſto Magdeburgenſi inauguratus.

POZNANIA, civitas Poloniæ, anno DCCCCLXVIII. Archi-Epiſcopali Eccleſiæ Magdeburgenſi ſubjiciebatur ex Bulla *Joannis XIII.* ſed poſtmodum Gnesnenſi Metropolitæ ſubdita manſit, & Regno Poloniæ incorporata.

RIGA METROPOLIS.

Livoniæ primus Apoſtolus & fidei præco fuit *Meinardus*, Inſtituti Auguſtiniani Canonicus ex Cœnobio Sigebergenſi, diœceſis Bremenſis, circa annum MCLXXXVI. Qui ſubinde, acceptâ benedictione ab *Hartwico*, Bremenſi Epiſcopo, ordinatus fuit Livoniæ Epiſcopus. *Cranzius Saxon. L. VII. Cap.* 14. *Albertus I.*, qui tertius erat Livoniæ Antiſtes, ſedem Cathedralem ab Ykeskola tranſtulit in oppidum RIGAM. Anno MCCXIII. *Innocentius III.* Rigenſem Epiſcopum nulli Metropolitæ ſubjectum declarat. *L. XVI. Epiſt.* 182. Anno MCCLIV. *Albertus II.* Livoniæ quintus Epiſcopus, ab *Innocentio* IV. primus dicitur Archi-Epiſcopus. Jam inde à ſæculo XIII. tam Archi-Epiſcopus Rigenſis, quàm ejus ſuffraganei Revalienſis, Dorpatenſis, Oiſelienſis, & Curionenſis in numerum Epiſcoporum & Principum S. R. I. aſciti leguntur, teſte *Pfeffingero ad Vitriarii Tom. I. Lib. I. Tit. XV. pag.* 1171.

Anno MD. quis fuerit Archi-Epiſcopus Rigæ, non reperi.

Ecclesiæ Suffraganeæ.

REVALIA, urbs episcopalis Livoniæ ab anno MCCXXIV., videtur in testimonium primæ conversionis, quam Danorum prædicationi debuit, à Danorum Regibus subjecta fuisse Metropolitæ Lundensi in Dania. *Cranzius L. VII. cap.* 14. Subin tamen Rigensem Metropolitam agnovit. *Wesselinus*, *Woldemari II.* Daniæ Regis Sacellanus, Revaliensem cathedram primus obtinuit.

DORPATUM, urbs, fit sedes episcopalis ab *Hermanno*, fratre *Alberti* episcopi Rigensis, anno MCCXXIV. Idem episcopus vocabatur Ungannensis.

OISELIA, Insula, Livoniæ à latere occidentali objecta, facta fuit sedes Episcopalis anno MCCXXV. ejusdémq; Antistes S. R. I. Princeps ab Imperatore creatus. *Guillelmus de Sabaudia*, episcopus Mutinensis, primus usque in Oiseliam prædicationem Apostolicam extendit, qui ob fidei dilatatæ meritum Cardinalis creatus, obiit Lugduni anno MCCLI. Hic Episcopatus primò dictus Lealensis, dein Osiliensis: eundem post *Theodoricum*, & *Hermannum Alberti* fratrem circa annum MCCL. regebat *Godefridus*, Prior de Porta cœli, quod erat Monasterium ordinis Cisterciensis prope Numburgum ad Salam Thuringiæ.

SELONIENSIS, Semigallorum Episcopatus *Bernardum de Lippia* primum videtur habuisse Episcopum circa annum MCCXXVIII., secundum *Lambertum*.

IN PRUSSIA AB ANNO MCC. AD ANNUM MD.

MAgnus Magister Ordinis Teutonici nunquam fuit Episcopus, nunquam jurisdictionem, quasi Episcopalem habuit; attamen inter status S. R. I. post omnes Archi-Episcopos, & ante omnes Episcopos Germaniæ locum obtinet.

Antequam *Innocentius IV.* anno MCCXLIII. & *Alexander IV.* audito mirabili progressu Catholicæ fidei inter Prussos per fratres Teutonici ordinis, cogitaret de Prussia in quatuor Episcopatus dividenda; jam fuerant in ea Regione sæculo X. & XI. Præcones fidei *S. Adalbertus* Episcopus Pragensis, & S. Episcopus *Bruno*, qui & fidem, quam prædicaverant, suo sanguine obsignârunt. Ast non nisi sæculo XIII. stabiles ibi sedes Episcopales fuerunt institutæ. *Hermannus de Salza*, Magnus Magister Ordinis Teutonici, qui tempore tricennalis Magisterii totam Prussiam & Livoniam armis subegerat, merebatur, ut hi labores à Pontifice succollarentur.

CULMENSIS primus episcopus institutus fuit *Christianus*, Prussiæ Episcopus dictus, cui *Conradus* Dux Massoviæ & Cujaviæ anno MCCXXII. donavit terras quasdam suas cum omni Dominio Ducali. Chartam edidit *Leibniz. in Prodromo Codicis Juris Gentium.* Secundus Prussiæ Episcopus *Henricus* ex Ordine Prædicatorum, Culmensem Ecclesiam sæcularem mutavit in Regularem Canonicorum *S. Augustini*, demum in Regularem Cruciferorum ad instantiam Magni Magistri, & Ordinis totius, cum consensu Legati Apostolici Anselmi, Episcopi Warmiensis.

Anno

Anno MD. *Nicolaus Crapotz*, Thorunæ natus, fuit Episcopus Culmensis à *Christiano* vigesimus.

WARMIENSEM episcopatum primus rexit *Anselmus*, Ordinis Teutonici frater, anno MCCXLV. Brunsbergæ primò, dein urbe hâc à Prussis combustâ, Elbingæ Sedem Cathedrálem collocavit.

Anno MD. Decimus sextus à primo Warmiensium Antistes erat *Lucas Weisselrod*, aliàs *de Allen* dictus, In Frauenberg sepultus.

POMESANIENSIS, vel RISEBURGENSIS episcopus primus erat *Ernestus* ex Ordine Prædicatorum. In Marienwerder videtur fixa fuisse sedes Cathedralis Pomesaniæ.

Anno MD. huic Ecclesiæ præfuit *Joannes* hoc nomine IV. numero XVIII. Pomesaniensis episcopus: Idem Procurator Ordinis Teutonici, obiit Romæ anno MDI. 10. April.

SAMBIENSIUM episcoporum primus fuisse videtur *Henricus von Brun*, qui cum Ottocaro, Bohemiæ Rege, in Prussiam venit. Tertius episcopus *Seifridus* cum collegio suorum Canonicorum, Ordinis Teutonici vestem & Regulam suscepit. Sedes Episcopi Sambiensis oppidum Fischhausen, post Balga. *Jacobus*, ortu Culmensis, Templum Cathedrale, quod anteaⁱn veteris urbis Regiomontanæ platea S. Spiritûs fuerat, transtulit ad urbem Kniphoviam, ubi ultima Sedes Episcoporum Sambiæ vel Samlandiæ.

Hæc ex Hartknockii dissertat. XIV. ad Chronicon Prussiæ Petri de Dusburg.

Ex quatuor his Episcopis Prussiæ tres, Culmensis, Pomesaniensis, & Sambiensis successu temporis habitu & regulâ Ordinis Teutonici susceptâ, Cruciferis se subjecère; testibus *Miechovio & Cromero.* Ast Warmiensis nunquam ordinis Imperium agnovit, ùt idem *Cromerus* scribit *L. II. de Polon.*

Quæritur autem, quo tempore hi Episcopi cœperint esse subjecti Metropolitæ Rigensi, & à Gnesnensi abstracti? *Respondetur*: etsi annus hujus mutationis definiri non possit; *Grunovius* tamen *refert*, *Conradum Zöllnerum* XXImum Magistrum Generalem Ordinis Teutonici id privilegium impetrâsse, ut Episcopi Prussici Archi-Episcopo Rigensi subessent.

CURONIENSIS Ecclesia in Curlandia, à quatuor antedictis Prussicis, & quinque Livonicis secreta cum diœcesi & redditibus legitur in *Bulla Cardinalium de anno MCCXLV. apud Gruber. pag.* 274. ex quâ constat, tertiam partem reddituum Semgalliæ, & duas Curlandiæ Teutonicis Equitibus fuisse assignatas: Semigallensem Episcopatum extinctum, & *Henricum de Littelburg*, Curoniensis Ecclesiæ Episcopum promotum, cum omni jure & jurisdictione Spirituali & temporali. Similis charta, exhibetur apud *Gruberum pag.* 276. qua *Wilhelmus* de *Urenbach*, Ordinis Teutonici Magister Generalis, post annum MCCXLV. cavet, ne tertia pars reddituum Curoniensis Ecclesiæ immutetur.

EPISCOPI GERMANIÆ INFERIORIS,
SEU
BELGII.

Ante annum MD. ſex erant duntaxat Epiſcopi in Belgio, ex quibus duo ſuberant Metropolitano Colonienſi, quatuor Metropolitano Remenſi: ſub Colonienſi fuit Leodienſis, ſeu Tungrenſis, & Ultrajectinus, de quibus jam ſuprà actum. Sub Remenſi Metropoli erant Cameracenſis, Tornacenſis Nerviorum, Atrebatenſis, Terrovannenſis Morinorum.

CAMERACENSIS Eccleſia jam ab anno D. numerabat Antiſtitem *S. Vedaſtum.* Eadem Eccleſia per multa ſæcula conjuncta fuit cum Atrebatenſi.

Anno MD. *Henricus Bergenſis* Cameraco præfuit Epiſcopus LXX. cum titulo Ducis Cameracenſis & S. R. I. Principis.

ATREBATENSIS pluribus, ùt dictum, ſæculis unita Cameracenſi fuerat: ſed anno MXCVI. ſpecialem habere cœpit Antiſtitem *Lambertum.*

Anno MD. hanc ſedem tenuit *Nicolaus Ruſtie*, Epiſcopus XXXV.

TORNACUM, Nerviorum civitas S. Piatum Martyrem circa annum CCC. primum ſuum cenſet Epiſcopum. Eadem Eccleſia ab anno Chriſti DLX. ad annum MCXLVI. communem habuit Antiſtitem cum Eccleſia Noviomenſi, ità tamen, ut duæ manerent diſtinctæ diœceſes, & Epiſcopus diceretur Tornacenſis & Noviomenſis.

Anno MD. *Petrus Kuick* hanc cathedram ſuſcepit, ex Abbate S. Amandi factus Epiſcopus Tornacenſis LXXXIV.

TERROVANNA Morinorum, primum ſuum ſcripſit Epiſcopum Sanctum *Antimundum* circa annum Chriſti DXXXI. Sæculo XI. urbs hæc deleta fuit.

Circa annum MD. *Philippus de Luxemburgo*, poſt Cardinalis, videtur Cathedram Tervannenſem poſſediſſe.

ARCHI-EPISCOPUS ET SUFFRAGANEI BURGUNDIÆ.
VESONTIO METROPOLIS.

VESONTIO, civitas Imperialis, judice *Chiffletio*, erat Metropolis Provinciæ Eccleſiaſticæ maximæ Sequanorum, ſeu quintæ Lugdunenſis. Primus ejus Antiſtes *Linus*, S. Petri diſcipulus.

Anno MCCCCXCVIII. *Franciſcus de Busleyden* hujus Metropolitanæ Sedis electus eſt Epiſcopus LXXXII.

In Notitia antiqua Epiſcopatuum Galliæ hæ quatuor leguntur Veſontionis Suffraganeæ: Aventicum, hodie Lauſanna: Auguſta Raura-

Rauracorum, bodie Basilea: Vindonissa, bodie Constantia: Bellica ad Rhodanum. Geneva & Sedunum sub Provincia Viennensi prima. In præsenti autem alia est, imo jam ante annum MD. alia erat barum Ecclesiarum Hierarchia: nam Basilea & Constantia sub Moguntina Metropoli numerantur, de qua supra: hic de reliquis agam.

AVENTICUM Episcopum primum ostendit *Protasium* circa annum D. & *Marium*, qui Concilio Matisconensi II. subscripsit. Subinde sedes hæc Lausannam translata fuit.

Ad annum MDIX. *Aymo de Monte Falcone* Ecclesiam Lausannensem in antiqua fide regebat.

BELLICA, aliàs BELLICIUM, habuit Episcopum *Vincentium*, qui Concilio II. Parisino subscripsit. Videtur ante Tarentasiensi Metropolitæ paruisse; post Bisontino.

GENEVA, aliàs GEBENNA Allabrogum, ad lacum Lemanum sita, primum Episcopum *Catulum* habuisse scribitur *Stumpfio, Helvetiæ L. VIII. Cap.* 25. Fridericus I. Imp. *Arduico* Episcopo anno MCLXII. dominium urbis donavit.

Anno MD. *Joannes Sabaudus* Catholicam hanc Ecclesiam pascebat.

OCTODURUS Episcopum habuit *Theodorum*, qui Aquilejensi Concilio sub *Damaso* Papa subscripsit. Videtur idem locus, qui olim Octodurus, hodie Martinach esse.

SEDUNUM, Vallisiarum civitas ad Rhodanum, Germanis Sitten, Gallis Syon, evasit Episcopalis post annum DLII., sede illuc ex Octoduro translatâ.

Anno MD. *Matthæus Schyner*, S.R.E. Cardinalis, Sedunensem Cathedram adiit Episcopus XLVI. *Teste Stumphio L. XI. de Vallisia. Cap.* 18.

FINIS EPISCOPORUM,

Qui, testibus Matriculis Imperii, in Comitiis S. R. I. locum & sessionem habuerunt ante annum MD.



INDEX EPISCOPATUUM GERMANIÆ

AB ANNO CHRISTI CCC. AD ANNUM MD.

Sub iis nominibus, quibus & veteres, & recentiores Scriptores eos indigitant.



Æmonia, Emona: poſt Labacenſis Epiſcopatus.
Aprippinenſis, - Colonienſis Epiſcop.
Aichſtadienſis, - Eichſtattenſis Epiſcop.
Aldenburgenſis, poſt Lubecenſis Epiſc.
Argentoratenſis, poſt Strasburgenſis Ep.
Atrebatenſis - Epiſcop.
Aventicorum, - Lauſannenſis Epiſc.
Auguſtanus, - Vindelicorum Epiſcop.
Aureatenſis - poſt Aichſtadienſis.

Babenbergenſis, Bambergenſis Epiſc.
Baſileenſis, - - Rauracorum Epiſc.
Bellicenſis - - Epiſcopatus.
Bennopolitanus, poſt Hildesheimenſis Epiſcopatus.
Bizuntinus - - Archi-Epiſcop. Veſontionenſis.
Blizymenskianus Epiſcop. ignoti loci.
Bremenſis, Bremonenſis idem Archi-Epiſcopatus.
Brandenburgenſis, Brennopolitanus idem Epiſcopatus.
Brixinenſis - Epiſcopatus.
Buraburgenſis - in Haſſia Epiſcop.

Cameracenſis - Epiſcopatus.
Caminenſis, - in Pomerania Epiſc.
Celeianus, Celeienſis, idem in Norico Mediterr. Epiſcop.
Chiemſeenſis, Chiemenſis, idem Epiſcop.
Citizenſis - - Ep. poſt Naumburgenſ.
Colonienſis - Archi-Epiſc. idem Agrippinenſis.
Conſtantienſis, ad lacum Bodamicum Epiſcop.
Culmenſis - in Pruſſia Epiſc.
Curionenſis, - Curlandiæ Epiſc.
Curia, - - Rhætorum Epiſc.

Dorpatenſis, Derptenſis, idem in Livonia Epiſc.

Eichſtadienſis - Epiſcop.
Ermelandiæ - Epiſc. reſidet Warmiæ.
Eſtoniæ - - Epiſc. reſidet Revaliæ.
Erphesphurdenſis Epiſc. in Thuringia.

Fabianenſis - poſt Viennenſis in Auſtria Epiſc.
Ferdenſis - - ad Alleram Epiſc.
Freſiæ, - - Freſonum Epiſc.
Friſingenſis, Friſacenſis, Frixinenſis, idem Epiſcop.

Genevenſis - ad lacum Lemanum Ep.
Gerlandiæ - Epiſc. idem Curlandiæ.
Gurkenſis, Goricenſis, idem in Carinthia Ep.

Halberſtadienſis Epiſc.
Hammaburgenſis Archi-Epiſc. idem & Bremenſis.
Havelbergenſis - Epiſcop.
Herbipolenſis - idem Wirceburgenſis.

Iulini - - - Epiſc. poſt Caminenſis.
Juvavienſis, - poſt Salisburgenſis Archi-Epiſc.

Labacenſis - Epiſcop.
Lavantinus - Epiſcop.
Laureacenſis - Archiep. poſt Paſſavienſ.
Lauſannæ - Epiſcop.
Lebuſienſis - ad Viadrum Epiſc.
Leucorum - Epiſc. Tullenſis.
Litomislienſis - Epiſc.
Livoniæ, Lettonum, idem Epiſc. poſt Rigenſis Archiepiſc.
Lubecenſis, - Wagriorum Epiſc.

Mag-

Magdeburgensis Archiep. idem Parthenopolitanus.
Maguntiacensis, idem Moguntinus Archi-Episc.
Martisburgensis, seu Merseburgensis, Episcop.
Mecklenburgensis Episc. post Swerinens.
Mediomatricum, seu Metensis, Episcop.
Mimigardefordensis, post Monasteriensis Episcop.
Mimidonensis, seu Mindensis, Episcop.
Misnienlis, seu Mœsianus, Episc.
Moravorum - Episc. post Olomucicns.

Naumburgensis, seu Neapolitanus, Episc. in Saxonia.
Neostadiensis, - Austriæ Episcop.
Nemetum - Episc. Spirensis.
Nitraviensis, - Pannoniæ Episc.
Novæ civitatis in Istria, olim Æmundæ Episcop.

Octodurensis, post Sedunensis.
Oiselienlis - - Episcop.
Olomucensis - Episcop.
Osnabrugensis, seu Ossembruggensis, Episc.
Ovilabiensis, - in Norico Ripensi Ep.

Parthenopolitanus, idem Magdeburgi Archi-Episc.
Passaviensis, seu Pataviensis, Episc.
Petavionensis, seu Petoviensis, Episc.
Pomeranorum - Episc. post Caminensis.
Pomezaniæ - Episc. residet in Mariæwerder in Prussia.
Pragensis - Archi-Episcop. Bojohemiæ, Bohemiæ.

Quintaviensis, in Vindelicis Episc.

Reginoburgi, seu Raginesburc, seu Ratisbonensis, Episcop.
Ratzeburgensis, Episcop. Obotritorum Transalbianorum.
Rauracorum, - post Basileensis Episc.
Revaliensis - in Estonia Episc.

Rigensis - - Archiep. in Livonia.
Rubicollensis, Aichstadiensis.

Sabonæ, seu Sabionensis, Episc. post Brixinensis.
Salisburgensis - Archiep. olim Juvaviens.
Sambiensis, seu Samlandiæ, Episc. residet in Königsberg.
Scarabantiæ - Episc.
Seccoviensis - in Stiria Episc.
Seloniensis, - Semigalliæ Episc.
Sedunensis - Ep. in Vallisia.
Slesvicensis - Episc.
Soliensis, - - in Norico Mediterraneo Episcop.
Speculianensis, fortè Olomucensis.
Spirensis - - Episc. idem Nemetum.
Strasburgensis - Episc. Argentinensis.
Swerinensis - in Mecklenburg Ep.

Taurisanus, - in Norico Mediterr. Ep.
Tergestinus, - Carnorum Episc.
Terrovannensis, Morinorum Episc.
Thorunensis, - in Prussia Episc.
Tiburniensis, - Norici Mediterranei Ep.
Tiberinensis, - in Vindelicis Episc.
Tornacensis, - Nerviorum Episc.
Trajectensis ad Mosam, nunc Leodiens.
Trajectensis ad Rhenum, Ultrajectinus.
Trevirensis - Archiepisc.
Tridentinus - Episc.
Tullensis, - Leucorum Episc.
Tungrensis, - Tungrorum Episc. Leodiensis.

Vagriæ, - - Wagriorum Ep. Lubec.
Vangionum - Episcop. Wormatiens.
Velegradiensis - Epis.
Verdensis - - Episc. Ferdensis.
Veredunum, seu Verdunum, Ep. in Lotharingia.
Vesontionis - Episc. Bisuntinus.
Vindobonensis - Ep. Viennens. in Austr.
Vindonissæ - Ep. Constantiensis.
Virdunensis - Episc. Veredunensis.
Ultrajectinus - Episc.
Vratislaviensis - Episc.

Warmiensis - Episc. Ermelandiæ.
Wigmodiæ - Episc. Bremensis.
Wirceburgensis Episc. Herbipolitanus.
Wollinensis - Episc. Caminensis.
Wormatiensis, Vangionum Episc.

CONCILIORUM HUJUS TOMI I., ET EPISTOLARUM CANONICARUM

INDEX CHRONOLOGICUS,

Ea, quæ nec à Crabbéo, Surio, Binio, Sirmondo, nec à Labbéo in prima Editione, nec ab Harduino adnotata sunt, stellulâ distinguuntur.

* 745.

Anno

* 745. Synodus in Provincia Francorum, in qua Statuta S. Bonifacii promulgata.

747. Zachariæ Papæ Epiftola ad Bonifacium, de publicandis in Synodo Capitulis, ad Pippinum miffis.

- - Refponforia Epiftola Zachariæ PP. ad Quæftiones 27. à Pippino Pontifici propofitas.

748. Refponforia Zachariæ ad Bonifacium ad diverfa Capita, per Burchardum Legatum propofita, & confirmatoria Sedis Moguntinæ pro Bonifacio.

748. Conventus in Villa Duria.

751. Refponforia Zachariæ Papæ ad Bonifacium, de Quæftionibus per Lullum miffum propofitis.

* 752. Synodus in Auftrafia, loci incerti.

752. S. Bonifacii Epiftola ad Stephanum Papam, Gratulatoria, & Petitoria confirmandi officii Legati Apoftolici.

- - Ejufdem ad eundem Papam contra Hildegarium, Colonienfem Archi-Epifc.

* 752. Concilium Moguntinum.

753. Concilium Metenfe.

759. Concilium Conftanticnfe.

761. Conventus in Villa Duria.

762. Chrodegangi, Metenfis Epifcopi, Regula Canonicorum.

764. Verno tempore Conventus Wormatiæ.

* 768. Conventus Epifcoporum in Cella S. Goaris.

* 769. Concilium Ratisbonenfe.

769. Caroli Magni Capitulare primum.

772. Conventus Wormatiæ.

772. Concilium apud Dingolvingam.

774. Codex Canonum veteris Ecclefiæ, ab Hadriano Papa Carolo Regi oblatus, & ab Ecclefiis Germanicis & Gallicis receptus, & cum tribus Codicibus Colonienfis Ecclefiæ Metropolitanæ collatus.

Eo continentur:

Canones quinquaginta Apoftolorum.

Canones viginti Concilii Nicæni primi.

Canones quatuor & viginti Concilii Ancyrani.

Canones quatuordecim Concilii Neo-Cæfarienf.

Canones viginti Concilii Gangrenfis.

Canones viginti quinque Antiocheni.

Canones quinquaginta novem Concilii Laodicæni.

Canones tres Concilii Conftantinopolitani; Nec non & Statuta duodecim Concilii primi Ephefini.

Canones viginti feptem Concilii Chalcedonenfis.

Fides & Conftitutio Concilii Sardicenfis,

Canones viginti & unus Concilii Sardicenfis.

Canones triginta tres Concilii congregati apud Carthaginem.

Tituli Canonum centum & quinque, diverforum Conciliorum Aphricanæ Provinciæ.

* 774. Synodus in Villa Duria.

775. Synodus in Villa Duria.

776. Wormatiæ Synodus.

777. Concilium Paderbornenfe primum.

779. Synodus Durienfis. Capp. 24.

780. Concilium Paderbornæ, vel apud Lippiam.

781. Wormatiæ Conventus.

782. Colonienfis Synodus.

782. Synodus Paderbornenfis tertia.

784. Synodus Paderbornenfis quarta. Alii ad 785.

785. Attiniacenfis Conventus.

785. Hadriani Papæ Epiftola gratulatoria ad Carolum M. Regem, ob Saxones ad fidem Chrifti, & Baptifmum perductos.

- - Ejufdem Papæ Epiftola ad eundem Regem, de modo, lapfos Saxones reconciliandi Ecclefiæ.

785. Angilramni Metenfis Capitula, oblata Hadriano Papæ.

786. Synodus Wormatiæ.

* 787. Conventus Wormatienfis.

788. Synodus in Ingelheim.

789. Diploma Caroli Magni de Ecclefia Bremenfi, & Willehado in Concilio confecrato Epifcopo.

- - Conftitutio Caroli Magni de Scholis per Epifcopia & Monafteria inftitutis, & inftituendis.

789. Capitulare Aquisgranenfe. Capp. 82.

Anno
790. Conventus Wormatiæ.
792. Concilium Ratisbonense.
794. Concilium Francofordiense.
I. Epistola Hadriani Papæ ad Episcopos Hispaniæ.
II. Libellus Episcoporum Italiæ, contra Elipandum, decreto Concilii in Hispanias missus.
III. Synodica hujus Concilii Francofordiæ, ab Episcopis Germaniæ & Galliæ ad Præsules Hispaniæ missa.
IV. Caroli Magni Epistola ad Elipandum, & cæteros Hispaniæ Episcopos.
V. Canones quinquaginta sex, editi à Concilio Francofordiensi.
Epistola Paulini Patriarchæ, ex hac Synodo scripta.
Caroli Regis Præceptum de Aniano Abbate Caunensi in hoc Concilio editum.
795. Placitum Caroli in Cuffenstein.
797. V. Kal. Novembris. Aquisgrani Capitulare Saxonum.
798. Concilium Ratisbonense.
799. Concilium Aquisgranense.
799. Capitulare interrogationis ad Episcopos, de Presbyteris criminosis.
800. Edictum Dominicum Caroli, de honore & adjutorio Episcopis præstando.
800. Synodus apud Moguntiam.
Capitulum de honoranda Sede Apostolica.
801. Caroli M. Edictum pro jejunio.
Caroli M. Epistola ad Ghaerbaldum Leodiens. Episc.
Ghaerbaldi, Leodiensis Episcopi, Epistola ad Presbyteros suæ Diœcesis.
Ejusdem Instructio pastoralis ad Gregem suum.
Antiquum Capitulare per Missos Caroli M. promulgatum.
802. Synodus apud Aquis Palatium.
Capitula data Missis Dominicis, Episcopis & Comitibus.
803. Synodus Wormatiensis.
Synodus Aquisgranensis.
Regularia Decreta per Simpertum Abbatem.

Anno
804. Conventus ad Saltz.
Concilium Tegernseense.
Conventus in Saltz de Pace Saxonum.
Præceptum de Scholis græcis & latinis, Osnabrugæ instituendis, Aquisgrani datum.
805. Capitulare Dominicum ad Theodonis villam.
* 807. Concilium Provinciale Salisburgense.
* 807. Conventus in Ingelheim.
809. Concilium Aquisgranense.
Epistola Caroli M. ad Leonem III.
Ratio, quæ habita est de Symbolo Fidei, in Secretario S. Petri.
811. Caroli Magni Capitulare Interrogationis ad Episcopos & Abbates.
Ejusdem Epistola Generalis ad Archiepp. Regni Francorum.
* 811. Carolus Magnus componit litem de finibus Aquilegiensis & Salisburgensis Diœcesium.
* 812. Conventus Aquisgranensis de Pace Monasterii Fuldensis.
813. Concilium nationale Moguntiæ.
Capitulare Caroli M. post quinque Synodos, hoc anno celebratas editum.
814. Capitulare Carolinum, anni incerti, Capitum XIV.
Capitulare alterum, anni incerti, ex divinarum Scripturarum libris excerptum Capp. XXVII.
Capitula varia ejusdem Imp. numero XX.
Capitula alia ejusdem num. XVII.
Capitulare ultimum, XXXIII. Capitulorum.
814. Concilium Treverense.
815. Conventus Paterbrunnæ.
816. Concilium Aquisgranense.
Liber I. Regula Canonicorum.
Liber II. Regula Sanctimonialium.
816. Encyclica Ludovicii Pii Augusti ad Arnonem Salisburgensem, aliósque Germaniæ & Franciæ Archiepiscopos de Capitulorum Synodi Aquensis anni hujus observantia & executione.
816. Capitulare Aquisgranense de rebus pertinentibus ad Episcopos & Ecclesias.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS
CONCILIORUM GERMANIÆ
HUJUS I. TOMI,

Item eorum Conciliorum, quæ adoptavit Ecclesia Germaniæ in codice veteris Ecclesiæ, quem CAROLO MAGNO donavit HADRIANUS PAPA pro Ecclesiis Occidentalibus.

 Al-

CATA-

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

A SÆCULI IV. ANNO XII. AD SÆCULI IX. ANNUM XVI.

Sub quibus celebrata fuêre Concilia tum in - tum extra Germaniam, quæ in hoc I. Tomo recensentur.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Melchiades *Afer.*	Papa XXXIII.	Anno Chrifti cccx. 2.Jul.Ind.13.	Annis III. Menfib. VI. Dieb. 9.	Anno Chrifti cccxiv. 10.Jan.Ind.2.
Silvefter *Romanus.*	XXXIV.	cccxiv. 31. Januar. Indict. 2.	Annis XXI. Menfib. XI.	cccxxxv. 31. Decemb. Indict. 8.
Marcus *Romanus.*	XXXV.	cccxxxvi. 18. Januar. Indict. 9.	Menf. VIII. Dieb. 20.	cccxxxvi. 7. Octob. Indict. 9.
Julius *Romanus.*	XXXVI.	cccxxxvii. 6. Februarii. Indict. 10.	Annis XV. Menfib. 2. Dieb. 6.	ccclii. 12. April. Indict. 10.
Liberius *Romanus.*	XXXVII.	ccclii. 21. Junii. Indict. 10.	Annis XIV. Menfib. 3. Diebus 3.	ccclxvi. 23. Sept. Indict. 14.
Felix II. *Romanus.*	XXXVIII.	ccclv. Indict. 13.	Annis III.	Depofitus ccclviii. 29 Jun. Ind. 1
Damafus *Hifpanus.*	XXXIX.	ccclxvi. 1. Octobr. Indict. 9.	Annis XVIII. Menfib. II. Diebus 10.	ccclxxxiv. 10. Decemb. Indict. 12.
Siricius *Romanus.*	XL.	ccclxxxiv. 22. Decemb. Indict. 12.	Annis XIII. Menfib. XI. Dieb. 5.	cccxcviii. 26. Novemb. Indict. 11.
Anaftafius I. *Romanus.*	XLI.	cccxcviii. 5. Decembr. Indict. 11.	Annis III. Dieb. 10.	cccci. 14. Decemb. Indict. 14.

Nomen & Natio.	*Ordo Succeſſionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Innocentius *Albanenſis.*	Papa XLII.	Anno Chriſti CCCCI. 21. Decemb. Indict. 14.	Annis XV. Menſib. II. Dieb. 20.	Anno Chriſti CCCCXVII. 12. Martii. Indict. 16.
Zoſimus *Græcus.*	XLIII.	CCCCXVII. 18. Martii. Indict. 15.	Anno I. Menſib. IX. Dieb. 9.	CCCCXVIII. 26. Decemb. Indict. 16.
Bonifacius I. *Romanus.*	XLIV.	CCCCXVIII. 29. Decemb. Indict. 16.	Annis III. Menſib. VIII. Dieb. 9.	CCCCXXII. 4. Septemb. Indict. 5.
Cœleſtinus *Campanus.*	XLV.	CCCCXXII. 10. Septemb. Indict. 5.	Annis IX. Menſib. X. Dieb. 9.	CCCCXXXII. 18. Julii. Indict. 15.
Sixtus III. *Romanus.*	XLVI.	CCCCXXXII. 24. Julii. Indict. 15.	Annis VIII. Dieb. 19.	CCCCXL. 11. Auguſt. Indict. 8.
Leo I. *Tuſcus.*	XLVII.	CCCCXL. 2. Septemb. Indict. 8.	Annis XXI. Menſe I. Diebus 13.	CCCCLXI. 4. Novemb. Indict. 14.
Hilarus *Sardus.*	XLVIII.	CCCCLXI. 12. Novemb. Indict. 14.	Annis VI. Menſib. III. Dieb. 10.	CCCCLXVIII. 21. Februar. Indict. 6.
Simplicius *Tiburtinus.*	XLIX.	CCCCLXVIII. 25. Febr. Indict. 6.	Annis XV. Dieb. 6.	CCCCLXXXiii. 2. Martii. Indict. 6.
Felix III. *Romanus.*	L.	CCCCLXXXIII. 6. Martii. Indict. 6.	Annis VIII. Menſib. XI. Dieb. 18.	CCCCXCii. 24. Februar. Indict. 15.
Gelaſius *Afer.*	LI.	CCCCXCII. 1. Martii. Indict. 15.	Annis IV. Menſib. VIII. Dieb. 18.	CCCCXCVi. 19. Novemb. Indict. 4.
Anaſtaſius II. *Romanus.*	LII.	CCCCXCVI. 24. Novemb. Indict. 4.	Anno I. Menſib. XI. Dieb. 24.	CCCCXCViii. 17. Nov. Indict. 6.
Symmachus *Sardus.*	LIII.	CCCCXCVIII. 22. Novemb. Indict. 6.	Annis XV. Menſib. VII. Dieb. 27.	DXIV. 19. Julii. Indict. 7.
Hormiſdas *Campanus.*	LIV.	DXIV. 27. Julii. Indict. 7.	Annis IX. Dieb. 11.	DXXiii. 6. Auguſti. Indict. 1.

Joan-

Nomen & Natio.	Ordo Successionis à S. Petro.	Adiit Pontificatum.	Sedit.	Obiit.
Joannes I. *Tuscus.*	Papa LV.	Anno Christi DXXIII. 13. Augusti. Indict. 1.	Annis II. Mensib. IX. Dieb. 5.	Anno Christi DXXVI. 18. Maji. Indict. 4.
Felix IV. *Sannita.*	LVI.	DXXVI. 12. Julii. Indict. 4.	Annis IV. Mensib. II. Dieb. 6.	DXXX. 18. Sept. Indict. 8.
Bonifacius II. *Romanus.*	LVII.	DXXX. 21. Sept. Indict. 8.	Annis II. Dieb. 26.	DXXXII. 16. Octobr. Indict. 10.
Joannes II. *Romanus.*	LVIII.	DXXXII. 31. Decemb. Indict. 10.	Annis II. Mensib. IV. Dieb. 26.	DXXXV. 27. Maji. Indict. 13.
Agapetus *Romanus.*	LIX.	DXXXV. 3. Junii. Indict. 13.	Mensib. X. Dieb. 19.	DXXXVI. 22. April. Indict. 14.
Silverius *Campanus.*	LX.	DXXXVI. 8. Junii. Indict. 14.	Anno I. Mensib. V. Dieb. 11.	Depositus DXXXVII. 18. Nov. Ind. 15. Mortuus in exilio.
Vigilius *Romanus.*	LXI.	DXXXVII. 22. Nov. Indict. 15.	Annis legitimi Pontificatûs circiter XVI.	DLIV. Mensis & Dies incerti. Indict. 2.
Pelagius I. *Romanus.*	LXII.	DLV. 11. Aprilis. Indict. 3.	Annis IV. Mensib. X. Dieb. 18.	DLX. Nocte inter ultimam Feb. & 1. Martii. Indict. 8.
Joannes III. *Romanus.*	LXIII.	DLX. 18. Julii. Indict. 8.	Annis XII. Mensib. XI. Dieb. 26.	DLXXIII. 13. Julii. Indict. 6.
Benedictus I. *Romanus.*	LXIV.	DLXXIV. 3. Junii. Indict. 7.	Annis IV. Mense I. Dieb. 28.	DLXXVIII. 30. Julii. Indict. 11.
Pelagius II. *Romanus.*	LXV.	DLXXVIII. 30. Nov. Indict. 11.	Annis XI. Mensib. II. Dieb. 10.	DXC. 8. Februar. Indict. 8.
Gregorius I. *Romanus.*	LXVI.	DXC. 3. Septembr. Indict. 8.	Annis XIII. Mensib. VI. Dieb. 10.	DCIV. 12. Martii. Indict. 7.

Nomen & Natio.	Ordo Succeſſionis à S. Petro.	Adiit Pontificatum.	Sedit.	Obiit.
Sabinianus *Tuſcus.*	Papa. LXVII.	Anno Chriſti DCIV. 13.Septemb. Indict. 7.	Anno I. Menſib. V. Dieb. 9.	Anno Chriſti DCVI. 22. Februar. Indict. 9.
Bonifacius III. *Romanus.*	LXVIII.	DCVII. 19. Februar. Indict. 10.	Menſib. VIII Dieb. 22.	DCVII. 10.Novemb. indict. 10.
Bonifacius IV. *Marſus*	LXIX.	DCVIII. 25. Auguſti. Indict. 11.	Annis VI. Menſib. VIII Dieb. 13.	DCXV. 7. Maji. indict. 3.
Deusdedit *Romanus.*	LXX.	DCXV. 19. Octobr. Indict. 3.	Annis III. Dieb. 20.	DCXVIII. 8. Novembr. indict. 6.
Bonifacius V. *Campanus.*	LXXI.	DCXIX. 23. Decemb. Indict. 7.	Annis V. Menſib. 10.	DCXXV. 22. Octobr. indict. 13.
Honorius I. *Campanus.*	LXXII.	DCXXV. 27. Octobr. Indict. 13.	Annis XII. Menſib. XI. Dieb. 17.	DCXXXVIII. 12. Octobr. indict. 11.
Severinus *Romanus.*	LXXIII.	DCXL. 28. Maji. Indict. 13.	Menſib. II. Dieb. 4.	DCXL. 1. Auguſti. indict. 13.
Joannes IV. *Dalmata.*	LXXIV.	DCXL. 24. Decemb. Indict. 13.	Anno I. Menſib. IX. Dieb. 18.	DCXLII. 11. Octobr. indict. 15.
Theodorus *Græcus.*	LXXV.	DCXLII. 24. Novemb. Indict. 15.	Annis VI. Menſib. V. Dieb. 19.	DCXLIX. 13. Maji. indict. 7.
Martinus I. *Tuſcus.*	LXXVI.	DCXLIX. 5. Julii. Indict. 7.	à Conſecratione ad exilium ann. IV.	DCLIV. 16.Septemb. indict. 12.
Eugenius I. *Romanus.*	LXXVII.	DCLIV. 8. Septembr. Indict. 12.	Annis II. Menſib. VIII. Dieb. 24.	DCLVII. 1. Junii. indict. 15.
Vitalianus *Campanus.*	LXXVIII.	DCLVII. 30. Julii. Indict. 15.	Annis XIV. Menſib. VI.	DCLXXII. 27. Januar. indict. 15.
Adeodatus *Romanus.*	LXXIX.	DCLXXII. 22. April. Indict. 15.	Annis IV. Menſib. II. Dieb. 5.	DCLXXVI. 26. Junii. indict. 4.

Donus

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Donus I. *Romanus.*	Papa LXXX.	Anno Christi DCLXXVI. 1. Novembr. indict. 4.	Anno I. Mensib. V. Dieb. 10.	Anno Christi DCLXXVIII. 11. April. indict. 6.
Agatho *Siculus.*	LXXXI.	DCLXXVIII. 27. Junii. indict. 6.	Annis III. Mensib. VI. Dieb. 14.	DCLXXXII. 10. Januar. indict. 10.
Leo II. *Siculus.*	LXXXII.	DCLXXXII. 17. Augusti. indict. 10.	Mensib. X. Dieb. 17.	DCLXXXIII. 3. Julii. indict. 11.
Benedictus II *Romanus.*	LXXXIII.	DCLXXXIV. 26. Junii. indict. 12.	Mensib. X. Dieb. 12.	DCLXXXV. 7. Maji. indict. 13.
Joannes V. *Syrus.*	LXXXIV.	DCLXXXV. 23. Julii. indict. 13.	Anno I. Dieb. 9.	DCLXXXVI. 1. Augusti. indict. 14.
Conon *Thrax.*	LXXXV.	DCLXXXVI. 21. Octobr. indict. 14.	Mensib. XI.	DCLXXXVII. 21. Septemb. indict. 15.
Sergius I. *Syrus.*	LXXXVI.	DCLXXXVII. 15. Decemb. indict. 15.	Annis XIII. Mensib. VIII. Dieb. 23.	DCCI. 7. Septembr. indict. 14.
Joannes VI. *Græcus.*	LXXXVII.	DCCI. 28. Octobr. indict. 14.	Annis III. Mensib. II. Dieb. 12.	DCCV. 9. Januar. indict. 3.
Joannes VII. *Græcus.*	LXXXVIII.	DCCV. 1. Martii. indict. 3.	Annis II. Mensib. VII. Dieb. 17.	DCCVII. 27. Octobr. indict. 5.
Sisinnius *Syrus.*	LXXXIX.	DCCVIII. 18. Januar. indict. 6.	Dieb. 20.	DCCVIII. 6. Februar. indict. 6.
Constantinus *Syrus.*	XC.	DCCVIII. 25. Martii. indict. 6.	Annis VII. Dieb. 15.	DCCXV. 8. Aprilis. indict. 13.
Gregorius II. *Romanus.*	XCI.	DCCXV. 19. Maji. indict. 13.	Annis XV. Mensib. VIII. Dieb. 23.	DCCXXXI. 11. Februar. indict. 14.
Gregorius III *Syrus.*	XCII.	DCCXXXI. 18. Martii. indict. 14.	Annis X. Mensib. VIII. Dieb. 11.	DCCXLI. 27. Novemb. indict. 9.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis à S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit.*	*Obiit.*
Zacharias *Græcus.*	Papa XCIII.	Anno Christi DCCXLI. 30. Novemb. indict. 9.	Annis X. Mensib. III. Dieb. 14.	Anno Christi DCCLII. 14. Martii. indict. 5.
Stephanus *Romanus.*		DCCLII. *Electus,*	*ante Consecrationem mortuus.*	DCCLII.
Stephanus II. *Romanus.*	XCIV.	DCCLII. 26. Martii. indict. 5.	Annis V. Dieb. 29.	DCCLVII. 24. Aprilis. indict. 10.
Paulus I. *Romanus.*	XCV.	DCCLVII. 29. Maji. indict. 10.	Annis X. Mense I.	DCCLXVII. 28. Junii. indict. 5.
Stephanus III *Siculus.*	XCVI.	DCCLXVIII. 7. Augusti. indict. 6.	Annis III. Mensib. V. Dieb. 27.	DCCLXXII. 2. Februar. indict. 1.
Hadrianus I. *Romanus.*	XCVII.	DCCLXXII. 9. Februar. indict. 10.	Annis XXIII Mensib. X. Dieb. 17.	DCCXCV. 25. Decemb. indict. 3.
Leo III. *Romanus.*	XCVIII.	DCCXCV. 27. Decemb. indict. 3.	Annis XX. Mensib. V. Dieb. 16.	DCCCXVI. 11. Junii. indict. 9.
Stephanus IV *Romanus.*	XCIX.	DCCCXVI. 22. Junii. indict. 9.	Mensib. VII.	DCCCXVII. 24. Januar. indict. 10.



SERIES

SERIES REGUM FRANCIÆ AUSTRASIÆ

EX MEROVINGICIS.



THEODORICUS I. Rex Metensium & Austrasiæ, Fil. Clodovei I. Magni, Regnum adiit anno DXI. obiit anno DXXXIV.

Celebrata sub eo fuit Synodus Tornacensis. Pag. 9.

THEODEBERTUS I. Rex Metensium in Austrasia, Fil. Antecessoris: obiit anno DXLVII.

Sub eo fortè Concilium Tullense. - - - - - pag. 13.

THEODOBALDUS, Fil. Antecessoris. Obiit anno DLIV.

Sub eo Concilium Metense. - - - - pag. 14.

CHLOTHARIUS, Fil. Chlodovei I. Patruus Antecessoris, primò Rex Suessionum, dein Austrasiæ post mortem Theodobaldi, demum Monarcha Franciæ. Obiit anno DLXI.

SIGEBERTUS I. Fil. Antecessoris. Obiit anno DLXXV.

Sub illo Concilium Treverense. - - - - pag. 15.

CHILDEBERTUS Fil. Antecessoris, sub tutela Matris Brunechildis. Obiit DXC. aliis DXCVI.

Circa hoc tempus CHILPERICUS, Rex Suessionum, Frater Sigeberti I., operâ Fredegundis uxoris interfectus est: de cujus cædis auctoribus quæsitum in Concilio Metensi anno DXC. Eodem tempore Chrodieldis Filia Chariberti, Regis Parisiorum, (qui Childeberti Patruus, & Sigeberti I. frater erat) damnata fuit in Concilio Pictaviensi: sed denuo absoluta in Metensi. p. 19. & 21.

THEODEBERTUS II. Austrasiæ Rex, Fil. Antecessoris: Brunechildis Aviæ jussu occisus anno DCXII.

THEODORICUS II. Rex Burgundiæ, dein & Austrasiæ Rex, Frater Theodeberti II. Obiit eodem anno DCXII.

Ad utrumque scripsit S. Gregorius I. PP. - pag. 19. 20. 22.

SIGEBERTUS II. Fil. Theodorici II. ab Avia Brunichilde, Rex Austrasiæ designatus, antequam Regnum adiret, jussu Chlotarii occisus anno DCXIII.

CHLOTARIUS II. Fil. Chilperici, Regis Suessionum & Fredegundis: Patruelis Childeberti, Patruus Theodeberti II. & Theodorici II. primò Rex Austrasiæ anno DCXIII. Demum totius Franciæ. Obiit DCXXVIII,

Sub eo Concilium Conſtantienſe - - - - pag. 24.

DAGOBERTUS I. Fil. Chlotarii II. à Patre præficitur Auſtraſiæ anno DCXXIII. fit Monarcha totius Franciæ anno DCXXVIII. Obiit DCXXXVIII.

Sub eo dotatur Eccleſia Wormatienſis - - - pag. 25.

Celebratur Concilium Remenſe nationale. - - pag. 31.

SIGEBERTUS III. Fil. Dagoberti I., ab hoc Rex Auſtraſiæ dictus fuit anno DCXXXII. Obiit DCLVI.

Fundavit Monaſterium caſæ Conguidinenſis. - - pag. 26.

Sub eo Pippinus Major Domûs in Auſtraſia; quorum Majorum Domûs potentia uti increvit indies, ſic Regia viluit.

CHLODOVEUS II. Fil. Dagoberti I. Rex Neſtriæ & Burgundiæ, poſt Monarcha Franciæ. Obiit DCLVI.

CHLOTHARIUS III. Fil. Chlodovei II. ſub Matre Bathilde ad annum DCLX. Franciæ univerſæ præfuit. Dein retenta ſibi Neuſtria, & Burgundia, Auſtraſiam Fratri Childerico natu minori ceſſit. Obiit DCLXX.

CHILDERICUS II. Fil. Chlodovei II. Auſtraſ. Rex circa annum DCLX. Obiit DCLXXIII.

DAGOBERTUS II. Sigeberti III. Fil. Auſtraſiæ Regnum adiit anno DCLXXIV. Obiit DCLXXVIII.

THEODORICUS III. Childerici II. frater, fit Monarcha Franciæ anno DCLXXIII. Obiit DCXCI.

CHLODOVEUS III. Rex Fil. Anteceſſ. Rex Auſtraſiæ ab anno DCXCI. Obiit DCXCV.

CHILDEBERTUS III. Frater Anteceſſoris, fit Rex Auſtraſiæ anno DCXCV. Obiit anno DCCXI.

Sub eo Synodi Tungrenſes & Leodienſis - - - pag. 32.

DAGOBERTUS III. Childeberto Patri in Regno ſucceſſit anno DCCXI. Obiit DCCXV.

CHILPERICUS, F. Childerici II. Monachus *Daniel* dictus, fit Rex Franciæ anno DCCXV. Deponitur DCCXX. Obiit DCCXXVII.

THEODORICUS IV. Calenſis dictus, Filius Dagoberti junioris, anno DCCXX. Rex Auſtraſiæ. Obiit DCCXXXVII.

CHILDERICUS III. Filius Chilperici, à Pippino Majore Domûs & Carolomanno declaratur Rex anno DCCXLII. Deponitur & Monaſterio mancipatur anno DCCLII. Regum Merovingicorum ultimus.

Sub eo Concilia in Germania Liptinis & alibi - à pag. 50. ad 72.

In hac Serie ſecuti ſumus Cl. Joann. Georgium Eckhartum in Hiſtoria Franciæ Orientalis.

FRANCORUM

STEMMA ET SERIES

FRANCORUM REGUM CAROLINGORUM,

USQUE AD ANNUM DCCCXVI.



S. ARNULPHUS, Episcopus Metensis. Obiit DCXL.
ANSEGISUS Filius. Obiit DCLXXIX.

PIPPINUS Heristallus, Filius Ansegisi Ducis, Major Domûs. Obiit DCCXIV.
Uxor prima *Plectrudis*, Filia *Hygoberti*.
Uxor secunda *Alpais*, Soror *Dodonis*.

GRIMOALDUS, Major Domûs, ex *Plectrude*, prima uxore, cujus Filius fuit *Theudoaldus* Major Domûs.

DROGO, Dux Campaniæ, ex *Plectrude*, prima uxore, cujus Filius *Arnoldus*.

CAROLUS MARTELLUS, natus ex *Alpaide*, secunda Conjuge: post Vinciacensem anni DCCXVII., & Suessionensem anni DCCXIX. Victorias, Dux universæ Franciæ. Obiit DCCXLI. Idibus 8bris.

Uxor prima *Rotrudis*, secunda *Sonechildis*. Octo liberos reliquit.

PIPPINUS brevis, seu nanus, Dux in Neustria, Burgundia, Provincia, Filius Caroli ex *Rotrude*, fit Rex Franciæ anno DCCLII. Obiit DCCLXVIII. 24. 7bris.
Uxor *Bertrada*, seu *Berta*.

Sub eo Duce Synodi anni DCCXLIV. DCCXLV. & DCCXLVII. Sub eodem Rege Synodi anni DCCLII. Moguntina, Metensis anni DCCLIII. & Constantiensis anni DCCLIX.

CAROLOMANNUS ex *Rotrude*, Filius Caroli Martelli, Dux Francorum in Austrasia, fit Monachus anno DCCXLVIII. Obiit DCCLIV.

Sub hoc habitæ Synodi anni DCCXLII. & DCCXLIII. pag. 48. 50.

LANDRADA, Filia Caroli Martelli ex *Rotrude*, uxor *Sigrammi*, Mater CHRODEGANGI, Archi-Episcopi Metensis, mortui anno DCCLXVI. Vide de hoc pag. 96, 97.

CHILTRUDIS, Filia Caroli Martelli ex *Rotrude*, uxor *Odilonis*, Bajoariæ Ducis, Mater *Tassilonis*, Bajoariæ Ducis.

GRIPHO, F. Caroli Martelli ex *Sonechilde*: Dux in parte Neustriæ, Austrasiæ, Burgundiæ, ex Testamento Paterno; sed à Fratribus exclusus fuit.

REMIGIUS, F. Caroli ex Concubina, Archi-Episcopus Rotomagensis.

HIERONYMUS, F. Caroli ex Concubina, Pater *Fulradi*, Abbatis S. Dionysii.

BERNARDUS Comes, F. Caroli ex Concubina: Pater *Adalardi*, Abbatis Corbeiensis: *Walæ* Comitis, post Abbatis: & *Bernarii* Monachi.

CAROLUS MAGNUS, Filius Pippini brevis & Bertæ: Rex Franciæ in Neustria ab 24. Septembris DCCLXVIII. Rex universæ Franciæ DCCLXXI. Imperator Occidentis anno DCCC. die Natali Domini. Obiit DCCCXIV.

Sub eo ferè omnibus annis Comitia politica, militaria, Conventus Procerum Mense Majo, aut seriùs, Synodi Ecclesiasticæ plurimæ.

CAROLOMANNUS, Filius Pippini brevis & Bertæ, Rex Austrasiæ. Obiit DCCLXI.

Uxor GERBERGA, ex qua Filium unicum PIPPINUM reliquit.

GISELA, Soror Caroli Magni.

ADA, Soror Caroli Magni, Treveris in Sancti Maximini sepulta.


LUDOVICUS PIUS, Filius *Caroli M.* ex Hildegardâ, Rex Aquitaniæ, anno DCCCIV. Imperator Occidentis anno DCCCXIII.




CONCI-



Septen: 33
34
41
42
10
55
54
48
47
46
Aldea
Ep:
beca Ep:
Ratzeburgum Ep:
Swe rinum
OVIN
CIA
NGEN
SIS
Samlandia
Konigsberga Ep:
Elbinga Ep:
Marien werda Ep:
Pomesaniæ
Culma Ep:
Albis
Fl:
VI
N
BRE
Au gusta Ep:
Vin delicorum
I
A
Ep:
Ep:
Ep:
Br
Sabion
Dravus Fl:
G
A
R
IA
S A
P A R S
Trident
Fl:
Patr
I A
Ferdinand, Lang sculp: Coloniæ 1750.
ridies 33
39
40





CONCILIA GERMANIÆ.



SÆCULUM QUARTUM.



CONCILIUM EPISCOPORUM GERMANIÆ PRIMÆ ET SECUNDÆ, ET ALIORUM: LOCI INCERTI. ANNO CHRISTI CCCLVIII. LIBERII PAPÆ VII. CONSTANTII IMPERATORIS XXII.

Concilium hoc alicubi extitiſſe, colligitur ex Libro de Synodis S. Hilarii, Pictavienſis Epiſcopi, in Phrygiâ ob Fidem exulis, ſeu ex Epiſtolâ reſponſoriâ, ſcriptâ ad Epiſcopos Germaniæ & Belgii & Galliæ: quâ eos docet retinendam abſolutè & palàm vocem CONSUBSTANTIALIS, Catholico ſenſu ſat declarato Nicææ: & Orientalium Epiſcoporum varias profeſſiones utcunque explicat, & excuſat Pacis causâ.

Initium Libri de Synodis.

Dilectiſſimis & Beatiſſimis Fratribus & Coepiſcopis, Provinciæ Germaniæ primæ, (a) & Germaniæ ſecundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ ſecundæ, & Lugdunenſis primæ & Lugdunenſis ſecundæ, & Provinciæ Aquitanicæ, & Provinciæ Novempopulanæ, & ex Narbonenſi: Plebibus, & Clericis Toloſanis, & Provinciarum Britanniarum Epiſcopis, Hilarius Servus Chriſti, in DEO & Domino noſtro æternam Salutem.

A   1. Con-

(a) *Benedictini Editores operum S. Hilarii in notis ex MSS. ſic interpolatum titulum repræſentant;* Coepiſcopis Germaniæ primæ, in qua eſt prima Moguntia; & Germaniæ ſecundæ, in qua prima eſt Agrippina, id eſt, Colonia; & primæ Belgicæ, in qua prima eſt Treviris; & Belgicæ ſecundæ, in qua prima eſt Remis; &c.



1. Constitutum mecum habebam, Fratres carissimi! in tanto silentii vestri tempore nullas ad vos Ecclesiastici Sermonis literas mittere. Nam, cùm frequenter vobis ex plurimis Romanarum Provinciarum urbibus significâssem, quid cum Religiosis Fratribus nostris, Orientis Episcopis, Fidei, Studiique esset, quantàque, sub occasione temporalium motuum, Diabolus venenato ore atque linguâ mortiferæ doctrinæ sibila protulisset: verens, ne in tanto, ac tam plurium Episcoporum calamitosæ impietatis, vel erroris periculo, taciturnitas vestra de pollutæ atque impiatæ conscientiæ esset desperatione suscepta, (*b*) (nam ignorare vobis, frequenter admonitis, non licebat) mihi quoque apud vos tacendum arbitrabar, Dominicæ Sententiæ admodum memor, quâ post primam (*c*) atque iteratam conventionem, eos, qui etiam sub Testimonio Ecclesiæ inobedientes existerent, haberi sicut Ethnicos Publicanósque jussisset.

2. Sed *beatæ Fidei vestræ literis* sumptis, (*d*) quarum lentitudinem ac raritatem de exilii mei & longitudine, & secreto intelligo constitisse; Gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos, & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, vósque comparticipes exsilii mei: in quod me Saturninus, (*e*) ipsam conscientiam suam veritus, circumvento (*f*) Imperatore detruserat, negatâ ipsiusque hoc tempus, toto jam triennio, communione, fide mihi ac spiritu cohærere: & *missam proximè vobis ex Sirmiensi* (*g*) *oppido infidelis Fidei impietatem*, non modò non suscepisse, sed nuntiatam etiam, significatámque damnâsse. Necessarium mihi ac religiosum intellexi, ut nunc quasi Episcopus, Episcopis, mecum in Christo communicantibus, salutaris ac fidelis sermonis colloquia transmitterem: & qui per metum incertorum, conscientiæ tantùm antea meæ, quòd ab his omnibus essem liber, gratulabar, nunc jam communis Fidei nostræ integritate gauderem. O gloriosæ conscientiæ vestræ inconcussam stabilitatem! O firmam fidelis petræ fundamine Domum! O intemeratæ voluntatis illæsam, imperturbatámque constantiam! Mansit namque, atque etiam nunc permanet, post Synodi Biterrensis Professionem, in qua Patronos hujus hæreseos ingerendæ quibusdam vobis testibus denuntiaveram, innocens, inviolata, religiosa.

3. Exspectâstis enim sanctæ & indemutabilis perseverantiæ gloriosum triumphum, non cedendo Saturnini (*h*) minis, potestatibus, bellis: & cùm omnia inchoandæ blasphemiæ in Deum certamina moverentur, manentes nunc usque mecum in Christo Fideles, neque antea ad occasionem proruptura hæreseos cessistis, & nunc omnem ejus petulantiam in proruptionis congressione fregistis. Vicistis enim, Fratres, cum ingenti fidei communis gratulatione: & geminam habuit illæsæ conscientiæ vestræ honor gloriam, de integritate scilicet conscientiæ, & de exempli auctoritate. Nam Fidei vestræ imperturbatæ, inconcussæque fama, quosdam Orientalium Episcopos serò jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreseos, auctæque commovit: & auditis iis, quæ *apud Sirmium conscripta* impiissimè erant, irreligiosorum audaciæ quibusdam sententiarum suarum decretis contradixerunt. Et licèt non sinè aliquo aurium scandalo, & piæ sollicitudinis offensione restiterint; tamen adeò

(*b*) *Suspecta* corrige ex MSS. melioribus.
(*c*) Matthæi XVIII. 15.
(*d*) Episcopi Germaniæ & Galliæ confessionem Sirmiensem, de qua infra Num. 11. ad se missam acceperunt vel exeunte anno 357, vel ineunte anno 358, & illico damnârunt acceptam; quæ horum Episcoporum in damnanda Ariana formula constantia Orientalibus innotuit ante Pascha anni 358, hoc est, ante conventum Ancyranum. Scripserunt Episcopi Germaniæ primæ & secundæ, vel in una, vel pluribus Synodis adunati, & ad S. Hilarium, & ad Arianos Episcopos.
(*e*) Saturninus, Arelatensis Episcopus, Arianus in Concilio Biterrensi anno CCCLIII.
(*f*) Constantio Augusto, Arianorum Fautore.
(*g*) Tres Synodos Sirmienses hoe tempore coactas fuisse, demonstrat Pagi *in Critica Baronii* ad annum 357. Primam anno 351. secundam anno 357. tertiam anno 358.
(*h*) Quidam ex Episcopis in titulo nominatis videntur interfuisse Biterrensi Synodo, & à Saturnini ac cæterorum Arianorum Episcoporum communione se abstinuisse palàm, ut infrà N. 4. S. Hilarius narrat, aut eosdem excommunicasse in ista vel alia Synodo.

adeò restiterunt, ut ipsos illos, qui tunc apud Sirmium in sententiam Potamii atque Osii, ità & ipsi sentientes confirmantésque, concesserant, ad professionem ignorantiæ, errorisque compellerent; ut ipsi rursum subscribendo damnarent, quod fecerant. Quod utique ideò fecerunt, ut aliud antè damnarent.

4. Sed tenet etiam nunc invicta Fides vestra spectabilem conscientiæ suæ gloriam, & nihil subdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta, securè in Christo libertatis suæ professione persistit, ab eorum se communione, qui Episcopos, blasphemiis suis contradicentes, in exsilio detinent, abstinendo, neque se in injusti Judicii reatum per assensum dissimulationis subdolæ aggregando. Nam post multum, & gravem omnium nostrûm ob eas res, quæ irreligiosè ab impiis gerebantur, dolorem, ex eo intra nos tantùm Communio Dominica continetur, ex quo his perturbationibus vexari Ecclesia cœpta est, ut exsulent Episcopi, demutentur Sacerdotes, plebes terreantur, fides periclitetur, humano arbitrio, ac potestate doctrinæ Dominicæ decreta statuantur. Hoc fides illæsa vestra neque nescire se simulat, neque pati posse profitetur, non se extra conscientiæ crimen futuram intelligens ex ipso dissimulationis assensu.

5. Et quidem quamvis in omnibus, quæ gessistis & geritis, constantem fidei vestræ libertatem & securitatem testemini: tamen etiam in eo ferventis spiritûs ardorem probatis, quòd nonnulli ex vobis, quorum ad me potuerunt scripta deferri, quæ exinde Orientales in fidei professionibus gerant, & gesserunt, significari vobis humilitatis meæ literis desideràstis: etiam hoc mihi onus imperitissimo atque indoctissimo omnium ex affectu caritatis addentes, ut quid ipse super omnibus dictis eorum sentiam, indicem; cùm difficillimum sit, sensum ipsum propriæ meæ fidei, secundùm intelligentiæ interioris affectum loquendo proferre, nedum modò facile sit intelligentiam eorum, quæ ab aliis dicuntur, exponere.

6. Oro autem vos per Domini misericordiam, ut, quia mihi ad vos de Divinis, ùt voluistis, rebus, & de Fidei nostræ intemeratâ conscientiâ, erit per has literas sermo, ne quisquam de me ante sermonis consummationem per literarum exordia existimet judicandum. Iniquum est enim, nisi compertâ usque ad finem ratione dictorum, præjudicatam sententiam ex initiis, quorum causâ adhuc ignoretur, afferre: cùm non de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis, ad cognitionem sit judicandum. Est enim mihi non de vobis, ut Dominus sensui meo conscius est, sed de quibusdam, nimiùm apud se cautis, & prudentibus metus, non intelligentibus, per beatum Apostolum sibi, ne *superſaperent*, (*i*) præceptum: quos vereor, nolle omnia ea, quorum absolutio à me in consummatione erit præstanda, cognoscere, dum verum intelligi ex iis, quæ absolventur, evitant. Sed quisque hæc legenda & cognoscenda susceperit, modum sibi atque mihi patientiæ fidelis indulgeat, & usque ad absolutionem universa percenseat. Fortè enim omnis hic fidei meæ sermo præstabit, ut neque furtivi hæretici, quod volunt, fallant, & perfecti Catholici, quod desiderant, consequantur.

7. Obsequor igitur caritatis vestræ impatientissimæ voluntati; & omnes fides, (*k*) quæ post sanctam Synodum Nicænam diversis temporibus, & locis editæ sunt, cùm sententiarum omnium, atque etiam verborum, additis per me expositionibus, destinavi. In quibus, si quid vitiosè inesse intelligitur, nemo mihi vitium potest assignare dictorum: internuntius enim, ùt voluistis, sum ipse, non conditor. Si quid verò rectum, atque ex doctrinis Apostolicis præscriptum deprehenditur, nemo ambigit, non interpretantis in eo esse gloriam, sed auctoris. Ego tamen, *quæ gesta sunt, fideliter transmisi*: vos, an Catholica, an hæretica sint, fidei vestræ Judicio comprobate.

8. Quanquam enim responderi *literis vestris* necessarium fuerit, quibus communionem mihi Dominicam fidei vestræ scriptis miseratis, & quidam etiam ex vobis *ad Synodum*, quæ in Bithynia futura videbatur, acciti, firmissimâ fidei constantiâ, intra communionem se meam continentes, à cæteris extra Gallias abstinerent: & dignum sanè erat Episcopali Ministerio, ac voce, in tanto hæretico-

(*i*) Roman. XII. 3.
(*k*) Annuas atque menstruas Arianorum fides queritur & enarrat S. Hilarius L. II. ad Constantium Augustum §. 5. p. 1228.

reticorum furore, aliqua vobiſcum per literas piæ fidei conſilia conferre. Non enim cum corporibus noſtris exſulans, vinctum ac detentum eſſe potuit Dei verbum, ut non communicari vobiſcum poſſet ubicunque. Sed maximè cùm comperiſſem, *Synodos in Ancyrâ*, atque *Arimino* congregandas, & à ſingulis provinciis Gallicanis binos, vel ſingulos, eò eſſe venturos; ea, quæ inter nos, atque Orientales Epiſcopos mutuis ſuſpicionibus (*l*) detinentur, per me, qui in Orientis partibus continebar, exponenda vobis, licèt jam ſcientibus, atque edenda exiſtimavi: ut, cùm hanc *prorumpentem à Sirmio hæreſim & vos condemnâſſetis*, & illi cum Anathemate judicâſſent; Sciretis tamen, in cujus fidei profeſſione idipſum, quod vos geſſeratis, etiam ab Orientalibus Epiſcopis eſſet effectum; & vos, quos maximè vellem futuris Synodis probabiles elucere, non paterer, uno atque eodem Apoſtolicæ fidei ſenſu Catholica ſentientes, aliqua ſaltem à Catholicæ Fidei ſynceritate, ignoratâ verborum opinione, differre.

9. Et quidem rectum ac conveniens exiſtimo, ut antè, quàm de verborum ſuſpicionibus ac diſſenſionibus ineo ſermonem, ea, quæ ab Orientalibus Epiſcopis adversùm conſcriptam apud Sirmium hæreſim dicta & conſtituta ſint, verbis, quàm poſſim, abſolutiſſimis demonſtrem: non, quòd non ab aliis planiſſimè omnia edita ſint, ſed quòd ex Græco in Latinum ad verbum expreſſa translatio affert plerumque obſcuritatem, dum cuſtodita verborum collatio eandem abſolutionem non poteſt ad intelligentiæ ſimplicitatem conſervare.

10. Meminiſtis namque in ea ipſa ſcripta proximè apud Sirmium blaſphemia id tentatum ac laboratum fuiſſe, uti dum Pater unus & ſolus omnium Deus prædicatur, Deus eſſe Filius negaretur: & dum de homouſio, ac de homœuſio taceri decernitur, id decretum eſſe; ut aut ex nihilo, ùt creatura, aut ex alia eſſentia, ut conſequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus Filius natus confirmaretur. Tum porrò in eo, quòd honore, dignitate, claritate, majeſtate Pater major diceretur, id eſſe quæſitum, ut Filius his omnibus, quibus Pater major eſt, indigeret. Poſtremò, dum ignorabilis nativitas ejus aſſeritur, per hoc ignorantiæ decretum, neſcire, quòd ex Deo ſit, juberemur: perinde quaſi juberi, decerníque poſſit, ut quis, aut quod ignoratus ſit, ſciat, aut quod ſcierit, ignoret. Ipſam autem ex ſolido impiiſſimæ blaſphemiæ peſtem invitus licèt ſubdidi, ut reſponſionum, quæ è diverſo ab Orientalibus poſitæ ſunt, abſolutiùs, & virtus, & ratio noſceretur, quibus ſtudii fuit, ùt ſecundum intelligentiæ ſuæ ſenſum omnibus hæreticorum artibus contrairent.

Exemplum Blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium, (m) *& Potamium conſcriptæ.*

11. Cùm nonnulla putaretur eſſe de fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt, & diſcuſſa, præſentibus Sanctiſſimis Fratribus, & Coepiſcopis noſtris, VALENTE, URSACIO & GERMINIO. Unum conſtat Deum eſſe Omnipotentem & Patrem, ſicut per univerſum orbem creditur: & unicum Filium ejus, JEſum Chriſtum, Dominum, Salvatorem noſtrum, ex ipſo ante Sæcula genitum. Duos autem Deos nec poſſe, nec debere prædicari; quia ipſe Dominus dixit, *Ibo ad* (n) *Patrem meum, & ad Patrem veſtrum, ad Deum meum, & ad Deum veſtrum.* Ideò omnium Deus unus eſt, ſicut Apoſtolus docuit: *An Judæorum Deus* (o) *tantùm? Nónne & Gentium? Immò & Gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Sed & cætera convenerunt, nec ullam habere potuerunt diſcrepantiam. Quod verò quoſdam, aut multos movebat de ſubſtan-

(*l*) Germani & Gallicani Occidentales Epiſcopi ſuſpicabantur, Orientis Epiſcopos omnes purum putum Arianiſmum tueri: quum non nulli Semi-Ariani, vel molliores Ariani eſſent, propiúsque accederent ad Nicænæ Fidei profeſſionem: quam tamen variè deſeribebant, invertebant & depravabant. Econtrario Orientales ſuſpicabantur Germanos & Gallos Sabellii erroribus adhærere.

(*m*) Oſius Epiſcopus Cordubenſis hanc formulam non tam ſcripſit, quàm ſubſcripſit, Victus Arianorum Epiſcoporum, Potamii, Urſacii, Valentis, & Germinii, minis, promiſſis, fraudibus. OSII & LIBERII nomen Ariani ſuis profeſſionibus præmittebant, ut per has auctoritates ſeducerent Catholicos.

(*n*) Joannis XX. 17.

(*o*) Roman. III. 29. 30.

substantia, quæ græcè usia appellatur, id est, (ut expressiùs intelligatur) *homousion*, (p) aut quod dicitur, *homœusion*, nullam omninò fieri oportere mentionem; nec quemquam prædicare eâ de causâ & ratione, quòd nec in Divinis Scripturis contineatur, & quòd super hominis scientiam sit, nec quisquam possit nativitatem Filii enarrare, de quo scriptum est, *Generationem* (q) *ejus quis enarrabit?* Scire autem manifestum est solum Patrem, quomodo genuerit Filium suum, & Filium, quomodo genitus sit à Patre. Nulla ambiguitas est, majorem esse Patrem. Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, claritate, majestate, & ipso nomine Patris majorem esse Filio, ipso testante: *Qui me* (r) *misit, major me est.* Et hoc Catholicum esse, nemo ignorat, duas personas esse Patris & Filii; majorem Patrem, Filium *subjectum cum omnibus his*, quæ ipsi Pater subjecit. Patrem initium non habere, invisibilem esse, immortalem esse, impassibilem esse. Filium autem natum esse ex Patre, Deum de Deo, Lumen ex Lumine. Cujus Filii generationem, ùt antè dictum est, neminem scire, nisi Patrem suum. Ipsum autem Filium Dei Dominum & Deum nostrum, sicuti legitur, carnem & corpus, id est, hominem suscepisse ex utero Virginis Mariæ, sicut Angelus prædicavit. Ut autem Scripturæ omnes docent, & præcipuè ipse Magister Gentium Apostolus, hominem suscepisse de Maria Virgine, per quem compassus est. Illa autem clausula est totius fidei, & illa confirmatio, quòd Trinitas semper servanda est, sicut legimus in Evangelio: *Ite, & (s) baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Integer, perfectus numerus Trinitatis est. Paracletus autem Spiritus per Filium est: qui missus venit juxta promissum, ut Apostolos & omnes credentes instrueret, doceret, sanctificaret.

12. His itaque tot & tantis impietatis professionibus editis, has rursum è contrario Orientales Episcopi in unum congregati Sententiarum Definitiones condiderunt. &c.

Hactenus ex Operibus S. Hilarii Editionis Parisinæ anni 1693. *à pagina* 1149.

(p) *Homousion* ejusdem, unius substantiæ Pater & Filius; Homœusion similis substantiæ.
(q) Isaiæ LIII. 8.
(r) Joannis XIV. 28.
(s) Matthæi XXVIII.

CONCILIUM TREVERENSE.

Unum, in quo Ithacius Episcopus, accusator Priscilliani Hæresiarchæ, apud Maximum Imperatorem ad communionem admittitur: quem S. Ambrosius & Catholici Episcopi, uti Sanguinarium, & Episcoporum causas ad Imperatoris Judicium deferentem, exhorruerunt & evitârunt.

Alterum in eadem urbe, in quo Felix Treverensis Episcopus ordinatus fuit: cui S. Martinus interfuit, eo fine, ut Maximum Imperatorem à Sanguine fundendo averteret. Anno Christi CCCXXCVI. Siricii PP. anno XI. Imperatoris Maximi III.

Utriusque Concilii notitiam damus ex Dialogo Sulpitii Severi tertio N. XV. collato cùm ejusdem Sulpitii Severi sacræ Historiæ Libro II.

MAximus Imperator, aliàs ſanè bonus, depravatus Conſiliis Sacerdotum, poſt Priſcilliani (*a*) necem, Ithacium Epiſcopum, Priſcilliani accuſatorem, cæteróſque illius ſocios vi Regiâ tuebatur, ne quis ei crimini daret, operâ illius ejuſcunque modi hominem fuiſſe damnatum.

Interea Martinus multis gravibúſq; laborantium (*b*) cauſis ad comitatum (*c*) ire compulſus, procellam ipſam totius tempeſtatis incurrit. Congregati apud Treveros Epiſcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, communem ſibi cauſam fecerant. His, ubi nuntiatum eſt inopinantibus, adeſſe Martinum, totis animis labefacti muſſitare, & trepidare cœperunt. Et jam pridie Imperator ex eorum (*Epiſcoporum*) ſententia decreverat, tribunos ſummâ poteſtate armatos, ad Hiſpanias mittere, qui hæreticos (*d*) inquirerent, deprehenſis vitam, & bona adimerent.

Nec dubium erat, quin ſanctorum etiam maximam turbam tempeſtas iſta eſſet depopulatura, parvo diſcrimine, inter hominum genera. Etenim tum ſolis oculis judicabatur, cùm quis pallore potiùs aut veſte, quàm fide hæreticus haberetur. Hæc nequaquam placitura Martino, Epiſcopi ſentiebant, ſed malè conſciis illa vel moleſtiſſima erat cura, ne ſe ab eorum communione adveniens abſtineret, non defuturis, qui tanti viri conſtantiam præmiſſa authoritate ſequerentur. Ineunt cum Imperatore conſilium, ut, miſſis obviam Magiſterii officialibus, urbem illam propiùs vetaretur accedere, niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium, adfore fateretur.

Quos ille callidè fruſtratus, profitetur, ſe cum pace Chriſti eſſe venturum.

Poſtremò ingreſſus nocturno tempore adiit Eccleſiam tantùm orationis gratiâ: poſtridie palatium petiit. Præter multas, quas evolvere longum eſt, has principales petitiones habebat.

I. Pro Narſete comite, & Leucadio præſide, quorum ambo Gratiani (*e*) partium fuerunt, pertinacioribus ſtudiis, quæ non eſt temporis explicare, iram Victoris (*Maximi*) emeriti. II. Illa præcipua cura, ne tribuni cum jure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur. III. Pia enim erat ſollicitudo Martino, ut non ſolùm Chriſtianos, qui ſub illa occaſione erant vexandi, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret. Verùm primo die, atque altero ſuſpendit hominem callidus Imperator, ſive, ut rei pondus imponeret: ſive, quia nimis ſibi implacabilis erat: ſeu, quia, ùt plerique tum interpretabantur, avaritia repugnabat: ſiquidem in bona eorum inhiaverat. - - - - Interea Epiſcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, prædamnatos ſe conquerentes: - - Actum eſſe de ſuo omnium ſtatu, ſi Theogniſti pertinaciam, qui eos ſolus palam latâ ſententiâ condemnaverat, Martini armaret autoritas. Non oportuiſſe hominem recipi mœnibus. Illum non jam defenſorem hæreticorum eſſe, ſed vindicem. Nihil actum morte Priſcilliani (*nuper cæſi*) ſi Martinus exerceat illius ultionem. - - - Poſtremò proſtrati cum fletu & lamentatione poteſtatem regiam implorant, ut utatur adversùs unum hominem vi ſuâ.

Nec multùm aberat, quin cogeretur Imperator, Martinum cum hæreticorum ſorte miſcere. Sed ille, licet Epiſcopis (*Ithacii patronis*) nimio favore eſſet obnoxius, non erat neſcius, Martinum fide, ſanctitate, & virtute cunctis præſtare mortalibus; alia longè viâ ſanctum vincere parat. Ac primò ſecretò accerſitum blandè appellat, hæreticos jure damnatos, more Judiciorum publicorum potiùs, quàm inſectationibus ſacerdotum: non eſſe cauſam, quâ Ithacii,

(*a*) Priſcillianus Abilæ in Hiſpania Epiſcopus, fœdiſſimæ Hæreſcos autor, à Damaſo Papa & Ambroſio excluſus communione Eccleſiæ fuit cum Sociis: ſed Ithacius Epiſcopus hac Eccleſiaſticâ pœnâ non contentus ad Imperatorem cauſam Priſcilliani defert, ad quem & ipſe Priſcillianus poſt provocavit: vicit Ithacius apud Imperatorem, & Priſcillianus capitis damnatus fuit, complices criminum variis pœnis mulctati fuere. Ea crudelitas invidiam Ithacio conciliavit apud plurimos Catholicos, ſed gratiam paravit apud Maximum, qui cæſorum bonis inhiabat. *Proſper in Chronico. Hieronymus de Scriptor. Eccleſiaſticis. Latinus Pacatus in Theodoſii Panegyrico. Sulpitius Severus loc. citato. Ex his Sigonius, Baronius.*

(*b*) Metu imminentis mortis: nam prætextu ſcelerum vindicandorum multi etiam innocentes Catholici cædebantur, ut cæſorum bona Fiſco Imperatoris inferrentur.

(*c*) Id eſt, ad Curiam & Tribunal Imperatoris Maximi.

(*d*) Priſcilliani impuram Sectam amplexos,

(*e*) A Maximo victore interfecti,

cii, cæterorúmque partis ejus communionem putaret esse damnandam. Theognistum odio potiùs, quàm causâ fecisse discidium; eundemque tamen solum esse, qui se à communione interim separarit. A reliquis nihil novatum. Quin etiam paucos ante dies habita (f) Synodus Ithacium pronuntiaverat culpâ non teneri. Quibus cùm Martinus parum moveretur; Rex irâ accenditur, ac se de conspectu ejus abripuit. Et mox percussores his, pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod, ubi Martino compertum jam noctis tempore est, Palatium irrupit. Spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo ut & tribuni jam in excidium Eccclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia.

Postridie Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè viri, & planè digni, qui meliore tempore sacerdos fieret. Hujus diei communionem (g) Martinus iniit, satiùs æstimans, ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat.

(f) En primum Concilium, hoc anno Treviris coactum.
(g) Eo secundum Concilium, *Sulpitius Severus Historia sacra Lib. II. & Dialogo Tertio N. XV.*



Digressio de Synodis extra Germaniam, quibus Sæculo quarto Episcopi Germanici interfuerunt, aut ubi de iis actum fuit.

STatueram, inter Germaniæ Concilia & ea inferere, ordine temporum servato, quibus interfuissent Episcopi Ecclesiarum Germaniæ, etsi extra Germaniam in Gallia, Italia, Thracia &c. celebrata fuissent. Sed amicorum suasu eadem singulis Sæculis summatim subjungi placuit, ne extra præscriptos Titulo Conciliorum Germaniæ Terminos vagaremur.

CCCXIII. Sæculi quarti initio ad A. C. CCCXIII. habitum fuit Concilium Romæ ad VI. nonas Octobris, in Laterano sub Melchiade Pontifice Præside. Occasio Synodi fuit inquietudo hæreticorum Donatistarum in Africa, eorumque odium in Cæcilianum Carthaginensem Episcopum: diffisi causæ suæ Donatistæ ab Augusto Constantino Episcopos Judices exusæ suæ è Gallia sibi dari petunt.

Augustus, ùt ùt ægrè ferret, causam Ecclesiæ ad curiam suam trahi, detulit eorundem postulationi, & tres designavit è toi Galliæ Antistitibus, MATERNUM COLONIENSEM, Rheticium Augustodunensem, Marinum Arelatensem: qui literis invitati ab Imperatore, & curru publico vecti, Romam appulêre, & unâ cum Melchiade Papa, & XV. Italiæ Episcopis causam Donati & Cæciliani in medium misêrunt & pro Cæciliano (omnium votis innocuo promulgato) in sua Cathedra, & communione Ecclesiastica retinendo, contra Donatum convictum de rebaptizatione, & ob manus impositas lapsis, pronuntiârunt.

Constantini Magni littera ad Melchiadem apud Eusebium L. X. Cap. V. Optatus Milevitanus L. 1. de Schismate Donatistarum pag. 29. *Augustinus in breviculo collation. die 3. cap. 12. Binius Tom. 1. L. 1. Pag. 212.*

Nota. Vocatio Materni, Coloniæ Agrippinensium Episcopi, facta à Constantino magno, illustre argumentum est, quo loco apud Augustum fuerit hic Germaniæ secundæ Episcopus ob eximium Doctrinæ, & virtutis meritum, ut in causa Ecclesiæ vexatissima excitetur cognitor, & arbiter in Concilio Romano cum summo Pontifice, Galliæ, & Italiæ Episcopis.

Alii volunt Maternum hunc fuisse primum Coloniæ Episcopum, alii negant. *Videatur P. Calles Ann. Eccles. Germ. L. III. No. VII.*

CCCXIV. Kal. Augusti, Donatistis Romanæ Synodi decreto recalcitrantibus, Constantinus Arelati novum denuò Concilium indici voluit, quo ex omnibus occidentis orbis Provinciis convenêre Episcopi XXXIII. ex Africa, Sicilia, Sardinia, Hispania, Gallia, Italia, Britannia, ac Germania cum quibusdam presbyteris, Diaconis, Exorcistis. Hos inter memorandi nobis Maternus Episcopus Coloniensis cum Macrino Diacono. Agræcius Trevirensis cum Felice Exorcista. Qui in actis recensentur, & in Epistola Synodica ad Papam Sylvestrum scripta.

Edidit hæc acta & Canones XXI. Binius Tom. 1. Concilior. Part. 1. pag. 220. ad 225. cum Epistolis Constantini Augusti ad Ablavium, altera ad Chrestum Episcopum Syracusæ, tertia ad omnes Episcopos Catholicos. E quibus collatis ad codd. Mss. & addito græco postea edidere Sirmondus, Labbè, Hardouinus.

CCCXLVII. Synodus Sardicensis Orientalium LXXVI. Occidentalium C. Episcoporum sub Julio Papa, & Augustis Constantino, & Constan-

Constante, cui præsedit Hosius Cordubensis Episcopus. *Testa Athanasio, & Theodoreto L. II. Historia cap.* 15. Tum Archidamus, & Philoxenus Presbyteri Legati Julii Papæ. Interfuêre Personæ nobis celebrandæ ex Germania Rhenana Maximinus Trevirensis, Euphratas Coloniæ, Martinus Moguntiæ, Servatius Tungrorum, Superior Nerviorum, Victurus Vangionum, Jesses Nemetum, Amandus Argentinensium, Justinianus Rauracorum, Victor Mediomatricum Episcopi.

Patres Occidentales statuerunt primò de fide agendum, & Nicænum Symbolum omninò retinendum decreverunt, non novum fabricandum Arianorum exemplo. Secundò actum fuit de variis Personis. Sanctus Athanasius ab impactis calumniis absolutus, Marcellus Ancyranus restitutus suæ Cathedræ & Communioni, uti & Asclepas Gazæ Episcopus. Econtrariò varii hæretici Episcopi excommunicati & depositi fuêre. Tertiò loco viginti Canones sanciti de disciplina Ecclesiastica: & literæ Synodicæ scriptæ ternæ: primæ ad omnes Episcopos, relatæ à SS. Athanasio, & Hilario: alteræ ad Julium Papam: Tertiæ ad Ecclesiam Alexandrinam.

Orientales Episcopi visâ Catholicorum constantia immutabili in Nicæno Symbolo profitendo, secesserunt Philippopolim, proximam Thraciæ urbem: Inde Epistolam, quasi Sardicæ datam spargunt per universum orbem. Accusant, & calumniantur S. Athanasium, aliosque Catholicos: Novam fidei normam procudunt, in qua omissâ voce *Consubstantialis*, Filium Patri similem pronunciant.

Acta Synodi habet Binius Tom. 1. *Par.* 1. *pag.* 413. *græca latina cum duplici veteri interpretatione Dionysii exigui, & Isidori peccatoris.*

Idem habet *Epistolam Synodicam latinam ad Julium Papam, deinde Epistolas græco-latinas ad omnes Episcopos, magna ambitione diffusas... quæ omnia posteriores edidere collata ad aliquot Mss. codices.*

Nota. DUPINIUS Tomo II. Bibliothecæ novæ authorum Ecclesiasticorum pag. 329. negat Canones Sardicenses ab Catholica Ecclesia receptos, & speciatim circa jus appellationis ad Sedem Apostolicam Romanam *Canonibus* III. IV. V. stabilitum. Eximius Lupus Tomo VIII. novæ editionis ostendit ex omnigena Historia Ecclesiastica jus appellandi Romam ex Africa, ex Gallia, ex Oriente semper viguisse, & Clmus Schelestrate *Dissertatione II. antiquitatis illustrata cap. VI.* ostendit Canones Sardicenses & ab initio fuisse receptos, & post Innocentium primum, idque omnium Gentium testimoniis.

CCCLIII. S. Paulinus Trevirensis Archi-Episcopus à Sancto Athanasio, & Sancto Hilario, uti constantissimus Nicænæ fidei Defensor, laudatus, contra CONSTANTIUM Augustum & Saturninum Arelatensem Ep. Arianæ Hæreseos Sectatores, quum subscribere Athanasii damnationi fortissimè recusaret in Conciliabulo Arelatensi II. anno CCCLIII. celebrato, tum in Mediolanensi haud minus turbulento & violento Concilio, fuit relegatus in Phrygiam, ubi anno CCCLVIII. pridie Kalend. Septembris in Domino obiit, Nicænæ fidei Confessor & Martyr.

Browerus Annal. Trevirea. L. IV. à pag. 272. *prima editionis. Acta SS. ad diem trigesimam 1mam Augusti.*

CCCLVII. Sirmii in Pannonia secunda conciliabulum Arianorum, quorum Epistola ad Germaniæ 1mæ & 2dæ Episcopos cum nova procura perfidiæ formula missa fuit (*teste sancta HILARIO in libro de Synodis*) cui Hosius minis, verberibus & plagis fatigatus subscripsit, & cum Ursacio Singidunensi, Valente Mursensi, Episcopis Arianis, in gratiam rediit.

S. Athanasius Historia Arianorum cap. 45. *Tomo I.*

Marcellini & Faustini Libellus Theodosio Imp. oblatus.

CCCLIX. Concilio Ariminensi, Consulibus Eusebio & Hypatio celebrato, unicus è Germania adfuit Servatius Episcopus Tungrensis. Ejusdem in hoc Concilio 1mò Constantiam, tum fallacis formulæ acceptionem, demum à sancto Hilario in Galliam reverso reductionem ad professionem Catholicæ Fidei, & *Hamoasiaa* narrat *Severus Sulpitius L. II. Historia Ecclesiastica & ex eò Clariss. Binius Concilior. Tomo I. p.* 1. *pag.* 482. *ad* 485.

Heaschenius in actis SS. ad diem XIII. Maji pag. 211.

CCCLXII. Concilio Parisiensi (in quo formula fidei, ab Arianis, suppresso usiæ nomine, fabricata, & Arimini firmata, suscepta, & Orientalibus Episcopis missa est) interfuisse S. Servatium Tungrensem & S. Severinum Coloniensem Episcopos HENSCHENIUS, & CROMBACHIUS autumant: aut S. Severinum è Parisino Concilio reversum Tungros adivisse, ut eum S. Servatio de Orthodoxa fide servanda & propaganda conferret.

Acta Sanctorum Maji Tomo III. pag. 112. *Binius Tomo I. Conciliorum Part. I. pag.* 489.

CCCLXXIIII. IV. Idus Julii Valentiæ Allobrogum Concilium celebratum fuit, cui inter plures Galliarum Episcopos Britto Trevirensis Episcopus subscripsit.

Binius Tomo I. Part. 1. *pag.* 516. *ex quo Sirmondus & alii.*

CCCXC. In Concilio Mediolanensi, & CCCXCVII. in Concilio Taurinensi sic statuitur: *De iis, qui à Felicis Trevirensis Episcopi communione se separare voluerint*, illud præterea decrevit sancta Synodus, ut, quoniam Legatos Episcopi Galliarum, qui Felici communicant, destinarunt, in nostræ pacis consortium suscipiantur: juxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis

tis dudum latas, quæ in Concilio Legatis præsentibus recitatæ sunt.

Nota. FELIX ordinatus ab Ithacianis Episcopis, anno 386, sponte secessit in Monasterium sancti Pauliot à se ædificatum: duodecimo Præsulatûs sui anno, & circa annum CCCCVII. Kalend. Aprilis sancta morte defunctus, miraculis & perpetuo cultu inclaruit. *Acta SS. ad Diem XXVI. Martii Antwerpia.*

Hæc tamen sanctitas non obstitit, quominus Patres horum Conciliorum ab ejusdem communione abstinendum censerent: in detestationem sanguinolentorum Consiliorum Ithacii. S. Martinus, qui ad horam ejusdem ordinationi interfuit, ut Maximi sanguinea decreta retardaret, nulli deinceps Concilio interesse voluit. *Sigismundus Calles in Annalibus Ecclesiasticis Germaniæ. Tomo I. pag. 321.*

DIGRESSIO

De causa, cur Sæculo 5to nulla Synodus Ecclesiastica in Germania sit celebrata?

Fuit sæculum 5tum Christianum fœcundum & ferax plurium Synodorum, quas inter III. & IV. Generales, Ephesina, & Chalcedonensis, deinde Africanæ permultæ, è quibus codex canonum Ecclesiæ Africanæ collectus fuit. Synodi in causa Pelagii in Africa, Italia & Gallia, imò & in Oriente celebratæ: Multæ aliæ Romanæ, Hispanæ & Gallicanæ Synodi celebratæ: attamen Germania Rhenana, Rhetia, Noricum & Pannonia, ùt ùt multis Ecclesiis & Episcopis sæculo quinto ditatæ, nullam Synodum reliquerunt.

Nisi forte illud incerti loci in Gallia, in qua Chelidonius, Vesontionensis Episcopus, Episcopatu dejectus fuit, præside S. Hilario Arelatensi, ùt ex ejus vita discimus circa annum CCCCXLIV.

Causa hujus silentii *Prima* sit Romani Imperii in Occidente imminutio, variis Tyrannis existentibus, & mutua cæde cadentibus. *Altera*: Gothi è Septentrione versûs meridiem migrant, Italiam, Galliam, Hispaniam invadunt, obtinent: *Tertia*: Franci populi & principes è Saxonia, Ost- & Westphalia transito Rheno Belgium, Gallias occupant: sub finem sæculi V. Duce Clodovæo fidem Christianam amplectuntur. Hæ Gravissimæ mutationes circa Rhenum, Danubium sterilitatem Synodorum Ecclesiasticarum inter Episcopos Germaniæ post se traxerunt.

SÆCULUM SEXTUM.

ACTA SYNODI TORNACENSIS

habitæ

SUB S. ELEUTHERIO (a)

EPISCOPO TORNACENSI,

Contra Hæreticos varios, Eutychetis, Photini, Acephalorum, Arii, Sabellii posteros.

Circa Annum Christi DXX. Hormisdæ Papæ VII. Justini Imperat. III. Theoderici Regis Austrasiæ IX.

Beatus Eleutherius jam Tornacensem Ecclesiam triginta annis & uno rexerat; Blandiniensem (b) *verò novem: qui audiens Filios Ecclesiæ pertur-*

B

(a) *S. Eleutherius obiit 20. Februarii anno 523. juxta Annales Tornacenses. Sedit annos 45. Pagius in critica Baronii ad annum DXXXII. judicat eum hoc anno obiisse.*

(b) Tornacenses Episcopi fuêre etiam dicti *Nerviorum* Episcopi, quia Tornacum Nerviorum metropo-

perturbatos, indoluit. Deinde auctoritate Romani Papæ decrevit, quatenus omnes Hæretici ab ipsâ civitate ejicerentur, vel Christum Dei Patris Filium unanimiter confiterentur.

Igitur à Præsule coacti, diem competentem elegerunt, in qua Synodum *suam Antistes Christi Eleutherius convocaret. Advenit dies, in quo Synodus convocata erat: advenerunt etiam Filii Catholici, Hæreticorum Sectam confundentes: affuerunt nonnulli Hæreticorum, illis contradicentes. Exurgens autem Sanctus Vir Dei Eleutherius, & manu faciens silentium, ait:* Omnes Deum Patrem, & Filium ejus cum Spiritu Sancto confitentes, audite.

SERMO DE TRINITATE.

1. CRedite in unum Deum Patrem omnipotentem, (c) & in Filium ejus unicum, Dominum nostrum JEsum Christum, qui ex Deo Patre natus est Unigenitus, Immensus de immenso, immortalis de immortali, invisibilis de invisibili, sempiternus de sempiterno, per quem & cum quo omnia, quæ continentur in cœlo, vel in terrâ, aut in mari, fecit Pater. Hortor igitur vos, dilectissimi: Credite, Jesum Christum Dominum nostrum propter salutem hominum, & sæculi liberationem de cœlis descendisse, incarnatum, & hominem esse, passum sub Pilato Præside: propterea die tertiâ à mortuis resurrexisse, & iterum in cœlos, unde descenderat, ascendisse.

2. Hæc decreta, Filii mei charissimi! tenere & observare debetis: his vos devotè oportet obtemperare, si gaudia vultis promereri cœlestia. His dogmatibus & decretis antiquorum Patrum obedite, considerantes, & lucidissimè intuentes, quid sit incarnatum esse, & Hominem factum Dei Verbum; Vos enim asserere non debetis, quòd natura Dei immutata (d) sit, sed magis, quòd copulaverit sibi animâ rationali carnem animatam, Christúsque Dei Filius irreprehensibiliter, ineffabiliter, substantialiter Homo factus sit, & Filius hominis etiam sit appellatus. Itaque Christus JEsus, qui ante omnia Sæcula ex æterno Patre natus est, etiam ex muliere, id est, Beatâ Virgine Mariâ carnaliter procreatus est; non quòd cœlestis (Divina) ipsius natura de Sanctâ Virgine sumpserit exordium, (e) nec propter se ipsam necesse habuit, nasci secundò, post illam gloriosam nativitatem, quam habuit ex Patre. Non enim est competens, sed magis stultum, affirmare, quòd JEsus Christus Dominus noster, qui ante omnia Sæcula est coæternus Patri, post generationem Patris alterius indiguerit, ut per illam, quam in Virgine assumpsit, esse inciperet.

Sancta autem Catholica universalis Ecclesia affirmet & credat, quòd propter salutem hominum, & peccatorum ablutionem, sibi naturam copulaverit humanam, & processerit ex utero Virginâli, utero impolluto, sed ab Angelis dignissimè cœlestibus conservato. Ideò asserunt illum Catholici Patres, & nos auctoritate majorum, carnaliter esse natum. Qui benignus & misericors omnes volens ad semitam veritatis convertere, ex ipso Virginali & incontaminato utero, ùt suprà dictum est, secum conjunxit carnem, & generationem sustinuit carnalem

lis est. Eo nomine Superior, Nerviorum Episcopus, subscripsit Sardicensi Concilio Anno CCC XLVII. *Blandiniensis* Ecclesia inter Tornacum & Insulas sita, locus fuit; ubi aliquot annis sedit S. Eleutherius: non verò specialis à Tornacensi distinctus Episcopatus. S. Medardus Tornacensem, & Noviodunensem aliquamdiù administravit Episcopatum: quin ideò hæ duæ Cathedræ unitæ, aut altera alteri subjecta fuerit. *Hæc Nota Andreæ Catulli in suo Tornaco Metropoli, & Cathedra Episcopali, Bruxellæ anno 1652. impresso.*

(c) Ex Symbolo Apostolorum & Nicæno.
(d) Error Eutychetis.
(e) Photini error.

lem suæ carnis suam faciens nativitatem. Deinde credite, ipsum crucifixum esse, & tertiâ die à mortuis resurrexisse, non quia Deus Verbum in suâ naturâ sub Pilato Præside sit colaphis cæsus, deinde patibulo crucis affixus, aut quia pro nobis transfixiones lanceæ atque clavorum, & tanta vulnera sustinuerit: Deus namque incorporalis, & extra passionem est; sed quia corpus illud, quod proprium factum est ipsius, hæc pro nobis sustinuit. Hæc omnia idcircò dicitur pro omnibus hominibus ad peccatorum redemptionem passus esse: in eo etenim corpore, quod patiebatur, inerat Deus, qui nullo modo pati poterat

Similiter mortem ipsius intelligere debetis: naturaliter enim incorruptibile est & immortale vivificans Dei Verbum; sed quoniam Gratiâ Dei proprium corpus ipsius juxta Sententiam Doctoris gentium Pauli (f) *Mortem gustavit*, ideò dicitur Deus pro nobis mortem esse passus: non quia mortem ipse expertus fuisset, quantum ad naturam ipsius pertinet. Idoneum siquidem non esset, sed ineptum, asserere hoc; sed quòd, ùt superiùs diximus, vera caro ipsius mortem gustaverit. Ità carne ipsius resurgente, iterum resurrectionem asserite, non quia in corruptionem cecidit, sed quòd ejusdem corpus surrexit.

Itaque Dilectissimi, deprecor fraternitatem vestram, quatenus Deum verum, & Filium ejus JEsum Christum, Dominum nostrum, devotè veneremini: adorate benigno corde, laudate purâ mente, confitemini lacrymosis suspiriis, non sicut hominem cum verbo glorificantes, ne inducatis quandam speciem divisionis; sed unum & eundem honorate, quia non est corpus suum, cum quo assidet Patri, à verbo alienum.

Nec etiam debetis contestari quasi assidentibus duobus (g) filiis, sed uno cum carne per unitatem.

Præterea Fides vestra credere debet, quòd, Christus Dominus noster, Mediator DEI & hominum factus est, & Reconciliator ad Pacem, Deo Patri pro nobis offerens se in odorem suavitatis. Ideò enim dicebat per Prophetam: *Sacrificium* (h) *& oblationem noluisti, holocausta pro peccato non tibi placuerunt; corpus autem perfecisti mihi... In capite Libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam Deus:* Proprium enim corpus non pro se ipso obtulit, sed pro nobis in odorem suavitatis.

Fratres mei, quis vestrûm ultrà dubitet, Agnum verum & immaculatum pro salute humani generis immolatum, & ab impiis Judæis crucifixum? ipse est, qui nos per admirabilem virtutem, & ineffabilem potentiam Divinitatis suæ redemit, rebellésque & superbos Judæos devicit, & claustra gehennæ expoliavit, educens de vinculis captivatos, emittens de tenebrarum locis carceratos, clamantes, & dicentes: O Triumphator bone Sæculi! O pie debellator diabolicæ fraudis! Te nostra clementissime JEsu in his tormentorum pœnis expectant lamenta: Te, misericors Christe, flebilium in his tormentorum caliginosis locis conclamabant suspiria! Ecce advenisti, quem ab antiquis temporibus expectavimus, libera nos, quem in terrâ positi olim devotè coluimus.

Ipse est, qui post destructionem diaboli, & liberationem Sanctorum de tenebris clamantium, tertiâ die resurrexit, & ascendens in regnum cœleste, sedet ad dexteram Dei Patris. Ipse est Filius Mariæ, quæ Virgo de Spiritu Sancto concepit, quæ in virginitate illibata Deum & hominem peperit, quæ etiam post partum Virgo & Mater Salvatoris permansit: qui se, ùt suprà dictum est, hostiam immaculatam, hostiam Deo placentem obtulit.

Si quis autem dixerit, quia tam pro ipso, quàm pro nobis, Sacrificium se Deo Patri obtulerit: non æternum effugiet supplicium, sed pœnas in interitu cum impiis dabit æternas.

De Spiritu quoque Sancto cum discipulis suis diceret: *Ille* (i) *me clarificabit.* Hoc filii sentientes unum Christum & filium, non velut alterius gloria egentem confitemini gloriam à Spiritu Sancto consecutum, quia ejusdem Spiritus nec superior, nec melior ipso est. Licet verò in substantiâ suâ Spiritus ejus sit, & intelligatur in personâ proprietas secundùm id, quod Spiritus ejus est, & Filius tamen ab

(f) Hebræ. II. 9.
(g) Nestorii error.
(h) Psalmo XXXIX. 7. 8. 9.
(i) Joannis XVI. 14.

ab illo nec est alienus. Appellatus enim est Spiritus veritatis, & veritas Christus est. Igitur à Filio similiter, sicut à Patre, Spiritus Sanctus procedit. Spiritus enim Sanctus miracula per manus Sanctorum Apostolorum faciens, Deum glorificabat JEsum Christum, postquam per gloriosam resurrectionem suam in cœlum, unde pro liberatione animarum nostrarum descenderat, ascendit. Ideò à nobis & nonnullis Catholicis viris Christus creditur Deus naturâ existens, per Spiritum suum, virtutes & gloriosa miracula gentibus per universum orbem dispersis demonstrans. Inde dicebat Dominus noster JEsus Christus, *Quia* (*k*) *de meo accipiet & annunciabit vobis:* Sed nequaquam idem Spiritus Sanctus alterius participatione potens aut sapiens dicitur, quia perfectus est per omnia, & in omnibus, & nullo prorsus indigens bono. Nam Paternæ virtutis & sapientiæ cœlestis, id est, Filii Spiritus Sanctus creditur, & idcircò ipsa re & virtute subsistente virtus & sapientia comprobatur.

Dilectissimi fratres, hæc est Fides recta, & omnibus Catholicis Viris tenenda, quam nisi quisque firmiter & rectè crediderit, non poterit à consortio diaboli liberari.

Unum in substantia, Trinum in personis, confiteamini, ut ad cœleste regnum pervenire, & æternis bonis perenniter gaudere mereamini, ubi gaudent Angeli, lætantur Apostoli, exultat Martyrum turba gloriosa, plaudit Confessorum & Virginum caterva, quos Redemptor mundi perenni laureâ coronat, qui vivit & regnat Deus Omnipotens, Invisibilis, Æternus, Incorruptibilis, cui est honor, laus, decus, imperium, potestas indeficiens, majestas immarcessibilis, gloria perpes, & virtus ineffabilis cum Patre & Spiritu Sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Si quis autem his Decretis contradixerit, à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, anathema sit.

His dictis beatus Pontifex Eleutherius sedit, Catholici autem Viri, qui ad Sanctam Synodum convocati erant, vocem cum gaudio levantes, glorificabant Deum dicentes : Trinitatem in Unitate veneramur & colimus, Unitatem in Substantiâ profitemur, & devotè adoramus.

Econtrà confunduntur Hæretici, deinde à Sancta Synodo recedunt confusi. Synodo autem ad propria revertente, Sanctus similiter Eleutherius ad Aulam suam, quæ in oppidano loco continebatur, cum Catholicis Viris, jam septuaginta & uno existens anno, regressus est.

Acta Sanctorum Antwerp. ad Diem 20. *Februarii. pag.* 191.

Summa Statutorum Synodalium Ecclesiæ Tornacensis, impressa Insulis Anno 1726. *Parte II. pag. I. II. III. ex antiquissimo Codice MS. Bibliothecæ Cœnobii S. Martini Tornaci.*

(*k*) Joannis XVI. 14.



CON-

CONCILIUM TULLENSE.

Theodebaldi Regis juſſu Kalendis Juniis in Tullenſium urbe celebratum, propter moleſtias, quas Nicetius, Epiſcopus Trevirenſis, ab excommunicatis quibusdam patiebatur.

Anno Chriſti DL. Vigilii Papæ XIV. Theodebaldi Regis III.

Ex Sirmondo Tom. I. Conciliorum Galliæ.

Excommunicârat ob inceſtas nuptias Francos aliquos Nicetius, Trevirorum Antiſtes. Quod illi cùm ægriùs ferrent, & contumelioſiùs agerent in Epiſcopum, indicta eſt Theobaldi Regis nutu Synodus in urbe Tullenſium; ad eámque vocatus inter cæteros MAPPINIUS Epiſcopus Remenſis. MAPPINIUS, quia Synodi cauſam ignorabat, ire ſe poſſe negavit, niſi certior fieret. Certior igitur à Rege iteratis literis factus eſt, ſed ſeriùs, quàm ut Synodo adeſſe ad diem dictam liceret. Itaque cùm abfuiſſet, abſentiam ſuam Nicetio per Epiſtolam excuſavit.

MAPPINII EPISCOPI REMENSIS EPISTOLA,

AD NICETIUM EPISCOPUM TREVERENSEM.

Excuſatoria, cur ad Synodum Tullenſem non venerit.

Domino Sancto, & in Chriſto beatiſſimo fratri Nicetio Papæ Mappinius Epiſcopus.

Evangelicæ lectionis doctrina teſtatur: *Regnum* (a) *in ſe diviſum ſtare non poſſe.* Si hoc de mundi amatoribus, & in terrena cupiditate manentibus, rectè & non immeritò creditur; indubitanter rectiùs de ſacerdotum perſonis ſentitur, ſi diſcordantibus votis ac ſtudiis inter ſe dividi comprobentur. Aut quâ fiduciâ conditori noſtro, qui nos in unitate compagis, quod eſt Corpus ſuæ Deitatis, vivere præcepit, preces oblaturi ſumus, ſi nos viciſſim à mutuâ charitate ſeponimus? Ut quodam loco deificus (b) ſermo docet, ſtudere non convenit, ut *Frater fratri adjuvans, ſicut civitas* munita & fortis inconcuſſo fundamine ſtare poſſit: ſcilicet, ut unius fratris mœſtitiæ omnes æquanimiter compatiendo participemus, mutuiſque nos laboribus ſublevemus. Pro quâ re, piiſſime, ac multùm diligende Domine, & frater, indicamus, nos literas filii noſtri Domini Regis Theodebaldi excepiſſe, ut in Tullenſium urbe die Kalendarum Juniarum adeſſe deberem, nullam cauſam evocationis declarantes. Reci-

B 3

[a] Lucæ XI. 17.
[b] Proverbiorum XVIII. 19.

ciprocante pagina indicavimus, nos illuc accedere non debere, quia causam conditionémque nos constabat ignorare. Iteratis scriptis edocuit, beatitudinem vestram, dum aliquos Francorum pro zelo divini timoris corripit, ac pro incestis conditionibus à communione Ecclesiasticâ removet, scandala, seu anxietates multimodas sustinere. De quâ re non mediocriter ingemiscimus, quòd nos relatione vestrâ scire non feceritis, utrum ex Canonicâ lectione damnentur, an pro pastorali diligentiâ corrigantur. Licet nihil novi vos de his rebus invenire posse cognoscimus, quod prisca patrum solertia non potuit reperire: tamen absurdum esse videtur, ut à nobis recipiantur, qui à vobis secundùm seriem Canonum Ecclesiasticâ severitate abdicantur. Novimus enim, si scienter hoc gerimus, quòd criminibus aliorum misceamur: si ignoranter, reatui non subdamur. Quapropter salutantes caritate debita, indicamus, simúlque suademus, ut nos in omnibus participes, tam tribulationem vestrarum incommodis, quam prosperitatum commodis fieri studeatis. Nam nos, mediante capite nostro, quod est Christus, nullis adversitatibus à vestrâ anxietate divellimur, nullisque asperitatibus à vestra caritate dividimur. De quâ re, si tamen præsumptuosi non existimus, indicare præsumimus. Decuerat, ut vestra consolatio pro hujusmodi conditionibus potiùs, quam Regiæ vocationis nos conserere debuisset: quia pari modo, si nobis aliquid simile, quod in posterum arbitramur posse fieri, contigisset, statim ad vestram fraternitatem scripta direxissemus, ut nos congruo tempore vel loco coram positi videremus. Quamquam parere nos Regiis præceptis in bonis rebus, & conveniat, & libeat; tamen non vestris minùs scriptis, si studio caritatis, non supercilio dirigantur despectionis: quia amaritudo vestra dulcedo nostra esse non poterit, nec abjectio vestra absque nostra dejectione constabit; & veneratio vobis debita impensa, à nobis non dinoscitur procul posita. Atque utinam, ut præfati sumus, caritate suadente, ac pagina decurrente, vestram nobis patefieri decrevissetis animorum molestiam: cognoveramus, utrum compatimur molestiis vestris, an delectamur. Nam tacente ut ipsi scitis divina, sola loquente viro humanitas intelligere potest. Hoc tamen pleniùs noverit vestra perfectio, si ad nos iterata scripta Domini Regis ante quinque, vel sex dies Kalendarum Juniarum pervenissent, in die præfato præsentiam humilitatis nostræ in locum habueratis constitutum.

Hæc Sirmondus L.c.



SYNODUS METENSIS.

In causa eligendi Episcopi Arvernensis. Anno Christi DL. Vigilii Papæ XIV. Theodevaldi Austrasiæ Regis III.

Ex Gregorio Turonensi.

CAutinus Archidiaconus Ecclesiæ Arvernensis, cùm Catonem Presbyterum Arvernensem, ab Episcopis destinatum successorem in Cathedra S. Galli, & populorum vota in eum confluere advertisset: suspicatus Catonem promovendum Episcopum, languore simulato, per noctem civitatem Arvernensem egrediens, Theodovaldum Regem petiit, adnuntians transitum Sancti Galli. Quod Rex audiens, vel qui cum eo erant, *convocatis sacerdotibus* apud Metensem civitatem, Cautinus Archidiaconus Episcopus ordinatur. Cùm autem venissent nuntii Catonis presbyteri, hic jam Episcopus erat. Tunc ex jussu Regis traditis ei clericis, & omnibus, quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque, qui cum eo pergerent Episcopis & Camerariis, Arvernos eum direxerunt.

Gregorius Turon. Historiæ Francorum Lib. IV. §. 7.

CON-

CONCILIUM TREVERENSE

SUB

RUSTICO II. ARCHI-EPISCOPO.

In quo S. Goar accuſatus, & Archi-Epiſcopus Judex miraculo damnatus fuit.

Anno Chriſti DLXVI. Joannis III. Papæ VII. Sigeberti Regis Auſtraſiæ V.

Occaſionem huic Synodo dedit calumnia fœda, S. Goari, famâ ſanctimoniæ tum inclareſcenti, impacta, cui purgandæ S. Goar ab Archi-Epiſcopo Ruſtico per duos Legatos Alboinum, & Almannum accitus, comparet coram ſuo Metropolita, in Synodo ſedente, & inſigni miraculo tum ſuam innocentiam, tum Archi-Epiſcopi, qui calumniatoribus faciles aures dederat, imprudentiam graviſſimâ pœnâ ejuſdem demonſtrat.

Ex Mabillone in actis Ordinis S. Benedicti, Sæculo ſecundo. Quibus planè conſentit Biographus anonymus, S. Goari ſubæqualis, editus ab Hagiographis Antwerpienſibus, Tomo II. Julii. pag. 328. aliæque vitæ S. Goaris ab iiſdem Patribus collatæ cum hac edita.

LEgati feſtinanter venientes (*a*) ad Epiſcopum Metropolitanum, invenerunt eum in SYNODO ſedentem in ſolio ſuo, unà cum Clero; narraveruntque ei omnia, quæ eis contigerant, vel quæ facta viderant ab ipſo S. Goar. Quæ, cùm audiſſet, cum iracundiâ cœpit dicere: in quantum intelligentia cordis conſiderare valeo; conſuetudo iſtius pertinacis viri, qui ſic manè comedit & beſtias mulget, ſinè dubio deputanda eſt guloſitati, quàm caritati. Inquirendus eſt tamen, quam ob rem, vel quo humanæ laudis deſiderio hoc faciat, & utrum ex parte Dei ſit, an ex deceptione adverſarii? Vix verba complêrat, & ecce Vir Dei Goar intravit in domum, in quâ ipſe Archiepiſcopus reſidebat. Ingreſſus itaque, cœpit quaquaverſum aſpicere, ſi fortè eſſet locus, ubi ſtare poſſet diſcipulus ſuus, & cappam ſuam pendere, vel abſcondere. Diu ergò circumſpiciens, vidit in angulo domûs, quaſi ſimilitudinem fuſtis, qui certè non erat fuſtis, ſed radius ſolis, qui per feneſtrellam penetrabat interiora manſionis. Cúmque appropiâſſet ad radium ſolis, ſpeciem groſſioris perticæ prætendentis, appendit cappam ſuam ſuper ipſum radium, ibíque ſtare præcepit miniſtrum ſuum. Quod cùm audiſſet Ruſticus Archiepiſcopus unà cum (*b*) Clero ſuo, dixit: Videtis nunc, quid fecit? verè, ſi hæc ex Deo feciſſet, tam manè non comediſſet, & bibiſſet, quia anteriores Sancti per eleëmoſynas & jejunia intraverunt in Regnum Dei. Hoc autem mirabile factum, quod video, quid ſit, omnimodis neſcio. Sed inde non mediocriter ſtupeo: manè comedit & bibit, beſtias mulget, cappam etiam ſuam in radio Solis ſuſpendit. Quid plura? accedat propiùs, & reddat rationem circumſedentibus, ut ſit notum omnibus, ſi ex virtute Dei hæc facit, an ex immiſſione hoſtis antiqui? cúmque interrogatus fuiſſet cultor Trinitatis, reſpondit: Deus, qui es fortis Judex, juſtus & patiens, & nôſti omnia, Tu ſcis, quòd conſentio nihil de adverſarii opere, neque conſentire cupio, neque cappam meam ex radio ſolis pendere ſcio, niſi in fuſte

[*a*] Ex Cella S. Goaris Treveros reverſi. Hæc Cella nunc eſt Oppidum Occidentali Rheni littori incubans Archi-Diœceſis Treverenſis.

[*b*] Erat igitur Synodus Diœceſana.

fuste ruboreo, & illas cervas divinitùs transmisisas per nulla maleficia mulgere volui. Inspiratio autem Omnipotentis Dei, postquam solita fuit hora transacta, ità mihi inspiravit facere, & manè caritativum cibum & potum cum his, qui sunt membra ejus, sumere, quatenus & lacte cervarum officio meo relevarer, & dolore corpora vestrorum legatorum: & edulio jentaculo, matutino tempore cum pauperibus participato, adimplerem Christi præceptum, sicut ipse Dominus novit, qui omnia judicat.

Hæc Viro DEI dicente, venit puer de Clero Treverorum, nomine Leubgisus, portans in brachio suo infantem tres noctes habentem, qui fuerat projectus in illam concham marmoream, sicut est consuetudo Treverorum, ubi pauperculæ fœminæ infantes suos solent jactare. Hæcque consuetudo erat, ut quando aliquis homo de ipsis infantibus projectis misericordiâ motus vellet curam haberi ab illis, quos Nutricarios vocant, matricularis S. Petri compararet, & illi Episcopo istum infantem præsentare deberent, & postea Episcopi auctoritas eundem hominem de illo nutricario confirmabat.

Videns autem Rusticus Treverorum Archiepiscopus illum infantem portari, dicebat: modò investigare poterimus sagaci animo, si ex Deo sunt sapientia & virtutes, quas facit Goar, an ex adversario? Si ex Deo est, faciat nobis cognitum, qui fuit pater ipsius infantuli, & matrem ejus denominet, & credemus. Si verò hæc facere non prævaluerit, feriatur sententiâ capitali. Hæc autem nequaquam dixit propter causam suam, ut ipse cognitor de semetipso esset, sed quia scelera ejus & crimina principalia jam latere non poterant.

Conversus ergò ad virum Dei dixit: Goar: qui respondens, ait, Ecce adsum. Dixit Episcopus: Multa de te audivimus, simul & vidimus, non ego solus, sed & tota plebs hic congregata. Quapropter necesse est, ut ostendas nobis ministerium modò tuum, si verum sit, an falsum. Si verum est, per veram obedientiam præcipio tibi, ut facias istum infantem nobis innotescere genitorem suum & genitricem suam. Si hoc facere potes, credemus tibi, & virtutibus tuis. Sin autem: nihil tibi credere habemus.

Hæc audiens Vir Dei suspiravit graviter, ac lacrymas sinè cessatione fundebat, vehementer admirans, quamobrem Pontifex suorum vituperator operum talem sibi inanem atque ineptam obedientiam facere præcepisset, & oravit Dominum, dicens: CHRISTE FILI DEI, qui temetipsum exinanisti, & formam servi accipere dignatus es, fac mecum quamvis indigno, tamen tuo clientulo, misericordiam tuam, ut cognoscat iste Episcopus, vel plebs ejus, quia te diligo, te adoro, tibi servire cupio, Creator, & Redemptor meus. Et hæc dicens, accessit ad illum hominem, qui illum infantem in brachio gerebat, & dixit ad illum: Quot noctes habet infans iste? Respondit: Tres. Vir Dei Goar, elevatis oculis ac manibus in cœlum, dixit: Trinitas Sancta, Te invoco, atque te infans in nomine Trinitatis conjuro, ut genitorem tuum per nomen denomines & genitricem tuam. Similiter respondens infans dixit: Iste Rusticus Episcopus est Pater meus, & mater mea Aflagia nuncupatur. Quo audito Episcopus cecidit velociter ad pedes B. Goaris, dicens: Nunc scio verè, & credo, Te Sanctum Dei servum fore, cui scelera mea, quæ sic abscondita putabam, ut nullus alius præter me, & illam mulierem, & unum puerum meum, unquam nosse posset, ità sunt tibi patefacta per ipsius nati mei verba.

Hæc audiens B. Goar, stupore miraculi repletus, atque quasi in excessu mentis factus dixit ad eum: Heu! Heu Domine! quare per me miserum peccata tua hactenus latentia facta sunt manifesta? melius quippe fuisset spontanea & secreta coram Deo confessio, quàm ista contra votum tuum ignominiosa publicatio. Quæ licet sit notabilis, non est tamen usquequaque inutilis, nam & verba Domini, qui dixit Discipulis suis: *Nihil* (c) *est opertum, quod non reveletur, nec occultum, quod non sciatur*, evidenter ostendit esse verissima. Et tu propitiâ Divinitate ac salubri confessione, si pœnitueris, pro certo eripieris à maligni damnatione. Quocirca acquiescens consiliis meis, accipe duram & prolixam pœnitentiam ab auctoritate Sacerdotum, ut salveris.

Nota. *Rusticum hunc Archi-Episcopum (quem Browerus ex Wandelberti vitâ S. Goaris, Sæculo nono scripta, ad hunc annum collocat)*

[c] Matthæi X. 26.

locat) non solus Wandelbertus indicat, uti Illustrissimus Hontheimius scribit in Differt. de Scriptoribus Treverensibus §. XIII. *Sed anteriores Biographi S. Goaris, detecti, & citati tum ab Mabillone Sæculo II. in Actis* Ordinis S. Benedicti, & à Joanne Pinio S. J. ad Diem VI. Julii, Tomo hujus Mensis secundo. *Ex quibus Pinius detegit codicem Bertimanum, à* subæquali *anonymo scriptum, collatum cum variis codicibus MSS. Biographi S. Goaris: adeò, ut inter veteres Archiepiscopos Trevericos pauci sint, tam clarè ex scriptis demonstrati, quàm Rusticus hic secundus.*

CONCILIUM METENSE.

In quo Ægidius, Remensis Episcopus, ob Regem Chilpericum cæsum obtentâ vitâ, Episcopatûs Gradu dejectus est ex Sententia Concilii Episcoporum, Moniales verò Pictavienses antea excommunicatæ in communionem receptæ fuerunt.

Anno Christi DXC. Gregorii Magni Papæ I. Childeberti Francorum in Austrasia Regis XV.

Ægidius, qui particeps Regiæ cædis ferebatur, veniam à Childeberto Rege impetraverat, teste Gregorio Turonensi L. IX. cap. XIV. Verùm, cum Sunnegisilus tormentis adactus criminis memoriam renovâsset, & Ægidium complicem prodidisset, de variis etiam aliis criminibus suspectum; Synodi examen subire debuit, & Episcopatu dejicitur. Ex eodem Gregorio L. X. cap. XIX.

In hoc eodem Concilio Chrodieldis (Chariberti Regis Filiæ, quæ Leubover æ Abbatissæ suæ in Monasterio Pictaviensi rebellis, cum Basina consobrina sua, & aliis ampliùs XL. Puellis Monasterio egressa, ad Episcopos, & Regem Guntrammum conversa, Abbatissam Leuboveram multis convitiis, & criminationibus laceraverat) causa instaurata. Episcopi utriusque Regni in Concilio Pictaviensi reluctantes Moniales damnaverant, & excommunicaverant anno 589. *Sed causa denuò examinatâ in Concilio Metensi, Moniales supplices à Rege veniam meruerunt, & diversis levioribus modis coercitæ fuerunt.*

Gregor. Turon. L. X. §. XX. Ex quo Concilii Historiam damus.

IN his tormentis Sunnegisilus non solùm de morte Chilperici Regis, verùm etiam diversa scelera admisisse confessus est. Inter quas confessiones addidit, etiam Ægidium, Remensem Episcopum, socium fuisse, in illo Rauchingi, Ursionis, ac Berthefridi Consilio ad interficiendum Childebertum Regem.

Nec mora rapitur Episcopus, & ad Mettensem urbem, cùm esset valde ab ægrotatione longinqua defessus adducitur, ibiq; sub custodia degens, Rex Episcopos arcessiri ad ejus examinationem præcepit, scilicet, ut initio mensis octavi apud Viridunensem urbem adesse deberent. Tunc ab aliis sacerdotibus increpitus, cur hominem absque audientiâ ab urbe rapi, & in custodiam retrudi præcepisset,

ſet, permiſit eum ad urbem ſuam redire, dirigens Epiſtolas, ùt ſuprà diximus, ad omnes Regni ſui Pontifices, ut medio menſe nono ad diſcutiendum in urbe ſupradicta adeſſe deberent. Erant autem pluviæ validæ, aquæ immenſæ, rigor intolerabilis, diſſolutæ luto viæ, amnes litora excedentes. Sed præceptioni Regiæ obſiſtere nequiverunt. Denique convenientes, pertracti ſunt uſque Mettenſem urbem: ibique & præfatus Ægidius adſuit. Tunc Rex inimicum eum ſibi, regionſque proditorem eſſe pronuntians, Ennodium ex duce (a) ad negotium delegit proſequendum, cujus propoſitio prima hæc fuit. Dic mihi, ô Epiſcope! quid tibi viſum fuit, ut relicto Rege, in cujus urbe Epiſcopatûs honore fruebaris, te Chilperici Regis amicitiis ſubderes, qui ſemper inimicus Domino noſtro Regi fuiſſe probatur, qui patrem ejus interfecit, matrem exilio condemnavit, regnúmque pervaſit, & in iis urbibus, quas, ùt diximus, iniquo pervaſionis ordine, ſuo Dominio ſubjugavit, tu ab eodem poſſeſſionum fiſcalium prædia meruiſti? Ad hæc ille reſpondit: quòd fuerim amicus Regis Chilperici, negare non potero, non tamen contra utilitatem Regis Childeberti hæc amicitia pullulavit, villas verò quas memoras, per iſtius Regis chartas emerui. Tunc proferente eaſdem in publico, negat Rex, ſe largitum fuiſſe: requiſitúſque Otto, qui tunc Referendarius fuerat, cujus ibi ſubſcriptio meditata tenebatur, adſuit, negat ſe ſubſcripſiſſe. Conficta enim erat manus ejus in hujus præceptionis ſcripto. In hac igitur cauſa primùm Epiſcopus fallax repertus eſt. Poſthæc epiſtolæ prolatæ ſunt, in quibus multa de improperiis Brunichildis tenebantur, quæ ad Chilpericum ſcriptæ fuerant: ſimiliter & Chilperici ad Epiſcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur inſertum: Quia ſi radix cujuslibet rei inciſa non fuerit, culmus, qui terris eſt editus, non areſcet. Unde prorſus manifeſtum eſt, ideò hæc ſcripta, ut ſuperatâ Brunichilde, filius ejus opprimeretur. Negavit ſe Epiſcopus has Epiſtolas vel miſiſſe ſuo nomine, vel ſuſcepiſſe à reſcripto Chilperici. Sed puer ejus familiaris adſuit, qui hæc notarum titulis per tomos chartarum comprehenſa tenebat: Unde non dubium fuit reſidentibus, hæc ab eodem directa. Deinde prolatæ ſunt pactiones, quaſi ex nomine Childeberti ac Chilperici Regis, in quibus tenebatur inſertum, ut ejecto Guntchramno Rege, hi duo Reges inter ſe ejus regnum urbéſque dividerent: Sed negavit hæc Rex cum ſuo factum conſilio, dicens: Quid tu commiſiſti patruos meos, ut inter illos bellum civile conſurgeret, unde factum eſt, ut commotus exercitus Biturigas urbem, pagúmque Stampenſem, vel Mediolanenſe Caſtrum attererent atque depopularentur: in quo bello multi interemti ſunt, quorum, ùt puto, animæ erunt Dei judicio de tuis manibus requirendæ? Hæc Epiſcopus negare non potuit. Scripta enim iſta in regeſto Chilperici Regis in uno ſcriniorum pariter ſunt reperta: ac tunc ad eum pervenerunt, quando interemto Chilperico, theſauri ejus de Calenſi Pariſiacæ urbis villa ablati, ad eumdem delati ſunt. Cúmque de hujuſcemodi cauſis altercatio diutiùs traheretur, adfuit & Abbas Epiphanius Baſilicæ Sancti Remigii, dicens, quod duo millia aureorum, ſpeciéſque multas pro conſervanda Regis Chilperici amicitia accepiſſet: adſtiterúntque etiam & Legati, qui cum eodem ad memoratum Regem fuerant, dicentes: Quia nobis relictis, diutiùs cum eodem ſolus conlocutus eſt: de quibus verbis nihil intelleximus, niſi ſupradicti excidii proſecutionem impoſterum cognoſcentes. Hæc eo negante, Abbas qui fuerat ſemper in iis Conſiliorum arcanis particeps, locum hominémque denominat, ubi, & qui aureos, quos diximus, detuliſſet, & qualiter de excidio regionis ac Regis Guntchramni, conventum fuerat, ùt geſtum eſt, ex ordine denarravit. Quæ & ille convictus, deinceps eſt confeſſus. Hæc audientes Epiſcopi qui advocati fuerant, & in tantis malis ſacerdotem Domini contuentes fuiſſe ſatellitem, ſuſpirantes, de iis triduani temporis ſpatium deprecantur tractandi, ſcilicet ut forſitan reſipiſcens Ægidius ullum modum reperire poſſet, per quem ſe ab iis noxis, quæ ei objiciebantur, excuſare valeret: Sed inluceſcente die tertiâ, convenientes in Eccleſiam, interrogant Epiſcopum, ſi ali-

(a) Ennodius ante paucos annos fuerat Turonum, Pictonum, Vicojulienſium, ſeu Arturenſium ac Benearnenſium Dux, *Eccart.*

aliquid excusationis haberet, ediceret; at ille confusus ait: ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. „ Nam ego novi me ob crimen Majestatis reum esse mortis, qui semper contra utilitatem hujus Regis matrisque ejus abii: ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina novi, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt. Hæc Episcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtentâ vitâ, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis canonum Sanctionibus, removerunt: qui statim ad Argentoratensem urbem, quam nunc Strateburgum vocant, deductus, exsilio condemnatus est. In cujus locum Romulfus, filius Lupi ducis, jam presbyterii honore præditus, Episcopus subrogatus est, Epiphanio, Abbatis officio, qui basilicæ Sancti Remigii præerat, remoto. Multa enim auri, argentique in hujus Episcopi regesto pondera sunt reperta. quæ autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus thesauris sunt inlata; quæ autem de tributis, aut reliqua ratione Ecclesiæ inventa sunt, inibi relicta.

Altera Actio ejusdem Synodi
DE
SANCTIMONIALIBUS PICTAVIENSIBUS.

§. II. In hac synodo Basina Chilperici Regis filia, quam suprà cum Chrodielde à Communione remotam diximus, coram Episcopis solo prostrata, veniam petiit, promittens se cum caritate Abbatissæ monasterium ingredi, ac de Regula nihil transcendere. Chrodieldis autem obtestata est, quòd Leoboverâ Abbatissâ in hoc monasterio commorante, ibidem nunquam ingrederetur. Sed utrisque Rex veniam imperiri deprecatus est: & sic in communionem receptæ, Pictavo regredi jussæ sunt: scilicet, ut Basina in monasterium, ùt præfati sumus, regrederetur: Chrodieldis verò in Villa, quæ quondam Waddonis, superiùs memorati fuerat, sibi à Rege concessa resideret.

Gregorius Turonensis Lib. X. Historia Francorum §. XIX. & XX. pag. 511. Editionis Ruinarti.
Flodoardus Historiæ Ecclesiæ Remensis Lib. II. cap. II. ex his Binius Tom. II. Part. II. pag. 300., tum Sirmondus & juniores Synodographi.

GREGORII PAPÆ
EPISTOLA
AD
THEODORICUM & THEODEBERTUM
REGES FRANCORUM.

Anno Christi DIC. Gregorii Papæ anno X.
Theodeberti Regis Austrasiæ IV.

Quòd multi per Simoniam ordinentur, tributa à prædiis Ecclesiasticis exigantur, ex Laicis repente fiant Episcopi. Ut Synodum ad hæc emendanda futuram promoveant; statuântque, ne Judæis Christiana mancipia habere liceat.

Gregorius Theodorico & Theodeberto Regibus Francorum, à paribus.

CUm Regni vestri nomen inter cæteras gentes gratia olim Christianæ Religionis effulserit, valde studendum est, ut unde gloriosiores cæteris gentibus emineris, inde omnipotenti Domino, qui dat salutem Regibus, perfectiùs placeatis, & fidem, quam colitis, adjutricem in omnibus habeatis. Optaveramus

mus quidem, Præcellentiſſimi filii, noſtrum ad vos ſolita (a) dirigere viſitatione ſermonem, ut caritatis officiis paternum monſtraremus affectum; ſed quia nimium nos res contriſtat illicita, ſic unum convenit exhibere, ut aliud ſub ſilentio, quod emendatione indiget, minimè relinquamus. Quodſi diligenter attenditis, pro ſalutis veſtræ nos loqui prorſus incolumitate cognoſcetis. Fertur autem ſimoniacam hæreſim, quæ prima contra Dei Eccleſiam diabolicâ ſupplantatione ſurrepſit, & in ipſo ortu ſuo telo Apoſtolicæ ultionis percuſſa ac damnata eſt, in Regni veſtri finibus dominari, cùm in ſacerdotibus ſit fides eligenda cum vita. Si enim vita deeſt, fides meritum non habet, Beato Jacobo atteſtante, qui ait: *Fides* (b) *ſinè operibus mortua eſt.* Quæ enim opera eſſe valeant ſacerdotis, qui honorem tanti Sacramenti convincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, ut ipſi quoque, qui ſacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere ſtudeant, ſed divitias, quibus honor ſacer emitur, ſatagant congregare. Hinc fit etiam, ut inſontes & pauperes à ſacris ordinibus prohibiti deſpectique reſiliant: & dum innocentia pauperis diſplicet, dubium non eſt, quòd præmium illic delicta commendet: quia ubi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non ſolum in ordinatoris & ordinati animam lethale vulnus infligitur, verùm etiam Excellentiæ veſtræ Regnum, veſtrorum Epiſcoporum culpâ, quorum magis interceſſionibus juvari debuerat, prægravatur, ſi enim is dignus ſacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copia ſuffragatur, reſtat, ut nil ſibi ad honores Eccleſiaſticos gravitas, nil defendat induſtria, ſed totum auri profanus amor obtineat. Et dum vitia remunerantur honore, in locum ultoris is, qui fortaſſe fuerat ulciſcendus, adducitur, atque hinc ſacerdotes non proficere, ſed perire potiùs judicantur. Vulnerato namque Paſtore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis ſe hoſtilibus feriendum exponit? aut qualem de ſe fructum producturus eſt, cujus gravi peſte radix infecta eſt? Major ergò metuenda eſt locis illis calamitas, ubi tales interceſſores ad locum Regiminis adducuntur, qui Dei in ſe magis iracundiam provocent, quàm per ſemetipſos populis placare debuerant. Audivimus autem, quia Eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna ſuper hoc admiratione ſuſpendimur, ſi ab eis illicita quærantur, accipi, quibus etiam licita relaxantur. Nec hoc quoque malum ſollicitudo noſtra patitur negligenter omittere, quòd quidam inſtinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repente habitu Sacerdotii honorem arripiunt, & quod dicere pudet, & grave tacere eſt, regendi Rectores, & qui docendi ſunt, Doctores, nec erubeſcunt (c) fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnis ignota ductoris eſt, & quo vel ipſi gradiantur, ignari ſunt. Quod quàm pravum, quàmque temerarium ſit ſæculari etiam ordine & diſciplinâ demonſtratur. Nam dum Dux exercitûs non niſi labore, & ſollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces eſſe debeant, qui ad Epiſcopatûs culmen immaturâ cupiunt feſtinatione conſcendere, hujus ſaltem rei comparatione conſiderent, & aggredi repentè inexpertos labores abſtineant, ne cæca honoris ambitio, & ipſis in pœnam ſit, & aliis peſtifera erroris ſemina jaciat: quippe, qui non didicerunt, quod ipſi doceant. Proinde paterno ſalutantes affectu petimus, præcellentiſſimi Filii; ut hoc tam deteſtabile malum de Regni veſtri ſtudeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excuſatio, nulla contra animam veſtram ſuggeſtio locum inveniat: quia facientis procul dubio culpam habet, qui, quod poteſt corrigere, negligit emendare. Qua de re ut magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre: SYNODUM congregari præcipite, in qua ſicut Fratribus & Coepiſcopis noſtris mandavimus, præſente dilectiſſimo Filio noſtro Cyriaco Abbate, ſub anathematis debeat obligatione conſtitui, nullum pro Eccleſiaſtico Ordine aliquid unquam dare, nullum accipere, nec quemquam ex laicis ad Sacerdotium repente tranſire; quatenus hanc vobis mercedem, & hîc, & in futura vita Redemptor noſter, cujus Sacerdotes interiùs ab hoſte perire non ſinitis, recompenſet. Omninò præterea admirati ſumus, quòd in Regno veſtro Judæos Chriſtiana mancipia poſſidere permittitis. Quid enim ſunt Chriſtiani omnes, niſi membra Chriſti? Quorum videlicet membrorum caput

(a) *Solâ alii.* (b) Jacobi II. 18. (c) *Videri alii.*

put cuncti novimus, quia fideliter honoratis. Sed quam diversum sit, Excellentia vestra perpendat, caput honorare, & membra ipsius hostibus calcanda permittere. Atque ideò petimus, ut Excellentiæ vestræ constitutio de Regno suo hujus pravitatis mala removeat: ut in hoc vos ampliùs dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis, quod fideles illius ab inimicis ejus absolvitis.

Est hæc Epistola 114. *Libri VII. Regesti in Indictione II. sed in Editione Parisina Operum S. Gregorii de anno* 1705. *est Epistola CX. Lib. IX. Registri pag.* 1015.

Descripta à Sirmondo Tomo I. Concilior. Galliæ ad annum Christi 599. *Chlotarii II.* 15*tum.*

Digressio de Conciliis Sæculi VI. extra Germaniam, quibus Episcopi nostri interfuerunt.

ANno DXXXV. Synodus celebrata fuit Arverni sub Theodeberto Austrasiæ Rege, in qua Canonibus XVI. de Disciplina Ecclesiastica sancitis, præter decem Franciæ Episcopos, subscripserunt hi ex Germania:

Nicetius, Deo propitio, Episcopus Ecclesiæ Treverorum, consensi & subscripsi.

Domitianus, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Coloniensis, consensi & subscripsi.

Hesperius, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Metensis, consensi & subscripsi.

Desideratus, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Viridunensis, consensi & subscripsi.

Grammatius, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Vindonissæ (nunc Constantiensis) consensi & subscripsi.

Subjicitur Epistola Synodica Patrum Concilii Arvernensis, ad Theodebertum Austrasiæ Regem scripta, quâ petitur ut Clerici, alilque, qui Regum aliorum Dominio subjacent, possessionibus, quas in ejus Regno jure obtinent, non fraudentur.

Binius Tomi II. Parte I.

Sirmondus Tomo I. Concilior. Galliæ p. 241.

DXLIX. Kalendis Novembris, Concilio Aurelianensi V. in Gallia celebrato, damnati fuere NESTORII & EUTYCHETIS errores, præsentibus ex Austrasia Episcopis, hac formulâ subscribentibus:

Nicetius, Gratia Domini Episcopus Trevericæ Civitatis, consensum meum, vel Dominorum meorum relegi, & subscripsi.

In Christi nomine Urbicus, Episcopus Civitatis Vesontiensis, consensi & subscripsi.

In Dei nomine Rufus, Episcopus Ecclesiæ Octodurensium (Martiniaci in Helvetia) consensi & subscripsi.

Domitianus, Episcopus Ecclesiæ Tungrensis, subscripsi.

Desideratus, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Veredunensis, subscripsi.

Alodius, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Tullensis.

Binius Tomi II. Parte I. ex quo Sirmondus & cæteri posteriores.

Callas, Annal. Ecclesiasticor. Germaniæ L. VIII. No. LXXVII.

DXLIX. Paulò post proximam Synodum secuta est alia in Arvernis habita, in qua Aurelianensis Concilii canones in pauciores redacti, & à X. Episcopis, inter quos iterum NICETIUS Treverensis erat, confirmati sunt.

Binius loco citato. Ex quo Sirmondus, Labbé, Tomo V. Concilior. pag. 1390.

DLV. Parisiensi secundo concilio subscripsit inter Franciæ Episcopos *Nicetius Treverensis.*

Binius Tomo II. Parte II. Concilior. p. 201. *ex quo Sirmondus, & posteriores*

DXC. Synodus Pictaviensis in causa Monasterii Pictaviensis. Childebertus Rex (audiens Chrodieldis Filiæ Chariberti, quondam Regis, Monialis perduellis tumultum contra Leuboveram Abbatissam suam) Legationem ad Guntramnum Regem direxit, ut scilicet Episcopi conjuncti de utroque Regno (Austrasiæ & Neustriæ) hæc, quæ gerebantur sanctione Canonica emendarent. Ob hanc causam Childebertus Rex (*Austrasiæ*) mediocritatis nostræ personam (*id est: Gregorium Turonensem Episcopum, cujus verba describo*) cum EBREGISILO Agrippinensi, & ipso urbis Pictavæ, Maroveo Episcopo, jussit adesse: Guntchramnus verò Rex Gundegisilum Burdigalensem cum Provincialibus suis, eò quòd ipse Metropolitanus huic urbi (Pictavorum) esset.

Gregorius Turonensis L. X. Historia Francor. pag. 503. *Edit. Ruinarts.*

Subjungit & Judicium Episcopale Regibus missum, quo Abbatissa deposita restituitur, & Moniales perduelles à communione suspenduntur.

Binius Concil. Tomo II. Parte II pag. 299. *sed refert ad annum Christi* 593. *sub Gregorio Magno & Childeberto Rege.*

DXC. DXIC. Kalendis Martii varii conventûs habiti fuere à CHILDEBERTO cum optimatibus & luidis suis (quos inter Episcopi ordinariè erant) Antonaci (*Andernaci*) Trajecti ad Mosam, & Coloniæ.

In his Conventibus nonnisi politica pacis, & belli negotia tractabantur: Duo tamen in iis, & ex iis adnotanda sunt pro Ecclesia & Ecclesiarum bono.

Primum. In Conventu Antonacensi Decretum fuit, ut qui Episcopum prædicantem noluerit audire, & excommunicatus fuerit, primò perennem condemnationem apud Deum sustineat. 2. Insuper de Palatio Regio sit omninò extraneus. 3. Omnes facultates suas Parentibus [a] legitimis amittat, qui noluerit Sacerdotis sui medicamenta sustinere.

(a) *Parentibus* ponitur pro Agnatis.

Secundum. In Conventu Coloniensi fuère decretæ pœnæ Diem Dominicum non observantibus. „ Die Dominico similiter placuit observari, ut si quiscunque ingenuus, excepto, „ quod ad coquendum, vel manducandum pertinet, opera alia in die Dominico facere præsumpserit, si Francus fuerit, solidos quindecim componat; si Romanus, septem & dimidium; Servus verò, aut tres solidos reddat, aut de dorso suo (b) componat.

(b) Fustigatione puniatur.

Baluzius Tomo I. Capitular. pag. 17. 18. 19.



SÆCULUM SEPTIMUM.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA AD THEODORICUM REGEM FRANCORUM.

Anno Christi DCI. Gregorii Papæ XII. Theoderici Regis Burgundiæ VI.

Iterum hortatur ad Synodum convocandam & Monachos in Angliam directos commendat.

Gregorius Theodorico Regi Francorum.

EXcellentiæ vestræ index cordis Epistola quanta in vobis fulgeat cum Regia potestate prudentia, ita luculenti copia sermonis edocuit, ut dubium esse non valeat, quidquid laudabile de vobis fama narraverit. Et quoniam adhortationem nostram adeò Regiis animis vestris per laudis prædicamenta placuisse signastis, ut quidquid ad Dei nostri cultum, quidquid ad Ecclesiarum reverentiam, quidquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum & studiose statui, & velitis in omnibus custodiri: iterata vos pro vestra magis mercede ad hortatione pulsamus, ut congregari SYNODUM jubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus vitia, & Simoniacæ hæreseos pravitatem omnium Episcoporum definitione damnari, atque de Regni vestri finibus amputari faciatis, nec plus illic pecuniam obtinere, quàm præcepta Dominica permittatis. Nam cùm omnis avaritia (a) idolorum sit servitus, quisquis hanc & maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus, vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem, quam negligit, videatur. Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoque contra interiores animarum adversarios studete esse solliciti: ut per hoc, quod Dei nostri inimicis fideliter repugnatis, & hic feliciter ipsius protectione regnetis, & ad æterna postmodum gaudia ejus duce gratia veniatis. Quanta præterea bona Reverendissimo fratri & Coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem proficiscenti Excellentia vestra præbuerit; revertentes ab eo quidam monachi retulerunt, unde uberes gratias referentes petimus, ut his quoque monachis, qui ad eum directi sunt, suffragia vestra copiosiùs præbere,

(a) Gratianus 1. Qu. 1. C. 10. cùm omnis.

bere, atque eos ad proficiſcendum juvare dignemini, ut quanto beneficia veſtra eis ampliùs adhibetis, tanto majorem viciſſitudinem ab omnipotente Deo, cui ſerviunt, expectetis. Menſe Julio Indictione IV.

Eſt hæc Epiſtola S. Gregorii Papæ 53tia Libri IX. in nova Editione Pariſina anni 1705. *Lib. XI. Indict. IV. N.* 59.

Relata à Sirmondo Tomo I. Conciliorum Galliæ ad A.C. 601. *Chlotarii II. XVI.*



GREGORII PAPÆ EPISTOLA

AD

THEODEBERTUM REGEM FRANCORUM.

Anno Chriſti DCI. Gregorii Papæ XII. Theodeberti Auſtraſiæ Regis VI.

Hortatur ad Synodum congregandam, & Monachos ad Angliam convertendam miſſos commendat.

Gregorius Theodeberto (a) Regi Francorum.

QUi paternæ adhortationis verba libenti animo ſuſcipit, & ſinu cordis amplectitur, emendatorem ſe vitiorum fore proculdubiò profitetur. Ex qua re ſatis nos Excellentiæ veſtræ certos reddit abſoluta promiſſio. Nam ejus, quem idoneum ad ſolvendum eſſe cognoſcimus, verba pro pignore retinemus. Itaque Excellentia veſtra Dei noſtri mandatis inhærens, ſtudium ad congregandam SYNODUM pro ſua mercede adhibere dignetur, ut omne à ſacerdotibus corporale vitium, & Simoniaca hæreſis, quæ prima in Eccleſiis iniqua ambitione ſurrexit, poteſtatis veſtræ imminente cenſurâ, *Concilii definitione* tollatur, & abſciſſâ radicibus amputetur: ne ſi plus illic aurum quàm Deus diligitur, qui modò tranquillus in ſuis præceptis deſpicitur, iratus poſtmodum in vindictâ ſentiatur. Et hæc quidem, quia pro vobis loquimur, idcirco imminere ſæpius non ceſſamus, ut prodeſſe excellentiſſimis ac dulciſſimis filiis noſtris vel importunitate poſſimus. Nam Regno veſtro per omnia proficit, ſi quod contra Deum in illis partibus geritur, emendatione Excellentiæ veſtræ corrigatur. Quanta præterea bona proficiſcenti ad Anglorum Gentem Reverendiſſimo fratri, & coepiſcopo noſtro Auguſtino Excellentia veſtra impenderit, referentibus quibuſdam Monachis, qui ab eo reverſi ſunt, cognovimus, de qua re maximas gratias exolventes petimus, ut & Monachis præſentium portitoribus, quos ad eundem Fratrem noſtrum direximus, veſtra uberius beneficia miniſtretis: quatenus dum vobis patrocinantibus nullas illic difficultates invenerint, ſed cœptum iter facilè Chriſto juvante peregerint, uberiorem mercedis veſtræ fructum, ante Dei noſtri oculos faciatis. Menſe Julio indictione IV.

Eſt hæc Epiſtola S. Gregorii Magni 54ta Lib. IX. ſed in Editione Pariſina 1705. *eſt Epiſtola LX. Libri IX. indictione IV.*

Relata à Sirmondo Tomo I. Conciliorum Galliæ pag. 455. *ad annum Chriſti* 601, *Chlotarii II. Regis 16tum.*

Con-

(a) Theodebertus, Auſtraſiorum Francorum Rex, & Filius natu major poſtponitur in Epiſtola *antecedente* Theodorico Fratri ſuo, Burgundionum Regi, eâ de cauſâ, quia Nuntii literarum bajuli Româ in Franciam venientes priùs Theodoricum in ſua Regia Cabilloni reſidentem adituri erant, quàm Theodebertum Metis in Metropoli Regni Auſtraſiæ. *Hæc conjectura Clmi Hadriani Valeſii rerum Francicarum Lib. XVI, & Guſſanvillæi & Benedictinorum, qui ultimam Editionem Operum S. Gregorii accurarunt anno* 1705.



CONCILIUM CONSTANTIENSE.

Mortuo Gaudentio (a) Conſtantienſi Epiſcopo, Gunzo Dux Alemanniæ, Synodum Epiſcoporum cogit, & S. Gallum deſignat Epiſcopum; quo ſe excuſante, & varias cauſas allegante, Joannes à S. Gallo Epiſcopus deſignatus, Cleri, & Populi votis eligitur.

Anno Chriſti DCXVI. Deusdedit Papæ III. Lotharii Monarchæ Francorum III.

Ex Surio ad Diem XVI. Octobr. & Goldaſto Rerum Alemannicarum Tom. I. Part. II.

POſt hæc Dux, ſæpè jam dictus, per Epiſtolam ſuam Virum Dei rogavit, ut ad Conſtantiam oppidum perveniret, ad eligendum, qui eidem ſedi præficeretur, antiſtitem. Advocavit autem Auguſtodunenſem, & Virduncnſem Epiſcopos cum multitudine Clericorum. Nemidone etiam, quæ à modernis Spira vocatur, venire fecit Epiſcopum: nec non per Nuncios & Epiſtolas ſuas totius Alemanniæ Presbyteros, Diaconos, univerſáſque Clericorum copias, generaliter die denominata, id eſt, proximâ Paſchæ Dominicâ, apud Conſtantiam convenire præcepit. Ipſe quoque cum Principibus & Comitibus ſuis huic intererat conventui. Cúmque hæc Synodus tantæ multitudinis celebraretur acceſſu, & trium ſpatio denunciaretur futura dierum, Beatiſſimus Gallus, Divino plenus conſilio, aſſumptis Joanne & Magnoaldo, Diaconatûs officio ſublimatis, perrexit ad oppidum: ingreſſóque eo locum Concilii, Dux hujuſmodi verba profudit: Deus omnipotens, cujus providentiâ totum corpus Eccleſiæ augmentatur, & regitur: per interventionem & meritum Beatæ Mariæ ſemper Virginis, in cujus honore locus iſte conſecratus eſt, effundat hodie ſuper nos Spiritum Sanctum ad eligendum Pontificem, qui ad regendam plebem fidelium ſit idoneus, & ad gubernandam Eccleſiam DEI Paſtorali ſit diligentiâ plenus. Admonuit deinde Pontifices & omnem Clerum, ut juxta ſaluberrima canonum decreta, Rectorem Eccleſiæ providerent. Cœperunt autem omnes Clerici ad invicem dicere: Gallus iſte teſtimonium habet bonum ab omnibus, qui ejus vitam noverunt: In Scripturis Divinis Scientiæ culmen obtinuit, & in omni vitæ honeſtate ſapientiæ luce refulget: Juſtitiæ autem vitæ caſtitatem corporis ſociavit, manſuetudinem cum humilitate poſſedit: continentiæ verò ſalutari patientiam junxit. Largitor eſt eleemoſynarum, orphanorum Pater, in viduarum ſolatiis alacer. Hunc omnium Sectatorem virtutum decet eſſe Paſtorem populorum. His auditis, Dux dixit ad illum: Audis, quid iſti loquuntur & affirmant? Sanctus Pater reſpondit: Bene quidem dicunt: utinam verum eſſet, quod fatentur. Cùm autem invicem talia tractant, neſciunt in canonibus eſſe prohibitum, ne aliqui de locis ſuis commigrantes, aliis facilè ordinentur in locis. Eſt verò mecum Diaconus quidam nomine Johannes, vicinorum indigena locorum, cui meritò teſtimonium, quod iſti mihi dederunt, poteſt aptari. Hunc Divino credens electum judicio, vobis offero, promovendum.

Cúmque hac atteſtatione Vir Sanctiſſimus in Johannem cunctorum concitaret amorem (neque enim aliud de illo credere poterant, quàm quod vir Deo charus aſſeruit) Dux Diaconum venire fecit in medium: Tu es, inquiens, Joannes Diaconus? Et reſpondit: Ego planè. Unde, ait, ducis propaginem generis? & dixit: in Rhetiâ Curienſi mediocri natalium digniate ſum pro-

(a) Mortem Gaudentii Epiſcopi CRUSIUS refert ad annum Chriſti DCL. ECCART Rerum Franciæ L. XI. N. XVIII. ad A. C. DCXXII, Sigiſmundus Calles in Annalibus Eccleſiaſticis Germaniæ ad annum D. XVI.

procreatus. Dux verò ad illum: Potésne, inquit, pontificalis infulæ pondus subire? Tunc venerabilis GALLUS se pro filio responsurum promisit. Et dum hæc mutuo sermonum commercio pertractarent, subtraxit se Diaconus, & fugiens, latibulum quæsivit in Ecclesiâ Sancti Stephani Martyris, quæ est extra oppidum. Secuti sunt autem sacerdotes cum plebe, & apprehensum, lachrymis perfusum felicibus, licet renitentem, in præsentiam Pontificum pertraxerunt & Ducis: & levaverunt omnes pariter vocem, dicentes: Joannem elegit sibi Dominus Pontificem hodie: & respondit omnes populus, Amen. Episcopi itaque duxerunt cum ad altare, & solenni benedictionis officio ordinaverunt antistitem. Consummatóque sacræ promotionis ministerio, rogaverunt eum, sacrificii salutaris celebrare mysteria. Præmissis ergò ex more divinæ libationis initiis, post lectionem Evangelii rogaverunt venerabilem Gallum, ut multitudini, quæ aderat, verbi officio sacræ instructionis pabulum ministraret. Qui assumpto Joanne Episcopo, gradum ascendit, eo videlicet pacto, ut ipse quidem ædificationis instrumenta colligeret, Episcopus verò ad utilitatem barbarorum bene prolata interpretando transfunderet. Cœpit ergò verbum facere de initio creaturarum, & Adæ peccatum, pro quo depulsus est de paradiso, commemorare. Transiens inde ad diluvium, Patriarcharum consequenter tempora perstrinxit & actus. Egressum quoque filiorum Israël de Ægypto, & transitum per mare rubrum, legísque lationem per Moysen, & cœlestis alimenti miracula replicavit. Regum deinde successiones & tempora Prophetarum breviter attingens, adventûs Dominici tempus retexuit. Baptismum etiam Salvatoris, & mirabilium ejus gloriam commemorans, Crucis ignominiam cum impiis insectationum generibus veraci relatione subjunxit. Hæc audientes Ecclesiæ Pastores, cum populi multitudine lachrymas fuderunt uberrimas, & ad invicem dixerunt: verè Spiritus Sanctus locutus est hodie per os viri istius. Ille verò prædicationem perduxit usque ad resurrectionem Christi, & in commemoratione Generalis Judicii terminavit. Omnes ergò, qui aderant, alacri mentis exultatione repleti, benedicebant Dominum, & ad sua cum gaudio remeabant. Doctor itaque venerabilis manens apud Joannem Episcopum septem diebus, inter multa salutiferæ consolationis verba, hæc sæpiùs inculcavit: Quem Deus elegit, homo non despiciet: sed erit omnium venerátione sublimis, quem divinum commendat judicium. Deinde acceptâ ab eo benedictione, reversus est ad Cellulam suam. Episcopus autem jussit his, qui rebus Episcopi præerant, ut ad virum Dei cum sibi subjectis venirent, & ejus obtemperarent jussioni.

Walafridus Strabo in vita S. Galli editus à Surio ad Diem XVI. Octobris.
Acta Ss. Ordinis S. Benedicti. Tomo II. pag. 243. à Mabillone edita.

CONSILIUM PROCERUM
ET EPISCOPORUM MOGUNTIÆ,
Quo audito Dagobertus Rex donat Amando civitatem Laudemburg ad Basilicam S. Petri Wormaciæ.
Anno Christi DCXXXVI. Honorii Papæ XI. Dagoberti Primi VI.

DAgobertus Rex Francorum. Cunctos nôsse volumus, qualiter nos de remedio animæ nostræ & de futurâ retributione cogitantes, omnino proposuimus in animo nostro, Ecclesias Dei de allodiis nostris cohæredes facere, & loca Sanctorum augmentare. De hoc tulimus bonum *Consilium Procerum* nostrorum, Pippini, qui est major domûs, Arnolfi Metensis Episcopi, Humberti(b) Colo-

D

(b) Pro Chunibetti. *Cunibercht legit Schannatus.* Varia est enim ejus vocis scriptura in variis diplomatibus.

Colonienfis Archiepifcopi: & inde mifericordiam Domini confequi & ejus Sanctorum fuffragia promereri confidimus. Ideo omnes Dei Fideles & noftri præfentes, & futuri, recognofcite, qualiter omnes res juris noftri in pago Laudemburgenfi (c) & quidquid ad noftrum ufum ambulare vifum eft, & omne, quod ad fifcum noftrum hactenus pertinebat (excepto ftipe & comitatu) ex eo nihil dimittentes, tradimus totum ex integro, magnum & parvum, ad bafilicam S. Petri Apoftoli, quæ eft in Wormatia civitate conftructa, cui præeft Dominus vir Apoftolicus Amandus: hoc eft, quod tradimus, civitatem noftram Laudemburg, palatium noftrum, ædificia, mancipia, vineas, terras cultas & incultas, agros, prata, campos, omne fylvaticum in fylvis Otenwaldt, cum omni utenfilitate in omni pago Laudenburgenfi, & undique intranti, in pafcuis, inter-amnibus, aquas aquarumque decurfus, pifcationibus, quæfitis & inquirendis, omne theloneum, mercatum., & quidquid dici aut nominari poteft, ficut prius ad noftrum ufum ambulare videbatur, fic in antea ad præfcriptam Bafilicam pro æternæ mercedis augmento poffidendum donavimus, & fub integrâ immunitate omnia ad eandem Bafilicam pertinentia præceptione noftrâ à novo confirmamus, ficuti priori anno immunitatis tuitionem dedimus omnes villas, facultates, feu Abbatias, & quidquid ad ipfam civitatem Wormatiam afpicere videtur: ut nullus Judex publicus, nec caufas audiendas, nec freda exigenda, nec homines ipfius Ecclefiæ tam ingenuos, quàm & fervientes diftringendo, nullum impedimentum audeat facere, nifi pro parte ipfius Ecclefiæ, vel ipfe Pontifex Amandus, aut Succeffores hoc habent conceffum atque indultum, quieto ordine poffidere atque dominari, quod partibus Fifci noftri fuit confuetudo reddendi. Et ut authoritas hæc firmior fit, manu noftrâ fubfcriptionibus fubditis illam decrevimus roborare.

DAGOBERTUS REX FRANCORUM.

GODEFRIDUS recognovit.

Datum fub Die XI. Kalend. Octobris, Anno Regni noftri VI. Actum Moguntiæ Palatio noftro, feliciter fatis.

Freherus de Lupoduno pag. 17.
Schannatus in Hiftoria Ecclefiæ Wormatienfis pag. 309.

(c) *Lupoduni verum fitum & nomen vindicavit Cl. Marquardus FREHERUS fpeciali Opufculo edito:* nunc Ladenburg vulgò audit.



SIGEBERTUS III.

REX,

Fundat Monafterium Cafeconguidinenfe, in Diœcefi Trevirenfi cum confilio Epifcoporum & Procerum.

Anno Chrifti DCXLIV. Theodori Papæ III. Sigeberti III. Regis Auftrafiæ anno XI.

(a) Sigebertus Rex Francorum viro inluftri (b) Grimoaldo Majori Domus. Singulariter ac per cuncta feliciter ad mercedis noftræ augmentum credimus pertinere, fi larga munera fummi Dei omnipotentis devotâ mente offerre non

(a) Sigebertus III. Dagoberti primi Filius, fecundò genitus anno 629. Auftrafiæ Rex fit anno 633. moritur 656.

(b) Grimoaldus, Pippini Landenfis Filius, poft annum 642. Major Domûs Franciæ, vacillante jamtum & inclinata Regia primæ ftirpis auctoritate.

non dubitemus, quia tunc Regia potestas suum cultum corroborare videtur, quando ex propriâ voluntate compendia servorum Dei destinare non dubitat. Ideóque de devotione animæ nostræ, cum Consilio magnificorum Apostolicorum (*c*) Cuniberti, (*d*) Gudonis, vel illustrium virorum Grimoaldi, Bobonis, Adalgisili, Monasterium regulare in honore Patroni nostri Petri, Pauli, Johannis vel cæterorum Martyrum, in terra nostra, sylva Arduense, in loco, qui dicitur (*e*) Casegonguidinus, quem Sesomires fluvius cingere videtur, & ex nostræ largitatis munere juxta Patrum traditionem Cœnobium volumus construere, & ibidem Deo auspice (*f*) Remaclum Abbatem constituimus, qualiter ibidem secundùm ordinem & monita antiquorum Patrum conversari debeant: sic tamen, ut de ipsa castra vel ripa fluminis in directum (*g*) levas tres de nostra sylva (*h*) Uriaciense cum ipsa venna Dominica, quæ dicitur Arnulsi, cum Probardo de Badone vel junioribus eorum, qui ibidem servire videntur, die præsente concessimus ad possidendum. Similiter de suo ipso castro ex alia sylva Dominica, alias tres levas, & in directum item tres aslevas, nec non & aliam venellam in fluvio nuncupante Alisna, ubi illa petra pro quadrata est. Hæc omnia ad usus eorum servorum Dei ex unitate nostra visi sumus condonâsse; ut habeant, possideant, suisque posteris Spiritualibus derelinquant, ut potius eis delectet attentius pio Domino preces incessabiliter fundere. Et ut præceptio firma atque inviolata permaneat, manûs nostræ subscriptionibus subter eam roborari decrevimus.

Henschenius in actis SS. ad Diem 1. *Februarii primus edidit MS. hoc diploma, acceptum ab Gournesio Presbytero Oratorii pag.* 234.

Miræus Operis Diplomatici Tomo III. pag. I. ex quo Illmus Hontbemius Tomo I. Histor. Treverens. sed variâ lectione ab Henschenii Editione.

(*c*) Coloniensis Archi-Episcopi.


(*d*) Metensis Episcopi.

(*e*) *Casegonguidinus*: hodiedum Cougnon in Ducatu Luxemburgensi, Archi-Diœcesis Treverensis, super fluvium Somey olim Sesomires vel Sesmarüs.

(*f*) *Remaclum*, genere Aquitanum, S. Eligii Discipulum primum è Solemniacensi Monasterio Monachum evocatum ad Abbatiam Casæconguidunensem regundam, deiu Abbatem Malmundariensem ac Stabulensem, demum Episcopum Tungrensem, seu Leodiensem. *Notkerus & Harigerus Biograph. S. Remacli.*

(*g*) *Levas*, pro Leucas, imò Bannleucas. Du Fresne in glossario barbaro.

(*h*) *Uriacinse*: Forestum d'Urcs *supra Bullonium.*



MARTINI PAPÆ EPISTOLA AD AMANDUM, EPISCOPUM TRAJECTENSEM.

Dissuadet, ne Episcopatum abdicet. Mittit Acta Synodi Romanæ, ut ab Episcopis Galliæ congregatâ Synodo confirmentur. Monet, ut Sigeberto Regi suggerat de mittendis in urbem Episcopis, qui legatione ad Imperatorem fungantur.

Anno Christi DCIL. Martini Primi Papæ I. Sigebertii III. Regis XVI.

DILECTISSIMO FRATRI AMANDO MARTINUS.

FRaternitatis tuæ studio pietatis congestam Epistolam suscipientes, animos nostros relevari cognoscimus. Quippe quoniam hujus sæculi fluctivagas atque transitorias despicientem oblectationes, illa quæ perpetua & sublimia dona pro Domini Dei nostri obsequiis tribuuntur, appetere certum est. Ex relatione igitur, juxta tenorem tuæ fraternitatis Epistolæ, (*a*) præsentium latoris, laborum tuorum certamen cognovimus: ex quibus cœlestis Patriæ ascensu, humiliatis mentibus, atque contritis corporibus, vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Nam cùm sit nulli omninò comparationi coæquandum, quod à creatore nostro pro bonis servitiis repensatur, dum brevi atque parvo temporis spatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipsius sustinemus, consideratione refrigerii nos oportet libenti animo tolerare præsentis vitæ angustias. Sed quantùm nobis laborum vestrorum operatio magnam gaudii ubertatem inducit, tantùm pro duritia sacerdotum gentis illius conterimur, quòd postpositis salutis suæ suffragiis, atque Redemptoris nostri contemnendo servitia, vitiorum fœtoribus ingravantur: quibus ad præparandam salutem quandoquidem tantùm nos necesse est importunis prædicationibus imminere; quantùm nos perfectæ negotiationis creditorum nobis talentorum duplicat assignatio, atque Dominicæ vocis ad suscipiendam ejus requiem persuadet assertio. Suggestum est namque nobis, eò quòd Presbyteri, seu Diaconi, aliique sacerdotalis officii, post suas ordinationes in lapsu coinquinantur: & propterea nimio moerore fraternitatem tuam adstringi, velléque pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatûs laboribus eligere, & in silentio atque otio vitam degere, quàm in his, quæ tibi commissa sunt permanere, dicente Domino, *Beatus* (b), *qui perseveraverit usque in finem.* Unde námque beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? quia secundùm Apostolicam prædicationem, *Omnes* (c) *qui voluerint in Christo piè vivere, persecutiones patientur.* Ideóque, frater charissime, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans quanta pro absolutione nostri & liberatione, creator Dominus noster pertulerit, quibúsque

(*a*) Est igitur hæc Papæ Martini responsoria ad Epistolam, ab Amando Trajectensi Romam missam, quæ periit.
(*b*) Matthæi X. 22. XXIV. 13.
(*c*) II. Timoth. III. 12.

que se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos à vinculis diabolicæ potestatis liberaret. Propterea nullatenus in hujusmodi peccato delinquentibus ad destructionum Canonum compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem (*d*) in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullúmque gradum sacerdotii poterit adipisci: Sed sufficiat ei, lamentationibus, fletibúsque assiduis quousque advixerit in eadem pœnitentiâ perdurare, ut commissum delictum divinâ gratiâ extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullúmque vitæ contagium mentes & corpora præpediat: quanto magis, si post ordinationem (*e*) suam quispiam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est, cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare? sitque hujusmodi semper, juxta Sacrorum Canonum statuta, in hac vita depositus, ut ab illo, qui mentis interiora scrutatur, nullámque de ovibus errare congaudet, dum adspexerit sinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. Ideóque iterum hortamur caritatem tuam, exemplo ejus, qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis ejus serviciis permanere. Neque pigeat vos temporales cruciatus pro Christi nomine sustinere: sed emolumenta futuræ remunerationis hujus Sæculi vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est, (*f*) *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Tantum enim à nobis exigitur, quantum possumus famulatûs nostri obsequio commodare. Cúmque cuncta quæ nobis ad confortandos fraternitatis vestræ animos poterant ministrari, largiente supernæ Majestatis Clementiâ vobis sint procul dubio manifesta, restat, ut de aliis, quæ nos per sua scripta consuluit, fraternitati vestræ significemus.

Credimus etenim ad vos pervenisse, quomodo in conturbatione rectæ fidei, & Catholicæ Ecclesiæ conculcatione, ante hos annos plus minus quindecim, à Sergio (*g*) Episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium, execranda & abominanda hæresis pullulavit, Apollinaristarum & Severianorum, Eutychianistarum atque Manichæorum errorem renovans: quam successor ejus Pyrrhus, idémque Episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam sedem arripuit, in deterius auxit. Pro quâ re sæpius Apostolica sedes persuasionibus, contestationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab hujusmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapsi sunt, remearent. Et non solùm hoc facere nullatenus voluerunt: sed & nunc successor ejus Paulus, temerator fidei, Episcopus Constantinopolitanus, aliud nequius excogitavit in præjudicium Catholicæ fidei conamen, quasi quæ à decessoribus suis hæreticè exposita fuerunt destruens; & imperialem typum, sacrilego ausu, totiùs plenum perfidiæ, à Clementissimo Principe nostro fieri persuasit, in quo promulgatum est, ut omnes populi Christiani credere debuissent. Ideòque necesse habuimus, ne pro quadam negligentiâ & animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpæ reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & Coepiscoporum nostrorum in hac Romanâ civitate congregare. In quorum præsentiâ (*h*) memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata, atque denudata sunt, & Apostolico mucrone, patrúmque definitionibus, uno ore, unóque Spiritu condemnavimus: ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere, unà cum Encyclia (*i*) nostra. Ex quorum serie omnia subtiliter

(*d*) Distinctione L. Cap. Qui semel post.
(*e*) Distinct. L. Cap. Si post ordinationem.
(*f*) Psal. CXV. 12. 13.
(*g*) Sergius Patriarcha Constantinopolitanus obiit 639.
Pyrrhus ejusdem in eadem Cathedra Successor.
Paulus II. hujus Successor obiit anno 651.
(*h*) Martinus Papa anno 649. Romæ in Laterano Synodum CV. Episcoporum coëgit contra Monothelitas, quorum acta mittit Amando Episcopo.
(*i*) Encyclia dicitur Epistola ad omnes vel plurimos Episcopos scripta. Admirare hîc vigilantiam Apostolicæ Sedis, exempla actorum hujus magnæ Synodi ad omnes Episcopos ultrò mittentis, unà cum Literis Encyclicis.

liter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum, ut filii lucis, extinguere. Idcirco ſtudeat fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur, quámque ſuæ ſalutis Sacramenta addiſcere valeant, atq; SYNODALI conventione omnium fratrum & Coepiſcorum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundùm tenorem Encyclæ à nobis directæ, ſcripta unà cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes eis, quæ pro orthodoxâ fide, & deſtructione hæreticorum veſaniæ, nuper exortæ à à nobis ſtatuta ſunt. Et Sigebertum Præcellentiſſimum filium noſtrum Regem Francorum, pro ſuæ Chriſtianitatis remedio conſultiſſimè admone atque precare, dirigere nobis ex corpore fratrum noſtrorum dilectiſſimos Epiſcopos, qui ſedis Apoſtolicæ legatione, divinâ concedente propitiatione, fungi debeant; & quæ in noſtro Concilio peracta ſunt, cum his Synodalibus apicibus veſtris, ad Clementiſſimum Principem noſtrum ſinè dubio adſportare, ut noſtrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipiſci valeat, & ſui Regni protectorem inveniat eum, cujus cauſâ flagitari dignoſcitur. Hoc namque & in ejus Epiſtolâ exhortari eum cognovimus. Reliquias verò Sanctorum, de quibus præſentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam codices jam exinaniti ſunt à noſtra Bibliotheca (k) & unde ei dare nullatenus habuimus: tranſcribere autem non potuit, quoniam feſtinanter de hac civitate regredi præparavit. His igitur prælibatis, quæ à nobis per Epiſtolam vobis ſcripta ſunt effectui mancipari fraternitatem veſtram hortamur. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.

Binius Tomo II. Parte II. pag. 479. ex actis Synodi Lateranenſis conſultatione quinta, ſeu ſecretario V. ex quo Sirmondus & poſteriores Synodographi.

(k) Obſerva, quoties Exemplaria hujus Synodi tranſcripta, tranſmiſſa per Eccleſiam fuerint, ut Pontifex dicat, evacuatam fere, vel exinanitam bibliothecam Romanam: ſemper tamen paratus ad commodandum codicem hunc denuò deſcribendum, cuicunque libuerit.

DIGRESSIO

De Legibus Eccleſiaſticis Sæculi VII.

ECcleſiæ Catholicæ Leges, quas *Canones* vocamus, nonniſi à Præpoſitis Eccleſiarum expectandæ ſunt, ac petendæ, & ſubditis ovicu-lis obſervandæ. Præpoſiti autem Eccleſiarum antonomaſticè ſunt Epiſcopi, Apoſtolorum Succeſſores, ſive intra, ſive extra Concilium, & inter Epiſcopos Princeps PETRUS, Petrive Succeſſores.

At hoc Sæculo VII. Chriſtiano, Chriſtiani Reges & Principes in Occidente, quà Advocati & Tutores Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum, varias Leges condiderunt, Eccleſiæ Catholicæ perhonorificas, & utiles: quibus condendis etſi ordinariè interfuerint Epiſcopi, qui in Conventibus publicis Regum Francorum, & Germanorum ſemper primas à Regibus ſedes occupàrunt ante Duces, Optimates, Comites, Judices, Laicos: non poſſumus tamen eas Leges inter canones recenſere, uti nec Comitia, conſiſtoria Regia inter Concilia Eccleſiaſtica.

Neque tamen ea indelibata præterire fas eſt: quia ipſi Epiſcopi, & Sacri Juris Conditores, aut Collectores, uti *Anſegiſus*, *Benedictus Levita*, *Rhabanus*, *Regino*, *Burchardus*, ac demum *Gratianus* tales Leges, Eccleſiæ honorificas Corpori Juris Canonici inſerere non dubitârunt: & ipſimet Epiſcopi ſæpè iis utuntur ſuis in Conciliis.

Hujuſmodi Leges ſunt, Lex Alamannorum, Lex Bajuvariorum, Lex Ripuariorum, Lex Salica Francorum, conditæ ex moribus antiquis horum populorum, etiamnum idololatrarum.

Reges Francorum poſt ortam Evangelii lucem, & Baptiſmum ſuſceptum, Leges populorum ſubjectorum reformare, & ad Evangelium accommodare ſtuduerunt, unde dicti ſunt harum Legum Conditores, meliùs, Reformatores, Correctores, vel Ampliatores, Chlodoveus, Chlotarius, Dagobertus, Carolus Magnus.

Inſpiciamus titulum Legis Alamannorum:

„ Incipit textus ejuſdem Legis Alamannorum,
„ quæ temporibus Hlotharii Regis unà cum
„ Principibus ſuis, id ſunt XXXIII. Epiſcopis,
„ XXX tribus Ducibus, & LXX. duobus Comi-
„ tibus, vel cætero populo conſtituta eſt.

Quum hunc titulum apud GOLDASTUM legerem in collectione conſuetudinum, & legum Imperialium Francofurti 1613. edita, dubitavi de ejuſdem veritate: verùm, cùm Patrus Lindenbrogius in *Codice Legum antiquarum*, ibidem eodem anno editus, eundem exhibeat: cùm codex D. KRUFFTII, Patricii Colonienſis, MS. Sæculi noni vel decimi, eundem habeat, credo eum titulum genuinum eſſe, & licet eæ Leges potiſſimùm

ſpectent

ſpectent Rempublicam civilem, ſeu Statùm politicum, nihilominùs XXIII. Capitula prima concernunt Perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſiæ bona & Immunitates tum perſonales, tum locales, demum varios gradus hominum ad Eccleſiam pertinentium, adcóque licet Leges Eccleſiaſticæ dici nequeant, ſunt tamen Leges pro Eccleſia, & Eccleſiæ bonis, adcóque ſpectant ad integrandum Juris Canonici codicem; unde videmus à Conciliis & Patribus, & Juris Canonici Doctoribus ſæpè eaſdem uſurpari.

Lex Bajuvariorum, & Ripuariorum varia Capita, Leges, & Privilegia pro rebus, perſonis, & locis Eccleſiaſticis tutandis, vindicandis, docendis habet, unde & poſtea in Capitularia, & Canones translata ſunt.

Lege hæc apud Heroldum, Lindenbrogium, & inter Baluzii Capitularia.

De Conciliis extra Germaniam hoc Sæculo.

DCXXV. Synodo nationali Remenſi ſub Sommatio interfuerunt ex Germania Arnulfus Metenſium Præſul; Modoaldus Treverenſis, Cunebertus Colonienſis, Donatus Veſontionenſis, Godo Virdunenſis, Beritaldus Cameracenſis, Lupoaldus Moguntiacenſis.

Frodoardus Hiſtoriæ Remenſis L. II. C. V.

Baluzius Tomo I. Capitularium refert Capitula de Eccleſiaſticis & ſæcularibus Rebus.

DCLXXXI. Habita in Galliis Synodus loco incerto contra Monothelitas. In hac Adeodatus, Leucorum Epiſcopus, Francorum, Auſtraſiorum communi voluntate electus fuit, ut intereſſet Concilio Romano, quod ſextæ generalis Synodi Conſtantinopolitæ Acta anteceſſit. In hoc Concilio Romano ſubſcriptus legitur: Adeodatus, humilis epiſcopus, Sanctæ eccleſiæ Leucorum, Legatus Venerabilis, Synodi per Galliarum Provincias conſtitutæ.

Browerus in Annal. Trev. Tomo I. ad h. a.



SÆCULUM OCTAVUM.

SYNODUS TUNGRENSIS I.

CELEBRATA à S. HUBERTO

Pontificatûs ſui Anno XII.

In qua actum de Translatione S. Lamberti, Trajecto è cella SS. Coſmæ & Damiani Leodium. (*a*)

Anno Chriſti DCCVIII. Conſtantini Papæ I. Pipino Heriſtallo majore Domûs.

SAnctus Hubertus, edoctus divinitùs, ancipiti ſummotâ ſententiâ, tertio decimo anno (*b*) ſui Præſulatûs, cœtu Clericorum ſibi adjuncto, nec non populari agmine creato, accitis etiam Venerabilibus Epiſcopis & Sacerdotibus, tumulum Venerandi Viri (*S. Lamberti Anteceſſoris*) adiit, ibidémque ſpirituales obſervantes excubias, Divinitatémque pulſantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, ut quæ Antiſtiti ſuo facienda mandaverat (*Deus*) quo perficerentur, cœptis annueret. . . . . . Nam cum maxima veneratione urnam, quâ Sanctiſſimus cinis conditus ſervabatur, adeuntes, abſque aliquâ difficultate buſta Beati Viri ex loculo protulêre, & cum magno gaudio, quâ venerunt, pedem referentes, in loco, quo paſſus eſt (*Leodii*) terræ mandavêre.

Autor coævus & vetuſtus vitæ S. Huberti, è MSS. correctus, editus à P. Roberti S. J. in vita S. Huberti C. III. pag. 26.

SYNO-

[*a*] Leodium vicus fuit exili nomine & famâ. Sed poſtquam S. Lamberti M. corpus eò tranſtulit Hubertus, & in Baſilica depoſuit, quam novis operibus auguſtam deceſſoris honori exſtruxerat; ex eo tempore ſtudium mirificum Lamberti colendi, in Auſtraſianorum animis exortum, & Leodicum, ſeu Leodium, convenarum votivis & religioſis frequentatum peregrinationibus, in eam inde Dignitatis amplitudinem caput extulit; ut primò quidem publici vici, atque municipii titulo ſurgeret; hinc à poſteris Francorum Regibus vicino domicilio, mòxque à Clero acerrimis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudiis urbs exornata; inde ad juſtæ Reipublicæ formam perducta; denique Notgeri munificentiſſimi Præſulis, aliorúmque infinitis operibus, eximiæ civitatis decus, & præſtantis inter primas tulit. *Hæc Brower. in Annal. Trev. Tom. I. ad annum DCCIX.*

[*b*] Inchoato, duodecimo completo.



SYNODUS TUNGRENSIS II.

Sub S. Huberto, in qua Cathedra Epiſcopalis Tungris Leodium translata fuit. (*b*)

Anno Chriſti DCCIX. Conſtantini Papæ II. Childeberti II. Auſtr. Reg. X.

Notitiam hujus Synodi accepimus ex Hiſt. MS. Adolphi Happart, Cœnobitæ S. Huberti in Monaſterio Andainenſi, ubi refert ſequentia:

ECcleſias inter Trajectum & Leodium, quas in Translatione S. Lamberti deſignaverat, fideliter complevit (*ſeu perfecit*) S. Hubertus, authoritate Apoſtolica, (*per Papam Joannem VI. vel VII.*) Synodum triginta Epiſcoporum congregavit, quorum ordinatione Tungrenſem Eccleſiam tranſtulit (*Leodium*) & plurimis dignitatibus & privilegiis decoravit.

(*b*) Elevatio & translatio corporum Sanctorum, quæ Canonizationis vicem obtinebant, tum & Epiſcopalis Sedis erectio, vel translatio, vel conſecratio, cauſæ fuerunt plurimarum Synodorum, primo Millenario celebratarum.



SYNODUS LEODIENSIS I.

Sub S. Huberto Leodii in Eccleſia S. Lamberti habita, Die 29. Aprilis, indict. VII.

Anno Chriſti DCCX. Conſtantini Papæ III. Childeberti II. Regis Auſtraſ. XI.

De hac Synodo P. Roberti in notis ad vitam S. Huberti pag. 166. *ita ſcribit: Claudius Deſprez J. C. Atrebatenſis Clariſſimus, & Dominus de Queant, Societati noſtræ, mihique amiciſſimus, in quibuſdam Analectis, quæ de noſtro Sancto collegit, & D. Huberto honorando, ad me miſit, ex antiquis monumentis annotavit, Anno Chriſti DCCX. Menſis Aprilis die* 29. *(eſt is proximus annus poſt translatum Epiſcopatum) primam habuiſſe Synodum Leodienſem in S. Lamberti Eccleſia, cujus & X. articulos, ſive canones ponit, quos ad verbum hic tibi deſcribo.*

CANONES X.

I. FOrma verborum, in quibus conſiſtit Sacramentum Baptiſmi, talis eſt: Ego Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

II. Volumus autem ſeptenos, (*a*) & ſuprà, adduci ad Epiſcopum confirmandos; & adultos priùs confiteri de peccatis ſuis.

III. Ut Presbyter proprius alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrat; ità & ſaltem ſemel in anno, ei confiteantur ſua peccata ſubditi.

IV. Diligenter eis explicet præcepta Dei: & diebus Dominicis exponat ea, quæ ad ſalutem ſunt animarum: quibus

(*a*) Fors *ſeptennes.*

quibus Sanctum Corpus Christi quotannis dabit ad manducandum.

V. Quòd si remissè Presbyter ea curet; noverit se à Deo puniendum, qui ardentissimo desiderio oblatus est pro suis, quia voluit.

VI. In omnibus se præbeat Presbyter, exemplum bonorum operum, & super grege vigilet: cùm inimicus homo promptissimus sit ad superseminandum in agro Dei Zizaniam.

VII. Ecclesiæ mundæ sint, & altaria ornata decenter: cum in iis Deus habitet, non solum Spiritu, sed & homo factus.

VIII. Ità tamen, ut id, quod oculos intrantis ab oratione potest avellere, non reperiatur in eis, aut curiositas oculorum: sed sapiant universa & singula ignem immittendum in cor Fidelis, adorare, & orare venientis.

IX. Infirmis misericordia Dei aperiatur, ità tamen, ut & justitia comes sit. Sed venit Christus, ut nos redimeret, & suo Regno inscriberet volentes.

X. Defunctis, certò sciant universi, reddere Deum propitium missæ Sacrificia quotidiana, preces, Donationes, & jejunia: quæ ideò fieri postulamus, ut eorum animæ requie citiùs potiantur æternâ: quam nobis Christus donare dignetur. Amen.

P. Roberti in notis ad vitam S. Huberti pag. 166.

SYNODUS LEODIENSIS II.

Sub S. Huberto, Episcopo.

Anno Christi DCCXXVI. Gregorii Secundi XII. (b) Leonis Isauri Iconomachi X. Constantini Copronymi VII.

ANno 726. habuit S. Hubertus secundam Synodum contra oppugnatores Sacrarum Imaginum, qui caput extulerant in suâ Parochiâ Episcopali: in quâ secundam Synodum Romanam, pro imaginibus, sub S. Gregorio juniore celebratam, integrè inseruit.

P. Roberti in notis ad vitam S. Huberti pag. 168.

(b) Cùm Gregorius Papa, Secundus hoc nomine (unde & junior dictus) sederit in Cathedra S. Petri ab anno DCCXIV. Leo verò Isaurus Imp. anno Imperii sui X. Indict. IX., hoc est, Christi DCCXXVI. Kalendis Septembris (quibus Indictio X. inchoabatur) Sacris Imaginibus bellum indixerit; duas ad Leonem scripsit Epistolas, quibus ejus errorem circa cultum Sacrarum Imaginum graviter reprehendit. Hujus zelum videtur S. Hubertus imitatus proscribendis Iconomachis: Non ergò anno 720. sed 726. statuenda est hæc Synodus. Anno 727. obiit S. Hubertus juxta Cointium ad h. a. & juxta P. Roberti anno vitæ 72. Episcopatûs Tungrensis XXXI.

CAPITULARE GREGORII II. PP.

AD BONIFACIUM EPISCOPUM.

Respondet ad varias Quæstiones canonicas à S. Bonifacio propositas.

Reverendissimo ac Sanctissimo Fratri Bonifacio Coepiscopo Gregorius Servus Servorum DEI.

DEsiderabilem mihi à te missus DENVAL religiosus presbyter attulit nuntium, cùm te sospitem narravit, & in Ministerio, pro quo missus es, faventе Deo proficere nuntiavit. Detulit etiam à te missas literas: ubi indicâsti, quòd ager Dominicus, qui incultus jacebat, & spinarum aculeis ex infidelitate rigu-

erat,

erat, vomere tuæ doctrinæ exarante, femen verbi fufcepit, & fertilem meffem protulit fidelitatis. In iifdem literis quædam fubnexuifti capitula, fcifcitando, qualiter teneat, vel doceat hæc fancta Apoftolica Romana Ecclefia. Bene fatis, quia beatus Petrus Apoftolus & Apoftolatûs & Epifcopatûs principium extitit, & confulenti tibi de ftatu Ecclefiæ, non ex nobis, quafi ex nobis, fed ejus gratiâ, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit difertas, qualiter tenere debeas Apoftolici vigoris doctrinam, dicimus.

I.

Igitur in primis legebatur, in quota progenie propinquorum matrimonium copulatur. Dicimus, quòd oportuerat quidem, quamdiu fe agnofcunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere focietatem. Sed quia temperantia magis, & præfertim in tam barbarâ gente, plùs placet, quàm diftrictio cenfuræ, concedendum eft, ut poft quartam generationem jungantur.

II.

Nam quod propofuifti, quòd fi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum effet, fi fic permaneret, ut abftinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eft, ille, qui fe non poterit continere, nubat magis: non tamen fubfidii opem fubtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non deteftabilis culpa excludit.

III.

De presbytero verò, fi quilibet facerdos à populo fuerit accufatus, fi certi non fuerint teftes, qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum teftem proferat de innocentiæ fuæ puritate, cui nuda & aperta funt omnia: ficque maneat in proprio gradu.

IV.

Nam de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis reiteratio prohibenda eft.

V.

In Miffarum folemniis illud obfervandum eft, quod Dominus nofter JESUS CHRISTUS fanctis fuis tribuit difcipulis. Accepit námque calicem dicens: *Hic eft calix novi Teftamenti in meo fanguine: hoc facite quotiefcumque fumetis.* Unde congruum non eft, duos vel tres calices in Altario ponere, cum miffarum folemnia celebrantur.

VI.

De Immolatitiis autem efcis confuluifti, fi à fidelibus fuperductum fuerit vivificæ crucis fignum, edi liceret, an non: Illud fufficit refpondere, quod beatus Paulus Apoftolus dicit: *Si quis dixerit, quia hoc immolatitium eft, nolite edere propter eum, qui indicavit, & propter confcientiam.*

VII.

Addidifti adhuc, quòd fi pater, vel mater filium, vel filiam intra fepta Monafterii in infantiæ annis fub regulari tradiderint difciplina; utrum liceat eis, poftquam pubertatis impleverint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus, quia nefas eft, ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis frœna laxentur.

VIII.

Enimverò quofdam, abfque interrogatione fymboli, ab adulteris & indignis presbyteris faffus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Ecclefiæ: quia quifquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti baptizatus eft, rebaptizari eum minimè licet. Non enim in nomine baptizantis, fed in nomine Trinitatis, hujus gratiæ donum percipitur. Et teneatur, quod Apoftolus ait: *Unus Deus, una fides, unum baptifma.* Doctrinam verò fpiritualem talibus ftudiofius ut impertias, demandamus.

IX.

De parvulis verò, qui à parentibus fubtracti funt, & an baptizati fint, an non, ignorant, quia interrogâfti; hos ut baptizare debeas, fecundùm patrum traditionem, fi non fuerit, qui teftificetur, ratio pofcit.

X.

Leprofis autem, fi fideles Chriftiani fuerint, Dominici corporis & fanguinis participatio tribuatur: cum fanis autem convivia celebrare prohibeantur.

XI.

Adjecifti etiam, quòd fi peftifer morbus, aut mortalitas in Ecclefia vel monafteriis irrepferit, hi, quos nondum tetigit, an debeant à loco fugere, evitantes periculum. Quod valde fatuum videtur: non enim valet quifquam Dei effugere manus.

XII.

In fine Epiftola continebat, quòd funt quidam presbyteri, feu Epifcopi, mul-

multis vitiis irretiti, quorum vita in se ipsis sacerdotium maculat, si tibi liceret cum eis edere aut loqui, nisi coerciti fuerint. Dicimus, ut hos ex Apostolica auctoritate redarguendo admoneas, & ad munditiam Ecclesiasticæ disciplinæ reducas. Et si quidem obedierint, salvabunt animas suas, & ipse mercedem lucratus es. Veruntamen collocutionem & mensam communem cum eis agere non recuses. Plerúmque enim contingit, ut quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conviviorum sedulitas & admonitio blanda ad viam perducat justitiæ. Idipsum autem & in illis proceribus, qui tibi adjutorium præstant, observare debebis. Hæc ergo, frater carissime, ex Apostolicæ Sedis vigore Scripta sufficiant. De reliquo, Dei imploramus clementiam, ut qui te illis in Regionibus vice nostra ex Apostolica auctoritate pergere fecit, & in opacam sylvam lumina veritatis per os tuum micare prædestinavit, opitulationis suæ misericordissimum tribuat incrementum; quatenus de fructu operis & ipse valeas præmia percipere, & veniam peccatorum invenire. Deus te incolumem custodiat, Reverendissime frater. Data decimo Kalendas Decembris, imperante Domino Piissimo Augusto Leone à Deo coronato Magno Imperatore, anno decimo Imperii ejus: Sed & Constantino Magno Imperatore, Regni ejus anno septimo, indictione decimâ.

Inter Bonifacianas à Serario editas hæc legitur CXXVI. & Illmus Baronius ad A. C. 726. refert.

Hanc Epistolam Gratianus Gregorio tertio attribuit, quotiescumque illius testimonio utitur, ut 2. Quæst. 5. Presbyter, 32. Quæst. 7. Quod proposuisti. De Consecrat. Distinctione 4. Parvulos, & Distinctione 5. de Homine. *Idémque sentire videntur Hincmarus* Epistola 7. Capite 15. & 18. & Ivo Parte 8. Capite 78. *cùm Gregorio juniori adscribunt. Hoc enim nomine Gregorium tertium intelligere solebant. Sed quo minùs huic tribui possit, reclamant in Epistolæ subscriptione, annus decimus Leonis, & Indictio X. quæ congruunt anno Christi 726. quo anno Pontifex erat Gregorius II. & non III. qui ante annum 731. Sedem non obtinuit. Quare Gregorio II. asserenda est. Hæc adnotatio est Jacobi Sirmondi è Societ. JEsu.*



CAPITULARE
GREGORII PAPÆ II.
DATUM MARTINIANO EPISCOPO, GEORGIO PRESBYTERO &c. IN BAVARIAM ABLEGATIS.

IN NOMINE DOMINI.

Incipit Capitulare à Gregorio Papa urbis Romæ datum Reverendissimo Fratri nostro (a) *Martiniano Episcopo,* (b) *seu Georgio Presbytero Sanctæ Sedis Apostolicæ, atque Dorotheo Subdiacono prædictæ Sedis, euntibus cum Domini auxilio in Bajoariam.*

CAPITULA.

I.

UT datis nostris scriptis, ita ut cum duce Provinciæ deliberetis, quatenus conventus aggregetur Sacerdotum, & Judicum, atque universorum gentis ejusdem primariorum, (c) & ex quæsitis Sacerdotibus atque Ministris, quorum canonicam approbaveritis exstitisse promotionem, ac rectæ fidei tenere, aut recipere rationem, his sacrificandi, & ministrandi, sive etiam psallendi ex Figura & Traditione Sanctæ Apostolicæ, & Romanæ Sedis Ecclesiæ ordine (d) tradetis potestatem. Quorum verò non claruerit recta fides credulitatis: aut approbata solemnitas canonicæ ordinationis, illis per omnia prohibeatur licentia ministra-

E 2

(a) Martinianus Episcopus Sabinus.
(b) Georgius Presbyter titulo SS. Joannis & Pauli.
(c) *Lege* exquisitis. [d] Tradatis.

niſtrationis, ut ſubrogentur canonicè probabiles ſucceſſores.

II.

Ut (*e*) loco ſingularum Eccleſiarum (*f*) prævidentes, quomodo unuſquiſq; Sacerdos, ſeu Miniſter, erga Eccleſiam debeat conſervare, vel qualiter ſacra Miſſarum ſolemnia, ſive cætera diurnarum horarum officia, ſive etiam lectionem ſacrorum novi atque veteris teſtamenti ordinabilia prædicamenta ſtudeat obſervare ſecundùm traditum Apoſtolicæ Sedis antiquitatis ordinem (*g*) diſponetis.

III.

Ut conſideratis locorum ſpatiis juxta gehennationem uniuſcujuſque ducis epiſcopia diſponatis, & ſubjacentia ſingulis ſedibus terminetis. Et ſi tres, aut quatuor, vel majoris numeri viſæ fuerint conſtitutæ ſedes, reſervato præcipuæ ſedis loco pro Archi-Epiſcopo reſedendo, adhibito trium Epiſcoporum conventu, probabiles fide, ac boni teſtimonii, & eruditos ſanâ doctrinâ viros ordinetis antiſtites ex authoritate beati Petri Apoſtoli, & in ſubſequentis vigoris tradita diſpenſatione locis (*h*) eos creditis collocantes.

IV.

Ut præviſo (*i*) PP. Archi-Epiſcopum loco, ſi talem reperire poteritis virum, qui poſſit doctrinis ſalutiferis, & operum exemplis inſtruere ſibi ſubditos ſacerdotes, ac regere prudentiſſimè clerum, ac plebem, & amplificare congruè creditas oves, aut datis literis veſtris eum ad nos dirigatis, aut nobiſcum venire faciatis. Si certè talem invenire non poteritis, hoc aut per vos, aut per veſtras literas innoteſcatis; quatenus de hac ſacra præmiſſa ſede (*k*) prævidentes, utilem cum Dei auxilio dirigamus.

V.

Ut ordinatis Epiſcopis unicuique illorum hoc detis ex figura (*l*) nec ordines in mandatis, ne unquam ordinationes præſumat illicitas: ne digamum, aut qui virginem non eſt ſortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet parte corporis vitiatum aut expœnitentem, vel cuilibet conditioni obnoxium, atque notatum, ad ſacros ordines permittat accedere, ſed ſi quos ejuſmodi fortè repererit, non audeat promovere. Afros paſſim ad Eccleſiaſticos ordines prætendentes nulla ratione ſuſcipiat: quia plerique illorum Manichæi (*m*) rebaptizati ſæpiùs ſunt probati. Miniſteria, atque ornatum Eccleſiæ, vel quidquid eſt, vel fuerit in Patrimonium ejuſdem, non minuere ſtudeat, ſed augere. De reditu verò Eccleſiæ, vel oblationibus fidelium, quatuor faciat portiones, quarum unam ſibi retineat, alteram clericis pro ſuorum officiorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam, de quibus Divino erit redditurus Judicio rationem. Ordinationes verò Presbyterorum, ſeu Diaconorum, nonniſi quarti, ſeptimi & decimi menſium jejuniis, (*n*) ſed in ingreſſu quadrageſimali, atque veſpere ſabbati noverit celebrandas. Sacroſancti autem Baptiſmi Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtivitate & Pentecoſte noverit eſſe præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubvenire. Cui de reliquo Sedis Apoſtolicæ præmiſſæ (*o*) Romani præcepta ſervanti cuncta ſubjacet Religio, & univerſa generalitas populorum Chriſtiani nominis (*p*) renotata ſignaculo, ad obſequendum commoneatur, corde promptiſſimo, ut irreprehenſibile placitum fiat corpus Eccleſiæ per Chriſtum Dominum noſtrum.

VI.

Ut ità nubentibus, vel nupturis ordinem ex authoritate Apoſtolica detis, ut nec continentiæ cauſa (*q*) indicentibus damnabilis (*r*) copulæ nuptialis, nec per licentiam nubendi præſumatur occaſio fornicandi, ſed ſicut maſculum & fœminam Deus in ipſo exordio mundi præcepit conjungi, ut ſint duo in carne una: ità juxta Doctrinam Apoſtolicam, *Unuſquiſque vir* (*s*) *ſuam uxorem habeat*. Et non licere invicem fraudare, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi: dicente de hoc ipſo Apoſtolo: *Alligatus es uxori: noli quærere ſolutionem*: Id eſt ſuperſtite conjuge, ad (*t*) alteram ſemine concupitam non velle tranſire, quia eodem doctore gentium adſtruente: *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*: hoc eſt, in uxo-

(*e*) loca (*f*) providentes (*g*) diſponatis (*h*) eis (*i*) propter
(*k*) providentes (*l*) *Lege*, noſtræ ordinationis in mandatis. (*m*) *Lege*, & rebaptizati.
(*n*) et in (*o*) Romanæ (*p*) renovata (*q*) *Lege*, Judicetur (*r*) copula
(*s*) I. Corinth. VII, 2, 5. (*t*) *Lege*, alterius feminæ concubitum.

(*u*) uxore propria , cum qua unum corpus eſt; cui fraudando per amplexus illicitos ſemet-ipſum ſub peccati reatu (*x*) objurgat. Unde nec reputandum eſt rectè conjugium ; quod duorum exceſſerit numerum , quia niſi in duobus non geritur jugum. Ipſum quoque uni us viri & uxoris conjugium doceatur in proximitate ſanguinis non eſſe penitus præſumendum , id eſt, ne quis uxorem Patris, aut Patrui, aut fratris, ſive ſororem ſuam, aut Patris, vel Matris, ſive filiam ſororis ſuæ , ſeu etiam filiam (*y*) Patris, aut Matris, audeat ſibi conjugio copulare, aut in adulterio ſociare. Quod ſi quis aut per conjugalem (*z*) copiam , aut adulterandi temerantiam auſus fuerit perpetrare , noverit ſe inceſti facinoris conta minatione obnoxium eſſe , atque ob hoc indignum fieri ſacra communione corporis & ſanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI: ſine cujus perceptione nemo poterit ſalvari. Nuptiis quoque ipſis præferenda fidelium Virginum & continentium doceatur integritas.

VII.

Ut nihil in perceptione ciborum judicetur immundum , niſi quod fuerit idolis immolatum : quia, juxta quod Magiſterio Apoſtolico docetur : *Omnis* (a) *creatura Dei bona : & nihil rejiciendum , quod cum gratiarum actione percipitur.*

VIII.

Ut ſomnia & auguria , quia juxta Divina oracula, vana ſunt , non attendenda penitus doceantur.

IX.

Ut incantationes, & faſtidiationes, ſive diverſæ obſervationes dierum Kalendarum , quas error tradidit paganorum, prohibeantur , ſicut maleficia & magorum præſtigia , ſeu etiam ſortilegium ac divinantium obſervatio execranda.

X.

Ut Dominicis diebus doceantur non licere omnino jejunare , propter reſurrectionis Dominicæ Sacramentum , neque in feſtivitatibus Dominicis Nativitatis , aut Apparitionis (*b*) ſive Aſcenſionis.

XI.

In omnibus ità Chriſti caritas teneatur , quatenus ſecundùm ſtatuta ſacrorum canonum , oblationes diſſidentium, priuſquam reconcilientur , nullo modo in Eccleſia recipiantur.

XII.

Ut pœnitentiæ remediis nemo ſe non egere putet pro quotidianis humanæ fragilitatis exceſſibus , ſine quibus in hac vita eſſe non poſſumus.

XIII.

Ut de ſpe reſurrectionis futuræ ità inſtituantur , ut eodem ordine , eademque forma , qua ipſe Dominus reſurrexit à mortuis , omnes homines reſurrecturos eſſe non dubitent in eodem corpore , in quo ſumus & vivimus ; non naturam aut ſexum mutantes , ſed tantum fragilitatem & vitia deponentes. Ipſum quoque ſatanam , cum Angelis ſuis , atque cultoribus , æterno incendio concremandum : neque ſecundùm quorumdam ſacrilegam diſputationem , ad priſtinam, id eſt, Angelicam dignitatem, unde decidit, reducendum, juxta quod Dominus in Evangelio ſe prædixit dicturum reprobis ſtantibus à ſiniſtris in futuro Iudicio : *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Bene valete. Datum Idibus Martii : imperante Domino Auguſto Anaſtaſio à Deo Coronato magno Imperatore. Anno tertio Pontificatus (*c*) ejus , &c.

Binius Conc. Tom. III. L. I. pag. 345.

Ex Tomo III. Conciliorum Harduini pag. 1861 , *ex quo & variantes emendatas Lectiones deſcripſimus.*

(*u*) uxorem propriam (*x*) obſtringit (*y*) *Lege* , Sororis Patris
(*z*) copulam (*a*) 1. Timoth. IV , 4. (*b*) Apparitionis , id eſt , Epiphaniæ.
(*c*) Patriciatûs corrigit Labbéus.

GREGORII III.

EPISTOLA CANONICA AD BONIFACIUM (a)

1. *Mittit illi Archi-Episcopale Pallium, ejúsque usum docet.*
2. *Potestatem facit, novos Episcopatus instituendi.*
3. *De Presbytero, qui Romano Judicio se absolutum asseruerat, canonum censurâ corrigendo.*
4. *Variis interrogationibus S. Bonifacii respondet.*

Anno Christi DCCXXXII. Gregorii III. PP. II. Carolo Martello Duce.

Reverentissimo ac Sanctissimo Fratri Bonifacio, Coepiscopo, ad illuminationem Gentis Germaniæ, vel circum quaque in umbra mortis morantibus gentibus in errore constitutis ab hac Apostolica Sede directo, Gregorius Servus Servorum Dei.

MAgna nos habuit gratulatio lectis sanctissimæ Fraternitatis tuæ literis; cùm in eis relectâ serie, fuisset repertum, Domini nostri JEsu Christi gratiâ plurimos te à gentilitate & errore ad veræ fidei cognitionem convertisse. Quod, quia Divinâ institutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuisse lucratum; in talis commercii lucro cum tota plaudimus Ecclesia. Hinc jure tibi sacri Pallii direximus munus, quod beati Petri Apostoli auctoritate suscipiens induaris, atque inter Archi-Episcopos unus, Deo Auctore, præcipimus, ut censearis. Qualiter autem eo utaris, ex mandato Apostolico informatus agnosce. Itaque dum Missarum solemnia agis, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo tantummodo tempore eo utaris. Quia verò turbas Domini gratiâ in iisdem partibus ad rectam fidem asseris esse conversas, ideóque nequire te occurrere omnibus, & quæ salutis sunt, impendere aut intimare; cùm jam longè latéque gratiâ Christi ejus fides in illis partibus propagetur: præcipimus, ut juxtà sacrorum canonum statuta, ubi multitudo exerevit fidelium, ex vigore Apostolicæ Sedis debeas ordinare Episcopos, piâ tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopatûs.

Presbyterum námque, quem prætcrito asseruisti anno ad nos venisse, nostróque judicio fuisse à suis nefariis absolutum actionibus; credas, neque nobis confessionem aliquam fecisse, nec à nobis, ut suos expleat libitus, absolutum fuisse. Sed si eum errori deditum repereris, hunc Apostolicæ Sedis vigore, ut juxta sanctorum canonum censuram corrigas, & emendes præcipimus, vel si quos forsan tales inveneris.

Ille enim veniens, presbyter sum, ait: Et commendatitias ad filium nostrum Carolum literas expetiit. Nullam illi aliam concessimus licentiam: quem vitari, si pravè conversatur, cum reliquis volumus.

I.

Eosdem, quos à Paganis baptizatos esse asseruisti, si ità habetur, ut denuò baptizes in nomine Sanctæ Trinitatis, mandamus.

II.

Inter cætera agrestem caballum aliquantos comedere adjunxisti, plerosque, & domesticum. Hoc nequaquam fieri dein-

(a) S. Bonifacius convertendis Thuringis & Hassis occupatus, auditâ morte Gregorii II. III. Idus Februarii 731. defuncti, ad electum Gregorium III. Legatos misit, & Statum Germanicæ Ecclesiæ accrescentis narravit. His respondet Gregorius Papa.

deinceps, Sanctissime Frater! finas, sed quibus potueris, Christo juvante, modis per omnia compesce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum est enim atque execrabile.

III.

Pro obeuntibus quoque consuluisti, si liceat offerre. Sancta sic tenet Ecclesia, ut quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque eorum memoriam faciat presbyter. Et quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit tamen, ut Sacerdos nonnisi pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat. Non enim pro impiis, quamvis Christiani fuerint, tale quid agere licebit.

IV.

Eos etiam, qui se dubitant fuisse baptizatos, vel qui à presbytero Jovi mactante, & carnes immolatitias vescente baptizati sunt, ut rebaptizentur præcipimus.

V.

Progeniem verò suam unumquemque usque ad septimam generationem observare decrevimus.

VI.

Et si valueris, devitandum doce, ne cui uxor obierit, ampliùs quàm duabus debeat copulari.

VII.

De his verò, qui Patrem, Matrem, Fratrem, aut Sororem occiderint, dicimus, ut toto vitæ tempore corpus Dominicum non suscipiant: nisi in suo exitu pro viatico. Abstineant etiam se à carnis comestione & potu vini, donec advixerint. Jejunent secundâ, quartâ, & sextâ feriâ, ut sic possint deflentes diluere commissum scelus.

VIII.

Hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venumdent mancipia. Quod ut magnopere corrigere debeas, Frater, commonemus. Nec sinas fieri ultra: scelus est enim & impietas. Eis ergò, qui hæc perpetraverunt, similem homicidæ indices pœnitentiam.

IX.

At quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi, ut Deo sit gratum, quod geritur, & eis convenientibus, ipsisque præsentibus consecres. Hæc te, frater carissime, diligenter observare volumus, & studio pietatis cœptum negotium salutis exsequi; ut de lucro apportato valeas à Domino Deo nostro mercedem percipere in æterna retributione. Privilegium verò, juxta quod petisti facientes, his junctum direximus: Optantes te Domini Dei nostri præsidio de conversione errantium Christo Domino plenissimum apportare lucrum. Deus te incolumen custodiat reverentissime Frater.

Binius Tom. III. pag. I.
Epistola inter Serarianos CXXII. apud Harduinum Ima Gregorii III.
Willibaldus Cap. XXV. ejus meminit.

[a] Sirmondus observavit, à Gratiano 13. Qu. 2. *pro obeuntibus*, & de Consecrat. D. 4. *quos à Paganis.* tribui Gregorio II. sed certò ex Epistola Gregorii III. desumpta esse.

EPISTOLA
GREGORII III. PP.
Ad varios Germaniæ Episcopos.

Ut veniant ad Synodum indicendam à Bonifacio Papæ vicem gerente.

Dilectissimis nobis Episcopis in Provincia Bajoariorum, & Alemannia constitutis, Wiggoni, (a) Luidoni, Rydolto, & Philippo, seu Addæ, Gregorius Papa.

Anno

(a) Wiggo Augustanus, Luido Spirensis, Rydoltus Constantiensis, Adda, vel Heddo, Argentoratensis, Episcopi judicantur à Cl. Eccarto. Histor. Franc. Orient.

Anno Chriſti DCCXL. indict. VIII. Gregorii tertii Papæ X. Leonis Iſauri XXIV.

CAtholica & Sanctorum Patrum jubet auctoritas, ut bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani ſeu exhortatione adoptionis filiorum Synodolia (*b*) debeant celebrari, & cauſarum Canonicarum examinatio provenire: ut unicuique, prout neceſſitas uniuscujuſque popoſcerit, (*c*) pia judicatione ſubveniatur. Unde ſecundùm Apoſtoli doctrinam admoneo, & hortor vos, chariſſimi, per miſericordiam Dei: *Ut dignè ambuletis vocatione*, (d) *quâ vocati eſtis*, ut miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Deo. Opportunum námque eſt, vos nôſſe, fratrem ac Coepiſcopum noſtrum præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno & debito honore pro CHRISTI nomine ſuſcipere: & miniſterium Eccleſiaſticum cum fide Catholicâ ſecundùm morem & normam S. Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, cui, miſericordiâ Dei præveniente præeſſe videmur, ſicut Apoſtolicâ auctoritate à nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes, dignanter teneatis, & Gentilitatis ritum & doctrinam, vel venientium Britonum, vel falſorum ſacerdotum hæreticorum, ſive adulatores, aut undecunque ſint, renuentes, ac prohibentes abjiciatis, & ut populum vobis à Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis: & à ſacrificiis mortuorum omnino devitetis: & juxta quod fueritis à prædicto noſtro conſacerdote edocti, ità Catholicam & Apoſtolicam doctrinam tenentes Domino Deo & Salvatori noſtro placere ſtudeatis: & in quo vobis loco ad celebranda CONCILIA convenire mandaverit, ſive juxta Danubium, ſive in civitate Auguſta, vel ubicunque judicaverit, pro nomine CHRISTI parati eſſe inveniamini: quatenus cognoſcamus per ejus mandatum de veſtro conventu, ut in diem Adventûs CHRISTI JESU cum fructu boni operis ante ejus tribunal aſſiſtere mereamini, dicentes (*e*) *Ecce nos, & pueri, quos dediſti* nobis *Domine*, non perdidimus ex eis quemquam: (*f*) ut & vos Dominicam vocem audire mereamini dicentem: (*g*) *Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Bene valete.*

Epiſtola hæc eſt CXXIX. inter Bonifacianas, editas à Serario anno 1629. ex Codice MS. Cæſareo, ſuppleto per Codicem MS. Ingolſtadienſem. Conferatur Surius ad diem 5. Junii. Caniſius Tomo V. antiquarum Lectionum.

[*b*] Fors: *Synodalia.*
[*c*] Fors: *Educatione.*
[*d*] Epheſ. IV, 2.
[*e*] Iſaiæ VIII, 18.
(*f*) Joannis XVIII, 9.
[*g*] Matthæi XXV, 34.

GREGORII III. PP.
EPISTOLA
Ad S. Bonifacium.
Anno DCCXL. Gregorii III. X.

Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Bonifacio Coepiſcopo, Gregorius (*a*) Servus Servorum Dei.

Collaudat inſtitutos in Bavaria Epiſcopatus: hortatur ad proſequendam doctrinam: variis in locis Synodum celebrari optat.

DOctoris omnium Gentium, egregii Beati Apoſtoli Pauli vox eſt dicentis: *Diligentibus* (b) *Deum omnia cooperantur in bonum.* Agnoſcentes itaque in Syllabis fraternitatis tuæ, quæ innotuiſti jam de Germaniæ Gentibus, quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate Paganorum liberavit, & ad centum millia ani-

(*a*) *Tertius* Papa hoc nomine, ut ex notis Chronologicis extremæ Epiſtolæ patebit.
[*b*] Roman. VIII, 28.

animas in ſinu S. Matris Eccleſiæ tuo conamine, & Caroli (c) Principis Francorum, aggregare dignatus eſt: Sed & in Bajoariorum provincia, quæ à te acta ſunt, agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro, extenſis ad cœlum palmis, gratias retulimus, qui januam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperiis, ad cognoſcendam viam ſalutis, oſtium miſericordiæ aperuit, & miſit Angelum ſuum, qui præparavit viam tuam ante te. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Igitur, quia indicâſti, perrexiſſe te ad Gentem Bajoariorum, & inveniſſe eos extra ordinem Eccleſiaſticum viventes, dum Epiſcopos non habebant in Provinciâ, niſi unum nomine VIVILO (d) quem nos ante tempus ordinavimus: & quia cum aſſenſu Otile, (e) Ducis eorundem Bajoariorum, ſeu Optimatum Provinciæ illius, tres alios ordinâſſes Epiſcopos, & in quatuor partes Provinciam illam diviſiſti, id eſt, in quatuor Parochias, ut unuſquiſque Epiſcopus ſuum habeat Parochium: bene & ſatis prudenter peregiſti frater, quoniam Apoſtolicam præceptionem ex noſtrâ vice implêſti: & ſicut tibi præcepimus, ita peregiſti. Itaque non deſinas, frater Reverentiſſime, docendo eas S. Catholicam & Apoſtolicam Romanæ ſedis traditionem, ut illuminentur rudes, & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia pervenire. Presbyteros verò, quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi, à quibus ſunt ordinati, & dubium eſt, eos Epiſcopos fuiſſe, an non, qui eos ordinaverunt, ſi bonæ actionis & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in Miniſterio Chriſti, omnémque legem ſanctam edocti, atq; apti; ab Epiſcopo ſuo benedictionem presbyteratûs ſuſcipiant & conſecrentur; & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi quippe, qui baptizati ſunt per diverſitatem & declinationem linguarum Gentilitatis, tamen quod in nomine Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manûs impoſitionem, & ſacri Criſmatis unctionem confirmari. Nam Vivilo à nobis Epiſcopus eſt ordinatus; & ſi aliquid excedit extra Canonicam Regulam, doce & corrige eum, juxta Romanæ Eccleſiæ traditionem, quam à nobis accepiſti. *De Concilio verò, ut juxta ripam Danubii* debeas celebrare noſtra vice, præcipimus fraternitati tuæ, Apoſtolicâ authoritate te ibidem præſentari: & in quantum Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis non ceſſes, ut religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat multipliciter. Nec enim habebis licentiam, frater, percepti laboris in uno morari loco: Sed confirma corda fratrum, & omnium fidelium, qui rareſcunt in illis Heſperiis partibus, ubi tibi Dominus aperuerit, viam ſalutis prædicare non deſiſtas: & ubi locum inveneris neceſſarium, ſecundùm Canonum Regulam Epiſcopos ordina ex noſtrâ vice, & Apoſtolicam atque Canonicam traditionem eos tenere edocebis. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis: quoniam omnipotenti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime frater, itinera capere aſpera & diverſa, ut Chriſtiana fides longè, latéque tuo conamine extendatur. Scriptum eſt namque: *Arcta & anguſta via* (f) *quæ ducit ad vitam.* Operare itaque, frater, bonum opus, quod cœpiſti, ut in die Chriſti Dei noſtri merearis dicere inter coetum probabilium Patrum aſſiſtens: *Ecce ego & pueri,* (g) *quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Iterum: *Domine quinque* (h) *talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum:* ut ſubſequenter merearis vocem Domini dicentis: *Euge ſerve bone & fidelis* (i) *quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Deus te incolumem cuſtodiat, Reverentiſſime frater. Data IV. Kal. Novembris, Imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone, Imperii anno viceſimo tertio: ſed & Conſtantino magno Imperatore ejus filio, anno viceſimo, indictione octava.

Epiſtola hæc eſt CXXX. inter Bonifacianas Serarii.

(c) Carolus, major domûs, Bonifacium Epiſcopum ſub ſua defenſione eſſe declarat, *Epiſtolâ XXXII. inter Serarianas.*

(d) Vivilo Epiſcopus Paſſavienſis, ſeu Laureacenſis.

(e) Utilo, Odilo aliis; dicitur ſucceſſiſſe Hugberto anno 737. in Bavariæ Ducatu regundo.

(f) Matth. VII, 14.

(g) Iſaiæ VIII, 18. Joann. XVIII, 9.

(h) Matth. XXV, 20.

(i) Matth. XXVI, 21.

CONCILIUM IN BAJOARIA

LOCO INCERTO. (a)

Primum ſub S. Bonifacio, Legato Apoſtolico & Archi-Epiſcopo.

Anno Chriſti DCCXL. Gregorii Papæ X. Othilonis Bavariæ Ducis IV.

Synodum hoc anno 740. à S. Bonifacio in Bavaria celebratam, aſſerunt Baronius, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parens, & Spondanus ad hunc annum; Mabillonius Sæculo III. Actor. Ord. S. Benedicti Parte II. in Notis ad C. X. vitæ S. Willibaldi; Eckartus L. XXII. Hiſt. Franc. N. XI. Marcus Hanſizius Tom. I. Germ. Sacræ Pag. 124. Editor Meichelbeckii in Præfatione Chronici Benedicto-Burani, N. XXXI. & ſeqq.

Contrariam opinionem Cariſſimorum Virorum *PAGI in Critica ad annum* 742. & *MANSI in Supplemento* Conciliorum Tom. I., primam S. Bonifacii Synodum differentium ad annum 742, ſpeciali digreſſione poſt hoc Sæculum examinabimus.

(a) Locus Concilii hujus incertus eſt: hoc certum videtur, quòd in Bajoaria celebratum ſit, vel Auguſtæ, ùt Pontifex ſuaſerat, vel juxta Ripam Danubii. Eckartus Friſingæ, Editor Meichelbeckii Ratisbonæ habitum putat.

Nec Perſonæ, quæ intervenerint Concilio, ſat certò conſtant. Eckarto videntur præter Clericos & Coepiſcopos, Sancti Bonifacii ordinarios Comites, Lullum, Eobanum, Sturmium, & cæteros; interfuiſſe Viggo Auguſtanus, Luido Spirenſis, Rudolfus Conſtantienſis, Adda, vel Heito, vel Philippus Argentoratenſis Eccleſiarum Epiſcopi: quia Gregorius III. literis anno 739. datis, inter Serarianas CXXIX, eosdem invitat, ut feſtinent ad celebranda Concilia indicanda à S. Bonifacio.

EPISTOLA (a) BONIFACII

ARCHI-EPISCOPI

AD ZACHARIAM PAPAM.

Anno Chriſti DCCXLI. Zachariæ Papæ I.

Domino chariſſimo, Summi Pontificatus infula prædito, Viro Apoſtolico Zachariæ, Bonifacius Servus Servorum Dei.

Gratulatur primò aditum Pontificatum.
2. *Cupit prorogari ſibi Legationem Apoſtolicam.*
3. *Confirmari tres in Franconia, & Thuringia inſtitutos Epiſcopatus; & Synodos celebrandas.*
4. 5. *Doceri, quâ via corrigendi Clerici perverſi.*
6. *De veritate Diſpenſationum Romanarum.*
7. *De Cæremoniis Paganis Romæ celebratis.*
8. *De Epiſcopis Romæ diſpenſatis.*

1. Confitemur, Domine Pater, quia audivimus, quòd venerandæ memoriæ poſtquam per nuntios referentes Apoſtolatûs veſtri præceſſor Gregorius III.

(a) Hæc Epiſtola eſt CXXXII. inter Bonifacianas à Serario editas, & prima miſſa ad Zachariam Papam apud Harduinum.

(III.) Pontifex Apostolicæ Sedis, ergastulo corporeo absolutus, ad Dominum migravit, majorem lætitiam & majus gaudium nobis non audivimus, & suspensis ad æthera palmis, Deo gratias egimus, quàm quòd clementem paternitatem vestram altissimus arbiter canonica jura regere, & Apostolicæ Sedis gubernacula gubernare concessit.

2. Ergo non aliter, quàm ùt antè vestigia vestra geniculantes, intimis subnixè flagitamus precibus, ut sicut præcessorum vestrorum pro auctoritate Sancti Petri, servi devoti & subditi discipuli fuimus: Sic & vestræ pietatis servi obedientes, subditi sub jure canonico, fieri mereamur: optantes, Catholicam fidem & Unitatem Romanæ Ecclesiæ servare, & quantoscunque audientes vel discipulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad obedientiam Apostolicæ Sedis invitare & inclinare non cesso.

3. Necesse quoque habemus indicare Paternitati vestræ, quia per Dei gratiam, Germaniæ populis aliquantulum percursis vel correctis, tres ordinavimus Episcopos, & Provinciam in tres Parochias discrevimus, & illa tria oppida, sive urbes, in quibus constituti & ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestræ confirmari, & stabiliri precantes desideramus. Unam esse Sedem Episcopatûs decrevimus in Castello, quod dicitur Wirtzaburg: & alteram in oppido, quod nominatur Buraburg: tertiam in loco, qui dicitur Erphesfurt, qui fuit jam olim urbs Paganorum rusticorum. Hæc tria loca propriâ cartâ & auctoritate Apostolatûs vestri roborari, & confirmari diligenter postulamus: ut si Dominus voluerit, per auctoritatem & præceptum Sancti Petri, jussionibus Apostolicis, fundatæ & stabilitæ sint tres in Germania Episcopales Sedes. Et ut præsentes, vel futuræ generationes, non præsumant, vel Parochias corrumpere, vel violare præceptum Apostolicæ Sedis.

4. Notum similiter sit Paternitati vestræ, quòd Carolomannus Dux Francorum me accersitum ad se rogavit, ut in parte regni Francorum, quæ in suâ est potestate, *Synodum* facerem congregari: & promisit, se de Ecclesiastica Religione, quæ jam longo tempore, id est, non minùs quàm per sexaginta, vel septuaginta annos calcata, & dissipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter si hoc Deo inspirante, veraciter implere voluerit, consilium & præceptum vestræ auctoritatis, id est, Apostolicæ Sedis habere & sapere debeo. Franci „ enim, ùt seniores dicunt, plus quam „ per tempus octoginta annorum Sy- „ nodum non fecerunt, nec Archi-Epi- „ scopum habuerunt, nec Ecclesiæ ca- „ nonica jura alicubi fundabant, & reno- „ vabant.

5. Modò autem maximâ ex parte, per civitates, Episcopales Sedes traditæ sunt Laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, Scortatoribus, & Publicanis sæculariter ad perfruendum. Nam si, per verbum vestrum, hoc negotium, Duce rogante supradicto, amovere & corrigere debeo, præceptum & judicium Apostolicæ Sedis cum *Canonibus Ecclesiasticis* præsto habere cupio. Si invenero inter illos Diaconos, quos nominant, qui à pueritiâ suâ semper in stupris, semper in adulteriis, & in omnibus semper spurcitiis vitam ducentes, sub tali testimonio venerunt ad Diaconatum, & modò in Diaconatu concubinas quatuor, vel quinque, vel plures noctu in lecto habentes, Evangelium tamen legere, & Diaconos se nominare nec erubescunt, nec metuunt: & sic in talibus incestis ad ordinem Presbyteratûs venientes, in hisdem peccatis perdurantes, & peccata peccatis adjicientes, Presbyteratûs officio fungentes, dicunt se pro populo posse intercedere, & sacras oblationes offerre: novissimè, quod pejus est, sub talibus testimoniis per gradus singulos ascendentes ordinantur, & nominantur Episcopi, Si, inquam, tales invenero inter illos, rogo, ut habeam præceptum, & conscriptum auctoritatis vestræ, quid de talibus diffiniatis: & per responsum Apostolicum convincantur, & arguantur peccatores. Et inveniuntur quidam inter eos Episcopi, qui licet dicant se fornicarios & adulteros non esse, sed sunt ebriosi, & injuriosi, vel venatores: & qui pugnant in exercitu armati, & effundunt propriâ manu sanguinem hominum, sive Paganorum, sive Christianorum. Et quia Servus & Legatus Apostolicæ Sedis esse dignoscor, unum sit verbum & meum hic, & vestrum ibi, si contingat ad judicium auctoritatis vestræ, ut pariter missos dirigamus.

6. Præterea de unâ re & consilium quærere, & licentiam petere necesse habeo,

habeo, eò quòd venerandæ memoriæ præceſſor veſter, ſicut audiſtis, in præſentia veſtra mihi præcepit: ut presbyterum poſt obitum meum, Deo volente, in Eccleſiaſtico miniſterio heredem & ſucceſſorem conſtituere deberem. Et hoc mihi, ſi Dei voluntas eſt, placet. Sed modò dubito, & neſcio, ſi fieri poſſit, quia poſtea frater illius, avunculum Ducis Francorum occidit, & adhuc ignoramus, qualiter iſta diſcordia pacificari & finiri valeat. Et obſecro, ut auctoritatis veſtræ licentia ſit, ut cum conſilio Servorum Dei, de iſtâ electione faciam, quod nobis in commune, pro Deo, & pro Eccleſiæ utilitate, vel fructu ſpirituali, & defenſione religionis, optimum eſſe videatur, ut conſenſum veſtrum habeam de hoc facere, quod optimum eſſe mihi inſpirare dignetur Deus: quia hoc non videtur poſſe fieri, ſi contrarius Princeps fuerit.

7. Præterea quærere & interrogare Paternitatis veſtræ Conſilium debeo de quadam confuſione & ſcandalo prædicationis, quæ nuper ad nos veniens mentem noſtram conturbavit; & Sacerdotibus Eccleſiarum verecundiam incutiebat; quia laicus quidam magnæ perſonæ ad nos veniens, dicebat, ſibi ab Apoſtolicæ Sedis Pontifice, Sanctæ memoriæ Gregorio datam fuiſſe licentiam, ut in matrimonium acciperet viduam avunculi ſui: quæ & ipſa fuit uxor conſobrini ſui, & ipſa, illo vivente, diſceſſit ab eo, & iſti viro, qui nunc eam accipere deſiderans, affirmat ſibi licentiam datam; in tertia generatione illa propinqua illius eſſe dignoſcitur: & votum vovit Deo caſtitatis, & velata fuit: & iterum abjecto velamine maritata. Tale enim matrimonium ſupradictus homo ſibi ab Apoſtolico affirmat eſſe permiſſum. Quod non æſtimamus eſſe verum, quia *Synodus* & Eccleſia, in qua natus & nutritus fui, id eſt, in transmarina Saxonia, *Lundunenſis Synodus*, quæ in primis à diſcipulis Sancti Gregorii, id eſt, Auguſtino, Laurentio, Juſto, Melito, Archiepiſcopis conſtituta & ordinata fuit, talem copulam & matrimonium maximum ſcelus & inceſtum, & horribile flagitium & damnabile piaculum fieri ex auctoritate Sacræ Scripturæ judicabant. Quapropter Paternitas veſtra hujus rei veritatem indicare non dedignetur, ut Eccleſiæ Sacerdotibus vel populo Chriſtiano inde ſcandala & ſchiſmata, vel novi errores non oriantur, & concreſcant: quia carnales homines, idiotæ Alemanni, vel Bajoarii, vel Franci, ſi juxta Romanam urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & conceſſum à ſacerdotibus eſſe putant, & nobis improperium deputant, ſibi ſcandalum vitæ accipiunt.

8. Sicut affirmant, ſe vidiſſe annis ſingulis in Romana urbe, & juxta Eccleſiam in die, vel nocte, quando Kalendæ Januarii intrant, paganorum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes, ritu Gentilium, & cantationes ſacrilegas celebrare: & menſas illa die, vel nocte dapibus onerare: & nullum de domo ſua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle. Dicunt quoque, ſe vidiſſe ibi mulieres pagano ritu phylacteria, & ligaturas, & in brachiis, & cruribus ligatas habere: & publicè ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. Quæ omnia, eò quòd ibi à carnalibus & inſipientibus videntur, nobis hic & improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ perficiunt. De talibus ait Apoſtolus increpans: *Dies obſervatis & tempora: (b) timeo, ne ſine cauſa laboraverim in vobis.* Et Sanctus Auguſtinus dixit: Nam qui prædictis malis, id eſt, caragis, & divinis, & aruſpicibus, vel phylacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit: etſi jejunet, etſi oret, etſi jugiter ad Eccleſiam currat, etſi largas Eleëmoſynas faciat, etſi corpuſculum ſuum in omni afflictione cruciaverit, nihil ei proderit, quamdiu ſacrilegia illa non reliquerit. Nam ſi iſtas paganias ibi Paternitas veſtra in Romanâ urbe prohibuerit, & ſibi mercedem, & nobis maximum profectum in doctrina Eccleſiaſtica acquiret.

9. Epiſcopi quoque Gentis Francorum, qui fuerunt adulteri, vel fornicatores accerrimi, quos in gradu Epiſcopatûs, vel Presbyterii fornicationum filii nati arguunt, revenientes ab Apoſtolica Sede, dicunt ſibi Romanum Pontificem licentiam dediſſe, miniſterium Epiſcopale in Eccleſia miniſtrare. Quos contra contendimus, quia Apoſtolicam Sedem contra decreta Canonum nequaquam audivimus judicâſſe. Hæc omnia, Domine Chariſſime, propterea nota vobis

(b) Gal. IV, 10.

bis facimus, ut vestræ auctoritatis responsum talibus dare possimus, ut per cautelam vestræ doctrinæ oves Ecclesiæ non seducantur, sed lupi rapaces convicti & superati pereant. Interea munuscula parva vobis direximus: non quia digna sint Paternitate vestrâ, sed pro indicio charitatis, obedientiæ, devotionis: id est, villosam unam, & argenti & auri tantillum. Dextera Domini protegente incolumem valere, & in Christo proficere beatitudinem vestram in longitudine dierum optamus.

Inter editas à Serario est Epistola CXXXII. Harduino prima inter Zacharianas.

EPISTOLA ZACHARIÆ PAPÆ AD S. BONIFACIUM.

Anno Christi DCCXLII. Zachariæ Papæ II.

Reverentissimo & Sanctissimo Fratri Bonifacio, Episcopo, Zacharias Servus Servorum Dei.

Responsoria ad præcedentem Epistolam.

SUsceptis Sanctissimæ Fraternitatis tuæ literis per Denehardum, religiosum Presbyterum tuum, quia te sospitem, ùt semper cupimus esse, cognovimus, omnipotenti, ac misericordissimo Deo nostro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis prosperari dignatur! Magnam enim cordibus nostris infundis lætitiam, quotiens nobis Sanctitatis tuæ scripta mittuntur: quando reperimus, quæ ad salutem respiciunt animarum: dum quotidie in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, per tuam prædicationem, novi populi adduntur.

Ubi & tres Episcopos per loca singula, secundùm seriem syllabarum tuarum, te ordinâsse cognovimus, qui eidem populo, quem sibi Dominus Deus noster, per tuam Sanctitatem aggregare dignatus est, præesse debeant: & petivisti, ut per auctoritatem Sedis nostræ, Episcopales ibidem Sedes firmentur. Sed tua sancta Fraternitas pertractet maturè, & subtili consideratione discernat, si expediat: aut si loca, aut populorum turbæ talia esse probantur, ut Episcopos habere mereantur. Meministi enim Charissime, quid in sacris Canonibus præcipimur observare: ut minimè in villulas, vel in modicas civitates Episcopos ordinemus: ne vilescat nomen Episcopi. Sed nos tuis sincerissimis, atque à nobis dilectis syllabis provocati, quæ poposcisti, absque morâ concedi patimur: & statuimus per Apostolicam auctoritatem, Episcopales illic esse Sedes, quæ per successionem Episcopos mereantur: & populis præsint, atque verbum prædicationis subjectis insinuent: id est, in Castello, quod dicitur *Wirtzeburg*, & alteram in oppido, quod nominatur *Buraburg*: tertiam in loco, qui dicitur *Erpfesfurt*: ita ut nulli post hæc liceat cuiquam hæc, quæ à nobis sancita sunt, quoquo modo violare, quæ auctoritate Beati Petri Apostoli firma esse decrevimus.

De eo autem, quod nobis intimâsti, quòd te Carolomannus filius noster apud se rogavit accedere: ut in parte Francorum, in sua ditione, sive potestate constituta, Synodum celebrares, eò quòd omnis Ecclesiastica regula, sive disciplina ab eadem Provincia funditus abolita est, nimis mœrendum est, quòd per spacia tanta temporum ibidem Synodus Sacerdotum minimè celebraretur: unde neque, quid sit Sacerdotium ab eis, qui se Sacerdotes esse existimant, cognoscitur.

 Sed

(a) *Est hæc Epistola inter Serarianas CXLII. apud Harduinum Zachariæ Papæ prima. Tomo III. Concilior.*

Sed dum, juvante Deo, quæ à præfato filio nostro promissa sunt, ad effectum perducta fuerint: tuâq; fraternitas in memorato Concilio consederit cum eodem Excellentissimo viro; si quos repererit Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos contra canones, aut statuta Patrum excessisse: id est, in adulterio, vel si plures uxores habuerunt, aut si sanguinem Christianorum, aut Paganorum effuderunt: vel etiam aliis capitulis canonum obviâsse reperit tua Sanctitas, nulla ratione Apostolica auctoritate permittat sacerdotio fungi: quia tales à suo tantùm proprio ore falsò nominantur sacerdotes, & deteriores sæcularibus esse noscuntur. Qui se neque à fornicationibus, neque à nefariis matrimoniis abstinent: neque ab hominum sanguinis effusione manus servant innoxias, se esse sacerdotes existimant? Aut quid inde sentiunt, dicente Deo: *Sacerdotes mei semel nubant*. Et Apostolus: *Unius uxoris*(a) *virum*, &cætera. Et hoc ante susceptum sacerdotium uti licitum est. Nam à die suscepti sacerdotii etiam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt. Quomodo se sacerdotio fungi considerant: qui talibus sceleribus involuti esse monstrantur, ut neque sæculares fideles his facinoribus obvolutos optemus? quomodo non pertimescunt Divina mysteria contingere? aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præsumunt, dum Sacri Canones neque purum Clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptiis præcipiunt? Isti enim è contrario non solùm post susceptum sacerdotium se abstinere nolunt ab una uxore, imò luxuriâ obvoluti pejora sæcularibus scelera committunt, ut plures uxores habere præsumant, quibus neque unam, concessum est, post susceptum ministerium, attrectare. Sed & ista parvi pendentes, atque Dominum ad iram provocantes, majora committunt facinora, dum propriis manibus Christianos, atq; Paganos homines necant. Et fit, ut quibus in remissionem peccatorum debuerunt lavacrum regenerationis impendere, atque Christi Sacramenta donare, ne in æternum perirent, eorundem sacrilegis manibus extinguantur. Quis enim sapiens habens cor eos æstimet sacerdotes; qui neque à fornicationibus abstinent: Neque ab effusione sanguinis manus servant innoxias? Quisve eorum sacrificiis Deum esse credit placatum, dicente Propheta: *Virum sanguinem* (b), *& dolosum abominabitur Dominus?* Isti namque, ùt præmisi, ne sacerdotio fungi patiantur, neque Divina contingere mysteria, commonemus. Quidquid verò aliud, ùt dictum est, eos contra Ecclesiasticam regulam excessisse repereris, canones (sive instituta Patrum) præ manibus habeto: & juxta quod in eis edoctus fueris, discerne.

Quod autem tibi successorem constituere petisti, ut te vivente in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem Ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur. Sed volumus, ut tibi ministret, & sit in Evangelio adjutor, dicente Apostolo: *Si quis bene ministraverit*, (c) *gradum sibi bonum acquirit*. Nimis enim reprehensibile, ac detestabile esse manifestum est, ut te vivente, tibi alium substituamus. Sed hoc commonemus, ut quamdiu te Divina jusserit clementia superesse, sine intermissione orare non cesses: ut tibi Deus illum successorem concedat, qui ei possit esse placabilis, & populum, quem ad suam gratiam per tuæ sanctitatis industriam, vocare voluit, irreprehensibiliter regere valeat, atque ad viam vitæ elaboret perducere. Nam quomodo hæc, quæ poposcisti (etiam si voluerimus) concedere possumus; dum nos fragiles homines existentes, & sub conditione mortis constituti, ignorantes, quid superventura pariat dies, non valentes investigare, quis è nobis propior de præsenti sæculo migret? Sin autem & eundem Divina voluerit clementia post tui diem transitûs superesse: si eum aptum cognoveris, & in tua voluntate fuerit definitum, eâ horâ, quâ te de præsenti sæculo migraturum cognoveris, præsentibus cunctis tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus: quod nulli alii concedi patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus.

De illo verò, qui viduam avunculi sui, quæ & ipsa fuit uxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, & à beatæ memoriæ præcessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut ei in pernicioso matrimonio assumi debuisset. Absit hoc, ut decessor noster ista permitteret. Nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ con-

contraria esse Patrum, sive Canonum institutis probantur. Ammonere, adhortari, increpare eos, charissime frater, ne cesses, quatenus à tali scelesto recedant matrimonio, ut non in æternum pereant. Reminiscantur enim, se Christi sanguine esse redemptos: & non sponte se contradant (nisi ab isto recesserint incesto matrimonio) diaboli potestati, sed magis omnipotenti Deo, & Christo Filio ejus, Spiritui quoque Sancto, in cujus nomine ab illius antiqui hostis erepti sunt potestate. Elabora igitur, Sanctissime frater, in eis, quia scriptum cognoscis: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & suorum operit multitudinem peccatorum.* Nam & nos ei pro hoc commonitoria scripta direximus.

De Calendis verò Januariis vel ceteris auguriis, Phylacteriis, & incantationibus, vel aliis diversis observationibus, quæ gentili more observari dixisti apud Beatum Petrum Apostolum, vel in urbe Romà; hoc & nobis, & omnibus Christianis detestabile, & perniciosum esse judicamus, dicente Domino: *Non augurabimini*, vel certè *non observabitis somnia.* Et iterum Scriptura dicit: *Non sunt auguria in Israël, nec observatio in domo Jacob.* Ita & à nobis cavendum esse censemus, ut nullis auguriis, vel observationibus attendamus. Quia omnia hæc abscissa esse à Patribus sumus edocti. Et quia per instigationem Diaboli iterum pullulabant, à die qua nos jussit Divina clementia, quanquam immeriti existamus, Apostoli vicem gerere, illicò omnia hæc amputavimus. Pari etenim modo volumus tuam Sanctitatem populis sibi subjectis prædicare, ad viam æternæ perducere vitæ. Nam & sanctæ recordationis prædecessoris, atque nutritoris nostri Domini Gregorii Papæ constitutione, omnia hæc piè, atque fideliter amputata sunt, & alia diversa quàm plura, quæ Diabolo suggerente pullulabant in Christi ovili: cujus instar, pro illius populi salute dirigere maturavimus.

Nam de sacerdotibus illis, qui falsa opinantur, qui etiam adulteri, & fornicatores probantur: & sibi ab Apostolicâ Sede indultum esse testantur, & è contrario sibi licentiam prædicationis largitam esse, hoc nulla ratione credat sancta tua fraternitas: sed similiter in eis canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his, quibus superiùs à nobis edoctus monstraris. Non enim aliud te agere volumus, præterquam, quod sacri præcipiunt canones, vel etiam ab hac Apostolicâ Sede instructus esse dinosceris.

Secundùm tuæ námque Sanctitatis petitionem, & tribus Episcopis tuis singulas confirmationis Epistolas misimus, quas per tuæ Sanctitatis manus eis largiri volumus. Et Carolomanno filio nostro alia scripta direximus, ut quæ tibi poposcit, adimplere festinet, adminicula præstet.

Sed hæc, Frater charissime, de omnibus superiùs comprehensis capitulis, ùt Dominus donavit, respondimus ad omnia amputanda Diabolicæ fraudis scandala. Tua verò sancta fraternitas, si quid de cætero evenerit, ùt sacri docent canones, studeat emendare in plebibus sibi à Deo commissis. Non enim aliud nobis convenit prædicare, præter quod à Sanctis Patribus sumus edocti. Si verò & novi aliquid, inimici astutiâ agente acciderit, quod tua sancta fraternitas minimè per canonum instituta discernere possit: huc vobis non pigeat insinuare: quatenus Deo juvante, quæque ad emendationem novæ plebis esse possunt, tibi absque tarditate respondere maturemus. Cognoscebat enim, Frater charissime! tua sancta fraternitas, ità dilectionem tuam habere in nostris præcordiis: ut te præsentialiter quotidie videre desideremus: & ita te in nostro consortio habeamus, ùt certè Ministrum DEI, & Dispensatorem Ecclesiarum Christi. De cætero namque confortare in Domino, frater charissime; & esto robustus: & elabora in opere, ad quod te Divina voluit evocare clementia. Magna enim te spes remunerationis expectat: quam promisit Deus diligentibus se. Et nos, licèt peccatores existamus, tamen DEI nostri non cessamus absque intercessione immensam exorare clementiam, ut qui cœpit in vobis, perficiat opus bonum usque adhuc. Et Beatus Apostolorum Princeps Petrus cooperetur tibi in omnibus bonis, qui ei parere desideras. Deus te incolumem custodiat, Reverentissime, & Sanctissime Frater. *Data Kalend. April*, imperante Domino piissimo, Augusto Constantino, à Deo coronato magno Imperatore. Anno vicesimo quarto Imperii. Indictione XI.

CON-

(*a*) I. Timoth. III, 2. (*b*) Psalm. V, 7. (*c*) I. Timoth. III, 13. (*d*) Jacobi V, 20.

CONCILIUM GERMANICUM

AUCTORITATE S. BONIFACII CELEBRATUM

XI. Kalendas Maji, anno Domini DCCXLII. Zachariæ Papæ II. ſub Carlomanno, majore Domûs Regiæ.

TITULI CAPITULORUM.

I. De Epiſcopis in Germaniâ conſtitutis, & de Synodo ſingulis annis congreganda.

II. Ut Clerici arma non tractent, neque ad Exercitum pergant, præter eos, qui Sacrorum cauſa electi fuerint. Item, ut à venationibus abſtineant.

III. Ut Presbyteri Parochiarum Epiſcopo ſuo ſint ſubjecti, & Miniſterii ſui rationem illi reddant; paratíque ſint ad illum in viſitatione ſuſcipiendum: ab illo Chriſma novum accipiant: illum caſtitatis, vitæ, fidei, & doctrinæ ſuæ teſtem habeant.

IV. Ut ignoti Epiſcopi ac Presbyteri ſine probatione ad miniſterium non admittantur.

V. Ut Epiſcopus cum comite provideat, ne populus Paganas obſervationes faciat.

VI. De pœnâ Clericorum, vel Monachorum, aut Monialium, quæ in fornicationem inciderint.

VII. Ut Presbyteri & Diaconi ſagis non utantur, ſed caſulis; & ut in domo ſuâ mulieres non habeant. Item, ut Monachi & Moniales juxta Sancti BENEDICTI Regulam vivere ſtudeant.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini noſtri JEſu Chriſti. Ego Carlomanus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini DCCXLII. XI. videlicet Kalendas Maji, cum Conſilio Servorum Dei, & optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt, cum presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregavi, id eſt, Bonifacium Archiepiſcopum, & Burchardum, (*a*) & Regenfridum, & Wintanum, & Witbaldum, (*) & Dadanum, & Eddanum, ac reliquos Epiſcopos, (*b*) cum presbyteris eorum, ut mihi Conſilium dediſſent, quomodo lex Dei, & Eccleſiaſtica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit; & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ pervenire poſſit, & per falſos ſacerdotes deceptus non pereat.

CANO-

(*) Willibaldum.

(*a*) Burchardus erat Wurtziburgenſis, Regenfridus Colonienſis, Wintanus Buraburgenſis, Willibaldus Eiſtatenſis, Daddanus Regionarius, Edda Argentoratenſis Epiſcopi.

(*b*) Per *reliquos Epiſcopos* Eckhartus intelligit Treverenſem, Leodienſem, Spirenſem, Wormatienſem &c. Auſtraſiæ Epiſcopos.

CANONES.

I.

Itaque per Consilium Sacerdotum, Religiosorum & Optimatum meorum, ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est missus Sancti Petri. Statuimúsque per annos singulos Synodum congregari, ut nobis præsentibus canonum decreta & Ecclesiæ jura restaurentur, & religio Christiana emendetur. Et fraudatas pecunias Ecclesiarum Ecclesiis restituimus: (**) falsos verò presbyteros, vel fornicatores Diaconos & Clericos de pecuniis Ecclesiarum abstulimus, & degradavimus, & ad pœnitentiam coëgimus.

II.

Servis (***) Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in Exercitum & in hostem pergere, omninò prohibuimus: nisi illis tantùm, qui propter divinum Mysterium, missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia (*d*) portanda, ad hoc electi sunt: id est, unum, vel duos Episcopos, cum capellanis (*e*) & Presbyteris eorum princeps secum habeat: & unusquisque præfectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit. Nec non & illas venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdiximus: & ut accipitres & falcones non habeant.

III.

Decrevimus quoque juxta Sanctorum Canones, ut unusquisque Presbyter in Parochiâ habitans, subjectus sit illi Episcopo, in cujus Parochiâ habitat; & semper in quadragesimâ rationem & ordinem ministerii sui, sive de baptismo, sive de fide Catholicâ, sive de precibus & ordine missarum, ipsi Episcopo reddat & ostendat. Et quandocumque jure Canonico Episcopus circumierit Parochiam ad confirmandos populos, Presbyter semper paratus sit, ad suscipiendum Episcopum, cum collectione & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet. Et in cœnâ Domini semper novum chrisma accipiat ab Episcopo. Et ut Episcopus testis sit castitatis & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius.

IV.

Statuimus etiam, ut secundùm Canonicam cautelam, omnes undecumque venientes ignotos Episcopos, vel Presbyteros, ante probationem Synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admitteremus.

V.

Decrevimus quoque, ut secundùm Canones unusquisque Episcopus in suâ Parochiâ solicitudinem gerat, adjuvante Gravione (*e*) qui defensor Ecclesiæ ejus est, ut populus Dei paganias non faciat, sed omnes spurcitias abjiciat & respuat; sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos, vel divinos, sive phylacteriâ & auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu pagano faciunt, sub nomine sanctorum Martyrum, vel confessorum, Deum & sanctos suos ad iracundiam provocantes: sive illos sacrilegos ignes, quos *Ned fratres* (*f*) vocant sive omnes, quæcumq; sunt, Paganorum observationes diligenter prohibeant.

VI.

Statuimus similiter, ut post hanc Synodum, quæ fuit XI. Kalendas Maji, quisquis servorum Dei, vel ancillarum Christi, in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et si ordinatus presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus & scorticatus videatur, & post Episcopus adaugeat. Si autem Clericus, vel monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertente anno ibi pœnitentiam agat. Similiter & nonnæ velatæ eâdem pœnitentiâ contineantur, & radantur omnes capilli capitis ejus.

(**) reddidimus (***) Servos

(*c*) Capsæ Reliquiis Sanctorum refertæ, deferebantur cum exercitu per Clericos: & hæ capsæ vocantur *Patrocinia Sanctorum.*

(*d*) Capellani, Regiæ Capellæ Ministri Clerici, qui Archi-Capellano subjecti erant.

(*e*) Gravione, id est, Judice loci, à Rege misso & statuto. Eckhart. Tom. I. L. XXIII. N. X.

(*f*) Ned fratres. Nied feor edit *Serarius.*. Noth feur *Struvius*, *Spelmannus*. Id est, ignis, ex duorum aridorum lignorum attritu elicitus.

VII.

Decrevimus quoque, ut Presbyteri, vel Diaconi non ſagis, laicorum more, ſed caſulis utantur, ritu ſervorum Dei, & nullus in ſuâ domo mulieres habitare permittat. Et ut monachi, & ancillæ Dei monaſteriales, juxta regulam Sancti Benedicti, Cœnobia & Xenodochia ſua ordinare, gubernare, vivere ſtudeant: & vitam propriam degere ſecundùm prædicti Patris ordinationem non negligant.

Ex Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ Holſteinius edidit: ante illum Serarius inter Epiſtolas Bonifacianas à pag. 110, 111, 112. *unde Synodographi poſteriores.*

Baluzius Tomo I. Capitularium pag. 145. *& ſeqq.*

CONCILIUM LIPTINENSE, (*a*)

In quo approbantur ſuperioris Synodi Germanicæ Decreta, nováque ſanciuntur, ſub Carlomano majore domûs Regiæ celebratum, Kalendis Martiis. (*b*)

Anno Chriſti DCCXLIII. Zachariæ Papæ II. Childerici III. Regis II.

TITULI CANONUM.

I. De prioris Synodi canonibus communi ſenſu receptis & approbatis.

II. De pecunia Eccleſiaſtica ſub precario vel cenſu in ſubſidium exercitûs præſtanda.

III. De inceſtis Matrimoniis: & ut mancipia Chriſtiana Paganis non tradantur.

IV. Ut qui Paganas obſervationes in aliqua re fecerit, quindecim ſolidis mulctetur.

CANONES.

I.

MOdò autem in hoc Synodali Conventu, qui congregatus eſt ad Kalendas Martias in loco, qui dicitur Liptinas, omnes venerabiles Sacerdotes Dei, & Comites, & Præfecti, prioris Synodi decreta conſentientes firmavêrunt, ſéque ea implere velle & obſervare promiſerunt. Et omnis Eccleſiaſtici ordinis Clerus, Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi, cum reliquis Clericis, ſuſcipientes antiquorum Patrum canones, promiſerunt, ſe velle Eccleſiaſtica Jura moribus & doctrinis, & miniſterio recuperare. Abbates verò & Monachi receperunt Regulam Sancti Patris Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores autem & adulteros, qui ſancta Loca vel Monaſteria ante tenentes coinquinârunt, præcepimus inde tollere, & ad pœnitentiam redigere. Et ſi

Poſt

(*a*) Liptinæ, in Diœceſi Cameracenſi, in eo loco, ubi nunc eſt Cœnobium Laubienſe. Nota *Serarii ex Myræo*: hodie Leſtines dicitur.

(*b*) Gratianus cauſa XVI. Qu. I. Can. LIX. *Quia juxta*, refert, revelatam S. EUCHARIO damnationem æternam Caroli Martelli [qui fuit Pater Pippini & Carolomanni,] occaſionem dediſſe convocandæ Synodi Liptinenſis per filium Carlomannum. Aſt. 1. hic canon. *Quia juxta*, non eſt editus in Concilio Liptinenſi, ſed inter Capitularia Caroli Magni anno 803. 814. & 816. Ludovici Pii. 2dò Eruditiſſimus Pagi *in Critica* ad annum 741. N. XVI. hanc fabulam confutat & evertit.

poſt hanc definitionem in crimen fornicationis vel adulterii ceciderint, prioris Synodi Judicium ſuſtineant. Similiter & Monachi & Nonnæ.

II.

Statuimus quoque, cum conſilio Servorum Dei & Populi Chriſtiani, propter imminentia bella & perſecutiones certarum gentium, quæ in circuitu noſtro ſunt, ut ſub precario & cenſu aliquam partem Eccleſialis pecuniæ in adjutorium exercitûs noſtri, cum indulgentia Dei, aliquanto tempore retineamus: ea conditione, ut annis ſingulis de unaquaque caſata ſolidus, id eſt, duodecim denarii, ad Eccleſiam vel Monaſterium reddantur: eo modo, ut, ſi moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Eccleſia cum propria pecunia reveſtita ſit. Et iterum, ſi neceſſitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renovetur, & reſcribatur novum. Et omnino obſervetur, ut Eccleſiæ, vel Monaſteria penuriam, paupertatémque non patiantur; quorum pecunia in precario præſtita ſit. Et ſi paupertas cogat, Eccleſiæ vel Domui Dei integra reddatur poſſeſſio.

III.

Similiter præcepimus, ut juxta canonum decreta, adulteria & inceſta Matrimonia, quæ non ſunt legitima, prohibeantur, & emendentur Epiſcoporum Judicio. Et ut mancipia Chriſtiana Paganis non tradantur.

IV.

Decrevimus quoque, quod & Pater meus ante præcipiebat, ut, qui Paganas obſervationes in aliqua re fecerit, mulctetur, & damnetur XV. ſolidis. (c)

Inter Epiſtolas Bonifacianas editas à Serario. pag. 112. 113.

(c) Præter quatuor Canones, duo hæretici Adalbertus Gallus & Clemens Scotus, qui S. Bonifacii jurisdictionem ſpernebant, damnati fuerunt, & à Sacerdotali Officio nudati.

Demum tres Archi-Epiſcopi in Galliis fuerunt à S. Bonifacio ordinati, Grimo Rothomagi, Abel Remis, Harbertus Senonis. Horum confirmatio, uti & factæ damnationis hæreticorum, à Zacharia Pontifice petita fuit per Deneardum Presbyterum, ex hac Synodo Romam miſſum.

Ad Bonifacii literas per Deneardum Romam latas Menſe Auguſto reſpondet Zacharias, Epiſtolâ CXLIV. inter Bonifacianas, data X. Kal. Octobris, imperante Domino Artavasdo, à Deo coronato, magno Imperatore anno III. poſt conſulatum ejus anno III. ſed & Nicephoro, magno Imperatore anno I. Indictione XII., quæ Septembri hujus anni 743. inchoabatur.

Sic Pagi & Eckhartus corrigunt Subſcriptionem rerum Franciæ Tomo I. L. XXIII. pag. 448.

I. Abrenuntiatio Diaboli, operúmque ejus & Superſtitionum.

Forſachiſtu Diobolæ? & Reſponſ. Ec forſacho Diobolæ. En allum Diobol gelde? Reſp. End ec forſacho allum Diobol galde. End allum Dioboles wercum? Reſp. End ec forſacho allum Dioboles wercum, und wordum thuna eren de woden ende Saxnote, ende albem them unholdum, the hira genotas ſint. Gelobiſtu in Got almehtigan Fadaer. R. Ec gelobo in Got almehtigan Fadaer. Gelobiſtu in Chriſt Godes Suno? R. Ec gelobo in Criſt Gotes Suno. Gelobiſtu in halogan Gaſt? R. Ec gelobo in halogon Gaſt.

II. Indiculus Superſtitionum & Paganiarum.

De Sacrilegio ad ſepulchra mortuorum.
De Sacrilegio inter defunctos. I. Dadſiſas.
De Spurcalibus in Februario.
De Caſulis: id eſt: Fanis.
De Sacrilegiis per Eccleſias.
De Sacris Silvarum, quæ Nimidas vocant.
De his, quæ faciunt ſuper petras.
De ſacris Mercurii vel Jovis.
De Sacrificio, quod fit alicui Sanctorum.
De Phylacteriis & Ligaturis.
De fontibus Sacrificiorum.
De incantationibus.
De auguriis vel avium, vel equorum, vel boum ſtercoribus vel ſternutatione.
De Divinis vel Sortilegis.
De igne fricato de ligno: id eſt: Nodfyr.
De cerebro animalium.
De obſervatione Pagana in foco, vel in inchoatione rei alicujus.
De incertis locis, quæ colunt pro Sanctis.
De petendo, quod boni vocant Sanctæ Mariæ,

De feriis, quæ faciunt jovi vel Mercurio.

De Lunæ defectione, quod dicunt, Vinceluna.

De Tempestatibus & Cornibus & Cochleis.

De Sulcis circa villas.

De Pagano concursu, quem Yrias nominant, scissis pannis vel calceis.

De eo, quod sibi Sanctos fingunt quoslibet mortuos.

De Simulacro de conspersa farina.

De Simulacris de pannis factis.

De Simulacro, quod per campos portant.

De ligneis pedibus vel manibus Pagano ritu.

De eo, quod credunt, quia Feminæ lunam (*d*) comedant, quod possint corda hominum tollere juxta Paganos.

Illmus Furstenbergius post Monumenta Paderbornensia, ex codice Vaticano Antiquissimo vulgavit & hanc Abrenuntiationem & Indiculum Superstitionum.

Cl. Eccartus Lib. XXIII. Commentariorum de rebus Franciæ Orientalis eruditas Notas edidit in has Superstitiones, quas Christiani nonnulli etiam post Baptismum exercebant & retinebant.

(*d*) *Commendent* habet Baluzius Tomo I. Capitular. pag. 194. Idem in Notis ad Capitularia Tomo II. pag. 1021. ostendit, unicam tantùm fuisse Synodum Liptinensem, cui præter Bonifacium, Georgius Episcopus, Legatus Romanæ Sedis, & Joannes Sacellarius præsederunt, Teste Hincmaro Epistola XXXVII. ad Rodulphum.

2dò. Hanc Synodum, & illam anni prioris, nullatenus esse falsas, aut supposititias, demonstrant contra opinionem Henschenii & Papebrochii in propylæo antiquario de diplomatis antiquis discernendis, præmisso Tomo II. Aprilis, cap. II. N. 3. *Baluz. T. II. Capitul. pag.* 1200. *de Marca. De Concordia L. VI. C.* 25. *Mabillon de re diplom. L. II. C.* 25.

III. Allocutio Sacerdotum de conjugiis inlicitis ad plebem.

Fili (a) *hominis, speculatorem posui te in populo meo: Audiens ergò ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me, non ex te. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate suâ morietur: sanguinem autem ejus de manu tuâ requiram. Si autem annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua & via sua impia, ipse quidem in iniquitate suâ morietur; tu autem animam tuam lucri fecisti. Sed & si conversus justus à justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur; quia non annuntiâsti ei, in peccato suo morietur: & non erunt in memoria justitiæ ejus, quas fecit: Sanguinem verò ejus de manu tuâ requiram. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, & ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiâsti ei, & tu animam tuam liberâsti.*

Videte, filii charissimi, quale nobis incumbit periculum, si tacemus. Absit, absit, ut nostrum silentium vestrum fiat exitium. Si vos amamus, prodere debemus, quod lædit, ne veniat, quod occidit. Ergo diligenter advertite voces Dei nostri, quibus vos vetat à conjugiis criminalibus, ut vivatis æternis ejus muneribus. Clamat ecce Deus noster, & humanæ libidinis inlicitam rabiem prævidens contestatur: ne quis polluatur cum matre, non cum noverca, non cum sorore ex patre nata; non cum sorore ex matre nata, sive intus, sive foris nata sit. Non cum filia filiæ, non cum nepte ex filia nata, non cum filia novercæ, non cum sorore patris, non cum sorore matris. Non cum uxore patrui, non cum nuru, non cum uxore fratris. Non cum filia uxoris. Non cum filia filii uxoris tuæ, non cum filia filiæ ejus. Non cum sorore uxoris tuæ; non cum menstruata muliere, non cum uxore proximi, non cum dua-

(a) Ezechielis III, 17. XXXIII, 7.

duabus ſimul mulieribus, ſive ancillæ ſint, ſive liberæ; ſeu libera & ancilla: Non cum maſculo coïtu fœmineo, non cum pecore aliquo: non cum ſocru tua. Non mulier ſuccumbat jumento, non vir cum filia & matre, non cum uxore avunculi tui. Dicit etiam de ſacerdote futuro: non cum repudiata à marito, non cum ſcorto, non cum viduâ, ſed virgine. Ecce cariſſimi, qualem ad vos legationem perferimus, non cujuscumque, qui pretio poſſit redimi; ſed cujus ſanguini pro vobis ſuſo eſtis obnoxii. Ammonemus ſanctitatem veſtram: vivite cum conjugibus licitis: vivite continenter. Nemo ſe ulteriùs inlicitis maculet. Nemo talibus ſociatus ante pœnitentiæ dignum ſervitium ad tanti Domini corpus accedat: ne non remedium, ſed vulnus accipiat. Quia quod indignè ſumitur, pœna eſt, non medela. Cariſſimi, homines ſumus pleni ſqualoribus: & tamen nolumus ab inquinatis membra noſtra contingi: & credimus, quòd Unigenitus Dei Filius noſtrorum criminum ſordes in ſuum corpus libenter excipiat? Fratres, ecce Rex noſter, qui nos dignos hac legatione credidit, poſt nos continuò ſequitur: paremus ei mundas domus noſtras, ſi eum in ipſis corporibus noſtris volumus habitare.

IV. Alia Allocutio.

Rogamus vos, cariſſimi filii, rogamus vos, viſcera ſanctæ matris Eccleſiæ, ut qui ſolctis leges ſæculi formidare, legem Dei noſtri audire patienter dignemini. Ille eſt, qui ad vos per linguæ noſtræ ſervitium loquitur: cujus paulò ante paſchalia beneficia celebrâſtis. Qui unigenito ſuo inter manus perſequentitium parcere noluit, ut nos in hæreditatem adſcriberet filiorum. Si agnoviſtis, quantum nobis munus in paſſione ejus præſtitum, celeriùs ipſius audite præceptum: ne dum juſſionibus ejus inobedientes exſiſtimus, ingrati beneficiis judicemur. Non eſt dubium filii cariſſimi, eſſe quoſdam, atque utinam paucos, qui de noſtra negligentia conquerantur, quare tardiùs ſalutis veſtræ remedia prædicamus: quorum tamen juſtus (*b*) dolor eſt, ſi vel modò voluerint facilè percipere medicinam. Nam, qui nec tardiùs curari ſe patitur, de medici tarditate quid queritur? Immò quantò longior præceſſit infirmitas, tantò major ſuccedere debet humilitas. Nam quis ferat ægrotum ſuperbum, qui & incurriſſe ſe cauſatur in ægritudinem, & non vult recipere ſanitatem? quam multos invenimus, filii cariſſimi, qui cum turpiter vivant, tamen calumniantur, dicentes: quare tardiùs Chriſtus advenerit: quare tot millia hominum ante incarnationem ſuam perire perpeſſus ſit? Horum ſi querelam recipimus, etiam poſt tanti munus medici neceſſe eſt ægrotemus. Quid accuſas, homo, ſolem juſtitiæ, quòd tardiùs ortus ſit; qui poſt ortum quoque ejus in tenebris ambulas? An quia frequenter nubes diutiùs occupant cœlum, non debemus gaudere rediiſſe tranquillum? Quid fluctuaris, frater, quid fluctuaris inaniter? Ecce jam licet ad ſerenitatis quietem reverti, quid iterum ſcopuloſa deſideras? Nemo te in tempeſtate periturum retinere voluit, quia tardiùs portus occurrit.

(*b*) *Fortè* injuſtus.

V. De Sabbato.

Magnificentiſſimi Patres noſtri apud (*c*) Laudiciam Phrygiæ congregati, memores ſalutis noſtræ, multa cenſuerunt, quæ nos obſervare convenit. Inter cætera, filii chariſſimi, de Chriſtianis, qui ſabbatizare, vel juxta quemdam modum judaizare noſcuntur. Quia ſub anathemate decreverunt, qui eos imitari noſcuntur. Nam & nos vobis de eo inſinuare curamus. Qui baptizati & regenerati eſtis in Chriſto, ecce facti estis membra Chriſti. Ammonemus vos, timemus vos, non tantùm à Paganis, non tantùm ab hæreticis, ſed etiam à perfidis judæis, qui vos cupiunt judaizare, & otiari in ſabbato; ut nomen Chriſti, quod accepiſtis, in vobis maculetur. Sed ità agendum eſt ſecundùm Patrum definitionem, qui nobis jubent operari in ſabbato; ſecundùm Domini ſententiam, qui in Evangelio ait: *Sabbatum* (d) *propter hominem factum eſt;* non

(*c*) Laodiceam. (*d*) Marci II, 27. III, 1. 5.

non homo propter sabbatum : Itaque *Dominus est Filius hominis etiam sabbati. Et cùm in Synagoga observâssent eum Judæi, si in Sabbato curaret, ut accusarent eum ; ait homini habenti manum aridam : surge in medium, & dicit eis, licet sabbatis bene facere an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitatem cordis eorum, dicit homini : extende manum tuam : & extendit : & restituta est manus illius.* Item secundùm Lucam Evangelistam, *erat Jesus docens in Synagoga* (e) *eorum sabbatis*, & curavit ibi mulierem, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo. Cum ergo indignè ferrent Judæi, ait eis: *Hypocritæ, unusquisque vestrûm sabbato non solvet bovem suum & asinum à præsepi, & ducit ad aquare? hanc autem filiam Abrahæ non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati?* Etiam pro hoc erubescant Judæi. Videtis, carissimi nobis, quia Dominus pro hoc sabbatis operabatur, quia nos, qui Christiani sumus, secundùm litteram sabbatum observare non debemus. Christiani enim sabbatum observare ità debemus : abstinere nos à rapinis, à fraudibus, à perjuriis, à blasphemiis, ab inlicitis rebus, à munere accipiendo super innocentes, à jurgiis. Fornicationes enim sic timeamus, sicut mortem; quæ non animam solvit à corpore, sed ubi anima semper ardet cum corpore. Obsecro vos per nomen, quod super vos invocatum est ; per Sacramenta, quæ accepistis, ut eos imitemini, quos in populo Dei bene agere videbitis, ut illius Sacramentum maneat in vobis, qui de ligno descendere noluit, sed de sepulcro resurgere dignatus est : Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu Sancto, in sæcula sæculorum.

In antiquissima Canonum Collectione, codice MS. Palatino 542. annorum ampliùs nongentorum (ut refertur in Monumentis Paderbornensibus Illustrissimi Furstenbergii pag. 336.) post Concilium ad Liptinas habitum à Carlomanno Duce, subjungitur Abrenuntiatio Diaboli, operúmque ejus veteri Theoriscâ linguâ, cum indiculo superstitionum Paganicarum, à quibus populum Episcoporum sollicitudine revocandum illud statuit Parte I. Canon. 5. Indiculum proximè sequitur, teste Luca Holstenio, gemina allocutio ad plebem, de incestis matrimoniis fugiendis, quæ idem Concilium Can. III. ab Episcopis prohiberi præcipit. Itaque hæc omnia ad Concilii Liptinensis acta pertinere omnino videntur. *Adnotatio P. Philippi Labbé, S. J.*

(e) Lucæ XIII, 10. 16.

CAPITULARE (a)
INCERTI ANNI,
Datum in Synodo, cui interfuit Bonifacius, Apostolicæ Sedis Legatus,
Circa annum Christi DCCXLIV. Zachariæ Papæ III. Childerici III. Regis II.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De exposito infante.*
2. *De trigesimis mortuorum.*
3. *De muliere enixa.*
4. *De Clericis, qui comam nutriunt.*
5. *De Sacerdotibus, qui demigrant.*
6. *De Loco Laicorum in Ecclesia.*
7. *De Servis Clericorum.*
8. *De Invasoribus rerum Ecclesiæ.*
9. *De regula Collectarum.*
10. *De Professione Sacerdotum.*
11. *De Testamento Sacerdotum.*
12. *De Archi-Diaconis.*
13. *De Compositoribus Cantionum.*
14. *De modo Sacramenti.*
15. *De libertis, ut non sint testes.*
16. *De Commutatione.*
17. *De Fidejussore.*
18. *De Personis Judiciorum.*
19. *De Agnatis & Cognatis.*
20. *De falsa Moneta.*
21. *De Homicidis ad Ecclesiam confugientibus.*
22. *De Latronibus.*

23. *De*

[a] Editum primùm à Baluzio, *Tomo I. Capitularium è veteri codice MS. Bibliotheca Thuana*, cum hoc titulo: EX CONCILIO REGUM, QUIBUS LEGATUS ROMANÆ SEDIS INTERFUIT BONIFACIUS pag. 151. & seqq.

23. *De die Dominico.*
24. *De empto à Fure.*
25. *De alieno animali occiso.*
26. *De compositione incensæ Domûs.*
27. *De via convicinali.*
28. *De rebus commendatis incensis.*

INCIPIUNT PRÆDICTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De exposito Infante.

I.

SI expositus ante Ecclesiam cujuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat collector Epistolam. Et si is, qui collectus est, intra decem dies quæsitus, agnitúsque non fuerit, securus habeat, qui collegit. Sanè, qui post prædictum tempus ejus calumniator extiterit, ut homicida damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas.

De trigesimis mortuorum.

II. Fideles pro defunctis amicis jejunia & oblationes triginta diebus adimpleri faciant, & mortuum super mortuum non ponant, nec ossa defunctorum super terram dimittant. Quod si fecerint, canonicæ sententiæ subjacebunt.

De muliere enixa.

III. Cùm enixa fuerit mulier, si statim actura gratias intrat Ecclesiam, nullo hinc peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis, non dolor, in culpa est; in prolis verò prolatione gemitus est. Si itaque enixam mulierem prohibemus intrare Ecclesiam, ipsam ei pœnam suam in culpam deputamus.

De Clericis, qui comam nutriunt.

IV. Sancitum est, ut Clerici, qui comam nutriunt, ab Archi-Diacono, etsi noluerint, inviti tondeantur. Vestimenta verò vel calciamenta eis, nisi religionem deceant, habere non liceat.

De Sacerdotibus, qui demigrant.

V. De Sacerdotibus, qui suos titulos absque licentia Episcopi dimittunt aut dimiserunt, statutum est, ut tamdiu à communione habeantur alieni, quousque ad suos titulos revertantur.

De loco Laicorum in Ecclesia.

VI. Laici secus altare intra cancellos tam ad Vigilias, quàm ad missas stare penitus non præsumant.

De Servis Clericorum.

VII. Ecclesiarum Servos, vel Episcoporum, vel Clericorum à judicibus, vel actoribus publicis in diversis angariis fatigari Divina prohibemus auctoritate. Si quis verò judicum vel actorum Clericum, aut Servum Clericalem Ecclesiæ in publicis vel privatis negotiis voluerit occupare, ab Ecclesia, cui impedimentum facit, efficiatur extraneus.

De Invasoribus rerum Ecclesiæ.

VIII. Qui reiculam Ecclesiæ petierit à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapuerit, irrita habeantur, quæ obtinent, & ipsi ab Ecclesia, quam spoliare cupiunt, excludantur.

De Regula Collectarum.

IX. Nullus in precibus nisi ad Patrem dirigat orationem, secundùm illud: *Si quid petieritis* (b) *Patrem in nomine meo.* Et ut priùs eas cum instructioribus tractet.

De professionibus Sacerdotum.

X. Quando Presbyteri vel Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos Episcopo suo professionem facere.

De testamento Sacerdotum.

XI. Presbyteri post ordinationem suæ paupertatis prædia comparantes, testamenta Ecclesiis confirment. Sin aliter, ut fraudatores teneantur.

De Archi-Diaconis.

XII. Prævideant Episcopi, ne cupiditas Archi-Diaconorum suorum culpas nutriat, quia multis modis mentitur iniquitas sibi.

De Compositoribus Cantionum.

XIII. Qui in blasphemiam alterius cantica composuerit, vel qui ea cantaverit, extra ordinem judicetur. Nam lex hujusmodi præcipit exiliari.

De modo Sacramenti.

XIV. Omne Sacramentum in Ecclesia, & super Reliquias juretur! sic illum Deus adjuvet, & illi Sancti, quorum sunt istæ Reliquiæ.

De Libertis, ut non sint testes.

XV. Libertus & liberta in nullis negotiis contra quenquam testimonium dicere permittantur, exceptis illis causis, in

(b) Joannis XIV, 14.

in quibus ingenuitas deesset, sicut præmissum est & de servis. Quia indignum nostra pensat clementia, ut libertorum testimonia ingenuis damna incutiant. Qui verò ex iisdem fuerint progeniti, ad testimonium à tertia generatione admittuntur.

De Commutatione.

XVI. Commutatio, si non fuerit per vim vel metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

De Fidejussore.

XVII. Si quis contemto Fidejussore debitorem suum tenere maluerit, fidejussor & hæres ejus à fidejussionis vinculo liberantur.

De Personis Judiciorum.

XVIII. In judiciis quatuor debent esse personæ, accusator, defensor, testes, judex. Accusator uti debet intentione ad amplificandam causam, defensor extenuatione ad minuendam, testes veritate, judex æquitate.

De Agnatis & Cognatis.

XIX. Agnati sunt, qui per virilem sexum descendunt, cognati qui per femineum. Et ideo patrui vel patruorum filii & agnati sunt & cognati. Avunculi verò & avunculorum filii cognati sunt, non agnati.

De falsa Moneta.

XX. De falsa moneta jubemus, ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus ei amputetur; & qui hoc consensit, si liber est, sexaginta solidos componat: si servus, sexaginta ictus accipiat.

De homicidis ad Ecclesiam confugientibus.

XXI. Homicidis vel cæteris reis, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, nullus eis victus detur.

De Latronibus.

XXII. De Latronibus præcipimus observandum, ut pro prima culpa unum oculum perdat; de alia verò nasus ei truncetur; de tertia culpa, si non emendaverit, morietur.

De die Dominico.

XXIII. Si quis die Dominico opera servilia fecerit, liber homo, si boves junxerit, dextrum bovem perdat. Et si alia, quæ prohibita sunt, fecerit, sacerdotibus illa emendet: Sicut de reliquis negligentiis judicibus emendari solet, & pœnitentiam insuper accipiat. Similiter de præcipuis festivitatibus.

De empto à Fure.

XXIV. Si quis de fure nesciens aliquid emerit, quærat accepto spatio furem. Quem si non potuerit invenire, probet se Sacramento innocentem, & rem restituat, & furem quærere non omittat. Quod si furem celaverit, & perjurâsse postea detectus fuerit, tanquam fur & ipse damnetur.

De alieno animali occiso.

XXV. Si quis casu faciente occiderit alienum animal, & non negaverit, simile dare non tardet, & cadaver mortui accipiat.

De compositione incensæ Domûs.

XXVI. Si quis incenderit alienam domum, primò omnia ædificia restituat, & quidquid ibi arserit, componat, & insuper LX. solidos, & publicâ pœnitentiâ multetur. Et quotquot homines de ipso incendio evaserint, unicuique secundùm legem suam componat, & quidquid perdiderint, restituat.

De via convicinali.

XXVII. Si quis viam convicinalem vel pastoralem clauserit, cum sua lege componat, & ipsam viam aperiat.

De rebus commendatis incensis.

XXVIII. Si cui commendatæ res fuerint, vel traditæ ad vendendum, & in domo ejus cum rebus suis.....

Cætera desunt in MS.

CON-

Eckhart Historiæ rerum Franc. L. XXIII. N. LXXVIII. hunc cœtum Regum (sic per abusum vocantur Pippinus & Carolomannus) inter *Comitia*, non inter Synodos refert. Verùm cùm codex MS. Synodum vocet, & plurima Capitula tractent de Personis & Locis Ecclesiasticis; jure inter Synodos referimus.



CONCILIUM SUESSIONENSE

SUB

PIPPINO MAJORE DOMÛS REGIÆ,

AB EPISCOPIS XXIII. CELEBRATUM VI. (1) NONAS MARTIAS,

Anno Christi DCCXLIV. Zachariæ Papæ III.
Childerici (2) Regis II.

TITULI CAPITULORUM.

I. De Fide Nicæna, & canonibus antiquis, toto Regno promulgandis.

II. De Synodo singulis annis congreganda: & de Adalberto (3) hæretico in Synodo damnato.

III. De Episcopis per civitates ordinatis sub Archi-Episcopis (4) Abele & Ardoberto. De Monachis, & ut Abbates in hostem ipsi non eant, sed mittant: & Clerici à fornicatione, habitu Laico, & venatione abstineant.

IV. Ut Laici fornicationem omnem, perjuria, falsa testimonia devitent, Ecclesiámque tutentur: & ut Presbyteri Parochiarum Episcopo suo sint subjecti.

V. Ut ignoti Episcopi vel Presbyteri ad ministerium sine probatione non admittantur.

VI. Ut Episcopi provideant, ne populus Paganismum faciat, & ut legitimæ per civitates mensuræ sint.

VII. Ut Adalberti cruciculæ igni tradantur.

VIII. Ut Clerici extraneas mulieres domi non habeant.

IX. Ut sacratam fœminam, vel propinquam, nemo uxorem ducat: neque uxor viro superstite alterum accipiat.

X. De transgressoribus horum canonum.

PRÆFATIO.

IN Dei nomine & Trinitatis. Anno DCCXLIV. ab incarnatione Christi, suo die VI. Nonas Martii, & luna XIV. in anno secundo Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux & Princeps Francorum. Dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine unà cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel Servorum Dei Consilio, sive Comitum & Optimatum Francorum colloquio, apud Suessionis civitatem Synodum, vel Concilium facere decrevimus, quod ita in Dei nomine & fecimus.

CANONES.

I.

IN primis constituimus fidem Catholicam (*a*) quam constituerunt CCCXVIII. Episcopi in Nicæno Concilio, ut denuntiaretur per universam regionem nostram & judicia canonica aliorum Sanctorum, quæ constituerunt in Synodis suis: quo modo lex Dei, & Ecclesiastica regula recuperetur, quæ in diebus priorum Principum dissipata corruit.

II.

Propterea nos unà cum consensu Episcoporum, sive sacerdotum, seu servorum Dei & optimatum, eorum Consilio decrevimus, ut annis singulis Synodum renovare debeamus, qualiter populus Christianus ad salutem animarum pervenire possit: & ut hæresis ampliùs in populo non resurgat, sicut invenimus (3) in Adalberto hæresim; quem publicitus unà voce condemnaverunt XXIII. Episcopi, & alii multi sacerdotes, cum consensu Principis & populi; ità condemnaverunt ipsum Adalbertum, ut ampliùs populus per falsos sacerdotes deceptus non pereat.

III.

Idcirco constituimus per Consilium sacerdotum & optimatum eorum, & ordinavimus per civitates legitimos Episcopos; & idcirco constituimus super eos Archiepiscopos Abel, (4) & Ardobertum: ut ad judicia eorum de omni necessitate Ecclesiastica recurrant tam Episcopi, quàm alius populus; ut ordo monachorum vel ancillarum Dei secundùm regulam sanctam stabilis permaneat, & de rebus Ecclesiasticis subtractis monachis vel ancillis Dei consolentur, usque ad dum illorum necessitati satisfaciant; & quod (5) superaverit, census levetur, & Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmittant. Et omnes Clerici fornicationem non faciant, nec habitum laicorum portent, nec apud canes (*b*) venationes faciant, nec accipitres (6) portent.

IV.

Similiter decrevimus, ut laici homines legitimè vivant, & diversas fornicationes non faciant, & perjuria in Ecclesia non consentiant, & falsa testimonia non dicant, & Ecclesiam Dei in omni necessitate conservent. Et unusquisque presbyter, qui in Parochia est, Episcopo obediens & subjectus sit: & semper in cœna Domini rationem & ordinem ministerii suo Episcopo reddat, & chrisma & oleum petat: & quando Jure Canonico Episcopus circumit Parochiam ad confirmandum populum, Abbates & Presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis.

V.

Et statuimus, ut supervenientes Episcopi vel Presbyteri de aliis regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesiæ, nisi priùs fuerint probati ab Episcopo, cujus parochia est.

VI.

Et omnino decrevimus, ut unusquisque Episcopus, in sua parochia solicitudinem habeat, ut populus Christianus Paganismum non faciat: & per omnes civitates legitimus forus & mensura fiat, secundum obedientiam temporis.

VII.

Similiter constituimus, ut illas cruciculas, (7) quas Adalbertus per parochiam plantaverat, omnes igne consumantur.

VIII.

Similiter diximus, ut neque clericus mulierem habeat in domo sua, quæ cum illo habitet, nisi matrem, aut sororem, aut neptem suam.

IX.

Similiter constituimus, ut nullus laicus homo Deo sacratam fœminam ad mulierem habeat, nec suam parentem: nec marito vivente suam mulierem alius accipiat, nec mulier vivente suo viro alium accipiat: quia maritus mulierem suam non debet dimittere, excepto causa fornicationis deprehensæ.

X.

Siquis contra hoc decretum, quod XXIII. Episcopi cum aliis sacerdotibus vel servis Dei, una cum consensu Principis Pippini, vel optimatum Francorum Consilio constituerunt, transgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel despexerit; judicandus sit ab ipso Principe, vel Episcopis, vel Comitibus: & componat, secundùm quod in lege scriptum est, unusquisque juxta ordinem suum. Et si hæc omnia observaverimus, quæ superiùs scripta sunt, Christi misericordiam invenire poterimus in sæcula sæculorum. Amen.

(8) *Signum illustris Viri Pippini majoris Domûs.*
Signum Radbodi.
Signum Ariberti.
Signum Helmigaudi.

(*b*) *Fortè* subtraditis.

NOTA

NOTÆ *P. Jacobi Sirmondi è Soc. JEsu.*

(1) Itá & vetus Exemplar Metense, & alterum Flandricum. In Bellovacensi tamen legitur V. Nonas, quod magis fortasse cohæret cum luna XIV., quam numerabant.

(2) Postremi Merovingorum Regis, qui post aliquot annorum interregnum, quibus rerum potitum esse diximus Carolum Martellum, illo mortuo Rex tandem ab ejus filiis renuntiatus est. Qui à Martello ipso renuntiatum volunt, non animadvertunt Childerici Regis, si superstite Martello regnum iniisset, cùm is Anno Christi DCCXLI. vivere desierit, annum hunc fore non secundum, sed tertium.

(3) Vulgati ADLABERTO: item codex Bellovacensis cum Flandrico. Nos Metensem hoc loco, ut in cæteris, secuti sumus. Idem Aldebertus vocatur in Epistola Bonifacii ad Zachariam, & in Synodo Romana.

(4) Alterum Remorum, alterum Senonum, ùt est in Epistola V. Zachariæ ad Bonifacium, ubi posterior ARTBERTUS appellatur.

(5) Metensis codex, *Si quid superaverit.* De hoc vero casu cautum fuerat in Synodo Liptinensi, Can. 2.

(6) Bellovacensis, acceptores, quod idem est, ut in lege Salica Cap. VII. Si quis acceptorem de arbore furaverit.

(7) Ita Metensis & Flandricus: in Bellovacensi verò crucilias, sicut in vulgatis, sed cruciculas idem habet Bonifacius, de iisdem agens in Epistola ad Zachariam.

(8) Hæ Subscriptiones aberant à vulgatis: exstant autem in tribus manuscriptis, Metensi, Bellovacensi, & Flandrico.

Sirmondus Tomo I. Concilior. Galliæ pag. 543.
Harduinus Tomo III. Concilior. pag. 1931.

(*a*) In hoc Concilio, Nicæni Concilii fides & aliarum Synodorum judicia canonica, à Sanctis constituta, populo denuntianda esse, canone primò definitur, & Suessionense sub Pippino vocatur ab omnibus Synodographis Binio, Sirmondo, Labbéo, Harduino. Attamen Willibaldus, Biographus S. Bonifacii coævus vocat quintum Synodale Concilium sub Carlomanno Duce, in quo S. Bonifacius præsederit, & quatuor primitus principalium Synodorum constituta admonuerit observari, convenientibus in unum Episcopis & Presbyteris, Diaconibus atque Clericis. Inde consequens est, ut dicamus, vel eam Synodum habitam in Austrasia sub Carlomanno, quæ sub Pippino in Neustria habita fuit: vel utriusque Ducis jussu Suessione convenisse tam Neustriæ, quàm Austrasiæ Episcopos, sub Præside Bonifacio, quà misso Sedis Apostolicæ: vel Episcopos Austrasiæ acceptâsse ea, quæ Suessione constituta erant sub Pippino: atque uno ex his tribus modis verificari quintum Synodale Concilium, in quo de quatuor primis generalibus Conciliis actum fuerit teste Willibaldo. *Vide Acta SS. ad diem V. Junii, pag. 468. columnâ secundâ.*

(*b*) Nec habeant canes, ut venationes faciant. *Sic legit Baluz. T. 1. pag. 158.*

EPISTOLA
ZACHARIÆ PAPÆ
AD BONIFACIUM EPISCOPUM.

Non iterandum esse Baptismum, quem imperitus Sacerdos infractis verbis ministrat.

Reverendissimo & Sanctissimo Fratri Bonifacio Episcopo, Zacharias Servus Servorum Dei.

Virgilius & Sidonius Religiosi viri apud Bajoariorum Provinciam degentes, suis apud nos litteris usi sunt, per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas eis injungeret Christianos denuo baptizare. Quod audientes nimis fuimus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, si habetur, ut dictum est. Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem Provincia sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens latini eloquii, infringens linguam diceret: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*, ac per hoc tua Reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed Sanctissime Frater, si ille, qui baptizavit non errorem introducens, aut hæresim,

H 2

sed

ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuo baptizaretur, quia, quod tua bene compertum habet ſancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, nullo modo debet rebaptizari, ſed per ſolam manûs impoſitionem purgari. Nam Sanctiſſime Frater, ſi ita eſt, ut nobis relatum eſt, non amplius à te illis prædicentur hujuſmodi, ſed ut Patres ſancti docent & prædicant, tua ſanctitas ſtudeat conſervare. Deus te incolumem cuſtodiat, Reverentiſſime Frater; data Kalendis Julii, imperante Domno piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore Anno XXVI. Imperii ejus Anno IV. Indictione XIV.

Inter Epiſtolas à Serario editas Numero CXXXIV. unde Binius, Sirmondus.

Hardouinus inter Zachariæ Epiſtolas N. VI.

A. Pagi anno XXV. Ind. XII. corrigit.

CONCILIUM ROMANUM
DE
HÆRETICIS ALDEBERTO & CLEMENTE,
Quos Bonifacius in Franciæ Synodo condemnârat; in Patriarchio Lateranenſi à Zacharia Papa celebratum, menſe Octobri, indictione XIV.
Hoc eſt:
Anno Chriſti DCCXLV. Zachariæ Papæ IV.

ACTIO PRIMA.

In nomine Domini noſtri JEſu Chriſti. Imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino Imperatore anno XXVI. poſt Conſulatum anno V. menſe Octobri, die XXV. indictione XIV. præſidente Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Domno Zacharia Papa, in Patriarchio Lateranenſi, in Baſilica, quæ appellatur Theodori. Conſidentibus etiam cum eo Sanctiſſimis Epiſcopis, Epiphanio de ſilva candida, Benedicto Nomento, Venantio Præneſte, Gregorio Portuenſe, Niceta Gabiis, Theodoro Oſtienſe, Gratioſo Velitris: ſeu Venerabilibus Presbyteris, id eſt, Joanne Archi-Presbytero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anaſtaſio, Georgio, Sergio, Jordane, Leone: item Leone, Gregorio, Stephano, Euſtachio, Procopio, atque Theophanio. Propoſitis in medio Sacroſanctis Evangeliis, adſtantibus quoque Diaconibus, vel cuncto clero. Gregorius Notarius regionarius & nomenculator dixit: Deneardus (*a*) religioſus presbyter, legatus Bonifacii Sanctiſſimi Archiepiſcopi Provinciæ Germaniæ, directus apud veſtrum Apoſtolatum, præ velo (*b*) eſt, & petit ſe ingredi: quid præcipitis? Dictum eſt: Ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, Zacharias Sanctiſſimus ac Beatiſſimus Papa Sanctæ Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ Urbis Romæ dixit: Ante hos dies ſyllabas Reverentiſſimi atque Sanctiſſimi fratris noſtri Bonifacii Archiepiſcopi nobis retuliſti, per quas nobis, quæ opportunè ei viſa ſunt indicavit: quid ergo denuo ſecretaria noſtra te ingredi poſtulâſti? Deneardus, religioſus presbyter dixit: Domine mi, dum juxta ſancti

(*a*) Secundus eſt Deneardus ex quatuor à S. Bonifacio Romam miſſis Legatis. Primus erat Denval Presbyter, anno 730. eò miſſus: Epiſtola CXXVI. Tertius Burchard Wirtziburgenſis, circa annum 748. Epiſtolâ CXL. Quartus Lull circa annum 751. Romam miſſus: Epiſtolâ CXLI.

(*b*) Velum erat inter chorum & Presbyterium, ubi chorus in medio Eccleſiæ ante Altare & Presbyterium ſitus erat. *Bona de rebus Liturg. L. 1. C. 25.*

ſancti Apoſtolatûs veſtri præceptionem Dominus meus Bonifacius Epiſcopus, famulus pietatis veſtræ, in Provincia Francorum Synodum aggregâſſet, & reperiſſet illic falſos ſacerdotes, hæreticos & ſchiſmaticos: id eſt, Aldebertum & Clementem; eos ſacerdotio privans unà cum Principibus Francorum, retrudi fecit in cuſtodiam. Illi autem impœnitentes permanent, contra quod judicatum eſt, & adhuc populum ſeducunt. Pro qua re hanc Epiſtolam præfati Domini mei, quam in manibus gero, veſtro Sancto Apoſtolatui miſſus offero, ut eam coram Sacroſancto Concilio relegi faciatis. Dictum eſt: ſuſcipiatur Epiſtola, & coram noſtra præſentia relegatur. Et accipiens Theophanius Notarius Regionarius & Sacellarius, (*c*) relegit in his ſermonibus.

EPISTOLA BONIFACII

AD ZACHARIAM PAPAM.

Excellentiſſimo Patri, atque Apoſtolico Pontifici, & ex auctoritate Sancti Petri Principis Apoſtolorum magiſterio freto, Zachariæ Papæ, Bonifacius exiguus, Servus Servorum Dei, optabilem in Chriſto caritatis ſalutem.

POſtquam me ante annos prope XXX (*d*) ſub familiaritate & ſervitio Apoſtolicæ Sedis, annuente & jubente venerandæ memoriæ antiſtite Apoſtolico Gregorio, anteriore voto conſtrinxi; quidquid mihi lætitiæ vel triſtitiæ acciderat, Apoſtolico Pontifici ſolebam indicare, ut in lætis ſimul laudaremus Deum, & in triſtibus ejus conſilio roborarer. Et ſicut tunc, & nunc mihi liceat, pietati veſtræ ſupplico, ſicut ſcriptum eſt: *Interroga* (e) *Patrem tuum, & annuntiabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi.*: Notum enim ſit Paternitati veſtræ, quia poſtquam indigno mihi mandâſtis in Provincia Francorum, ſicut & ipſi rogaverunt ſacerdotes, Concilio Synodali & Conventui præeſſe, multas injurias & perſecutiones paſſus ſum, maximè à falſis ſacerdotibus, ab adulteratis Diaconibus, & Fornicariis Clericis. Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hæreticos peſſimos & publicos, & blaſphemos contra Deum, & contra Catholicam fidem. Unus eorum, qui dicitur Aldebertus, natione generis Gallus eſt; alter qui dicitur Clemens, genere Scotus eſt: ſpecie erroris diverſi, ſed pondere peccatorum pares. Contra iſtos obſecro Apoſtolicam auctoritatem veſtram, quo meam mediocritatem defendere & adjuvare, & per ſcripta veſtra populum Francorum & Gallorum corrigere ſtudeatis: ut hæreticorum fabulas, & vana prodigia, & ſigna præcurſoris Antichriſti non ſectentur: ſed ad Canonica Jura, & ad viam veræ doctrinæ convertantur. Et ut per verbum veſtrum iſti duo hæretici mittantur in carcerem, ſi vobis juſtum eſſe videatur, cùm vitam & doctrinam illorum vobis intimavero: & nemo cum eis loquatur, vel communionem habeat; ne fortè fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat: ſed ſegregati vivant, & juxta dictum Apoſtoli hujuſmodi *Traditi ſatanæ* (f) *in interitum carnis ſint, ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini*: & juxta Evangelicum præceptum, *dum* (g) *Eccleſiam non audierint*, ſint nobis *ſicut Ethni-*

(*c*) Sacellarius & Nomenculator Eccleſiæ videtur nomen officii, quod noſtra ætate Theſaurarius, Burſarius Eccleſiæ, gerit. *Serarius.*

(*d*) Literæ primæ Gregorii II. PP. datæ Bonifacio cum facultate prædicandi Evangelii Gentibus, datæ ſunt Idibus Maji, Leonis Auguſti anno III. Imperii, Indictione II. adeóque anno 719. ſed ab anno 717. Romam profectus dedicaverat ſe Apoſtolico Miniſterio; ab anno autem 717. ad 745, ſunt prope anni XXX. Vide Epiſtolam CXVIII. inter editas à Serario.

(*e*) Deuteron. XXXII, 7. (*f*) I. Corinth. V, 5. (*g*) Matth. XVIII, 17.

Ethnici & Publicani, donec discant non blasphemare, nec scindere tunicam Christi. Propter istos enim, persecutiones & inimicitias, & maledictiones multorum populorum patior, & Ecclesia Christi impedimentum fidei & doctrinæ sanctæ sustinet. Dicunt enim de *Aldeberto*, quòd eis Sanctissimum Apostolum abstulerim, Patronum & Oratorem, & virtutum factorem, & signorum ostensorem abstraxerim. Sed pietas vestra audiens vitam ejus, judicet ex fructu operum, utrùm vestimentis ovium indutus, intùs autem lupus rapax sit, an non? In primæva enim ætate hypocrita fuit, dicens, quod sibi Angelus Domini in specie hominis de extremis finibus mundi miræ & tamen incertæ Sanctitatis Reliquias attulerit, & exinde posset omnia quæcumque à Deo poscere impetrare: & tunc demum per illam simulationem, sicut Apostolus Paulus prædixit, domos (*b*) multorum penetravit, & captivas post se mulierculas duxit oneratas peccatis, quæ ducebantur variis desideriis: & multitudinem rusticorum seduxit, dicentium, quod ipse esset Vir Apostolicæ Sanctitatis, & signa atque prodigia faceret. Deinde conduxit Episcopos indoctos, qui se contra præcepta canonum absolutè ordinaverunt. Tum demum in tantam superbiam elatus est, ut se æquipararet Apostolis Christi. Et dedignabatur in alicujus honore Apostolorum, vel Martyrum Ecclesiam consecrare; improperans hominibus etiam, cur tantopere studerent Sanctorum Apostolorum limina visitare. Postea, quod absurdum est, in proprii nominis honore dedicavit oratoria; vel ut verius dicam, fordidavit. Fecit quoque cruciculas & oratoriola in campis, & fontes, vel ubicumque sibi visum fuit: & jussit ibi publicas orationes celebrari, donec multitudines populorum, spretis cæteris Episcopis, & dimissis antiquis Ecclesiis, in talibus locis conventus celebrarent, dicentes: merita sancti Aldeberti adjuvabunt nos. Ungulas quoque & capillos suos dedit ad honorificandum, & portandum cum reliquiis Sancti Petri Principis Apostolorum. Tum demum, quod maximum scelus, & blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit. Venienti enim populo & prostrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata sua, dixit: scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt omnia occulta. Non est opus confiteri, sed dimissa sunt peccata vestra præterita: securi & absoluti redite ad domos vestras cum pace. Et omnia quæcumque sanctum Evangelium hypocritas fecisse testatur, suo habitu, & incessu, & moribus imitatus est.

Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Ecclesiam, & Canones Ecclesiarum Christi abnegat & refutat: tractatus & sermones Sanctorum Patrum, Hieronymi, Augustini, Gregorii recusat. Synodalia jura spernens, proprio sensu affirmat, se post duos filios sibi in adulterio natos sub nomine Episcopi esse posse Christianæ legis Episcopum. Judaismum inducens judicat justum esse Christiano, ut si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Contra fidem quoque Sanctorum Patrum contendit, dicens, quòd Christus Filius Dei descendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberavit, credulos & incredulos, laudatores Dei simul & cultores idolorum: & multa alia horribilia de prædestinatione Dei contraria fidei Catholicæ affirmat. Quapropter de hoc quoque hæretico precor, ut per literas vestras mandare curetis Duci Carlomanno, ut mittatur in custodiam; quatenus semina Satanæ latius non seminet, & ne fortè ovis morbida totum gregem contaminet. Valere Sanctitatem vestram, & prosperis provectibus gaudere in longitudine dierum optamus.

Cúmque relecta esset, Zacharias Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Audistis, fratres charissimi; quod in ista Epistola relectum sit ex sacrilegis illis, qui se ad suam condemnationem Apostolis prætulerunt. Sanctissimi Episcopi & venerabiles Presbyteri responderunt: Audivimus certè per omnia, non Apostolos, sed ministros satanæ, & præcursores Antichristi. Quis enim aliquando Apostolorum, aut quilibet Sanctorum, ex capillis suis, aut ungulis, sanctuaria populis exhibuerunt, ut iste Sacrilegus & perniciosus Aldebertus? sed hoc scelus à vestro Sancto Apostolatu est resecandum, tam de illo, quàm etiam de illo transgressore Clemente, qui Sacros Canones spernit, atque expositiones Sanctorum Patrum, & di-

cta

(*b*) II. Timoth. III, 6.

cta Sanctorum: ut pro transgressionibus suis dignam suscipiant sententiam. Sanctissimus ac Beatissimus Papa Zacharias dixit: Quia hodie jam tardior hora est, venturo (*i*) Secretario, relectis iterum vitâ eorum & actibus, communi consensu, mediante Deo, quid fieri debeat, pertractandum est.

ACTIO SECUNDA.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri JEsu Christi, imperante Domino piissimo Augusto Constantino magno Imperatore anno XXVI. post consulatum ejus anno V. mense Octobris, die XXV. Indictione XIV. Præsidente Sanctissimo ac Beatissimo Zacharia Papa in Patriarchio Lateranensi, in Basilica, quæ appellatur Theodori: considentibus etiam cum eo Sanctissimis Episcopis, Epiphanio silvæ candidæ, Benedicto Nomento, Venantio Prænesté, Gregorio Portuense, Nicera Gabiis, Theodoro Ostiense, Gratioso Velitris: seu Venerabilibus Presbyteris, id est, Joanne Archi-Presbytero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Jordane, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Eustachio, Procopio, atque Theophanio. Propositis in medio Sacrosanctis Evangeliis: adstantibus quoque Diaconibus, vel cuncto Clero, Gregorius Notarius regionarius, & nomenculator dixit: Juxta vestri Sancti Apostolatûs præceptionem, quam in præterito jussistis, Deneardus religiosus Presbyter adest præ velo: quid præcipitis? Dictum est: ingrediatur. Cúmque ingressus esset, Zacharias Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Actus illius nefandissimi Aldeberti, sive cætera, quæ de eo sunt scripta, quæ præterito Secretario præ manibus gerebas, coram præsente Concilio porrige legenda. Et accipiens Theophanius Notarius Regionarius & Sacellarius relegit vitam illius, cujus initium tale est:

In nomine Domini nostri JEsu Christi. Incipit vita Sancti & Beati DEI famuli, & præclari, atque per totum speciosi, ex electione DEI nati, Sancti Aldeberti Episcopi.

De simplicibus Parentibus fuit procreatus, & de Gratia DEI est coronatus: quia dum in utero matris esset, ibi gratiam DEI accepit: & antequam pervenisset beatissima nativitas ejus, vidit genitrix ejus, quasi per visionem, egredientem vitulum de dextero latere suo: qui vitulus designabat gratiam illam, quam ab Angelo acceperat, antequam exiret de vulva.

Cúmque hic libellus usque ad finem lectus fuisset, Zacharias Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Quid ad hæc blasphema respondetis, Sanctissimi Fratres? Epiphanius, Sanctissimus Episcopus silvæ candidæ, dixit: Certè, Apostolice Domine, ex Divina Inspiratione motum est cor sancti vestri Apostolatûs, ut prædictum Bonifacium, sanctissimum Fratrem nostrum, Episcopum, atque Francorum Principes commoneretis; quatenus in partibus illis post longa tempora Concilium aggregaretur Sacerdotum, ut hæc schismata & blasphemiæ usquequaque sancto vestro Apostolatui minimè celarentur. Zacharias, Sanctissimus ac Beatissimus Papa, dixit: Si quid adhuc habet Deneardus religiosus Presbyter nobis porrigere relegendum, porrigat. Deneardus religiosus Presbyter respondit: Ecce, Domine, Epistolam, qua utebatur, & divulgabat eam esse JEsu, & de cœlo cecidisse. Et accipiens Theophanius Notarius regionarius & Sacellarius relegit: cujus initium tale est:

In Dei nomine incipit Epistola Domini nostri JEsu Christi Filii Dei, quæ in Hierosolyma cecidit, & per Michaël Archangelum inventa est ad portam Ephrem: & per manus Sacerdotis, nomine Leoræ, Epistola ista relecta fuit, & exemplata: & transmisit eam ad Hieremiam civitatem ad alium sacerdotem, nomine Talasium: & ipse Talasius transmisit eandem ad Arabiam civitatem, ad alium sacerdotem Leobanium: & ipse Leobanius transmisit Epistolam istam ad Vetsaviam civitatem: quam recepit Macherius

(*i*) Secretarium erat Camera Ecclesiæ conjuncta, in qua libri pro officiis & Synodis, asservabantur, uti in Diaconia vestes, & Vestiaria. Hic autem sumitur pro sessione & conventu Episcoporum intra Ecclesiam, vel intra Secretarium Ecclesiæ.

cherius Sacerdos Dei, & transmisit in montem Sancti Michaël Archangeli. Et ipsa Epistola per manus Angeli Domini pervenit ad Romanam Civitatem, ad locum sepulchri Sancti Petri, ubi claves Regni cœlorum constitutæ sunt: & duodecim Papati, qui sunt in Romana civitate, triduanas fecerunt vigilias, & in jejuniis & orationibus permanserunt diebus ac noctibus: & cætera usque ad finem perlecta.

Zacharias Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Pro certo, Fratres charissimi, iste Aldebertus in insaniam est conversus: & omnes, qui hac utuntur scelerata Epistola, more parvulorum, absque memoria mentium sunt, & muliebribus sensibus insaniunt. Sed ne leviores adhuc ampliùs decipiantur, indiscussam & absque sententia causam hanc in eum relinquere minimè possumus. Sanctissimi Episcopi & venerabiles Presbyteri responderunt: Ex divinâ illustratione cognoscimus, cor vestri sancti Apostolatûs illuminatum, & quæ à vobis dicta sunt ex administratione Sancti Spiritûs emanârunt. Et idcirco, ùt à vobis prævisum fuerit, in utrosque sententia promulgetur. Zacharias Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Non ut nobis solùm visum fuerit, sed pariter cum Sanctitate vestra est pertractandum: sed si Domino placuerit, in futuro Secretario, quod rectum visum fuerit, & Dominus suis famulis administraverit, ex omnibus ejus actis promulgabitur sententia.

ACTIO TERTIA.

IN nomine Domini DEI nostri Salvatoris JESU Christi, imperante Domino piissimo Augusto Constantino Magno Imperatore, anno XXVI. post consulatum ejus anno V. mense Octobris, die XXV. indictione XIV. præsidente Sanctissimo ac Beatissimo Domino Zacharia Papa in Patriarchio Lateranensi, in Basilica, quæ appellatur Theodori: considentibus etiam cum eo Sanctissimis Episcopis Epiphanio de silva candida, Benedicto Nomento, Venantio Prænestc, Gregorio Portuense, Niceta Gabiis, Theodoro Ostiense, Gratioso Velitris: atque venerabilibus Presbyteris, Joanne Archipresbytero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Jordane, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Eustachio, Procopio, Theophanio. Propositis in medio Sanctis Evangeliis, adstantibus quoque Diaconibus, vel cuncto Clero. Gregorius Notarius regionarius & Nomenculator dixit: Secundùm quod à vestro sancto Apostolatu præceptum est in præterito Secretario, ut Deneardus Religiosus Presbyter hodie se vestris obtutibus præsentaret, præsto est pro foribus, quid præcipitis? Dictum est: Ingrediatur. Cúmq; ingressus fuisset, Zacharias Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Habes adhuc ex Sacrilegorum illorum conscripto, quod coram hoc Sancto Concilio porrigas ad relegendum? Deneardus religiosus Presbyter respondit: Etiam, Domine mi, habeo orationem quam sibi Aldebertus componere nisus est. Et ecce præ manibus eam gero, jubete eam suscipi. Et accipiens eam Theophanius Notarius relegit coram omnibus, cujus initium tale est:

Domine Deus omnipotens, Christi Filii Dei Domini nostri Jesu Christi Pater, & A, & Ω, qui sedes super septimum thronum, & super Cherubim & Seraphim, tu pietas magna, & dulcedinis est tibi satis. Pater Sanctorum Angelorum, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, te invoco & reclamo, & invito te super me miserrimum, quia tu dignatus fuisti dicere: Quodcumque petieritis à Patre in nomine meo, hoc faciam. Ergo ego te peto, quia in te confidit anima mea. Cúmque per ordinem legeretur, ventum est ad locum, ubi dicebat: *Precor vos, & conjuro vos, & supplico me ad vos, Angele Uriel, Angele Raguel, Angele Tubuel, Angele Michaël, Angele Inias, Angele Tubuas, Angele Sabaoc, Angele Simiel.*

Dum

Dum verò hæc oratio sacrilega usque in finem perlecta fuisset; Zacharias Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Quid ad hæc, sanctissimi Fratres, respondetis? Sanctissimi Episcopi & venerabiles Presbyteri responderunt: Quid aliud agendum est, nisi ut omnia, quæ nobis relecta sunt, igni concrementur, auctores verò eorum anathematis vinculo percellantur? Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaëlis, sed nomina dæmonum sunt, quæ in suis orationibus invocavit, ad præstandum auxilium sibi. Nos autem, ut à vestro Sancto Apostolatu edocemur, & Divina tradit auctoritas, non plùs, quàm trium Angelorum nomina cognoscimus, id est, Michaël, Gabriël, Raphaël: Alioqui de Mysterio, sub obtentu Angelorum, dæmonum nomina introduxit. Zacharias, Sanctissimus ac Beatissimus Papa dixit: Optimè provisum est à vestra Sanctitate, ut scripta illius omnia igne crementur. Sed opportunum est, ut in scrinio nostro ad reprobationem & ad perpetuam confusionem ejus reserventur. Nunc verò, quia omnia perfecta sunt, de utrorúmque sententia, quorum superiùs mentio facta est, pertractandum est. Universum Concilium dixit: Aldebertus, cujus nobis actus & nefaria commenta relecta sunt, quia se Apostolum censuit nominare, & capillos atque ungulas suas populis pro sanctuario exhibuit, seducens populum diversis erroribus: & quoniam sub obtentu Angelorum in suo auxilio dæmones invocavit, ab omni officio sacerdotali deponatur, agens pœnitentiam pro commissis, & ampliùs jam populum minimè seducat. Sin autem in his erroribus perseveraverit, & populum ampliùs seduxerit, sit ei anathema, & æterno Dei judicio condemnetur; omnísque, qui ei consenserit, vel ejus secutus fuerit doctrinam, aut adjunctus illi fuerit. Similiter autem & Clemens, qui per suam stultitiam Sanctorum Patrum scripta respuit, vel omnia Synodalia acta parvipendit, inferens etiam Christianis Judaïsmum, dum prædicat, fratris defuncti uxorem posse in matrimonio jungi, insuper & Dominum Jesum Christum descendentem ad inferos, pios & impios simul inde abstraxisse; ab omni etiam sacerdotali officio deponatur, & anathematis vinculo obligetur: atque nisi resipuerit, æterno Dei judicio condemnetur, vel etiam omnes, qui ejus sacrilegis consenserint prædicationibus.

SUBSCRIPTIONES.

Zacharias, Episcopus Sanctæ DEI Catholicæ, atque Apostolicæ urbis Romæ, his gestis atque sententiæ, à nobis promulgatis subscripsi.

Epiphanius, Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Silvæ candidæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Benedictus, Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Nomentanæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Venantius, Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Prænestinæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Gregorius, Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Portuensis, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Nicetas, Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Gabinatis, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Theodorus, Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Ostiensis, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Gratiosus, Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Veliternensis, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Joannes, Archi-Presbyter tituli Sanctæ Susannæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Gregorius, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Clementis, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Stephanus, Dei gratiâ Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Marci, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Stephanus, indignus Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Eusebii, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Dominicus, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Priscæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Theodorus, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Laurentii, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Anastasius, indignus Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Mariæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Georgius, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctorum Joannis

nis & Pauli, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Sergius, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Potentianæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Jordanes, indignus Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Sabinæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Theophanius, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Leo, indignus Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Anastasiæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Leo, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Damasi, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Gregorius, indignus Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Balbinæ, his gestis, atque sententiæ promulgatis subscripsi.

Stephanus, Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Chrysogoni, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Eustachius, humilis Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Procopius, indignus Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Cyriaci, his gestis, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.

Huic anno congruit Indictio XIV. Mense Octobri. Constantini autem annorum duplex epocha memoratur. Prior, ex quo cum Leone Isauro Patre regnare cœperat, XII. Kalendas Majas, anno DCCXX. Altera annorum, quibus post Patris obitum solus imperabat, ex die XIV. Kalendas Julias, Indictione IX, id est, Anno Christi DCCXLI. Quamquam enim hoc loco non imperii annos computat, sed post consulatum, res eodem recidit: quia Constantinus paucis diebus post imperii natale consulatum dedisse videtur, sicut de Patre dictum est. Quare ad hanc normam exigendæ sunt reliquarum quoque Epistolarum Subscriptiones. *Annotatio P. Sirmondi.*

Serarius inter Epistolas Bonifacianas hoc Concilium edidit. Ex quo Binius Tomi III. Concilior. Parte I. & ex eo Synodographi.

EPISTOLA GEMMULI
DIACONI ECCLESIÆ ROMANÆ
AD BONIFACIUM ARCHI-EPISCOPUM.

De actis in Synodo Romana contra Aldebertum & Clementem.

Domino Sanctissimo, Apostolorúmque meritis decorato Bonifacio Archi-Episcopo, Gemmulus indignus Diaconus Sanctæ Sedis Apostolicæ.

SUmmis & Deo amabilibus apicibus acceptis, cum magno & omni quo condecet honore & veneratione relegi. Et quia post tot tempora merui ex vestris syllabis visitari, omnipotenti Deo nostro gratias egi, qui me indignum famulum suum etiam vestrâ lætificavit incolumitate. Igitur omnia, quæ nobis per nunc directas litteras præcepistis, ùt Dominus vires donare dignatus est, adimplemus. Sed & ea, quæ Domino Apostolico suggessistis, per nos sunt suscepta & annuntiata, atque relecta: & vos ea pertractantes omnia scripta, quæ vobis ab eo directa sunt, à nobis esse dictata juxta vestram voluntatem cognoscite. Sed &, quod vos non sperabatis fieri, suggessimùs: & facta est SYNODUS sacerdotum, præsidente Domino Apostolico: & relecta est Sacrilega illius *Aldeberti* nefandissi-

sanctissimi vita, & omnia opuscula illius coram Synodo, pariter & Epistola Sanctissimæ Paternitatis vestræ, ubi de illo, & de *Clementis* dementia suggessistis: & sic gestis peractis sententia anathematis in eos promulgata est, vel in omnes, qui eorum nefandam secuti sunt sectam: cujus instar vobis à Domino Apostolico directum est. Et hæc coram præsentia præsentis Patris nostri, Deneardi, venerabilis Presbyteri acta sunt: & ipse vobis ore proprio poterit enarrare, quòd omnia ista per nos acta sunt. Nam pro certo cognoscite, Sanctissime Pater, quia in omnibus paratum me offero, vestris obtemperaturum præceptis. Scio enim, quia vestris orationibus adjutus, erutus sum à tentationibus inimici, & misertus Dominus suo famulo medelam tribuit: & diversis infirmitatibus circumdatus, quamquam indignus, illud Apostoli sequor consolationis donum, quo ait: *Dum infirmor* (a) *tunc potens sum. Et libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me* per vestras sanctas preces *virtus Christi*. Venerandas namq; sorores nostras, & Dei ancillas, quæ apud limina Sanctorum Principum Apostolorum properaverunt, quas etiam nobis vestra Sancta Paternitas commendare jussit, in quantum Dominus vires donare dignatus fuerit, curam earum habemus propter vestram sanctam præceptionem. Benedictionem etenim, quam nobis direxistis, suscepimus; id est, poculum argenteum, & Sindonem unam, quam in duplici suscepimus benedictione, eo quod à tanto Patre meruimus visitari. Et licet tribuere non valeamus, tamen ad vicem caritatis, cum magna reverentia direximus cinnamomum uncias quatuor, costum uncias quatuor, piper libras undecim, cozumbrem libram unam. Quæ peto, ut absque injuria suscipere jubeatis, & ut pro nobis orare dignemini, omnino deposco. Incolumem Sanctissimam Paternitatem vestram Divina conservet Majestas orantem pro nobis, Domine, & meritis Apostolorum decorate Pater.

Inter editas à Serario Bonifacii Epistolas hæc est CXLVIII.

(a) II. Corinth. XII, 9, 10.

SYNODALIS CONVENTûS
DECRETA
SUB S. BONIFACIO,
Excerpta ex Epistola CV.

Spiritalis affinitatis necessitudine copulando Fratri, Archi-Episcopatûs infulâ sublimato, Coepiscopo (a) CUDBERTHO, Bonifacius Legatus Germanicus Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ optabilem in Christo charitatis salutem.

Scriptum est in libro Salomonis: *Beatus* (b) *homo, qui invenit amicum.* POST ALIA. Major enim nobis sollicitudo Ecclesiarum, & cura populorum propter pallia credita & recepta: quàm cæteris Episcopis, qui proprias tantùm procurant Parochias, incumbit. Propterea, charissime, non quia vestræ prudentiæ opus sit rusticitatis nostræ statuta audire vel legere, sed propter bonam & humilem, & sanctam voluntatem vestram, putamus vos libentiùs scire velle, quàm nescire, quæ hic sacerdotes nobiscum servanda decreverunt, vobis emendanda & corrigenda destinamus.

Decrevimus autem in nostro *Synodali* Conventu, & confessi sumus fidem Catholicam & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ velle servare sancto Petro, & Vicario

(a) Cutberthus, Dorobernensis in Anglia Archi-Episcopus.
(b) Ecclesiastici XXV, 12.

cario ejus velle ſubjici : Synodum per omnes annos congregare : Metropolitanos pallia ab illa ſede quærere, & per omnia præcepta Petri canonicè ſequi deſiderare, ut inter oves ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni univerſi conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus Sancti Petri Principis Apoſtolorum direximus : quod gratulando Clerus & Pontifex Romanus ſuſcepit.

Statuimus, ut per annos ſingulos Canonum decreta, & Eccleſiæ jura, & norma regularis vitæ in Synodo legantur, & recuperentur.

Decrevimus, ut Metropolitanus, qui ſit pallio ſublimatus, hortetur cæteros, & admoneat, & inveſtiget, quis ſit inter eos curioſus de ſalute populi, quiſque negligens ſervus Dei.

Venationes, & Silvaticas vagationes cum canibus, & ne accipitres, & falcones habeant, prohibuimus.

Statuimus, ut per annos ſingulos unusquiſque Presbyter Epiſcopo ſuo in quadrageſima rationem Miniſterii ſui reddat, ſive de fide Catholica, ſive de baptiſmo, ſive de omni ordine Miniſterii ſui.

Statuimus, ut ſingulis annis unuſquiſque Epiſcopus Parochiam ſuam circumeat, populum confirmare, & plebem docere, & inveſtigare, & prohibere paganas obſervationes, vel omnes ſpurcitias gentilium.

Interdiximus ſervis Dei, ne pompato habitu vel ſagis, vel armis utantur.

Statuimus, quòd proprium ſit Metropolitano juxta Canonum ſtatuta, ſubjectorum ſibi Epiſcoporum inveſtigare mores, & ſolicitudinem circa populos, quales ſint; & moneat, ut Epiſcopi à Synodo venientes, in propria Parochia cum Presbyteris & Abbatibus conventus habentes, præcepta Synodi ſervare inſinuando præcipiant : & unuſquiſque Epiſcopus, ſi quid in ſua Diœceſi corrigere vel emendare nequiverit, ibidem in Synodo coram Archi-Epiſcopo & palàm omnibus ad corrigendum inſinuet : eodem modo, quo Romana Eccleſia nos ordinatos cum Sacramento conſtrinxit, ut ſi ſacerdotes vel plebes à lege Dei deviâſſe viderim, & corrigere non potuerim ; fideliter ſemper Sedi Apoſtolicæ & Vicario Sancti Petri ad emendandum indicaverim. Sic enim, ni fallor, omnes Epiſcopi debent Metropolitano, & ipſi Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoſſibile eſt, notum facere : & ſic alieni fient à ſanguine animarum perditarum : &c.

Epiſtola CV. inter Bonifacianas à Serario editas. unde Synodographi.

EPISTOLA
ZACHARIÆ PAPÆ
AD FRANCOS ET GALLOS.
Anno Chriſti DCCXLV. Zachariæ Papæ IV. Childerici III. Regis III.

Laudat eos ob ea, quæ in Synodo rectè fuerunt conſtituta, hortatúrque ut Bonifacii monitis obtemperare pergant.

Zacharias Papa univerſis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Abbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibúsque Deum timentibus, per Gallias, & Francorum Provincias conſtitutis.

REferente nobis Bonifacio Reverentiſſimo, atque Sanctiſſimo Fratre noſtro Epiſcopo, quod, dum SYNODUS congregata eſſet in Provincia veſtra,

ſtra, juxta noſtram commonitionem, mediantibus filiis noſtris, PIPPINO, & CARLOMANNO Principibus veſtris, peragente etiam vicem noſtram præfato BONIFACIO, Dominus inclinâſſet corda ſua cum Principibus veſtris in prædicationem ejus, ut omnibus commonitionibus ejus obediretis, & falſos & ſchiſmaticos, & homicidas, & fornicarios à vobis expelleretis ſacerdotes, omnipotenti Deo noſtro gratias egimus, & pro vobis inceſſanter ſumus orantes, ut, qui *cœpit in vobis opus bonum, perficiat* (b) *uſque in finem.* Obſecro enim vos omnes coram Deo, ut ejus commonitionibus firmiter obediatis. Ipſum enim vice noſtrâ in partibus illis ad prædicandum conſtitutum habemus, ut vos Deo propitio ad viam perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus ſalvi eſſe poſſitis. Habuiſtis enim peccatis facientibus nunc uſque falſos & erroneos ſacerdotes, unde & cunctæ Paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter laicos & Sacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt. Qualis enim victoria dari poteſt, ubi ſacerdotes unâ horâ Dominica pertractant myſteria, & Chriſtianis corpus Dominicum porrigunt pro ſuarum animarum redemptione: & poſtea Chriſtianos, quibus hoc miniſtrare debuerant, aut Paganos, quibus Chriſtum prædicare, propriis, ſacrilegiſque manibus necant? Et ſit ſecundum Domini verbum: *Vos eſtis ſal* (c) *terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo condietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et dum hæc ità ſunt, & tales in vobis fuerint ſacerdotes, quomodo victores contra inimicos veſtros eſſe poteritis? Nam ſi mundos & caſtos ab omni fornicatione, & homicidio liberos habueritis ſacerdotes, ùt ſacri præcipiunt canones, & noſtrâ vice prædicat præfatus Bonifacius frater noſter, & ei in omnibus obedientes exſtiteritis, nulla gens ante veſtrum conſpectum poterit ſtare, ſed corruent ante faciem veſtram omnes Paganæ gentes & eritis victores, inſuper & bene agentes vitam æternam poſſidebitis. Vos autem Fratres cariſſimi, qui eſtis vel ſacerdotes, vel ſub regulari diſciplina conſtituti, ſic vos metipſos exhibete, ut certè *Miniſtros Dei* (d) *& Diſpenſatores myſteriorum Dei*, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, ne fiat in vobis, ſicut ſcriptum eſt: *Erit ſicut populus* (e) *ſic Sacerdos.* Et ſi hoc fuerit, qualis vobis erit ab hominibus laus, aut qualis à Deo expectetur retributio? Sed ſic vos corrigite, ut veri ſacerdotes: & tales ad ſacerdotium perducite, ut & vobis, & illis teſtimonium maneat bonum ab his, qui foris ſunt: quatenus ab hominibus vobis acquiratis laudem, & à Deo mercedis præmium in æterna beatitudine percipere mereamini, eo quod per vos ad Chriſti rectam fidèm perducti multi ſunt, innoxios habentes ſacerdotes. Ad Synodum namque omni anno convenite ad pertractandum de unitate Eccleſiæ, ut ſi quid adverſi acciderit, radicitus amputetur, & Dei Eccleſia maneat inconcuſſa. Bene valete.

Inter editas à Serario CXXXVII.

(b) Philipp. I, 6.
(c) Matth. V, 13.
(d) I. Corinth. IV, 1. II. Corinth. V, 3.
(e) Iſaiæ XXIV, 2.

EPISTOLA (a)
ZACHARIÆ PAPÆ
AD S. BONIFACIUM.

Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Fratri Bonifacio, Coepiſcopo, Zacharias Servus Servorum Dei.

Anno Chriſti DCCXLV. Zachariæ Papæ IV. Childerici Regis III.

(a) Eſt hæc CXXXVIII. inter editas à Serario. Apud Harduinum IX. inter Zacharianas, poſt Concilium Romanum ſcripta.

Rescribit ad ternas ejus literas. 1. *De censu annuo undecim denariorum Ecclesiis pendendo à singulis conjugiis servorum.*

2. *De actis in Synodo Romana contra Aldebertum & Clementem.*

3. *De Metropolitana Sede Coloniæ S. Bonifacio confirmandâ.*

Cùm nobis Sanctissimæ Fraternitatis tuæ syllabæ delatæ fuissent, atque per singula relegi fecissemus, reperimus in earundem litterarum tuarum serie, quòd peccatis nostris facientibus, dum Dominici tritici semina quæreres elaborare, ad augendam segetem spiritalem, subitò inimici superseminaverint zizania, ut Sanctitatem tuam in bono opere impedirent. Sed tua Sancta Fraternitas incessanter orationi instet pariter cum fratribus, qui tecum laborant: & spiritales sarculos construens zizaniam eradicans deportes ad comburendum. Ut Beatus Gregorius (*b*) Papa bonum, inquit, opus vobis sit in voluntate: nam ex divino adjutorio erit in perfectione. His ità se habentibus, charissime frater, confortare in Domino, & ipse erit adjutor tuus. De incursione autem gentium, quæ in tuis plebibus facta est, mœrendum nobis est: sed hæc adversitas nullatenus tuam fraternitatem conturbet: quia & Romana civitas ex accidentibus facinoribus est depopulata; & tamen omnipotentiâ suâ Dominus ex superhis eam dignatus est consolari. Sic etenim credimus, quia & vos consolabitur. Sed populis tibi commissis, reverendissime frater, prædica jejunium, supplicationes apud Deum Litaniarum, & superemineris clementia ejus adjuvabit vos. Te autem, ùt prædiximus, nullatenus adversa conturbent: sed in bono opere, quod cœpisti, nullo modo deficias. Nos verò licet immeriti & peccatores existamus, nostris precibus vel Consacerdotum nostrorum, in quantum possumus, adjuvamus.

De Synodo autem congregata apud Francorum Provinciam, mediantibus Pippino & Carolomanno Excellentissimis filiis nostris juxta syllabarum nostrarum commonitionem peragente vicem nostram tuâ Sanctitate, qualiter egisses, cognovimus, & omnipotenti Deo nostro gratias egimus, qui eorum corda confirmavit, ut in hoc pio opere adjutores existerent. Et omnia optimè & Canonicè peregisti tam de falsis Episcopis & fornicariis, & schismaticis, quàm & in reliquis nomine sacerdotibus contra Canonum instituta agentibus, vel contra Catholicam & Apostolicam Dei Ecclesiam, de quibus secundùm tuam relationem per singula respondemus.

De eo autem, quod suggessisti, quòd elegerunt unam civitatem omnes Francorum Principes pertingentem usque ad Paganorum fines, & in partes Germanicarum gentium, ubi antea prædicâsti, quatenus ibi sedem Metropolitanam perpetuo habere debeas, & inde cæteros Episcopos instrueres ad viam rectitudinis & post tui successores perpetuo jure possideant, hoc quod decreverunt, nos læto suscipimus animo, eo quod ex Dei nutu factum est. Quod verò quidam falsi sacerdotes & schismatici hoc impedire conati sunt, eorum vanum agonem Dominus dissipabit, & illa faciet stabilita, quæ Sanctorum Patrum statutis conveniunt concordare. Et quia tibi ipsi Principes Francorum etiam in hoc adjutores extiterunt, retribuat illis omnipotens Deus vicissitudinis præmium, & innumera largiatur bona.

Nam de illo similiter falso Episcopo (*c*) quem dixisti, quòd adulterati Clerici, & homicidæ filius, in adulterio natus, & absque disciplinâ nutritus: & cætera mala & horribilia, quæ per singula enarrâsti, ac per hoc is sui similes sacerdotes consecravit; de hoc meminit tua Reverenda Fraternitas, quia jam tibi sæpius scripsimus, ut nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrum ministerium debeat tractare: sed neque ex pœnitente quis, aut talis qualem Sacri Canones prohibent esse sacerdotem.

De baptizatis verò ab illis, seu Ecclesiis consecratis requirit tua fraternitas, si aut Ecclesias in nomine TRINITATIS consecravit, aut parvulos similiter baptizavit, dum sacerdotio fungebatur, & sic consecratio Ecclesiarum, & parvulorum baptisma sit confirmatum.

Et

(*b*) Gregorius II. Epistolâ I. ad Bonifacium.

(*c*) Gewiliebus Moguntinus anno 745. in Synodo sexta Bonifaciana, uti Eckhartus autumat, depositus. *Tomo I. rerum Franc. Lib. XXIII. N. LXXXI.*

Et hoc pariter suggessisti, quod hi, qui antè projecti sunt sacerdotes, à nobis se absolutos apud Francorum Provinciam divulgent. Quod tua Sancta Fraternitas nullo modo credat. Quia (quod impossibile est) si hoc fecissemus, tuæ charitati per nostras indicâssemus litteras. Sed hoc, quod impossibile; nullo modo credas. Quia non aliud prædicamus, & aliud agimus & dirigimus, ut illi garriunt: sed, auxiliante Deo, illud, quod prædicamus, finetenus observandum censemus. Hoc autem sanctitatem tuam, firmissimè ut teneas, hortamur, ut Sanctorum Patrum institutis, & Consultis Sacrorum Canonum omnimodo obsequi debeas: quia nos nullatenus aliud prædicamus, aut aliud agimus.

Nam de eo quod obsecrâsti, ut Francorum Principibus scriberemus, vel cæteris Francis, ùt petisti, eis per singula scripsimus: ut tibi & amici sint, & adjutores in Dominico opere existant.

De censu verò expetendo, eo quod impetrare à Francis ad reddendum Ecclesiis vel Monasteriis non potuisti, quàm ut in vertente anno ab unoquoque conjugio servorum duodecim denaria reddantur, ex hoc gratias ago Deo, quia hoc potuisti impetrare, & dum Dominus donaverit quietem, augentur & luminaria Sanctorum pro eo, quod nunc accidit tribulatio, Saracenorum, Saxonum, vel Fresonum, sicut tu ipse nobis innotuisti.

De eo námque quod interrogâsti, quod illi, qui depositi sunt pro capitalibus peccatis de gradu sacerdotali, dum eos reperisses adulteros, homicidas, ut nec sacerdotes, nec Clerici esse possint, nec sub pœnitentia Monachi esse volunt, sed pergentes apud palatium Regis Francorum rogant, ut eis loca tribuat Ecclesiarum, vel Monasteriorum, ut laicam vitam vivant, dispergentes Sanctorum loca, sed & de hoc pariter qualiter fieri debeat, Francorum Principibus commonentes direximus.

In *alia* quippe tua Epistola reperimus contineri omnia, quæ contra te egerunt falsi & schismatici Episcopi, id est, ALDEBERTUS & CLEMENS, per quæ, omnia acta ipsorum, & impiissimum errorem singillatim indicâsti. Nos verò congregatis fratribus, & consacerdotibus nostris, eorundem pravorum sceleratissima acta in eorum præsentia relegi fecimus: & dum nobis coram Concilio relecta fuissent, pio studio omnes eadem schismatica dogmata ipsorum, seu sceleratissimam vitam, quam sibi Aldebertus conscribere fecit, unâ voce exclamaverunt, ut igni cremarentur. Sed nos hoc non fieri rectum judicavimus, pro eo, quod ad reservandum, sive in æternum eos condemnandum, in scrinio Sanctæ Ecclesiæ reservanda mandavimus, suscipientes ipsi dignam sententiam: cujus instar actionis, ad tuam direximus Fraternam Sanctitatem, ut relecta in Provincia Francorum omnis schismaticus audiens taliter à Sancta DEI Catholica & Apostolica Ecclesia judicatum, à sensûs sui pravitate resipiscat.

In *Tertia* tua namque Epistola intimasti de alio seductore, nomine Geoleobo, qui antea falsò Episcopi honore fungebatur, & quia, sine cujuscunque consultu, apud nos properat, dum advenerit, ut Domino placuerit, fiet. Tua autem reverentia, ùt cœpit, auxiliante Domino, vice nostrâ volumus, ut omni anno, apto tempore, in Francorum Provincia, Concilium debeat celebrare: ut frequentiâ sacerdotum, sive institutis sacrorum mediantibus, illic quid adversum nullo modo valeat pullulare: sed magis Ecclesiæ Dei unitas, & disciplina Catholica atque Apostolica ubique in illis partibus dilatata cunctæ populorum turbæ etiam, in occiduis partibus, veri Catholici esse possint: & non amplius per falsos Sacerdotes erroribus involuti demergantur in interitum. Dum verò Concilium aggregaveris; sic tua Fraternitas conflictum habeat cum Metropolitanis, quos confirmavimus, de eo, quod dixisti, ut nullus sinè commendatitiis suscipiatur epistolis. Tamen & pro hoc ipso, & pro omnibus utilitatibus Sanctæ Ecclesiæ, Francorum Principibus, commonitionis direximus literas: ùt jam superiùs fati sumus. De civitate namque illa, quæ nuper AGRIPPINA vocabatur, nunc verò COLONIA, juxta petitionem Francorum, per nostræ auctoritatis præceptum, nomini tuo Metropolim confirmavimus, & tuæ Sanctitati direximus, pro futuris temporibus, ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ stabilitatem. Deus te incolumem custodiat Reverendissime & Sanctissime Frater. Data pridie Kalend. Novemb. Imperante Domino piissimo Augusto Constantino,

à

à Deo coronato, magno Imperatore anno XXVII. Imperii ejus anno quinto, Indictione quarta & decima.

Pagius refert hanc Epistolam ad annum C. 745: sed annum Constantini Copronymi XXVI. numerat, & Indictionem XIII.

Coloniam S. Bonifacio Metropolim destinatam fuisse in Synodo Suessionensi autumat Cl. Eckhartus, Libro XXIII. N. LXXXV. imò *erectam* Metropolim ad annum 745. sed Literæ Zachariæ nil aliud faciunt nec scribunt, quàm quòd Bonifacio hactenus regionario Episcopo ab 723. ad 745. nunc sit *confirmata* Metropolis Colonia, uti ordinaria Cardinalis Sedes.

SYNODUS (a) IN PROVINCIA FRANCORUM

LOCO INCERTO.

Anno Christi DCCXLV. Zachariæ Papæ IV. Childerici tertii Regis III.

SEXTA SUB S. BONIFACIO PRÆSIDE.

Interfuêre huic Synodo Episcopi octo, Bonifacius Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ, Wevera, (b) Episcopus Buraburgensis, Burckhart Wurziburgensis, Warbert (c) Senonensis Archi-Episcopus, Abel Remensis Archi-Episcopus, Willibaldus Eichstetensis. Id colligitur ex Epistola XIX. Bonifaciana ad Ethelbaldum Regem Merciorum scripta ab octo Episcopis natione Anglis.

ACTA SYNODI.

1. *In hac Synodo Adelbertus & Clemens damnati denuo fuêre.*
2. *Gerviliebus, Moguntinus Antistes, qui post patratum anno superiore homicidium nihilominùs sacra tractaverat, Episcopali gradu dejectus fuit.*

Pars prima & secunda probantur ex *Othlono*, quo Surius & Serarius usi sunt: & ex Serario. *Harduinus Tomo III. p.* 1933.

Cùm ità Carlomanno jubente, & Bonifacio consulente, SYNODUS haberetur, multi illi non solùm Clerici quilibet hæreticâ pravitate infecti extra Ecclesiæ communionem pellebantur, sed etiam Episcopi capitalium criminum maculis infames deponebantur. Totius autem erroris, qui tum in Germania grassabatur, præcipui autores duo fuêre hæretici, CLEMENS & ALDEBERTUS; de quibus postea, cùm Epistolas ad Zachariam Pontificem datas protulerimus, opportuniùs dicetur. In iis enim illorum hæresis exitialis commemoratur. Depositus est etiam tunc GERVILIO, Moguntinæ Sedis Antistes; cujus quidem depositionis hæc causa fuit.

Eâ tempestate Saxonibus Thuringiam vastantibus, ejus Provinciæ homines Carlomanni opem implorabant. Ille mox exercitum misit, & cum eo Geroldum Moguntinum Episcopum, Gervilionis Patrem. In ipso autem conflictu Geroldus cum plerisque aliis cæsus est. Gervilio verò filius ejus, qui tum adhuc Laicus in palatio versabatur, in Clerum ascíscitur leniendi doloris causâ, quem ex Patris morte conceperat; eidémque in Moguntino Pontificatu subrogatur. Non diu post Carlomannus rursus colligit

(a) Cl. Eckhart Historiæ Wurtzeburgensis L. XXIII. §. LXXXI. hanc Synodum sextam ex vita S. Bonifacii colligit. *Serarius tertiam L. III. C. XXIV. Hist. Mogunt.* Sex hic tantùm nominantur Episcopi: Duorum reliquorum Episcoporum nomina planè ignotari, idem Eckhartus affirmat.
(b) Witta: corrigendum.
(c) Warbert pro Hardeberto.

git militem, proficiſcitur contra Saxones, Gervilionem ſecum ducit.

Exercitu utroque ultra citráque ripam fluminis (*b*) Wiſaraha conſidente, Gervilio jubet puerum ſuum ire ad hoſtium caſtra, diligenter illic inquirere nomen ejus, qui patrem ipſius interfecerat. Abit puer, diſcit ex quodam, non longè abeſſe eum, quem quæreret: rogat, ut ad Domini ſui colloquium properare velit. Venit ille, & adventu ejus denuntiato, paratis equis, Epiſcopus Gervilio ei procedit obviam, & cùm in medio flumine inter ſe colloquerentur, Gervilio clam ferens gladium, hominem confodit, ità dicens: Accipe jam ferrum, quo Patrem vindico charum. Ille mox ex equo corruens, in flumine exhalat ſpiritum. Repente autem ejus comperta cæde, ſublato clamore utrimque ad arma concurritur. Fit pugna atrox, Saxonibus victis, Carlomannus ad ſua ſe recipit, nemine tum id, quod Gervilio fecerat, pro homicidio ei imputante. Itaque reverſus domum, perrexit ſolito more Epiſcopi munia obire.

At Sanctus Præſul Bonifacius inter cætera hoc etiam in Synodo pronuntiavit: Neminem, qui hominis cæde pollutus ſit, ſacerdotio fungi poſſe. Tum etiam objecit ei, ſuis ſe conſpexiſſe oculis, illum cum avibus & canibus ludentem, quod Epiſcopo fas non eſſet. Gervilio his auditis, ſentiens ſe nullo pacto contra ſtimulum vel ſæcularis potentiæ, vel canonicæ auctoritatis, quæ per Sanctum Bonifacium in præſentes omnes proferebatur calcitrare poſſe; omnium de ſe calculis ſubſcripſit, & exauctoratus eſt.

Surius ad diem V. Junii.

STATUTA (*c*) QUÆDAM S. BONIFACII ARCHI-EPISCOPI MOGUNTINI & MARTYRIS.

Sunt hæc Statuta, vel in hujus anni, vel alterius anni Synodo à S. Bonifacio edita & promulgata.

S. BONIFACIUS ARCHI-EPISCOPUS.

Compellimur quoque Statuta Canonum in hoc obſervare.

I. Ut (*d*) nullus Presbyter creditam ſibi Eccleſiam ſine conſenſu Epiſcopi derelinquat, & laicorum ſuaſione ad aliam tranſeat.

II. Ut (*e*) nullus Presbyter ſacra myſteria, niſi in locis conſecratis pro contemptu Eccleſiæ agere præſumat.

III. Ut (*f*) nullus Presbyter in Eccleſia conſecrata aliud altare erigat, niſi quod ab Epiſcopo ſanctificatum eſt, ut ſit diſcretio inter ſacratum, & non ſacratum.

IV. Ut Presbyteri ſine ſacro Chriſmate, & Oleo benedicto, & ſalubri Euchariſtia alicubi non proficiſcantur. Sed ubicumque vel fortuitu requiſiti fuerint, ad officium ſuum ſtatim inveniantur parati.

K

V. Ut (*g*) Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant Chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præſumant. Genus enim Sacramenti eſt, non ab aliis, niſi à Sacerdotibus contingi debet: quod ſi fecerint, honore priventur.

VI. Ut (*h*) Laici Presbyteros non ejiciant de Eccleſiis, nec mittere præſumant ſine conſenſu Epiſcoporum ſuorum.

VII. Ut Laici omnino non audeant munera exigere à Presbyteris, propter commendationem Eccleſiæ cuique Presbytero.

VIII. Ut Presbyteri bene vivere ſtudeant, & ità populum doceant.

IX. Ut (*i*) unuſquiſque Epiſcopus in ſua Parochia Presbyteros diligenter inquirat

(*b*) Viſurgis Latinè, nunc Germanis Weſer.

(*c*) Ex vetuſta Canonum collectione MS. Corbeienſis Monaſterii, edidit Lucas D'achetius, cujus etiam ſunt Notæ omnes ad hæc ſtatuta.

(*d*) Ex Concilii Arelatenſis Canone 21.

(*e*) Ex Libro VI. Capitularium cap. 198.

(*f*) Ex Lib. VI. Capitul. C. 199. ſequens quartum ex eodem Cap. 175. 178.

(*g*) Concilii Arelatenſis VI. Cap. 18. Concil. Moguntini Can. 27.

(*h*) Ex Concilii Moguntini II. Cap. 29. laudat Ivo parte III. cap. 87. uti & cap. VI. ſequens ex eodem.

(*i*) Concilii Moguntini Cap. 31. Arelatenſis VI. Cap. 24.

quirat, unde ſint. Et ſi quem fugitivum invenerint, ad ſuum Epiſcopum redire faciat.

X. Qui (*k*) relicto ſuo Epiſcopo ad alium convolat, degradetur.

XI. Ut Abbates & Abbatiſſæ ſic caſtè vivant, ut ſubjectos, ſubjectaſque illorum vel illarum exemplum oſtendant ſanctæ converſationis. Quod ſi non fecerint, ab Epiſcopo corrigantur. Si autem Epiſcopum minimè audierint, Epiſcopus Imperatori indicare faciat.

XII. Ut (*l*) diligenter unuſquiſque Epiſcopus in ſua Parochia prævideat, ut, ubi Monaſterium Monachorum fuerit, ſi regulariter vivant, & monachicè: ubi autem canonica vita fuerit, bene & canonicè vivant.

XIII. Ut Epiſcopi puellarum Monaſteria diligentiſſimè perſcrutentur: quomodo primùm ipſa Abbatiſſa, ſi ſe contineat, aut caſtè vivat, deinde ſeu diligenter diſcutiantur Nonanes, ne adulterium & fornicationes faciant. Et hoc à Præpoſitis Monaſteriorum ſummopere inquiratur.

XIV. *De Monaſteriis Puellarum.* Ut Presbyteris opportuno tempore ad Miſſarum ſolemnia liceat illic advenire, & iterum ad proprias Eccleſias redire.

XV. Ut plus non mittantur in Monaſterio Canonicorum atque Monachorum, ſeu puellarum, quàm ſufficere poſſint.

XVI. Ut unuſquiſque (*m*) Epiſcopus in ſua Parochia diligenter diſcutiat ſuos Presbyteros, & faciat, ut illorum ſignacula & baptiſteria bene faciant, & edoceant Presbyteros, quid in illo baptiſterio unumquodque verbum vel ſententia per ſe ſignificet.

XVII. Ut unuſquiſque Presbyter à ſuo Epiſcopo diſcutiatur diligenter de ſua vita & converſatione, ne omnino fœminas ſecum habeat in ſua domo habitantes.

XVIII. Si quis egredietur è corpore, ultimo & neceſſario viatico minimè privetur.

XIX. Non licet mortuum ſuper mortuum mitti.

XX. Non licet mortuis Euchariſtiam nec oſculum tradi: nec de velis, vel pallis corpora eorum involvi.

XXI. Non licet in Eccleſia choros ſæcularium vel puellarum cantica exercere, nec convivia in Eccleſia præparare: quia ſcriptum eſt: *Domus mea, Domus orationis vocabitur.*

XXII. Ut viri (*m*) cum mulieribus balneum non celebrent.

XXIII. Non licet in illo altario, ubi Epiſcopus miſſam dixerit, ut Presbyter poſtea illâ die Miſſam dicat.

XXIV. Non licet vigiliâ Paſchæ ante horam ſecundam noctis vigilias perexpedire (quia in ipſa nocte non licet poſt mediam noctem bibere) nec Natale Domini, nec in reliquis ſolemnitatibus.

XXV. Adnuntient etiam Presbyteri omnibus fidelibus ſibi ſubjectis Symbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendare; ut fide & oratione Sancto Spiritu illuſtrante ſalventur.

XXVI. Adnuntient Presbyteri, ut neque viri, neque fœminæ de ſacro fonte filiolos vel filiolas ſuſcipiant, ſi non memoriter Symbolum & orationem Dominicam tenuerint.

XXVII. Nullus ſit Presbyter, qui in ipſa lingua, quâ nati ſunt, baptizandos Abrenuntiationes, vel Confeſſiones apertè interrogate non ſtudeant, ut intelligant, quibus abrenuntiant, vel quæ confitentur; & qui taliter agere dedignantur, ſed (*o*) cedat in Parochia.

XXVIII. Si de aliquibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, abſque ullo ſcrupulo baptizentur: his tamen verbis præmiſſis: Non te rebaptizo: ſed ſi nondum es baptizatus; Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

XXIX. Omnes Presbyteri oleum infirmorum ab Epiſcopo expetant, ſecùmque habeant: & admoneant fideles infirmos illud exquirere: ut eodem oleo peruncti à Presbyteris ſanentur, quia *Oratio Fidei ſalvabit infirmos.*

XXX. Doceant etiam Presbyteri populum quatuor legitima temporum jejunia obſervare, hoc eſt, in menſe Martio, Junio, Septembrio, & Decembrio.

XXXI. Et quia variâ neceſſitate præpe-

(*k*) Canon. 15. Apoſtolorum. Canon. 5. Concilii Antiocheni L. VI. Capitul. C. 247.
(*l*) Concil. Arelatenſe VI. C. 6. Moguntinum C. 15.
(*m*) Eadem in Capitulis datis Presbyteris anno 804. C. 3.
(*n*) Concilii Laodiceni Canon. & Concilii Antiſiodorenſis Can. 10. & 18.
(*o*) Locus corruptus. Acherius legit: *ſecedat à Parochia.*

præpedimur canonum ſtatuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter obſervare; propterea omnino non dimittatur. Curet unuſquiſque Presbyter ſtatim poſt acceptam confeſſionem pœnitentium, ſingulos datâ oratione reconciliari. Morientibus verò ſine cunctamine communio & reconciliatio præbeatur.

XXXII. Qui pœnitentiam in infirmitate petit, & caſu, dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit; dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manûs impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia: ſi ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ, quamdiu ſacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

XXXIII. Si quis Presbyter aut Clericus auguria, vel divinationes, aut ſomnia, ſive ſortes ſeu phylacteria, id eſt, ſcripturas obſervaverit, ſciat ſe canonum ſubjacere vindictis.

XXXIV. Et hoc notum facient Presbyteri omni populo, ut ſabbato Pentecoſtes, ſicut ſabbato ſancto Paſchæ, omnes jejunent, & ad Eccleſiam horâ nonâ conveniant, quando ſicut veſpera ſtante ſabbato ſanctæ Paſchæ celebratur: & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant, ut ſanctum Paſcha.

XXXV. Admoneant etiam unusquiſque Presbyterorum publicè plebem ab illicitis connubiis abſtinere: & ſecundùm Domini mandatum legitimum conjugium nequaquam poſſe ullâ excuſatione ſeparari, exceptâ cauſâ fornicationis, niſi cum conſenſu amborum; & hoc propter ſervitium Dei.

XXXVI. Adnuntient Presbyteri diebus Dominicis per annum ſabbatizandum.

PRIMO MODO.

In Natale Domini VIII. Kal. Januarii dies IV.

In Circumciſione Domini Kalendis Januariis diem unum.

In Epiphania VIII. Idus Januar. diem unum.

In Purificatione Sanctæ Mariæ IV. Non. Febr. diem unum.

In Paſcha Domini poſt Dominicam dies tres.

In Aſcenſione Domini diem unum.

In Natale Sancti Joannis Baptiſtæ VIII. Kal. Julias diem unum.

In Paſſione Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli III. Kal. Julias. diem unum.

In Aſſumptione Sanctæ Mariæ XVIII. Kal. Septemb. diem unum.

In Nativitate Sanctæ Mariæ VI. idus Septembris diem unum.

In Paſſione Sancti Andreæ Apoſtoli pridie Kal. Decembr. diem unum.

Dupinius putat, cauſam dubitandi eſſe: utrum hæc ſtatuta ſint genuinus fœtus S. Bonifacii? eo quod *Statuto nono* dicatur recurrendum eſſe ad Imperatorem obeos, qui Epiſcopum non audierint: cùm tempore Pippini nullus Imperator fuerit. Reſpondent alii critici, Pippinum, cùm eſſet Dux Francorum, jam tum Regem, quin & Imperatorem vocitatum fuiſſe. Unde ex hoc Capite non videntur abjudicanda hæc ſtatuta S. Bonifacio. *Tomo VI. nova Bibliotheca Autorum Eccleſiaſt. pag. 94.*

Rectius ſcripſit DUPINIUS eodem loco, volumen *de Unitate Fidei Catholica directum univerſis Epiſcopis*, Presbyteris, Diaconibus, vel cæteris religioſam vitam degentibus, quod Zacharias Papa laudat Epiſtolâ CXL, diverſum eſſe ab his ſtatutis, & nunc non ſupereſſe.

EPISTOLA ZACHARIÆ PAPÆ

AD BONIFACIUM ARCHI-EPISCOPUM.

Anno Chriſti DCCXLVII. Zachariæ Papæ VI. Childerici III. V.

Ut recitentur in Concilio, quæ ad Pipini Capitula reſcripſit, diſcutiantúrque iterum Aldebertus, Godolſatius & Clemens.

Reve-

Reverendissimo & Sanctissimo Bonifacio, Coepiscopo, Zacharias Servus Servorum Dei.

EGregiè nos admonet Beatus Apostolus Paulus, in eo, quod ait. *Imitatores mei estote, sicut & ego CHRISTI.* (a) Hinc est ergo, ut per Spiritale charitatis vinculum, etsi corpore absentes, Spiritu verò semper Fraternæ sanctitati tuæ simus præsentes: ità ut in nostris visceribus te habentes charissimum fratrem, & consacerdotem; licet peccatores, tamen Spe Divinâ freti, assiduè in nostris orationibus memoriam tui agere non desistimus: petentes immensam CHRISTI DEI Divinitatem, ut ad peragendum suum te confirmet ministerium: quatenus in diem adventûs ejus, illam placabilem merearis exprimere vocem: *Ecce ego & pueri*, (b) *quos dedisti mihi, non perdidi* (c) *ex eis quenquam.* Ut continuò altisona & desiderabilis vox inter illos, qui ab initio mundi ei placuerunt, consonanter te in illorum invitatione submittat, in qua dicturus est: (d) *Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* His ità se habentibus, agnoscas charissime, flagitâsse à nobis PIPPINUM Excellentissimum, majorem Domûs Gentis Francorum, per suum hominem, nomine Ardobanium, religiosum Presbyterum, aliquanta capitula de Sacerdotali ordine, & quæ ad salutem animæ pertinent: simul etiam & pro illicita copula, qualiter se se debeant custodire juxta ritum Christianæ Religionis, & Sacrorum Canonum instituta. Et quanquam de hoc jam experta sit tua Fraterna Sanctitas, quæ à nobis sunt decreta, illius tamen vocibus aurem accommodantes, in brevi eloquio conscripta Apostolica documenta direximus: pro quibus, ut in *Sacerdotali Collegio* Lectioni pandantur, tuam Fraternam Sanctitatem inibi evocari dedimus in mandatis. Et dum pro hac re fuerit aggregatum Concilium; ad medium deducantur sacrilegi illi, & contumaces, Aldebertus, & Godalsacius & Clemens Exepiscopi, ut eorum denuo, subtili indagatione, cribretur causa. Quos si deviantes à rectitudinis tramite usquequaque repereritis, & convicti fuerint inclinati ad viam converti rectitudinis, ut bonum atque placitum in oculis vestris paruerit, cum Principe Provinciæ disponite secundùm Sacrorum Canonum sancita. Sin autem in superbia perstiterint, contumaciter proclamantes, reos se non esse, tunc cum probatissimis atque prudentissimis sacerdotibus duobus aut tribus prædictos ad nos dirigatis viros, ut profundâ inquisitione coram Sede Apostolica eorum inquiratur causa, & juxta quod meruerint, finem suscipiant. Age itaque, Dilectissime frater, in ministerio tibi commisso, ut ab omnipotente Deo mercedis præmium recipiens æternam vitam consequi merearis. Deus te incolumem custodiat, Reverendissime Frater. Data nonis Januariis, Imperante Domino nostro piissimo Augusto Constantino, à Deo Coronato Magno Imperator. Anno XXVIII. Imperii ejus anno sexto, Indictione. XV. *Id est Christi.* 747.

Est hæc inter editas à Serario CXXXIX. Zachariæ Papæ VIII. apud Harduinum.

(a) 1. Corinth. 11. (b) Isaiæ VIII, 18. Hebræo. II, 13.
(c) Joannis XVIII, 9. (d) Matth. 25.

Sequuntur Capitula Zachariæ Papæ ad Pippinum, in Sacerdotali Collegio à S. Bonifacio lectione pandenda, fortè in Concilio Vernensi prælecta.

ZACHARIAS PAPA

Respondet de diversis Capitulis per Ardobanium missis. Anno Christi DCCXLVII. Zachariæ VI. Childerici III. Regis V.

I. De honore Metropolitanorum.

II. De

II. De damnatis Episcopis, Presbyteris & Diaconis.
III. De Presbyteris superbientibus.
IV. De Pesbyteris agrorum.
V. De Monachis ancillis Dei.
VI. De Viduis non velandis.
VII. De Laico pellente suam conjugem.
VIII. De Presbyteris & Diaconis, qui seorsum collectas faciunt.
IX. De clericis & Monachis, non manentibus in suo proposito.
X. De Clericis, qui sunt in Parochiis, Monasteriis & Martyriis.
XI. Qui clerici ab uxoribus abstinere debeant?
XII. De iis, qui uxores aut viros dimittunt.
XIII. De Monachis, qui clerici fiunt.
XIV. De Presbyteris & Diaconis in crimen prolapsis.
XV. De Ecclesiis, quas laici in suis proprietatibus construunt.
XVI. De clericis, qui suas Ecclesias relinquunt.
XVII. De Episcopis, qui aliorum clericos suscipiunt.
XVIII. Qui clerici uxores ducere possint.
XIX. Ut Presbyteri & Diaconi sine commendatitiis non suscipiantur.
XX. De Virginibus velatis, si deviaverint.
XXI. De non velatis virginibus, si deviaverint.
XXII. De his, quæ duobus Fratribus nupserint, vel, qui duas sorores uxores acceperint.
XXIII. De his, qui homicidium sponte perpetrant.
XXIV. De his, qui homicidium non sponte perpetrant.
XXV. De his, qui adulteras habent uxores, vel ipsi sunt adulteri.
XXVI. De Monachis & Virginibus propositum non servantibus.
XXVII. De his, qui suscepto virginitatis proposito nubunt.

Domino Excellentissimo atque Christianissimo Pippino Majori Domûs, seu dilectissimis nobis universis Episcopis Ecclesiarum, & Religiosis Abbatibus, atque cunctis Deum timentibus Principibus in Regione Francorum constitutis, Zacharias Episcopus Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ in Domino salutem. Gratia vobis, & Pax à Deo Patre omnipotente, & Domino JEsu Christo unico Filio ejus, & Spiritu Sancto ministretur.

Gaudio magno gaudemus in Domino, addiscentes per relationem subtilissimi atque à Deo servati prædicti filii nostri Pippini vestram omnium bonam conversationem: & quod ut in bonis & Deo placitis Dispositionibus unanimes atque cooperatores estis, ità & Ecclesiæ Dei venerabilia loca per universam vestram Provinciam sita, atque eorum Præsules, Sacerdotes & religiosos Abbates, ut condecet, in sancto habitu & conversatione sacerdotali conservetis, vacantes orationibus, insistentes precibus ad implorandam Divinam potentiam.

am, & cœlitus victoriam tribuendam adversus Paganas & infideles Gentes propugnatoribus vestris. Etenim vobis in vera confessione & simplici corde ad Deum accedentibus, sicut Moyses ille amicus Dei orando pugnabat, & Jesu Nave cum populo Israël bella Domini præliando vincebat, ità & vos agere oportet, charissimi mihi: ut sitis adjutores populo vestro orando & bonis actibus inhærendo, declinantes à curis & negotiis sæcularibus. Scriptum est enim: *Vacate & videte* (a) *quoniam suavis est Dominus*: Et iterum: *Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent.* Principes & sæculares homines atque bellatores convenit curam habere & sollicitudinem contra inimicorum astutiam, & Provinciæ Defensionem. Præsulibus verò, sacerdotibus, atque Dei servis, pertinet salutaribus consiliis & orationibus vacare; ut vobis orantibus, & illis bellantibus, Deo præstante, Provincia salva persistat, fiátque vobis in salutem, laudem & mercedem perpetuam. Ex hoc quippe præsulatus vester apparebit in Sanctitate: & Principatus Dilecti Filii nostri PIPPINI approbabitur per subjectorum potestatem, & bonum dispositum. Itaque ut flagitavit à nobis cum vestro consultu superius effatus filius noster Pippinus, ut de omnibus capitulis, quibus innotuit, responsum demus, in quantum in Domino valemus; de unoquoque capitulo inferius conscriptum, juxta quod à Sanctis Patribus traditum habemus, & Sacrorum Canonum sanxit autoritas; etiam nos, quod Deo inspirante Apostolicâ authoritate decernere potuimus, mandavimus in responsis.

I.

Quomodo honorari debeat Metropolitanus Episcopus coram Episcopis, & Parochialibus Presbyteris. In Canone Sanctorum Apostolorum XXXV. scriptum est: Episcopos gentium singularum scire convenit, qui inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil ampliùs præter ejus conscientiam gerant, quàm illa sola singuli, quæ Parochiæ propriæ, & villis, quæ sub ea sunt, competant: sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid. Sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu Sancto. Item in Canone Concilii Antiocheni Capitulo IX. continetur ità: Per singulas regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Episcopum totius provinciæ sollicitudinem gerere; propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrent. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundùm antiquam à Patribus regulam constitutam, nisi ea tantum, quæ ad suam Diœcesim pertinent, Possessiónésque subjectas. Unusquisque enim Episcopus habet suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate. Ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula sub Judicio comprehendat. Ampliùs autem nil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum, nec Metropolitanus aliquid gerat sine cæterorum sacerdotum consilio. Item ex libro decretorum Beati Leonis Capitulo XXXII. continetur: Igitur secundùm Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delatione nostra Fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut à Regulis præstitutis nullâ aut negligentiâ, aut præsumptione discedant; aut in habitu aut incessu Sanctitatis. Nam & nos ab Apostolica autoritate subjungimus, ut Episcopus juxta dignitatem indumentis utatur. Simili modo & Presbyteri Cardinales, & qui in Monastica vita velle habeant vivendi, plebi quidem sibi subjectæ præclariore veste induti debitum prædicationis persolvant, & in secreto propositum servent sui cordis, ut, qui videt in abscondito Deus reddat illis in palam. Scriptum quippe est: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Non enim nos honor commendat vestium, sed splendor animarum. Monachi verò lanea indumenta, juxta normam & regulam monasticæ disciplinæ, atque traditionem sanctorum probabilium Patrum sine intermissione utantur. Si enim abrenuntiantes ea, quæ sæculi sunt, totâ se Deo intentione contulerunt, de omni-

(a) Psalmo XXXIII, 6, 9.

omnibus illicitis debent abſtinere, ut quantum corpore ſuo ſuſtinuerunt laborem, tantum remunerationis præmium à Deo percipere mereantur. Apoſtolis quippe divinum datum eſt mandatum, duas tunicas non habendi. Tunicas dixit Chriſtus, utique laneas, non lineas. Qui ergo obedierit Dominico præcepto, bonis actibus inhærens, habebit vitam æternam. Item ex Canone Antiocheni Concilii Capitulo X. de his, qui vocantur Chorepiſcopi decretum eſt: Qui in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manûs impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint; tamen Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, & gubernent ſubjectas ſibi Eccleſias, earumque moderamine curâque contenti ſint: ordinent etiam Lectores & Subdiaconos, atque exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt: ſi quis autem transgredi ſtatuta tentaverit, depoſitus, quo utebatur, honore privetur. Chorepiſcopum verò civitatis Epiſcopus ordinet, cui ſubjectus eſt.

II.

De Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis damnatis, quod priſtinum officium uſurpare non debeant, ex libro Canonum Sanctorum Apoſtolorum Capitulo XXIX. dictum eſt: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depoſitus juſtè ſuper certis criminibus, auſus fuerit attrectare miniſterium dudum ſibi commiſſum, hic ab Eccleſia penitus abſcindatur.

III.

De Presbyteris ſuperbientibus, ex Concilio Carthaginenſi, Capitulo IX. Si quis Presbyter contra Epiſcopum ſuum inflatus ſchiſma fecerit, anathema ſit. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Si quis Presbyter à præpoſito ſuo correptus fuerit, debet utique apud vicinos Epiſcopos conqueri, ut ab ipſis ejus cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbiâ, quod abſit, inflatus, ſecernendo ſe ab Epiſcopi ſui communione ſubduxerit, ac ſeparatim cum aliquibus faciens ſacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Si querimoniam juſtam adverſus Epiſcopum non habuerit, inquirendum erit.

IV.

De Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Epiſcopis, & Presbyteris cardinalibus, ex Concilio Neocæſarienſi, Capitulo XIII. ita continetur: Presbyteri ruris in Eccleſia civitatis, Epiſcopo præſente, vel Presbyteris urbis iſtius, offerre non poſſunt, nec panem ſanctificatum dare, calicémque porrigere. Si verò abſentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, ſoli dare debebunt. Chorepiſcopi quoque ad exemplum quidem & formam ſeptuaginta videntur eſſe; ut cùm miniſtraverint, propter ſtudium, quod erga pauperes exhibent, honorentur.

V.

De Monachis, id eſt, Ancillis Dei, de quibus flagitatum, ſi liceat eas ad Miſſarum ſolemnia, aut Sabbato Sancto publicè lectiones legere, & ad Miſſas pſallere, aut Alleluja, vel Reſponſorium: de his in libro Decretorum Beati Gelaſii Papæ Capitulo XXVI. deſtinatum eſt, quod nefas ſit fœminas ſacris altaribus miniſtrare, vel aliquid ex his, quæ virorum ſunt officiis deputata, præſumere. Nihilominus impatienter audivimus, tantum ſacrarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut fœminæ ſacris altaribus miniſtrare ferantur, & cuncta, quæ non niſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum, cui non competit, exhibere: niſi quod omnium delictorum, quæ ſingillatim perſtrinximus, noxiorum reatus omnis & crimen eos reſpicit ſacerdotes, qui vel iſta committunt, vel committentes minimè publicando, pravis exceſſibus ſe favere ſignificant.

VI.

De Viduis, ſi poſſint in propriis habitaculis ſuis ſalvare animas, item ex eodem Libro Capitulo XXI. ità continetur: Ut viduæ non velentur à Pontificibus; & ſi profeſſam continentiam, propoſito mutato, calcaverint, ipſæ pro ſe rationem Deo pro ſuis ſint actibus reddituræ. Nam de viduis ſub nulla Benedictione velandis, ſuperiùs latiùs duximus diſſerendum: quæ ſi propria voluntate profeſſam conjugii caſtitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum debeant ſatisfactione placare. Sicut enim, ſi ſe forſitan continere non

non poterant, secundùm Apostolum nullatenus nubere vetabantur; sic habitâ secum deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidem debuerunt custodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, sed solam adhortationem præmii sempiterni, pœnásque proponere Divini Judicii; ut nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio.

VII.

De Laico pellente suam conjugem ex Canone Sanctorum Apostolorum Capitulo XLVIII. Si qus laicus uxorem propriam pellens alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.

VIII.

De Presbyteris, & Diaconibus, qui se à Ministerio Ecclesiastico subtrahunt, & seorsum collectas faciunt, ex Canone Antiocheni Concilii Capitulo V. promulgatum est: Si quis Presbyter, aut Diaconus Episcopum proprium contemnens, se ab Ecclesia sequestraverit, & seorsum colligens altare constituit, & commonenti Episcopo non acquieverit, nec consentire vel obedire voluerit semel & iterum vocanti, hic damnetur omni modo, nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem: quodsi Ecclesiam turbare & solicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.

IX.

De Clericis, & Monachis non manentibus in suo proposito quod interrogatum est, in Canone Calcedonensi, Capitulo VII decretum est: Qui semel in clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam: sed hoc tentantes & non agentes pœnitentiam, quominus redeant ad id, quod propter Deum primitus elegerant, Anathematizari.

X.

De Clericis, qui sunt in Parochiis, Monasteriis, atque Martyriis, ex Canone Chalcedonensis Concilii Capitulo IX. ita decretum est: Clerici, qui præfiniuntur Parochiis, vel qui ordinantur in Monasteriis, & Basilicis Martyrum, sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundùm Sanctorum Patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo desiliant. Qui verò audent evertere hujusmodi formam quocunque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo; si quidem Clerici sunt, Canonum correptionibus subjacebunt, si verò Laïci vel Monachi fuerint, communione priventur.

XI.

Qui Clerici etiam ab uxoribus abstinere debeant, ex Concilio Africano, Capitulo XXXVII. ità continetur: Præterea cum de Clericorum quorundam (quamvis erga proprias uxores) incontinentia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros, seu Diaconos, secundùm propria statuta, etiam ab uxoribus continere: quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico officio removeantur. Cæteros autem Clericos ad id non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.

XII.

De his, qui uxores aut viros dimittunt, ut sic maneant, ex Concilio suprascripto Africano, Capitulo LXIX. ità continetur: Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungatur; sed ità maneant, aut sibi invicem reconcilientur: Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

XIII.

Quod inquisitum est, Monachus si clericus factus fuerit, quid agi debeat, ex decreto Beati Innocentii Papæ Capitulo XVII. continetur: De Monachis, qui diu morantur in Monasteriis, & postea ad clericatûs ordinem pervenerint, non debere eos à proprio proposito deviare. Aut enim sicut in Monasterio fuit, & quod diu servavit, in meliore gradu positus amittere non debet: aut si corruptus postea baptizatus est, & in Monasterio sedens ad clericatûs ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non potest, quia nec benedici cum sponsa potest jam antea corruptus. Quæ forma servatur in clericis, maximè cum vetus Regula hoc habeat, ut quisque corruptus baptizatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

XIV.

Quod Presbyteri, aut Diaconi, si in ali-

aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint per manûs impositionem pœnitentiæ remedium consequi in decreto Beati Leonis Papæ Capitulo XIV. decretum est ita: Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in presbyterali, aut Diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manûs impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod sinè dubio ex Apostolica traditione descendit, secundùm quod scriptum est: *Sacerdos si peccaverit: quis orabit pro illo:* Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei secreta est ex petenda secessio, ubi illis satisfactio fuerit digna, & etiam fructuosa.

XV.

Pro eo, quòd interrogatum est de laïcis, qui Ecclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere aut gubernare? à Sanctis Patribus ità statutum est, & in præceptis Apostolicis sic continetur, juxta petitoris imploratum, ut si in quolibet fundo cujuscunque juris oratorium, sive basilica fuerit constructa, pro ejus devotione in honorem cujuscunque Sancti, in cujus Episcopi Parochia fuerit fundatum oratorium, perceptâ primitus donatione legitima, id est, præstante tot, gestisque mu municipalibus alligatâ, prædictum oratorium absque missis publicis solemniter consecrabit: ità, ut in eodem loco, nec futuris temporibus Baptisteria construantur, nec Presbyter constituatur Cardinalis: Sed & si missas ibi facere maluerit, ab Episcopo noverit Presbyterum postulandum: quatenus nil à quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur, nisi ab Episcopo fuerit ordinatum.

XVI.

De Clericis, qui proprias Ecclesias relinquunt, quid de eis agi debeat, ex Canone Sanctorum Apostolorum Capitulo XV. ità continetur. Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam Parochiam pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Episcopi sui conscientiam in aliena Parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur: præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseverans. Veruntamen tanquam laïcus ibi communicet.

XVII.

Item pro Episcopis, qui alterius Clericos susceperint, ut excommunicentur, in eodem Canone, Capitulo XVI. continetur: Episcopus verò, apud quem (a) memoratos esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans, tanquam Clericos forte susceperit, velut Magister inquietudinis communione privetur.

XVIII.

Qui Clerici uxores sortiri debeant, in XXVII. Capite Canonum Sanctorum Apostolorum decretum est: Innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si uxores voluerint, accipiant, sed lectores cantorésque tantummodo.

XIX.

Ut nullus Presbyter, aut Diaconus sinè commendatitiis epistolis suscipiatur, in eodem Canone Sanctorum Apostolorum continetur: Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, seu Diaconorum, sinè commendatitiis suscipiatur epistolis: & cùm scripta detulerint, discutiantur attentiùs, & ità suscipiantur, si prædicatores pietatis extiterint: sin minùs, neque necessaria subministrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia à surreptione multa proveniunt.

XX.

De Virginibus velatis. Si deviaverint, quid de illis agendum sit? in libro decretorum Beati Innocentii Papæ, Capitulo XIX. assertum est; Quæ Christo spiritaliter nubunt, & à sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas esse admittendas ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut quæcunque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec eis agendæ pœnitentiæ licentia concedatur; nisi unus ex his fuerit defunctus: quantò magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit?

XXI.

Item de non velatis Virginibus, si deviaverint, in eodem libro XX. Capite continetur: Hæ verò, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint; si forte nupse-

(a) commoratos *forte*.

nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis illa pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solvi sinè vindicta non poterit? Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, quæ primam fidem irritam fecerunt, quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ.

XXII.

De his, quæ duobus fratribus nupserunt, vel qui duas sorores acceperint, in Concilio Neocæsariensi Capitulo II. continetur: Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Veruntamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quodsi defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Nos autem, gratiâ Divinâ suffragante, juxta prædecessorum Pontificum decreta, multo amplius confirmantes dicimus, ut dum usque sese generatio cognoverit, juxta ritum & normam Christianitatis, & Religionis Romanorum non copuletur conjugiis. Sed nec spiritualem (id est) commatrem, aut filiam, quod absit, quis ducat temerario ausu uxorem. Est namque nefas, & perniciosum peccatum coram Deo & Angelis ejus. In tantum enim grave est, ut nullus Sanctorum Patrum, neque Sanctarum Synodorum assertione, vel etiam in Imperialibus legibus quispiam judicatus sit, sed terribile Judicium Dei metuentes siluerunt sententiam dare.

XXIII.

De his, qui homicidium sponte perpetraverunt, in XXI. Capitulo Ancyrani Concili continetur: Qui voluntarie homicidium fecerunt, pœnitentiæ jugiter se submittant; perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.

XXIV.

De his, qui homicidium non sponte perpetraverunt, in eodem Canone, XXII. Capitulo continetur. De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septem annorum pœnitentiam perfectionem consequi præcipit, secunda verò quinquennii tempus explere.

XXV.

De his, qui adulteras habent uxores, vel ipsi adulteri comprobantur, in Concilio Ancyrano, Capitulo XIX, continetur. Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem consequi secundùm pristinos gradus.

XXVI.

De Monachis & Virginibus propositum non servantibus, in libro decretorum Beati Siricii Papæ, Capitulo VI. continetur: Præterea Monachorum quosdam, atque Monacharum, abjecto proposito Sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo vel sub Monasteriorum prætextu illicitâ ac sacrilegâ se contagione miscuerint, postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges & Ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas à Monasteriorum cætu clericorúmque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continuâ lamentatione deflentes, purificato possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

XXVII.

De his, quæ non coactè, sed propria voluntate virginitatis propositum susceperunt, quod delinquant, cùm nupserint, etsi nondum fuerint consecratæ, in libro decretorum Beati Leonis Papæ Capite XXVII. continetur: „ Puellæ, „ quæ non coactæ parentum imperio, „ sed spontaneo Judicio, virginitatis „ propositum, atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit: cujus utique non fraudarentur munere, si in „ proposito permanerent.

Hæc itáque, charissimi nobis & dilectissimi, quæ superius annexa sunt, in quantum miserante Deo valuimus, inter cætera capita deflorantes, tam Sanctorum Apostolorum, quàm etiam Beatorum Patrum sanctiones, seu etiam pro-

probabilium Beatiſſimorum Pontificum decreta, ut uniuscuiuſque Capituli ſententia continet, in brevi eloquio perſtringentes ad veſtri præſulatûs notitiam, & prædicationem, atque populi vobis à Deo crediti ædificationem mandavimus miniſtranda, atque perficienda: hortantes, veſtram omnium prudentiſſimam ſanctitatem, & procerum dilectionem, ut omnimodâ ratione non declinantes à dextris aut ſiniſtris, ſed viam Regiam incedentes conſtantiſſimè obſervetis Apoſtolica mandata. Cæterum hæc, amantiſſimi nobis, dedimus vobis in mandatis ut nec nos coram Deo de taciturnitate judicemur, nec vos de neglectu coram eo cogamini reddere rationem, ſicut ſcriptum eſt in Dominico præcepto: *Si non* (b) *veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Itáque nihil excuſationis adhibentes, omnium rationabilium animarum ſalutem procuretis, ità currentes in agone, ut non vituperetur miniſterium veſtrum, ſed magis de palma victoriæ bravium accipiatis, juxta egregii Apoſtoli dictum: habentes bonis actibus inhærendo impoſitam coronam juſtitiæ, in ſyderea manſione: quam vobis reddat in illum diem Juſtus judex, Dominus Deus, & Salvator noſter Jeſus Chriſtus, qui vivit in unitate cum Deo Patre omnipotente & Spiritu Sancto per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Hardouin. Concilior. Tomo III. pag. 1889. *& ſeqq.*

(b) Joannis XV, 22.

EPISTOLA
ZACHARIÆ PAPÆ
AD BONIFACIUM ARCHI-EPISCOPUM.

Anno Chriſti DCCXLVIII. Zachariæ Papæ VII. Childerici tertii Regis VI.

Reſpondet Papa variis literis per Burchardum, Epiſcopum Wurzeburgenſem Legatum Romam miſſis:

1. *De forma & Miniſtro Baptiſmi.*
2. *De vagis Epiſcopis & Presbyteris aggregato provinciali & ſacerdotali collegio devitandis, deponendis, includendis.*
3. *De Sampſonis Scoti hæreſi circa Baptiſmum.*
4. *Laudat volumen Bonifacii de unitate Fidei Catholicæ.*
5. *Conciliis ipſus præſideat.*
6. *De Virgilii errore circa alium mundum & alios homines.*
7. *De Sede Metropolitana non Coloniæ, ſed Moguntiæ figenda.*
8. *Permittit, ut ſucceſſorem ſibi deligat.*

Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Fratri Bonifacio Epiſcopo, Zacharias Servus Servorum Dei.

SAcris liminibus Beati Apoſtolorum Principis Petri, & noſtris obtutibus præſentatus præſens BURCHARDT dilectus nobis Epiſcopus, fraternæ Sanctitatis tuæ attulit affatus: per quorum ſcriptum tenorem agnovimus, magnum te habere certamen, & ſudorioſè elaborare fraternitatem tuam, in prædicatione Evangelii Chriſti Dei noſtri, & exhortatione Sancta Catholicæ, & orthodoxæ, rectæ fidei, quam à redemptore noſtro Deo & Domino JEſu Chriſto per à ſe inſtitutum beatum Principem Petrum, & vas electionis Paulum, omnésque Apoſtolos traditam ſuſcepimus. Quibus agnitis, etſi peccatores, extenſis ad æthera palmis, omni-

omnipotenti Deo immensas egimus gratias: petentes ejus ineffabilem divinitatem, ut multo amplius confirmet, atque corroboret cor fraternitatis tuæ: & sospitem, atque robustum corpore annuat permanere: usquequo ejus divinitas te superstitem in hac jusserit esse vita, ad perficiendum ministerium tibi impositum, & ad portandum lucrum animarum in diem Christi JEsu: ut illam merearis audire desiderabilem vocem, quam dicturus est Dominus diligentibus se: *Venite benedicti* (a) *Patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mundi.* Erant autem inserta in eisdem tuis affatibus diversa Capitula: de quibus judicium atque consilium & solatium Sedis Apostolicæ tibi dirigi flagitâsti.

I. Primum Capitulum pro Synodo Provinciæ, in quâ natus & nutritus es, quam & in gentem Anglorum & Saxonum in Britannia Insula primi Prædicatores ab Apostolicâ Sede missi, AUGUSTINUS, LAURENTIUS, JUSTUS & HONORIUS, novissimè & tuis temporibus Theodorus Græcolatinus antè Philosophus, & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, pallio sublimatus, ad præfatam Britanniam transmissus judicabat & gubernabat: in illa tale decretum & judicium firmissimè præceptum, & diligenter demonstratum esse dinoscitur, ut quicúnque sinè invocatione Trinitatis lotus fuisset, quòd Sacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum est. Quia si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sinè invocatione Trinitatis, perfectus non est, nisi fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti baptizatus.

De illo autem, quod per quosdam affirmari scripsisti, ut si Evangelicis quis verbis, invocatâ Trinitate, juxta regulam à Domino positam, quicunque mersus esset in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, quod Sacramentum sine dubio haberet: & tam fortiter verbis Evangelicis fuisset consecratum Baptisma, ut quamvis sceleratissimus quisque hæreticus, vel schismaticus, aut latro, vel fur, sive adulter hoc homini petenti ministret; tamen Christi esset Baptisma Evangelicis verbis consecratum. Et econtra, si Minister justus fuisset, & Trinitatem juxta regulam à Domino positam in lavacro non dixisset, verum Baptisma non esset, quod dedit. Pro illis itaque immundis & incertis viris, hæreticis, atque schismaticis, qui in nomine Trinitatis petentes baptizant: sed & de his, qui sine invocatione Trinitatis mergunt in fonte baptismatis, Fraternitati tuæ notum, quid de illis sacrorum Canonum series contineat: quod & tenere te firmiter hortamur. Scriptum quippe est, dicente Domino: *Sancti* (b) *estote, quoniam & ego Sanctus sum.* Quod suscepisti Frater à nostro Prædecessore sanctæ recordationis Gregorio, hujus Apostolicæ Sedis Pontifice, in eo permane: & ab Evangelica & Apostolica, seu Sanctorum Patrum tradita doctrina nullo modo declines: sed indutus loricam fidei, & galeam salutis, viriliter contra nequitias Diabolicæ fraudis Apostolicam præsentando vitam, resiste. Scriptum namque est: *Ecce* (c) *dedi faciem tuam potentem adversùs faciem eorum: & constantiam tuam confortabo adversùs contentiones eorum: & erit fortior petrâ constantia tua.*

II. Pro Sacrilegis itaque Presbyteris, ut conscripsisti, qui tauros & hircos, Diis Paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum, habentes & pollutum ministerium, ipsique adulteri esse inventi sunt, & defuncti: modò verò incognitum esse, utrum baptizantes Trinitatem dixissent, an non: & timent illi, qui vivi sunt, quod in tali ministerio non sint baptizati, quibus respondens jussisti omnes baptizare. Hoc quoque observâsse in suprà dicta Synodo Sacerdotes, ut qui vel unam personam de Trinitate in baptismo non nominaret, illud baptismum esse non posse. Quod pro certò verum est. Quia, qui unum ex Sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem & Filium, si confessus non fuerit Spiritum Sanctum: nec Patrem habet, nec Filium. Et qui confessus fuerit Patrem & Spiritum Sanctum, & Filium non fuerit confessus, nec Patrem habet, nec Spiritum Sanctum, sed vacuus est à gratiâ Divinâ. Eos autem, quos reperisse affata est Fraternitas tua pseudo sacerdotes multo majoris numeri, quàm Catholicos, erroneos simulatores sub nomine Episcoporum vel Presbyterorum, qui nunquam ab Episcopis Catho-

(a) Matthæi XXV, 34. (b) Levit. XXI. (c) Ezech. III.

Catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & ministeria Ecclesiæ confundentes & conturbantes: aut falsos, gyrovagos, adulteros, sacrilegos, hypocritas, & multos servos tonsuratos, qui fugerunt à dominis suis, servos diaboli, transfigurantes se in ministros Christi: qui sinè Episcopo, proprio arbitrio viventes, populares defensores habentes contra Episcopos, ut scelcratos mores eorum non confringant, seorsum populum consentaneum congregant, & illud erroneum ministcrium non in Ecclesia Catholica, sed per agrestia loca, per cellas rusticorum, ubi eorum imperita stultitia celari Episcopos possit, perpetrant, nec fidem Catholicam Paganis prædicant, nec ipsi fidem rectam habent, sed nec ipsa solennia verba, quæ debet unusquisque Catechumenus, si talis ætatis est, ut jam intellectum habeat, sensu cordis sui percipere & intelligere, nec docent, nec quærunt ab eis, quos baptizare debent, id est, abrenunciationem Sathanæ & cætera. Sed neque signaculo crucis Christi eos muniunt, quæ præcedere debent Baptismum? sed nec aliquam credulitatem unius Deitatis, & Sanctæ Trinitatis docent: neque ab eis quærunt, ut corde credant ad justitiam, & oris confessio fiat illis ad salutem. Hos itaque ministros Satanæ, & non Christi, ubicunque repereris, charissime nobis, aggregato provinciali & sacerdotali collegio, omnimodo devita: & à sacerdotali honore privatos, sub regula monachica & pœnitentiâ submissos, vitam finire ordinabis, ut carne afflicti ad viam quandoque redeant rectitudinis. Et si corde crediderint; oris eorum vera confessio illis fiat in salutem. Si vero non fuerint conversi, tuæ prædicationis non periet justitia. Habebis enim solatiantem te, contra malitiam malignantium, Sanctorum Apostolorum, & cæterorum probabilium Patrum canonicam sanctionem. Confortare itaque, Reverendissime mihi: & prævale in lege, in Evangelio Christi, & prædicatione Catholicæ ac orthodoxæ fidei: quia ipse glorificabit te. Tribulatio enim corporis nostri temporalis est, & finem habet: Probatio autem spem: *Spes verò* (d) *non confundit*, ùt ait Apostolus: *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Quis namque separabit nos à charitate Christi: tribulatio, an angustia*, &c. Etsi dejicimur frater, non perimus. Conferamus autem mortem JESU in corpore nostro: ut vita JESU in die adventûs sui in corpore nostro manifesta fiat, sicut per ejus divinam edocti sumus vocem: *Beati*, (e) *qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Conforta itaque & dilectissimos nobis omnes orthodoxos Episcopos & Sacerdotes, atque Levitas vel Clericos, religiosos Abbates & Monachos, seu gloriosissimos Duces, cunctósque Optimates, Christianæ legis Servatores, ut nobis sint adjutores contra adversarios orthodoxæ fidei, omnésque hæreticos atque schismaticos, quarenus & ipsi de fructu boni operis gaudere mereantur in cœlestibus regnis, sicut scriptum est: *Qui vicerit*, (f) *faciam illum columnam in templo meo: & scribam super illum nomen meum*.

III. Inter ea scripsit Reverenda Fraternitas tua, reperisse quendam Presbyterum, genere Scotum, nomine Sampson, errantem à viâ veritatis, dicentem & affirmantem, sinè mystica invocatione, aut lavacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum, per Episcopalis manûs impositionem. Hoc autem qui dicit, vacuus est à Spiritu Sancto, & alienus à gratia Christi, atque à consortio sacerdotali abjiciendus. Quis enim, nisi baptizetur juxta præceptum Domini: in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, etsi per manûs impositionem consecretur, potest esse Catholicus? Hunc nequissimum virum talia prædicantem ab Ecclesia Dei Sancta condemnatum expelle: illos autem viros, qui ab hæreticis baptizati sunt, & dubietas tenet, quòd in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, non sunt baptizati, inquisitâ rei veritate, si ab erroneis sacerdotibus baptizati sunt, hos sine dubio juxta prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorii Papæ, & Sacrorum Canonum traditum tibi mandatum, implere non omittas, ne in æternum pereant, sed potiùs Evangelicâ Consecratione salventur.

IV. Intuiti autem sumus & volumen à te directum universis Episcopis Presbyteris, Diaconibus, vel cæteris religiosam vitam degentibus *de Unitate Fidei Catholicæ*, &

(d) Rom. V. (e) Matth. V. (f) Apoc. III.

& doctrinam Apostolicam scriptam valde nobis acceptabilem esse cognoscas: quoniam per Spiritûs Sancti gratiam in te diffusam, charissime, hoc operari studuisti.

V. Interea per alia scripta fraternæ Sanctitatis tuæ petisti: ut sacerdos à nobis dirigatur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda. Sed dum, Deo propitio, tua Sanctitas superstes existit, qui Sedis Apostolicæ, & nostram illic præsentas vicem, alium illic dirigere necessarium non est. Quos autem repereris, amantissime Frater, habentes scientiam sacræ doctrinæ, & sanctam tenentes legem, atque orthodoxam sine dubio defendentes fidem, hos mittere stude in quibus præviderís locis ad prædicandum verbum salutis.

Concilia verò aggregatis Episcopis provincialibus, ut tibi & ubi rectum videtur, celebranda procura: & quos deviantes inveneris confunde facies eorum ignominia, ut sint coram omnibus sine honore: Dominus enim Deus noster erit tecum.

Suscepimus verò & chartam conscriptam veræ, atque orthodoxæ professionis & Catholicæ unitatis, quam cum dilectissimis nobis Episcopis partis Francorum tua direxit Reverenda Fraternitas. Quam referantes nimio gaudio sumus repleti, innumerabiles gratias agentes Deo Patri omnipotenti, quia unanimitatem eorum ad societatem nostram revocare dignatus est, ut spiritalis eorum mater lætetur Sancta Ecclesia. Nostrâ autem vice, charissime, omnes in osculo pacis Christi saluta: quia & nos dilectioni eorum gratias agentes Apostolicas misimus literas.

VI. Nam & hoc intimatum est à tua fraterna Sanctitate, quòd Virgilius ille (nescimus, si dicatur Presbyter) malignatur adversùm te, pro eo, quod confundebatur à te, erroneum se esse à Catholicâ doctrinâ: immissiones faciens Otiloni Duci Bajoariorum, ut odium inter te & illum seminaret: ajens, quod & à nobis esset absolutus, unius defuncti ex quatuor illis Episcopis, quos tua illic ordinavit fraternitas, diœcesim obtinere. Quod nequaquam verum est: *quia mentita est iniquitas sibi.* De perversa autem & iniqua Doctrina, quam contra Deum & animam suam locutus est; si clarificatum fuerit, ità eum confiteri, quod alius mundus, & alii homines sub terra sint, hunc accito consilio ab Ecclesia pelle sacerdotii honore privatum. Attamen & nos scribentes prædicto duci evocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, ut nobis præsentatus, & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, Canonicis Sanctionibus condemnetur. Qui enim seminant dolores, ipsi metunt eos. Sic enim scriptum est. *Perversæ* [g] *cogitationes separant à Deo; probata autem virtus corripit insipientes.*

Pro Sidonio autem suprà dicto, & Virgilio Presbyteris, quod scripsit Sanctitas tua, agnovimus. Illis quidem, ùt condecebat, comminando scripsimus: tuæ autem fraternitati plus credulitas quam illis admittetur. Si autem placuerit Deo, vita comite, Sedi Adostolicæ eos, missis Apostolicis litteris, ùt prælatum est, evocabimus. Docuisti enim eos, & non susceperunt: & factum est in illis, sicut scriptum est, *Sapientiam* (h) *qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Arenam, & salem, & massam ferri facilius est portare, quàm hominem imprudentem & fatuum & impium. Quoniam* [i] *qui minoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens & errans cogitat stulta.* Non ergo ad iracundiam provocetur cor tuum, frater, sed in patientia tua, ubi tales repereris, admone, obsecra, increpa, ut convertantur ab errore ad viam veritatis. Et si conversi fuerint, salvâsti animas eorum: si verò in duritia permanserint; mercedem Ministerii tui non perdes: illos autem juxta Apostoli vocem devita.

VII. Alia denique scripta tuæ fraternitatis continebant, quod jam olim de Agrippina civitate scripsisti, quod Franci non perseveraverunt in verbo, quod promiserunt: & nunc moratur tua fraternitas in civitate Moguntina. Petisti autem, ut cum nostro consultu pro superveniente tibi senectute, & plenâ dierum ætate, atque imbecillitate corporis, ut, si invenire potueris, alium in eandem sedem, in quâ præes, pro tui persona debeas collocare: Tu verò, charissime, legatus & missus es, ut fuisti, Sedis Apostolicæ. Nos verò adjutore Deo, consilium præbemus tuæ reverendæ Sanctitati, ut pro salute animarum rationabilium, fautore Christo, sedem, quam obtinea

(g) Sap. I. (h) Eccl. XXII. [i] Eccl. XVI.

obtines Sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ, nequaquam relinquas, ut impleatur in te Dominicum præceptum: *Qui perseveraverit* [k] *usque ad finem, hic salvus erit:* Sin verò, si Dominus dederit juxta tuam petitionem hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere, & curam pro salute animarum; pro tui persona illum ordinabis Episcopum, eritque in Evangelio tibi credito, & ministerio Christi portando in omni loco requirens & confortans Ecclesiam Dei. Oramus itaque Dominum & Redemptorem nostrum, ut sacris interventionibus suæ sanctæ Genitricis, semper Virginis MARIÆ Dominæ nostræ, & beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli orantem pro nobis fraternam Sanctitatem tuam sospitem & incolumem conservare dignetur. Deus te incolumem custodiat, reverentissime & Sanctissime Frater. Data Kalendis Maji imperante Domino Piissimo Augusto Constantino, à Deo Coronato, Magno Imperatore, pacifico, anno XXIX. Patriciatûs ejus anno septimo, indictione primâ.

Est hæc Epistola inter editas à Serario CXL. Inter Zacharianas apud Harduinum X.

[k] Matth. 10.

EPISTOLA
ZACHARIÆ PAPÆ
AD S. BONIFACIUM.
Anno Christi DCCLI. Zachariæ Papæ X. Pippini Ducis IX.

Reverentissimo & Sanctissimo Patri Bonifacio, Coepiscopo, Zacharias Episcopus Servus Servorum Dei.

Respondet Epistolæ & variis Quæstionibus, per Lullum missum S. Bonifacii propositis.

BEnedictus Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui dispersa congregat, & congregata conservat: augétque fidem & fiduciam servis suis ad prædicandum verbum Evangelii Jesu Christi Domini nostri, cum eodem Patre & Spiritu Sancto in unitate viventis in sæcula sæculorum: ipsi gloria & laus, qui adjutor & protector est in se credentibus. Ipse enim dixit: *Qui credit in me,* (a) *vitâ vivet & non morietur:* Quoniam *ego*(b) *sum via, vita & veritas.* Laudamus & superexaltamus nomen ejus læti, gaudentes, per harum gerulos, & Sanctæ fraternitatis tuæ litteris superstitem te in hac vita, & in Domino te valere cognoscentes, petentes immensam Dei nostri Divinitatem, ut ad prædicandum multò amplius Evangelii atque Sanctæ Fidei ejus Sacramentum longævum te conservet, suáque protectione te muniat, & ab adversantium insidiis piè miserendo custodiat. Suggessit itaque fraterna sanctitas tua in suis apicibus, (c) quod prædecessor noster beatæ memoriæ Gregorius, hujus Sedis Apostolicæ Præsul, dum ad prædicandum verbum Evangelii, tuam misisset fraternitatem in Germaniæ partibus, & gentibus illis Paganis, verbo pollicitationis te esse munitum: ità ut Orthodoxos Episcopos, ac Presbyteros, vel quosque reperire potuisses in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares & eis communicares. Quod & factum est. Si quos verò seductores Episcopos, aut pseudo presbyteros, vel quos-

[a] Joannis XI, 25, 26. [b] Joannis XIV, 6.
[c] Gratianus XI. Qu. 1, *Quod Prædecessor.*

quosque à recto fidei tramite deviantes reperisses, nulla tibi cum eis esset communio: quod, te Deo solatiante, usque ad præsens spiritualiter servâsse confessus es. Vel si omnino propter principalem & humanum favorem Gentis Francorum, dum ad eos accessisses, corporaliter abstinere non valuisti, cogente necessitate Ecclesiarum Dei; & tamen in eorum consilio & consensu communionis anima tua non est coinquinata. Itaque propter hoc, quod cum eis conversatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo. Te enim prædicante, si obedirent, salvi essent: Sin autem in iniquitate permanent, ipsi peribunt; *tu* (a) *autem*, juxta Prophetæ dictum, *salvâsti animam tuam.*

De Episcopis autem Francorum, & palliis scripsisti, quod juxta promissionem suam nondum impleverunt: qui si impleverint juxta verbum, habebunt ex eo laudem: sin verò aliter egerint, ipsi videbunt. Nos enim, Divinâ gratiâ largiente, quod gratis accepimus, gratis damus. Tua quidem benigna voluntas propter hoc à nobis suscepta est.

Igitur hoc petisti, ut Monasterium in vastissima solitudine, & in medio gentium, quibus prædicas, constitutum, & à te fundatum: atque in honore Salvatoris Dei nostri dedicatum, ubi etiam & monachos sub regula S. BENEDICTI degere ordinâsti, illud venerabile Monasterium nomini tuo, privilegio sedis Apostolicæ munire deberemus. Quod votis tuis acquiescentes ordinavimus juxta desiderium & petitionem tuam. Congruit enim, Divini Ministerii prædicatorem, optimúmque ministrum ad desiderata pertingere, & cœptum bonum opus usque in finem perficere, sicut scriptum est in Dominico præcepto: *Qui perseveraverit* (e) *usque in finem, hic salvus erit.* Et: *Beatus* (f) *Servus ille, quem cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem.* Etenim *super omnia bona constituet eum.* Interea prædictus tuus gerulus Lul, cum cæteris suis comitibus, quæ injuncta fuerunt à tua fraterna sanctitate tam verbo quàm per scripta, omnia liquidiùs suggerentes innotuerunt. De quibus tam in verbo responsum dantes, & per scripta tuæ remisimus fraternitati. Continebant enim Capitula in pyctacio ab eis porrecto, quæ inferiùs annexa sunt: de quibus flagitâsti à nobis, quæ recipienda, quæ respuenda sint. In primis de volatilibus, id est, graculis, & corniculis, atque ciconiis, quæ omnino cavendæ sunt ab esu Christianorum. Etiam & fibri & lepores, & equi sylvatici multò amplius vitandi. Attamen, Sanctissime frater, de omnibus è Scripturis Sacris bene compertus es.

De *igne* autem *Paschali* quod inquisisti, à priscis Sanctis Patribus, ex quo, per Dei & Domini nostri Jesu Christi gratiam, & pretioso sanguine ejus Ecclesia dedicata est; quintâ feriâ Paschæ, dum sacrum Chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diversis candelis Ecclesiæ oleo collecto, in secretiori Ecclesiæ loco, ad figuram interioris tabernaculi insistente, indeficienter cum multa diligentia inspectæ ardebunt, ità ut oleum ipsum sufficere possit usque ad tertium diem. De quibus candelis Sabbatho Sancto, pro sacri fontis baptismate sumptus ignis, per sacerdotem renovabitur. De Chrystallis autem ut asseruisti, nullam habemus traditionem.

De his, qui Regio morbo vexantur, inquisisti, sive homines, sive equi sint, quid faciendum sit de illis? Si homines ex nativitate, aut genere istius morbi sunt, hi extra civitatem conversari debebunt: Eleëmosynam verò accipiendam à populo non vetari. Si autem contigerit magnum vel parvum, non nativitate, sed superveniente ægritudine vexari: non est projiciendus: sed, si possibile est, curandus: attamen in Ecclesia, dum ad communionem venerit, post omnium suppletionem erit ingressurus ad participandum munus. Equi verò, qui præfato morbo fuerint coinquinati, si curari non valuerint, in puteis & foveis projiciendi sunt: ne ejusdem contagione cæteri coinquinentur. De animalibus autem, quæ à furentibus, id est, rabidis lupis, & canibus fuerint lacerata, oportet ea à cæteris separari: ne furentes & mordentes cætera coinquinent. Quod si pauca sunt, ut suprà diximus, in foveam projicienda sunt.

Nam & hoc inquisivit fraternitas tua: si licet Sanctimoniales fœminas, quemadmodum viris, sibi invicem pedes abluere, tam in Cœna Domini, quàm

[d] Ezechielis XXXIII, 5, 9. [e] Matthæi X, 22. (f) Matthæi XXIV, 46.

quàm in aliis diebus. Hoc Dominicum præceptum est, quod qui per fidem impleverit, habebit ex eo laudem. Etenim viri & mulieres unum Dominum habemus, qui in cœlis est.

Pro benedictionibus autem, quas faciunt Galli, ut nôsti frater, multis vitiis variantur. Nam non ex Apostolicâ traditione hoc faciunt, sed per vanam gloriam operantur, sibi ipsis damnationem adhibentes. Dum scriptum est: *Si quis* (g) *vobis Evangelizaverit præter id, quod Evangelizatum est, anathema sit.* Regulam Catholicæ Traditionis sicut suscepisti, frater amantissime, sic omnibus prædica, omnésque doce, sicut à sanctâ Romana, cui Deo auctore deservimus, Ecclesia accepisti.

Inquisisti etiam & hoc, *Si* (h) *ante tricesimum annum*, liceat sacerdotem ordinari. Bonum & congruum est, charissime, si fieri & inveniri potest, ut provectæ ætatis & boni testimonii viri, juxta Sacrorum Canonum instituta, ordinentur Sacerdotes. Si autem minimè reperiuntur, & necessitas exposcit, à viginti quinque annorum, & suprà, Levitæ, & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur.

De Milone (*i*) autem, & ejusmodi similibus, qui Ecclesiis Dei plurimùm nocent, ut à tali nefario opere recedant, juxta Apostoli vocem *opportunè* (k) *importunè* prædica. Si acquieverint admonitionibus tuis, salvabunt animas suas: sin verò, ipsi peribunt obvoluti in peccatis suis; tu autem, qui rectè prædicas, non perdes mercedem tuam.

Nam & hoc inquisisti, post quantum temporis debet lardum comedi? Nobis à patribus institutum pro hoc non est. Tibi autem petenti, consilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priusquam super fumo siccetur, aut igne coquatur. Si verò libet, ut incoctum manducetur, post Paschalem festivitatem erit manducandum.

Episcopus autem condemnatus, de quo quæsisti, qui pugnator & fornicator existit, atque res Ecclesiæ post degradationem, sibi vendicare nititur, hic omnino ac detestabiliter respuendus est. *Quæ enim* (l) *portio infideli cum fideli? aut quæ communio Christi ad Belial?* Hos Sanctorum Patrum traditiones, & Sanctorum Canonum instituta condemnaverunt.

De Ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, qui cogente, necessitate, & paupertate rogantium, non legitimis temporibus & diebus, ad te pervenerunt, si aliquam haberes ex hoc offensionem, insinuâsti. Dicimus autem tibi, frater: Bene nosti, quod sacri Canones docent, aptis temporibus Sacerdotes ordinandos. Attamen in eo, quod à te, propter zelum fidei actum est, à Domino Deo nostro indulgentiam postulemus.

De Censu autem Ecclesiarum, id est, solidum de casata (*m*) suscipe, & nullam habeas hæsitationem, dum ex eo poteris Eleëmosynam tribuere, & opus perficere Sanctarum Ecclesiarum, juxta Canonum instituta. Si quos verò Presbyteros, qui de laicis promoti fuerunt, & antè criminalibus causis obvoluti, celantes peccatum suum ordinati sunt, postmodum verò manifestata est eorum iniqua actio; hos à sacerdotali habitu privatos pœnitentiæ submitte. Non enim odit Deus peccantem & confitentem, sed peccantem & negantem.

Nam & hoc flagitâsti à nobis, si liceat persecutionem Paganorum fugere, an non? Et pro hoc salutare consilium damus, frater. Si fieri potest, & locum inveneris, insta ad prædicandum illis: si autem supportare non valueris eorum persecutionem, habes præceptum Dominicum, ut in aliam (*n*) ingrediaris civitatem.

Nam & hoc inquisivisti, quid faciendum sit de excommunicato Episcopo, & Apostolicam authoritatem negligente. Hic detestabilis est coram Deo & hominibus, cujus condemnationi incondemnatus non communicabit. Ipsi enim condemnabuntur in die iræ & revelationis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, dum sederit ad judicandum genus humanum,

(*g*) Galat. I, 8. (*h*). Gratianus Distinct. 78. Si triginta.

(*i*) Carolus Martellus Rigobertum Episcopatu Remensi deturbavit, & cuidam Miloni, solâ tonsurâ Clerico, dedit Episcopatum. *Adnotatio P. Jacobi Sirmondi S. J. ex Flodoardi L. II. cap. 2.*

(*k*) II. Timoth. 2. (*l*) II. Corinth. XV.

(*m*) Annis singulis de unaquaque casata (*familia* vel *domo*) solidus, id est duodecim Denarii ad Ecclesiam vel Monasterium reddantur. *Synodi Liptinensis Capite II. supra.*

(*n*) Matth. X.

num, ficut fcriptum eft: *Superbis (o) ego refiftam, dicit Dominus.*

Etenim de Sclavis, Chriftianorum terras inhabitantibus, fi oporteat cenfum accipere, interrogafti frater. Hoc quidem confilio non indiget, dum rei caufa eft manifefta. Si enim fine tributo federint, ipfam quoque propriam fibi vendicabunt terram. Si verò tributum dederint, nôrunt dominatorem ipfam habere terram.

Nam & hoc flagitafti à nobis, Santiffime frater, in facri Cánonis prædicatione, quot in locis Cruces facere debeamus, tuæ fignificemus Sanctitati. Votis autem tuis clementer inclinati, in rotulo dato prædicto Lul, religiofo Presbytero tuo, per loca, figna Sanctæ Crucis quanta fieri debeant, infiximus. His ita fe habentibus, Domini deprecamur clementiam, licet peccatores, ut fuo te muniat & confortet auxilio, nófque annuat profperitatis tuæ femper læta fufcipere nuncia. Deus te incolumem cuftodiat reverentiffime frater. Data pridie nonas Novembris, imperante Domino piiffimo Augufto Conftantino à Deo coronato, magno Imperatore anno XXXII. Imperii ejus anno undecimo. Indictione quinta.

Epiftola CXLII. inter Bonifacianas à Serario editas; Zachariæ XII. apud Harduinum.

(o) Jacob. IV.

CONVENTUS IN VILLA DURIA.

Pippinus Dux Francorum Conventum Procerum celebrat in Villa Duria. Anno Chrifti DCCXLVIII.

Pippinus Princeps in Villa, quæ dicitur (a) Duria, Menfe Martio Synodum congregare juffit pro Ecclefiarum reftauratione, & caufis pauperum, viduarúmque, & orphanorum corrigendis, juftitiifque faciendis. *Annales Metenfes.* Non tantùm anno 761. proximo, fed infuper aliis annis hujus Sæculi octavi Pippinum Duriæ Conventus, Campos Maji, alii Synodos celebráffe volunt, puta annis 764. 765. Pippinum; annis 775. 776. 777. Carolum: adnotavit *Eckhartus L. XXIV. fuis locis ex Annalibus Francorum.*

Adnotatio. Refero hos Conventus inter Synodos, quod & Synodographi varii fecerunt de conventibus in Villa Duria & Wormatiæ celebratis à Pippino & Carolo, licet eorum Conventuum acta hactenus detecta non fint. At ex Summario ab Annalifta relato difcimus, in hoc actum de Ecclefiarum reftauratione: & infra videbimus Acta Ecclefiaftica, quæ Binium & Sirmondum latuerant, à Mabillonio, aliifque detecta fuiffe.

(a) *Duria Villa* (nunc Marcodurum) civitas eft media inter Coloniam & Aquifgranum, Palatio Regum Francorum olim nobilis: poft urbs Imperii Germanici fuit; nunc eft fubdita Duci Juliacenfi, Electori Palatino.

SYNODUS IN AUSTRASIA

LOCI INCERTI, TEMPORE PIPPINI REGIS,

Circa Annum Chrifti 752.

In quo Monachis Fuldenfibus fuper ufu vini difpenfatio conceffa fuit propter ægros & imbecilles.

Altero anno poft extructam Fuldæ Ecclefiam, S. Bonifacius Epifcopus iterum Fuldam properans, ad novellum Cœnobium pervenit fuum; quod jam tunc propter meatum fluminis Fulda vocari inchoaverat.

Vifis Fratribus, falutatífque, penes ipfos complures exegit dies; in quibus novellos Monachos fuos inftruere curavit, & monafticæ Regulæ difciplinas fecundùm fanctæ Scripturæ traditionem ftatuere apud ipfos non ceffabat.

Qui

Qui cùm fratribus sacras exposuisset Scripturas, & quod nusquam vinum Monachorum legerat esse: consensu omnium decretum est, ut apud illos nulla potio fortis, quæ inebriare possit, sed tenuis cerevisia biberetur. Quod post plures annos, crescente familia, propter ægrotos & imbecilles, tempore PIPPINI Regis, SYNODALI Decreto immutatum est: aliqui (a) tantùm ex fratribus usque ad finem vitæ suæ se à vino, & cæteris fortibus potionibus abstinuerunt.

Vita S. Sturmii, Tomo II. Tertii Sæculi Benedictini à Mabillone edita pag. 276.

[a] *Forte* tamen. Adnotat Mabillonius.

EPISTOLA S. BONIFACII ARCHI-EPISCOPI

Ad STEPHANUM II. Papam.

Quâ Legationem Apostolicæ Sedis prorogari sibi petit.

Domino Excellentissimo, & præ cæteris Pontificibus præferendo & amando, & Apostolatûs privilegio prædito, Stephano Papæ, Bonifacius exiguus Episcopus, Discipulus Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo charitatis salutem.

SAnctitatis vestræ Clementiam intimis ac visceratis obnixè flagito precibus, ut familiaritatem & unitatem sedis Apostolicæ ab almitatis clementia impetrare & habere merear, & in discipulatu pietatis vestræ, Sedi Apostolicæ serviendo, servus vester fidelis ac devotus permanere possim, eodem modo, quo antè sub tribus prædecessoribus vestris, Apostolicæ sedi serviebam, venerabilis memoriæ duobus GREGORIIS, & ZACHARIÆ (a) qui me semper hortatione & auctoritate litterarum suarum muniebant & adjuvabant. Quod & pietatem vestram agere deprecor, ut præceptum Paternitatis vestræ eo meliùs perficere & implere possim. Nam si quid, in istâ legatione, Romanæ (b) per XXX. & VI. (c) annos fungebar, utilitatis Ecclesiæ præfatæ peregi, adhuc implere & augere desidero. Si autem minùs peritè aut injustè à me factum aliquid vel dictum reperitur, Judicio Romanæ promptâ voluntate & humilitate emendare me velle spondeo. Interea deprecor, ut pietas Domini mei non indignetur, quia tam tardè missum meum & litteras ad præsentiam vestram direxi. Sed hoc idcirco contigit, quia præoccupatus fui in restauratione Ecclesiarum, quas Pagani incenderunt, qui per titulos & cellas nostras plusquam XXX. Ecclesias vastaverunt & incenderunt. Et hæc fuit occasio tarditatis litterarum & appellationis Paternitatis vestræ, & non aliqua negligentiæ incuria.

Inter editas à Serario est hæc Epistola XCI.

(a) Zacharias Papa obiit 752. 14. Martii. Stephanus II. coronatus 26. Martii h. a.
(b) *Alii legunt*: Legatione Romana, quâ per 36. annos fungebar.
(c) Ab anno 717. ap 753. fluxere 36. anni obitæ Legationis Apostolicæ per Germaniam, Bajoariam, Franciam.

EPISTOLA S. BONIFACII ARCHI-EPISCOPI, AD STEPHANUM II. PP.

Quâ Trajectensem Ecclesiam, à Dagoberto I. Coloniensi Episcopo donatam, petit immediatè subjici Romano Pontifici.

Venerando ac diligendo Domino, Apostolatûs privilegio prædito, Stephano Papæ, Bonifacius exiguus Legatus, vel missus Germanicus Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo charitatis salutem.

(*a*) NAm tempore Sergii, Apostolicæ Sedis Pontificis, venit ad limina Sanctorum Apostolorum Presbyter quidam miræ abstinentiæ & Sanctitatis, generis Saxonum, nomine Willibrord, & alio nomine, Clemens vocatus, quem præfatus Papa Episcopum ordinavit, & ad prædicandam Paganam gentem Fresonum, transmisit in littoribus Oceani occidui. Qui per L. annos prædicans, præfatam gentem Fresonum maxima ex parte convertit ad fidem Christi, fana & delubra destruxit, & Ecclesias construxit, & Sedem Episcopalem & Ecclesiam in honore Sancti Salvatoris constituens in loco & castello, quod dicitur Trajectum, & in illa Sede & Ecclesia Sancti Salvatoris, quam construxit, prædicans usque ad debilem senectutem permansit: & sibi Coepiscopum ad ministerium implendum substituit, & finitis longævæ vitæ diebus, in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum Carolomannus commendavit in sedem illam constituendum & ordinandum Episcopum, quod & feci. Nunc autem Coloniensis Episcopus (*b*) illam Sedem præfati Episcopi Clementis, à Sergio Papa ordinati, sibi usurpat, & ad se pertinere dicit, propter fundamenta cujusdam destructæ à Paganis Ecclesiæ: quam Willibrordus dirutam usque ad solum in Castello Trajecto repperit, & eam proprio labore à fundamento construxit, & in honore S. Martini consecravit. Et refert, quia ab antiquo Rege Francorum Dagoberto (*c*) castellum Trajectum cum destructa Ecclesia ad Coloniensem Parochiam donatum in ea conditione fuisset, ut Episcopus Coloniensis gentem Fresorum ad fidem Christi converteret, & eorum prædicator esset: quod & ipse non fecit. Non prædicavit, non convertit Freseos ad fidem Christi, sed Pagana mansit gens Fresorum, usque quo venerandus Pontifex Rom. sedis Sergius supradictum servum Dei Willibrordum Episcopum ad prædicandum supradictæ genti transmisit, qui illam gentem, ut præfatus sum, ad fidem Christi convertit. Et modò vult Coloniensis Episcopus sedem supradicti Willibrordi prædicatoris sibi contrahere, ut non sit Episcopalis sedes subjecta Rom. Pontifici, prædicans gentem Fresorum. Cui respondebam, ut credidi, quod majus & potius fieri debeat præceptum Apostolicæ Sedis, & ordinatio Sergii Papæ, & legatio venerandi prædicatoris Willibrordi, ut & fiat sedes Episcopalis subjecta Rom. Pontifici, prædicans gentem Fresorum, quia magna

(*a*) Deest initium Epistolæ hujus XCVII. inter Bonifacianas à Serario editas, uti & finis.

(*b*) Hildegarius. Sedit in Cathedra Coloniensi ab 750. ad 753., quo anno in expeditione Pippini contra Saxones interemptus fuit à Saxonibus haud procul Visurgi. *Annales Newenarians & Pithoeani.*

(*c*) Rex Dagobertus I. circa annum 631., videtur S. Cuniberto donâsse Trajectum castrum ad Rhenum. *Morckens in conatu Chronolog. Archi-Epp. Colon.* pag. 43.

magna pars illorum adhuc pagana est; quàm destructæ ecclesiolæ fundamenta diruta, & à Paganis conculcata, & per negligentiam Episcoporum derelicta. Sed ipse non (*d*) consentit. Sed modo Paternitatis vestræ judicio mihi intimare dignemini: & si hoc justum sit responsum, & vobis placeat, quod illi Coloniensi Episcopo reddidi, vestrâ auctoritate roborare, ut præceptum Sergii Papæ, & Sedes illa stabilis permaneat. Sic enim potestis nos, si vobis placet, adjuvare, si de Scrinio Ecclesiæ vestræ exemplarē jubetis, & mihi transmittere, quidquid præfato Episcopo Willibrordo ordinato Sanctus Sergius præciperet & conscriberet, ut ex auctoritate Sanctitatis vestræ contradicentes convincere & superare valeam. Si autem aliter justius Sanctitati vestræ videatur, consilium Paternitatis vestræ mihi insinuare dignemini, ut sequar.

(*d*) Hildegarius fretus possessione antiqua se opposuit S. Bonifacio; & reapse Trajectensis Ecclesia subjecta mansit Metropolitano Coloniensi usque ad 1549.

CONCILIUM MOGUNTINUM

Circa annum Christi DCCLII. Stephani II. Papæ I. Pippini Regis I.

In eo Lullus Moguntiæ ordinatur Episcopus à S. Bonifacio, & cæteri Episcopi & Abbates olim constituti confirmantur.

NOvissimè . . . præcepto Romani Pontificis & consensu Venerandi Principis Pippini, & Synodalis auctoritatis licentiâ, & omnium Episcoporum, & Abbatum, nec non Canonicorum, & Monachorum, omniúmque Christianorum ad suam Diœcesin pertinentium profectus est. Sed & Lullum ante juramento constrinxit, dicens: Equidem animosè proficiscor, quocunque me Divina gratia dirigere voluerit. Nunc autem da fidem, ubicunque obierim, meum corpus ad destinata transferas. Et ille quidem spopondit, se omnia pro possibilitate custodire.

Ex Supplemento vitæ Bonifacianæ, à Willibaldo conscriptæ, apud Henschenium Tomo I. Act. Ss. ad diem V. Junii. pag. 475.

Post hæc . . . non multis transactis annorum curriculis contigit B. Bonifacio relatu didicisse S. Willibrordum (*a*) ex hac peregrinatione ad cœlestem patriam obitu felici migrâsse. Mox ut hæc audivit, pro tanti viri morte graviter ingemùit. Inter gravissima doloris lamenta profundique gemitus suspiria, obviavit illi mente, quantocius Synodum coadunare deberet. Nec mora; convenientibus in unum Episcopis, omníque choro Ecclesiastici ordinis, cum consensu illorum omnium, & cum decreto Pippini Regis (qui tunc Carolomanno fratre defuncto Rex effectus est) LUL venerabilem virum Moguntinæ Sedis sibi elegit successorem. Sturmium (*b*) verò venerabilem in Cœnobio Fuldensi constituit Abbatem, præcipiens illi curam gerere gregis commissi. Willibaldo quidem Pastoralis officii regimen in loco Hevstede commendavit, & Burchardo ejusdem civitatis parochiam in Wirceburch delegavit. Wigbertum quoque in Monasterio, quod nuncupatur Hersfelda, fratrum constituit gubernatorem. Hæc quoque B. Bonifacius, Martyrque futurus, ut sapiens architectus cuncta dispofuit; & adhibitis sibi aliquantis fratribus navim conscendens, Trajectum usque pervenit.

Vita tertia Bonifaciana apud Henschenium in actis Sanctorum, ad diem V. Junii pag. 482.

(*a*) Willibrordus obiit VII. Idus Novembris DCCXLVI. juxta Ubbonem Emmium L. W. Frisiæ, MABILLON *Sæculi III. Benedictini Parte I. pag.* 614. Anno 739. obitum S. Willibrordi statuit collocandum *ex Theofrido Abbate Epternacensi, Bertelio & Miræo.* Quo admisso Biographus Tertius non attendisse videtur ad eum annum, quum dixit, MOX AB AUDITâ MORTE S. Willibrordi eam Synodum, in qua Lullus in sede Moguntina Successor ordinatus fuit; Pippino Rege, qui hoc nomen non ante 752. assumpsit, celebratam fuisse, quæ omnisì anno hoc, aut proximo 753. coacta fuit.

(*b*) Lull solus Episcopus inauguratus. Reliqui quatuor duntaxat confirmati, non instituti fuerunt.

CONCILIUM METENSE.

Anno Christi DCCLIII. Stephani Papæ II. Pippini Regis II.

TITULI CAPITULORUM.

I. De Incestis.
II. De Ecclesiasticis Viris.
III. De Presbyteris & Clericis, ut eos Archi-Diaconus convocet ad Synodum.
IV. De Teloneis, unde exigi non debeant.
V. De Moneta.
VI. De Immunitatibus conservandis.
VII. De Justitia facienda.
VIII. De Ecclesiasticis Viris, qui se reclamare ad Palatium veniunt.

CAPITULA.

I. De Incestis.

SI homo incestum commiserit de istis causis, de Deo sacrata, aut commatre sua, aut cum matrina Spirituali de fonte & confirmatione Episcopi, aut cum matre & filia, aut duabus sororibus, aut cum fratris filia aut sororis filia, aut nepote, aut cum consobrina atq; sobrina, aut cum amitâ vel matertera. De his criminibus pecuniam suam perdat, si habet, & si emendare se noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum ei donet; & si hoc fecerit, LX. solidos Domno Regi componat, usque dum se ipse homo correxerit. Et si pecuniam non habet, si liber est, mittatur in carcerem usque ad satisfactionem: si servus aut libertus est, vapuletur plagis multis: & si Dominus suus permiserit, eum amplius in tale scelus cadere, ipsos LX. solidos Domno Regi componat.

II. De Ecclesiasticis viris.

De Ecclesiasticis verò, qui supradicta facinora commiserint, si bona persona fuerit, perdat honorem suum: minores verò vapulentur, aut in carcerem recludantur.

III. De Presbyteris & Clericis, ut eos Archidiaconus convocet ad Synodum.

De Presbyteris & Clericis sic ordinamus, ut Archidiaconus Episcopi eos ad Synodum commoneat unà cum comite: & si quis contempserit, comes eum distringere faciat, ut ipse Presbyter, aut defensor suus LX. solidos componat, & ad Synodum eat. Et Episcopus ipsum Presbyterum, vel Clericum juxta Canonicam authoritatem dijudicari faciat. Solidi verò LX. de ipsa causa in Sacellum Regis veniant. Et si aliquis per violentiam Presbyterum, aut Clericum aut incestuosum contradixerit, tunc Comes ipsam personam per fidejussores positam ante Regem faciat unà cum misso Episcopi venire. Et Domnus Rex distringat, ut cæteri emendentur.

IV. De Teloneis, unde exigi non debeant.

De Teloneis verò sic ordinamus, ut nullus de victualio, & carris, quæ absque negotio sunt, teloneum prehendat. De Saumis similiter ubicumque vadunt, & de peregrinis similiter constituimus, qui propter Deum ad Romam, vel alicubi vadunt, ut ipsos per nullam occasionem ad pontes, & ad exclusas, aut navigio detineatis: nec propter scrippa sua ullo peregrino calumniam faciatis, nec ullum teloneum eis tollatis. Et si aliquis hoc fecerit, qualiscunque homo hoc comprobaverit, nos de LX. solidis XXX. illi concedimus, & illi alii in Sacellum Regis veniant.

V. De Moneta.

De Moneta constituimus, ut amplius non habeat in libra pensante, nisi XXII. solidos, & de ipsis XXII. solidis

mone-

monetarius accipiat solidum unum, & illos alios Domino, cujus sunt, reddat.

VI. De immunitatibus conservandis.

Ut emunitates conservatæ sint.

VII. De Justitia facienda.

Ut omnes Justitias faciant tam publici, quàm Ecclesiastici. Et si aliquis homo ad palatium venerit pro causâ sua, & antea Comiti non innotuerit in mallo ante Rachemburgios, aut si causa sua ante Comitem in mallo fuit ante Rachemburgios, & hoc sustinere noluerit, quod ipsi ei legitimè judicaverint; si pro istis causis ad palatium venerit, vapuletur: & si major persona fuerit, Regis arbitrium erit. Et si reclamaverit, quod legem ei non judicâssent, tunc licentiam habeat ad palatium venire pro ipsa causa: & si ipsos convincere potuerit, quod legem ei non judicâssent, secundùm legem contra ipsum emendare faciat. Et si Comes & Rachemburgii ei convenire potuerint, quod legem ei judicâssent, & ipse hoc recipere noluerit, hoc contra ipsos emendare faciat.

VIII. De Ecclesiasticis viris, qui se reclamare ad palatium veniunt.

Similiter de Ecclesiasticis, si ad palatium venerint de eorum causâ se reclamare super eorum seniore, vapulentur, nisi senior suus pro sua causa transmiserit.

Sirmondus Tomo II. Concil. Galliæ pag. 5.

Cl. Eckartus L. XXIV. *rerum Franc.* §. XXXVI. ad annum 756. Synodum differt, eámque ex Compendiensis & Vernensis Synodorum Canonibus conflatam conjicit; eo quod inter hujus & illarum Synodorum Canones similitudo sit. Sed hoc argumento quot Synodi difflarentur? cùm nihil sit frequentius in Synodis, quàm anteriorum canones repetere, suis intermiscere, &c.

CONCILIUM CONSTANTIENSE.

Anno Christi DCCLIX. Pauli Papæ III. Pippini Regis VII. sub Sidonio (*b*) Episcopo.

In quo S. Othmarus Abbas Cœnobii S. Galli à Lamberto calumniosè accusatus, carceri includitur.

WArinus & Ruodhardus, qui tunc temporis totius Alamanniæ curam administrabant, diabolo suadente, immanissimo avaritiæ morbo præventi, res Ecclesiarum sub sua potestate sitarum, magna ex parte in proprietatis suæ Dominium per vim contraxerunt. Qui cùm sibi de Possessionibus B. Galli per plura eodem violentiæ ausu vendicâssent; Vir Dei Othmarus, non possessionibus terrenis inhians, sed cœnobialis vitæ defectum præmetuens, Pippinum Regem adiit, ipsique Tyrannicam eorum præsumptionem exposuit, pariter protestatus, grave eum crimen incursurum, si eorum actibus consentiendo faveret. Quâ causâ benevolus Princeps utrumque conveniens, interminatus est eis, gratiâ suâ illos omnimodis carituros, si non Ecclesiis Dei, quæ injustè abstraxerunt, absque recrastinatione restituerent. At illi patriam repetentes, vitio rapacitatis infecti, & bestiali sævitia efferati, jussionem Regiam neglexerunt. Virum etiam Dei Othmarum, cùm pro hac re iterum Principem adire vellet, missis clanculum post eum militibus, vinculis injectum, per vim reduci fecerunt, nec non & Lambertum quendam, qui fratribus ejus professione conumeratus erat, non vitæ Sanctitate; persuaserunt, ut ei factâ quâdam machinatione luxuriæ crimen impingeret, id elaborantes, ut sanctitate ejus hujusmodi suspicionibus infamatâ deponendi eum occasionem invenirent. Quâ causâ plurimi, tam dolosæ factionis ignari, ad *Concilium* evocantur.

Itaque vir venerabilis castitate, integer vitæ, ac morum maturitate grandævus in medio Cœnobii collocatur, & in ejus accusationem Lambertus, falsitatis minister, coram omnibus præsentatur, acceptáque loquendi licentiâ, veritatis obli-

(*b*) Sidonius, Episcopus Constantiensis Ecclesiæ, & Abbas Augiæ, B. Othmarum in Synodo de adulterio accusatum damnavit, mox missum in exilium. *Hepidanus, in Annalibus ad annum DCCXLVI.*

oblitus, falsitatis assertor dixit, se quandam fœminam nôsse, quæ à viro beato vim pollutionis fuisset perpessa. Ad quod fertur nullum penitus dedisse responsum: cúmque à plurimis responderе cogeretur objectis hujusmodi, dicto temperavit eloquium: fateor, inquit, me supra modum in multis peccâsse, de hujus autem objectione criminis secreti mei inspectorem Deum invoco. Illis autem, ut hujus facti se excusatione purgaret attentiùs ei assistentibus, mente securus, conscientiâ liber, tacitus perduravit: & quia accusandi licentiam apud Judices patere cognovit, maluit pro sinceritate sui pectoris Divino, quàm humano, pro excusatione criminis placere Judicio. Mox ergo, ùt cunctis claresceret, ipsius castimoniam falso fuisse infamatam; Lambertum ultio Divina corripuit. Nam febrium vexatione pervasus, paulatim resoluto membrorum vigore, contrahi cœpit, sicque omnibus membris statûs sui amittentibus rectitudinem, vel formam, capite ad terram more quadrupedum inclinato, non solùm deformitate figuræ terribilis, verùm etiam vivâ voce in Sanctum Dei peccâsse omni tempore fatebatur.

Concilio autem iniquè inchoato, iniquiùs terminato, Vir Dei Othmarus (*d*) apud villam Potamum palatio inclusus est.

Ex Walafrido Strabo, Abbate Augiensi, in Libro de vita S. Othmari.

Apud Goldastum Tomo I. rerum Alamannicarum Cap. IV. V. VI.

Et apud Mabillonium Sæculi III. Benedictini Parte I.

(*b*) Obiit S. Othmarus hoc anno 759. plenus Sanctitate meritorum in suo exilio, quod erat in Insula Rheni, *Stein*, nuncupata, XVI. Kalend. Decembris. *P. Sigismundus Calles in Annalibus Ecclesiasticis Germaniæ* corrigit Hepidani Annales apud *Goldastum Tomo I. Parte I. Rerum Alamannicarum*, referentis accusationem & exilium Beati Othmari ad annum 746, & 758.

(*c*) Pagius *in Critica Baronii* ad h. a. confutat Cointium, qui unum Othmarum perperam in duos diviserat.

(*d*) Warinus & Ruodhardus beatum & sanctum virum Othmarum multis injuriis affligebant; ipse verô plenus dierum, plenus etiam Sanctitate meritorum, de angustiis hujus vitæ eripitur, atque in Insula Rheni fluminis, quæ vocatur *Stein*, sepultus est. *Hepidanus ad annum DCCLVIII.*



CHRODEGANGI

METENSIS (*a*) EPISCOPI,

REGULA CANONICORUM.

Anno Christi DCCLXII. Pauli I. Papæ V. Pippini Regis X.

PRÆFATIO.

Temporibus piissimi ac Serenissimi PIPINI. (*b*) CHRODOGANGUS, Servus Servorum Dei, Metensis urbis Episcopus.

SI trecentorum decem & octo (*c*) reliquorúmque Sanctorum Patrum Canonum auctoritas inviolata perduraret, & Episcopus atque Clerus secundùm

(*a*) Crodegangus, Metensis Episcopus, & Caroli Martelli ex Landrada filia Pippini sorore nepos, à Stephano II. Papa, cùm anno 754. in Francia esset, fuit Archi-Episcopus ordinatus, dato pallio, & facultate Crucis præferendæ, & ordinandi Episcopos per totam Franciam.

(*b*) Pippinus anno 752. Kal. Martii electus Rex Francorum, anno 754. à Stephano Papa ungitur & coronatur Rex primus è Francorum Regibus. *Eckhart L. XXIV. rerum Francicar. N. XIV. XV. & seqq.*

(*c*) Concilii Nicæni I. Canones.

dùm eorum rectitudinis normam viverent, superfluum videretur, à nobis exiguis, minimisque super hac re, tam ordinatè dispositâ, aliquid novi retractare aut dicere; sed dum Pastorum subditorúmque negligentia ex his temporibus nimiùm crevit, quid aliud agendum nobis est, qui in tam gravi discrimine venimus; nisi, ut quantum possumus, si non quantum debemus, ad rectitudinis lineam, Deo inspirante, Clerum nostrum reducamus?

Igitur quamvis adeptâ hujus sedis Pontificalis Cathedrâ, cúmque officii mei Pastoralis curam invigilare cæpissem, & in tantam negligentiam Clerum, plebémque devenisse conspicerem, cœpi mœstus conquirere, quid agere deberem, sed Divino fultus auxilio, fratrúmque Spiritualium consolatione adjutus, atque recuperatione provocatus, volui necessitate compulsus parvum Decretulum facere, per quod se Clerus ab illicitis coërceat, vitiosa deponat, mala diu longéque usurpata derelinquat: ut, dum mens ab assuetis vitiis vacuatur, faciliùs & optima quæque sint, inserantur.

Scripturis enim sacris intenti decernimus, ut omnes sint unanimes, officiis divinis, Lectionibúsque sacris assidui, atque ad obedientiam Episcopi sui, Præpositique, ùt ordo Canonicus deposcit, parati: charitate connexi, zelo bono, ferventissimóq; amore conjuncti, à litibus, vel scandalis, seu odiis semoti. Pastor eorum quilibet fuerit, non solùm de carnalibus, sed etiam spiritualibus curam gerat, & in utráque parte sagacissimam sollicitudinem, in quo facultatis fuerit, habeat; ut & vitia deprimat, & ea radicitùs, ùt oriri cæperint, ùt prævalet, amputare festinet; & quæ usibus humanis juxta formam subter dispositam necessaria fuerint, eis præbere studeat; ut cùm Pastor Pastorum, judéxque vivorum & mortuorum, Christus in ultimo, tremendóque die, in sede Majestatis suæ disceptaturus cum omnibus gentibus, sederit, & omnis Clerus eum revelatâ facie conspexerit, etsi non cum summis Pastoribus, & gregibus sibi commissis, pro dispensatis talentis, multiplicatisque Spiritualibus lucris audire merebimur: *Euge serve bone*, (d) *& fidelis*; saltem hoc concedatur, ut delictorum venia ad integrum tribuatur. Quia manifestum est, quibus peccatorum venia ad integrum tribuitur, quia nec infelix potest judicari, cui contigerit, qualemcunque partem in Paradiso habere; sed illis ibidem sors datur, qui in quantum possunt, per vitæ meritum ad hoc in hujus temporis curriculo, dum licet, currere festinent.

Intendamus ergo ad hoc animum, quantùm possumus, quia non possumus, quantum debemus: & nostra vita amarescat in pœnitentia, ne ultio Divina, quæ nunc mitis est, & exspectat, post sæviat ad vindictam.

CAPUT I.

De Humilitate.

CLamat nobis Divina Scriptura, dicens: *Omnis qui se exaltat*, (e) *humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur*: quantum enim humilior fueris, tantùm te sequitur gloriæ altitudo: & quia *Superbis Deus resistit*, (f) *humilibus autem dat gratiam*: omnisque arrogans immundus est coram Domino. Nam quemcumque superbum videris, filium diaboli esse non dubites: & quemcumque humilem prospexeris, Dei Filium esse credere debes. De multis enim pauca perstringimus, ut omnes homines ad amorem humilitatis provoce-

Regulam hanc Canonicorum in Synodis Vernensi & Attiniacensi Episcoporum censuræ à S. Chrodegango subjectam fuisse & approbatam opinatur *Clariss. Eckhartus L. XXIV. rerum Franciæ* §. *LXVIII.*

Dupin. Tomo VI. nova Bibliotheca Autorum Ecclesiasticorum pag. 104. asserit, Chrodegangi Regulam Capitulis 34. duntaxat constantem, ex vaticano codice à P. Labbéo editam, esse genuinam & veram regulam. Hanc autem à D'acherio in spicilegio editam, fuisse compilatam tum ex vera Regula S. Chrodegangi, tum ex Statutis Concilii Aquensis anni DCCCXVI. tum ex Regula S. Benedicti, aliísque Monasticis:

Verùm cùm hæc collectio D'acherii, constans 86. Capitibus, diversa sit ab Aquensis Synodi anni 816. collectione: quæ 145. Capitibus (*Binius T. 3. p. 1.*) constat; utramque edendam putavi.

Obiit S. Chrodegangus anno 766. VI. Martii, judicibus Pagio ex chronotaxi Episcoporum Metensium, & Eckharto L. 24. §. 84. Juxta D'acherium & Paulum Diaconum, pridie Nonas Martias in diebus Pippini Regis, sepultus in Gorzia, Monasterio Benedictinorum, à se ædificato. Sedit in Episcopatu annos 23. menses 5. dies 5. elevatus ad Episcopatum Metensem anno 743. teste Dupinio: idem fuit Abbas Laurisheimensis: sæcularis scilicet: nec enim certò constat, eum S. Benedicti Regulam professum fuisse: D'acherio contrarium videtur.

(*d*) Matth. XXV, 21. (*e*) Luc. XIV, 11. (*f*) Jacob. IV, 6.

vocemus, & deteſtabilem, inimicámque Dei ſuperbiam ab eis retrahamus; nam, dum omne genus humanum humilitatem habere convenit, nimis iniquum, peſſimúmque ac deteſtabile eſt, ut qui ſervitio Dei peculiariùs ſe junxerunt, humilitatem derelinquant, & ſuperbiæ diabolicæ ſe ſocient. Chriſtus in humilitate, diabolus in ſuperbia ſedet.

Idcirco neceſſe eſt, ut qui ſuadente diabolo uſque nunc ſuperbus atque élatus, & vultu rigidus vixit, Deo auxiliante, per humilitatem atque charitatem aut obedientiam, ſeu per reliqua bona Dei præcepta, reſurgat: quia multùm melius eſt, per humilitatem cum Chriſto in Regna cœleſtia regnare, quàm cum diabolo per ſuperbiam in infernum demergere.

CAPUT II.

De Ordine congregationis Canonicorum.

Ordines ſuos Canonici ità conſervent, ùt ordinati ſunt in gradibus ſuis, ſecundùm legitimam inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ, in omnibus omnino locis, id eſt, in Eccleſiâ, vel ubicumque ſimul ſe conjunxerint, & ratio præſtat; exceptis his, quos Epiſcopus in altiore gradu conſtituerit, aut degradaverit certis de cauſis, reliqui omnes, ùt diximus, ità, ùt ordinati ſunt, ordines ſuos cuſtodiant.

Juniores igitur priores ſuos honorent: priores minores ſuos in Deum diligant. In ipſorum autem appellatione nominum nulli liceat alium puro nomine appellare, ſed ſecundùm conſtitutionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, vocet eum nomen ſuum, priùs addito & miniſterii ſui gradu, qualiſcunque fuerit. Ubicumque ſe obviaverit Clerus, junior inclinetur, & à priore benedictionem petat, & ſi ſedentem invenerit, tranſeunte majore, minor ſurgat, & det ei locum ſedendi, nec præſumat junior conſedere, niſi ei præcipiat ſenior ſuus; ut fiat, quod ſcriptum eſt: *Honore invicem prævenientes* (g) Pueri & parvi adoleſcentes in oratorio, aut ad Miſſas, cum diſciplina ſuos ordines cuſtodiant, & ubicumque fuerint, cuſtodiam habeant, & diſciplinam.

CAPUT III.

De eo, quod in congregandis Canonicis modus diſcretionis tenendus ſit.

Cavendum ſummopere Præpoſitis & Prælatis Eccleſiæ eſt, ut in Eccleſiis ſibi commiſſis non plures admittant Clericos, quàm ratio ſinit, & facultas Eccleſiæ ſuppetit; ne, ſi plures indiſcretè aggregaverint, nec ipſos gubernare, nec, ùt oportet, valeant adminiculari. Sunt námque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui innumeroſam Cleri congregationem volunt habere; cui nec animæ, nec corporis curant ſolatia exhibere. Hi namque qualiter aggregati, dum à Prælatis ſtipendia neceſſaria non accipiunt, neque canonicum ſervant ordinem, nec Divinis officiis inſiſtunt: clauſtra, ſocietatémque cœterorum relinquentes, efficiuntur vagi & laſcivi, gulæ & ebrietati, & cæteris ſuis voluptatibus dediti, quidquid ſibi inhibitum eſt, licitum faciunt.

Proinde Præpoſitis ſolerter providendum eſt, ut in hoc negotio modum diſcretionis teneant: ſcilicet, ut nec plus, quàm oportet, & poſſibilitas Eccleſiæ ſuppetit, in congregatione admittant; nec eos, quos rationabiliter gubernare poſſunt, causâ avaritiæ abjiciant.

CAPUT IV.

De eo, quod non debent Clerici in congregatione canonicâ conſtituti, ſtipendia ſuperflua accipere, aut exigere, ſed neceſſaria.

Sanctorum Patrum Sententiæ docent, Clericos non divitiarum ſectatores eſſe, nec res Eccleſiarum inofficioſè accipere debere: inde dicit Proſper: Qui Eccleſiæ ſerviunt, & ea, quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter ſapiunt: indignum quippe eſt, ſi fidelis & operoſa devotio Clericorum propter ſtipendium ſæculare præmia ſempiterna contemnat. Ut quid accipit, unde rationem reddat? ut quid peccatis alienis ſua multiplicat? Unde neceſſe, imò utile eſt, Clericis in Eccleſiaſticis ſumptibus accipiendis ſuum vitare periculum. Proinde tam de ſuis, quàm de Eccleſiæ facultatibus, non plus accipiant, aut exigant, quàm oportet; id

(g) Rom. XII.

id accipient, cibum, potum, atque vestimentum, & his contenti sint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur. Sinè grandi peccato non accipiunt, unde pauper victurus erat.

Hi verò, qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, & magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt, accipient in canonica congregatione victum & vestimentum, & eleëmosynarum partes; quia de talibus in Libro Prosperi dicitur: Clerici, quos voluntas, aut nativitas pauperes fecit, in congregatione viventes, necessaria vitæ accipient; quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas. Porrò si tales fuerint, qui nec suas, nec Ecclesiæ velint habere possessiones, horum necessitatibus providentissimâ gubernatione de Facultatibus Ecclesiæ debent subvenire Prælati, attendentes illud Prosperi: Quod habet, inquit, de facultatibus Ecclesiæ, cum omnibus nihil habentibus commune habeat. Sed & illorum curam gerere debent, quos aut infirmitas, aut senectus aggravat, quos etiam constat olim in utilitatibus Ecclesiæ desudâsse.

CAPUT V.
De his, qui in congregatione sibi commissâ, solummodò ex familiâ Ecclesiæ clericos aggregant.

Sunt nonnulli, qui tantùm ex familiâ Ecclesiasticâ Clericos in sibi commissis congregant Ecclesiis; & hoc ideo facere videntur, ut si quando eis aliquid incommodum fecerint, aut stipendia opportuna subtraxerint, nihil querimoniæ contra se objicere præsumant, timentes scilicet, ne aut severissimis verberibus afficiantur, aut humanæ servituti denuo crudeliter addicantur.

Hoc autem non ideo dicitur, ut ex familiâ Ecclesiæ probabilis vitæ in congregatione non sint admittendi, præsertim cùm apud Deum non sit personarum acceptio; sed potiùs, ut propter quam intulimus occasionem, nullus Prælatorum, seclusis nobilibus, viles tantùm in suâ congregatione admittant personas.

CAPUT VI.
Qui clerici in congregatione canonicâ constituti, Ecclesiastica accipere debeant stipendia.

Quia Sanctorum Patrum suprà notatæ sententiæ docent, Clericos non divitiarum sectatores esse, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere; non abs re putavimus, nonnulla Capitula Libri Prosperi ad medium exempli causâ deducere, in quibus ità legitur: *Qui Ecclesiæ serviunt, & ea, quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt....* Item ibi ... *Satis quippe indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum, propter stipendium sæculare præmia sempiterna contemnat...* Item ibi: *Si propter hoc non vult sua quisque relinquere, ut habeat, unde vivat: ut quid accipit, unde rationem reddat?* (h)

CAPUT VII.
De eo, quòd in congregatione canonicâ æqualiter cibus & potus accipiatur.

Solet in plerisque Canonicorum congregationibus irrationabiliter, atque indiscretè fieri, ut nonnulli Clerici, qui & divitiis affluunt, & aut parum, aut nihil utilitatis Ecclesiæ conferunt, majorem cæteris, Divinum strenuè peragentibus officium, annonam accipiunt; cùm hoc ità fieri debere, nunquam nec in authoritate scripturarum, nec in traditionibus Sanctorum Patrum possit quoquo modo sancitum reperiri. Est nempe rationabile, justúmque coram Deo & hominibus, ut in unaquaque canonicâ congregatione à minimo usque ad maximum cibum & potum æqualiter accipiant, hi videlicet, qui propter aliquam utilitatem in numero Canonicorum fuerint admissi. Quamquam enim plerique subditorum à Prælatis, rebus quibuslibet aliis plùs cæteris meritò solent honorari, in hac tamen societate, seclusâ personarum acceptione, una debet cibi, & potûs æqualitas esse.

CAPUT VIII.
De mensura cibi & potûs.

Quando Clerus unâ, aut binâ vice in die reficit, accipiat à minore usque ad maximum quatuor libras panis, & quando bis in die reficit, pulmentum verò ad sextam, unam ministrationem de carne inter duos: & si cibaria alia unà accipient, & cibaria non habeant, tunc duas ministrationes de carne habeant. Ad cœnam autem, aut unam ministrationem inter duos, aut cibaria alia habeant. Illo tempore, quando quadragesimalem vitam debent ducere, tunc

[h] *Prosp. de vita Contemp. L. 2. C. 10.*

tunc ad ſextam inter duos Clericos portionem de formatico, & cibaria alia accipient: Et ſi piſces habuerint, aut legumen, aut aliud aliquid, addatur & tertium: & ad cœnam cibaria inter duos & portionem de formatico accipient: & ſi Deus ampliùs dederit, cum gratiarum actione accipient. Quando autem in die una refectio fuerit, tunc cibaria una inter duos, & portionem de formatico, & miniſtrationem de legumine, aut aliud pulmentum accipient. Et ſi contigerit, quòd illo anno glandis vel fagina non ſit, & non habent, unde hanc menſuram de carne impleant, prævideat Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, juxta quod Deus poſſibilitatem dederit, aut de quadrageſimali alimento, aut alio, unde conſolationem habeant.

Et ſi eadem regio vinifera fuerit, accipiant per ſingulos dies quinque libras vini (ſi tamen ſterilitas impedimentum non fecerit temporis) ſi verò vinifera plena non fuerit: tres libras vini, & tres cereviſiæ: & caveant ebrietatem. Si verò contigerit, quòd vinum minus fuerit, & iſtam menſuram Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, implere non poteſt; juxtà quod prævalet, impleat de cerviſiâ, & eis conſolationem faciant: & illis, qui ſe à vino abſtinent, prævideat Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, ut tantùm habeant de cereviſiâ, quantùm de vino habere debuerant. Quando verò Eccleſiæ facultas non ſuppetit, aut ſterilitas terræ exſtiterit, ſicut crebro peccatis noſtris præpedientibus evenire ſolet, & Prælati, quantum debent dare vinum, aut ſiceram, ſeu cerviſiam, Canonicis nequiverint; prævideant eis potum, ex diverſis materiis confectum: non autem murmurent, ſed magis cum gratiarum actione, quod dari ſibi poteſt, accipiant: animadvertentes Joannem Baptiſtam, qui nec vinum, nec ſiceram, nec quid aliud, quod poteſt inebriare, bibit: quia ubi ebrietas fit, ibi flagitium atque peccatum eſt; & hoc admonemus, ut Clerus ſobriam ſemper ducat vitam, & quia perſuadere non poſſumus, ut vinum non bibant, vel hoc conſentiamus, ut ſaltem in illis ebrietas non dominetur; quia omnes ebrioſos Apoſtolus à Regno Dei extraneos eſſe denuntiat, niſi per dignam pœnitentiam emendaverint. Habeant itaque Canonici hortos olerum, unde cum cœteris additamentis aliquod pulmentum quotidie ſibi viciſſim miniſtrent.

CAPUT IX.

De ſeptimanariis coquinæ.

Clerici Canonici ſic ſibi invicem ſervient, ut nullus excuſetur à coquinæ officio, niſi ægritudine, aut cauſâ gravis utilitatis præoccupatus fuerit; quia exinde major merces aut charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur ſolatia, ut non cum triſtitiâ hoc faciant, ſed habeant omnes ſolatia ſecundùm modum congregationis, aut poſitionem loci.

Archidiaconus, aut Præpoſitus, vel Cellarius, &qui in majoribus utilitatibus occupati ſunt, iſti excuſentur à coquinâ. Cæteri autem ſibi ſub charitate invicem ſervient. Egreſſurus de ſeptimanâ, Sabbato munditias vaſorum faciat, & vaſa Miniſterii ſui, quæ ad adminiſtrandum accepit, ſana & munda Cellario reconſignet: & ſi aliquid ex illis minuatum fuerit, ad Capitulum die Sabbati veniam petat: & vaſa, vel quod minuatum eſt, in loco reſtituat.

CAPUT X.

De Archidiacono, vel Præpoſito.

Oportet enim eos eſſe *prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ*, id eſt, ut ſint ſapientes in bonum, & ſimplices in malum, & docti in Evangelica præcepta, & Sanctorum Patrum inſtituta Canonum, ut poſſint docere Clerum in lege Divinâ: & ſic ſe conforment Clero, ut non tantùm verbis capacibus, ſed etiam exemplis ſimplicioribus Divina præcepta demonſtrent; quia Apoſtoli debent ſemper ſervare formam, in qua dicit: *Argue* (i) *obſecra, increpa:* immiſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta. Indiſciplinatos & inquietos debent duriùs arguere, obedientes autem, & mites, & patientes, ut in meliùs proficiant, obſervare: negligentes & contemnentes, & ſuperbos increpent, & corripiant. Neque diſſimulent peccata delinquentium, ſed mox, ùt cœperint oriri, radicitùs, ùt prævalent, amputent, memores periculi Heli Sacerdotis de filiis ſuis. Honeſtiores quidem atque intelligibiles primâ & ſecundâ admonitione corripiant; improbos ac duros corde, ac ſuperbos,

(i) I. Timoth. IV.

perbos, vel inobedientes, verbere & caſtigatione in ipſo initio peccati coërceant, ſcientes ſcriptum: *Stultus verbis non corrigitur:* (*k*)Et iterum: (*l*) *Percute filium tuum virgâ, & liberabis animam ejus à morte.*

Et quidquid per ſe juſtè & rationabiliter ſecundùm canonicam inſtitutionem non potuerint definire, Epiſcopo pateſaciant; & ipſe ſecundùm Dei voluntatem, quod caſtigandum eſt, caſtiget, & quod corrigendum eſt, corrigat. Qui Archidiaconus vel Primitiarius, in omnibus omnino actibus, vel operibus ſuis ſint Deo & Epiſcopo fideles & obedientes: & non ſint ſuperbi, neque rebelles, vel contemptores; ſed caſti, & ſobrii, patientes, benigni, & miſericordes; diligant Clerum, oderint vitia, & non permittant ea nutriri, ſed prudentes amputare feſtinent. Caveant, ne, dum aliis prædicaverint, ipſi reprobi efficiantur.

Qui Archidiaconus, vel Præpoſitus, ſi reperti fuerint, quod abſit, ſuperbi, aut elati, aut contradictores, vel contemptores Canonicæ inſtitutionis, ſecundùm Domini præceptum admoneantur ſemel & iterum; & ſi non emendaverint, ab Epiſcopo ſecundùm modum culpæ judicentur. Quodſi neque ſic correxerint; de ordinibus ſuis ejiciantur, & alii, qui digni ſunt, & voluntatem Dei, vel Epiſcopi ſui, ſecundùm Divinum præceptum impleverint, in locis illorum ſubrogentur.

CAPUT XI.
De Cellario.

Cellarius verò debet eſſe timens Deum, ſobrius, non vinolentus, non contentioſus, non iracundus; ſed modeſtus, moribus cautus & fidelis: non ſuperbus, non tardus, non prodigus, non ſuperfluus diſſipator ſinè ordine, non remiſſus: & quidquid acceperit, ſub curâ ſuâ ad opus Clericorum cuſtodiat, ne miniſtri ibidem deputati annonam fratrum, aut furtim ſubripiendo, aut aliquolibet modo negligenter vivendo diſſipent. Hi verò famuli eligantur de fideliſſimâ Eccleſiæ familiâ, & his officiis diligenter erudiantur, ut ſcilicet & arte piſtoriâ, & fidei puritate, neceſſitatibus fratrum opportuniſſimè valeant ſuffragari. Eadem quoque forma de cocis ſervanda eſt.

CAPUT XII.
De Portario.

Portarius unus cum ſuo juniore annum, aut ampliùs ſi Epiſcopo, vel ei, qui ſub eo eſt, placuerit, portas clauſtræ, vel oſtia cuſtodiat. Qui Portarius ſit frater probabilis vitæ, ſobrius, patiens, & ſapiens, qui ſciat reſponſum accipere & reddere: cui officium ſit, portam Canonicorum cum ſummâ obedientiâ & humilitate competenti tempore claudere ac reſerare; ut nulli per eam, niſi per licentiam, aditus pateat intrandi, aut exeundi: cui etiam obſervandum eſt, ne eis, quibus cura eſt, plùs otiis vacare, quàm divinis obſequiis incubare, foras evagandi locum præbeat, & eorum nugarum (quod nefas eſt) particeps fiat.

Debet præterea advenientes quoſque cum charitate ſuſcipere, & Priori adventum eorum, cauſamque nuntiare. Expleto namque veſpertino, & completorio officio, obſeratiſque portis, claves earum idem Portarius ei, qui vicem Prælati tenet, ferat; ut nulli horis incompetentibus intrandi, aut exeundi maneat facultas. Si verò inobediens, aut protervus idem repertus fuerit Portarius, ſicut alii Miniſtri negligentes, judicetur.

CAPUT XIII.
De eo, quòd diligenter munienda ſunt clauſtra Canonicorum, in quibus dormiunt canonici.

Præpoſitorum cura ſit, ut ſubditorum mentes Sanctarum Scripturarum Lectionibus aſſiduè muniant, ne lupus inviſibilis aditum inveniat, quo ovile Domini ingredi, & aliquam ovium ſubripere valeat. Et præterea neceſſe eſt, ut clauſtra, quo Clero ſibi commiſſo canonicè vivendum eſt, firmis undique circumdent munitionibus, ut nulli omnino intrandi, aut exeundi, niſi per portas, pateat aditus.

Sint etiam interiùs dormitoria, refectoria, cellaria, & cœteræ habitationes uſibus fratrum, in una ſocietate viventium, neceſſariæ. Omnes in uno dormiant dormitorio, præter illos, quibus Epiſcopus licentiam dederit, ſecundùm quod ei rationabiliter viſum fuerit. Et in ipſa clauſtra per diſpoſitas manſiones dormiant

(*k*) Prov. XVIII, 2. (*l*) Ibid. XXIII, 14.

miant separatim per singula lecta, mixti cum senioribus propter prævidentiam bonam; ut seniores prævideant, quid juniores secundùm Deum agant. Et in ipsa claustra nulla fœmina introeat, nec laicus homo, præter tantùm si Episcopus, aut Archi-Diaconus, vel Præpositus jusserint, ut in refectorio refectionis causâ veniant, relictis armis ante refectorium. Et si necesse fuerit ad opera facienda ibi laici homines. . . At ubi perfectum habuerint opus suum, cum summâ festinatione egrediantur foras. Et si coci Clerici desunt, & opus fuerit, ut laici coci, ad coccinandum tantùm ingrediantur, & expleto ministerio suo cum celeritate exeant foras.

CAPUT XIV.

De his, quæ à clero in nocte de lecto surgente primùm dicenda, atque operanda sunt.

Nocturnis horis cùm ad opus Divinum de lecto surrexit Clerus, primùm signum sibi sanctæ Crucis imprimat per invocationem Sanctæ Trinitatis: deinde dicat versum: *Domine labia mea aperies*, (m) *& os meum annuntiabit laudem tuam:* deinde Psalmum: *Deus in adjutorium meum intende*, (n) totum cum *Gloria:* & tunc provideat sibi corpoream necessitatem naturæ, & sic ad Oratorium festinet psallendo Psalmum: *Ad te Domine levavi animam meam*, (o) cum summa reverentia & cautela intrans, ut aliis orantibus non impediat; & tunc prostratus in loco congruo effundat preces in conspectu Domini, magìs corde, quàm ore, ità ut illius vox vicinior sit Deo, quàm sibi, ità dicendo: Gratias tibi ago omnipotens Pater, qui me dignatus es in hac nocte custodire: & deprecor Clementiam tuam, misericors Domine, ut mihi concedas, diem venturum sic peragere in tuo sancto servitio cum humilitate & discretione; qualiter tibi complaceat servitus nostra. Amen.

Et tunc omnes sint præparati stantes in loco suo, in choro, per ordinem; ut cùm novissimum signum cessaverit, cum summa humilitate & honestate referant laudes Deo, in conspectu Angelorum ejus. Et si alicui frequens tussis aut phlegma ex pectore aut naribus excrescat; post dorsum projiciat, aut juxta latus, cautè tamen & curiosè, ut infirmis mentibus non vertatur in nauseam: & semper, quod projicitur, pede conculcetur, ut cum ad orationem curvantur, vestimenta eorum non sordidentur. Et infrà Ecclesiam, & in omni conventu, seu & in portico, hoc observandum est, ut, quod spuitur, semper pedibus conculcetur.

CAPUT XV.

De Officiis Divinis in noctibus.

Hyemis verò temporibus, id est, à Kalendis Novembris usque in Pascha, juxta considerationem rationis, octavâ horâ noctis surgendum est: ut modicè ampliùs de mediâ nocte pausentur, & jam digesti ad vigilias surgant. Post finitas nocturnas dicunt versum: *Exultabunt Sancti in gloria.* (p) Ant. *Exultent justi in conspectu Dei.* (q) Deinde: *Kyrie eleison*, & orationem Dominicam: & faciant intervallum, excepto diebus Dominicis, & Festivitatibus Sanctorum, juxta considerationem Episcopi, vel qui sub eo est, id est, ut quadraginta, aut quinquaginta Psalmos possint cantare, secundùm quod visum fuerit, & hora permiserit; & qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserantur.

Et non præsumat aliquis in ipso intervallo dormire (nisi quem infirmitas cogat, & hoc per commeatum fiat) & qui aliter fecerit, excommunicetur. Reliqui omnes ordinem vigiliarum teneant usque ad Matutinas dictas. Et in ipso intervallo summum silentium fiat tam in voce, quàm in actu, vel incessu, seu sono alicujus rei, ut liceat unicuique absque alterius inquietudine peccata sua cum gemitu & suspirio, & lacrymis Domino confiteri, & veniam vel remissionem pro ipsis ab omnipotente Domino orando & petendo postulare.

CAPUT XVI.

De Vigiliarum antiquitate.

Antiqua est Vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus Sanctis. Isaias dicit: *De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus* (r): Item David: (s) *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.* Hoc namque tempore vastator Angelus transiens primogenita Ægyptiorum percussit; unde & nos vigilare oportet, ne periculis Ægyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis venturum se esse, in Evan-

(m) Psal. L. 16. (n) Psal. LXIX. (o) Psal. XXIV. (p) Psal. CXLIX, 5.
(q) Psal. LXVII, 4. (r) Isai. XXVI. (s) Psal. CXVIII.

Evangelio Salvator asserit, unde ad vigilandum auditores suos exsuscitans, dicit: *Beati Servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* (t) *Et si vespertinâ horâ,* inquit, *venerit, & si mediâ nocte, & si galli cantu, & invenerit eos vigilantes, beati sunt quidem servi illi. Itaque & vos estote parati, quia nescitis, quâ horâ filius hominis venturus est.* Siquidem nec verbis solùm docuit vigilias, sed etiam confirmavit exemplo. Nam testatur Evangelium: Quia *erat Jesus pernoctans in oratione Dei.* (u) Paulus quoque & Silas in custodia publica, circa medium noctis orantes, hymnum audientibus cunctis vincti dixisse memorantur: ubi repentè terræ motu facto, & concussis carceris fundamentis, & januis sponte apertis, omnium vincula sunt soluta.

Unde oportet his horis psallendi, orandíque frequentiam nos in Sanctis habere officiis, finémque nostrum vel si advenerit, sub tali actu exspectare securi. Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas æstimantium sacras Vigilias, dicentium, noctem esse factam ad requiem, sicut diem ad laborem. Hi hæretici græco sermone Nyctages, id est, somniculosi vocantur.

CAPUT XVII.

De Matutinis.

De Matutinorum antiquitate & authoritate David dicit: *In matutinis meditabor in te,* (x) *quia fuisti adjutor meus.* Et alibi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* In novo testamento, ex illo tempore, quo Dominus noster JESUS Christus in Bethleem nasci dignatus est, matutinæ solemnitatis officium per universum mundum celebrari invaluit. Matutinâ autem luce radiante Dominus & Salvator noster ab inferis resurrexit: siquidem & eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cùm justi, quasi à sopore somni resurgentes, vigilabunt.

CAPUT XVIII.

De Horâ primâ.

Convenientes Cleri ad primam canendam in Ecclesia, completo officio ipso, ante Psalmum quinquagesimum, donent confessiones suas vicissim, dicentes: Confiteor Domino, & tibi, Frater, quòd peccavi, in cogitatione, & loquutione, & opere; propterea precor te, ora pro me. Et ille respondet: Misereatur tuî omnipotens Deus, & indulgeat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet te in omni bono, & perducat te ad vitam æternam. Et ille dicit: Amen. Supplici corde certatim pro se orantes, hoc sibi faciunt. Hoc expleto conveniant ad Capitulum quotidie. Et ex istâ institutione, quam propter illorum utilitatem, Deo auxiliante, fecimus, in unoquoque die aliquod capitulum præter diem Dominicam, quartam & sextam feriam, & solemnitates Sanctorum, in quibus tractatus, & alias homilias, vel quod ædificet audientes, relegant. Et ideo quotidie ad capitulum omnes Cleros venire constituimus, ut anima verbum Dei audiat, & Episcopus, vel Archi-Diaconus, vel qui in loco illorum præesse videtur, ibidem quod jubere habet, jubeat, & quod corrigere, corrigat, & quod faciendum sit, ordinare studeat.

Post lectionem recitantur ætas mensis, & lunæ, & nomina Sanctorum, quorum festa crastinus excipiet dies, & postea pariter dicunt versum: *Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* (z) Quem sequatur oratio à Priore, ità: *Ipsi & omnes Sancti Dei intercedant pro nobis peccatoribus ad Dominum, ut mereamur possidere vitam æternam. Amen.* Deinde dicatur versus: *Deus in adjutorium meum intende,* tribus vicibus, Priore incipiente, & cæteris respondentibus; subjungentes: *Gloria Patri &c.* Et postea: *Kyrie eleison,* & oratio Dominica. Deinde, *Et ne nos inducas in tentationem, &c. Et veniat super nos. &c. Respice in servos tuos,* (a) pariter usque in finem Psalmi, subjungentes: *Gloria.* Deinde Prior dicit: *Dirigere & sanctificare & custodire digneris, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, hodie corda & corpora nostra, & sensus nostros in viâ, & in lege tuâ, & in operibus mandatorum tuorum: & pedes nostros dirige in viam pacis, in viam salutis, in viam justitiæ tuæ, ut hîc & in perpetuum, te adjuvante salvi esse mereamur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.* Deinde: *Adjutorium nostrum* &c. Respondent alii: *In nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Post hæc, qui culpabilis est, postulet veniam, & secundùm modum culpæ judicium recipiat. Quisquis verò veniam

(t) Luc. XII. (u) Luc. VI. (x) Psal. LXII. (y) Psal. CXVIII.
(z) Psal. CXV. (a) Psal. LXXXIX, 16.

veniam postulat pro culpâ, quantum plùs se humiliat, & se culpabilem asserit, tantùm misericorditer & leviùs à Priore judicetur: necesse est enim, ut omnes nostræ negligentiæ, id est, cogitationum, linguæ, vel operis in præsenti vitâ per veram confessionem & humilitatem semper judicentur, & non post mortem reos nos faciant.

CAPUT XIX.

De opere manuum quotidiano.

Surgentes à Capitulo vadant aut simul, aut separatim ad opus sibi injunctum, ùt ratio præstat, custodientes silentium, decantent Psalmos suos aut bini, aut singuli, juxta quod congruum est, nihil aliud loquentes, nisi fortè de ipsa arte necesse fuerit dicere cautè, & quando incœperint opus suum, dicant: *Benedictus es Domine Deus, qui adjuvisti me, & consolatus es me, Amen. Misereatur nostri omnipotens Deus, Amen.* Et quando opera communia non est necesse facere, unusquisque quod opus habet, faciat: quia otiositas inimica est animæ.

CAPUT XX.

De horis diei.

Horam tertiam, & sextam, & nonam, Daniel & tres pueri supplicationibus Domini devoverunt. Scilicet, ut ab eo ortu diei in tempus supplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reverentiam declararent. In hora tertia Spiritus Sanctus descendit super Apostolos. In sexta hora Christus passus est. In nona hora emisit Spiritum.

CAPUT XXI.

De horâ vespertinâ.

Vespertinum diurni finis officium, sequitur & diurnæ lucis occasus: cujus ex veteri testamento solemnis est celebratio. Testis est David, qui dicit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* (b) *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In novo Testamento, eodem tempore Dominus & Salvator noster cœnantibus Apostolis mysterium corporis & sanguinis sui tradidit. His temporibus in honore, ac memoria tantorum Sacramentorum adesse nos decet DEI conspectibus, & personare in ejus cultibus & laudibus.

CAPUT XXII.

De Completis.

De Completis celebrandis in Patrum invenitur exemplis, David dicente: *Si ascendero in lectum strati mei* (c) *si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Nos autem si locus Domini esse volumus, & tabernaculum, & templum ejus cupimus haberi, exempla Sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur, quod legitur: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* (d)

CAPUT XXIII.

De recepto silentio post completum.

Expleto Completo summum silentium fiat, & orationes secretè fiant cum recordatione peccatorum: & postea gratias agant Deo, dicendo: Gratias ago tibi Domine, sanćte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die custodire: per tuam sanctam misericordiam concede mihi, hanc noctem mundo corde & corpore sic pertransire; qualiter manè surgens, gratum tibi servitium exolvere possim, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et cum magna cautela ambulent in Ecclesiâ, & in Dormitorio, & cùm ad proprium stratum venerint, dum se collocaverit Clerus, dicat Psalmum: *Deus in adjutorium meum intende*, totum cum *Gloria.* Et post dicat Versum: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* (e) Sicut manè surgens, postulavit sibi labia à Domino aperiri, sic requiescens roget poni ori suo à Domino custodiam.

CAPUT XXIV.

De eo, quod horas canonicas Canonici religiosè observare debent.

Studeant summopere Canonici, prædictas horas vigilantissimâ curâ custodire, & in his Divinum officium humiliter, ac devotè persolvere: mox enim, ùt auditum fuerit signum, festinanter ad Ecclesiam convenient, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, sic tamen, ut non pereant: & si longè ab Ecclesia aliquis fuerit, ut ad opus Dei per horas Cano-

(b) Psal. CXL. (c) Psal. CXXXI, 3. (d) Psal. LXXV. (e) Psal. CXL, 3.

nicas occurrere non possit, agat opus Dei cum tremore Divino, ubi tunc fuerit. Et prævideat custos Ecclesiæ, ut illa signa horis competentibus sonentur. Et caveant Canonici, ut non pompaticè, aut inhonestè, aut incompositè, aut superbè intrent, aut stent, aut sedeant, in Ecclesiam.

CAPUT XXV.

De diligentia psallendi.

Ubique credimus Divinam esse præsentiam, & oculos Domini speculari bonos & malos, maximè tamen hoc sinè aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus Divinum assistimus: ideo semper memores simus, quod ait Propheta: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* (a) Et iterum: *Psallite sapienter.* (b) Et: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* (c) Ergo consideremus, qualiter oporteat in conspectu Divinitatis & Angelorum ejus esse, & orare; & sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. Nam si cum bonis hominibus vel potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate & reverentia; quantò magis Dominus universorum à nobis cum humilitate & puritate supplicandus est?

CAPUT XXVI.

De eo, quòd non pompaticè standum est in Ecclesia.

Mox autem audito signo omnes Canonici festinent ad Ecclesiam, & non pompaticè, aut inhonestè, vel incompositè, sed cum Dei timore ingrediantur eam. Nec cum baculis, aut camputis, aut fustibus in choro, exceptis debilibus, sed religiosè illis standum & psallendum est. Sunt enim quidam Clericorum, qui in sæcularibus negotiis & disceptationibus penè totum infatigabiliter deducunt diem, & mox ut Ecclesiam ad Divinum officium peragendum intraverint, ità fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant, sed potiùs sedentes, non Divinis, sed vanis solent instare loquelis, & sæcularia verba, & (quod dictu nefas est) turpia & obscœna invicem proferunt. Oportet námque, ut ab his, qui id faciunt, & ab illis, qui eos fortè imitari volunt, iste execrabilis usus radicitùs evellatur; secundùm sententiam Domini dicentis: *Domus mea, Domus orationis vocabitur.* (d)

CAPUT XXVII.

De proficiscentibus in itinere.

Quicumque ex Clero in itinere cum Episcopo, vel cum alio proficiscuntur, ordinem suum, in quantum iter, vel ratio permiserit, non negligant. Et non eos debent præterire horæ constitutæ tam de officiis Divinis, quàm aliunde.

CAPUT XXVIII.

De his, qui in quibusdam levioribus culpis delinquunt.

Si quis ex Clero ad opus Dei vel ad mensam tardè occurrit, aut pro aliqua causa senior suus psalmodiam vel missas cantare ordinaverit, & hoc minimè impleverit: & si fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliquid excesserit; & non veniens continuò ante Episcopum, aut ante eos, qui sub eo sunt, ipsi ultro satisfecerit, vel celaverit delictum suum; dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi; nam si ipse spontè confessus fuerit, leviori subjaceat emendationi, secundùm modum culpæ: qui modus correptionis in Episcopi, aut in illius judicio, qui sub eo est, pendeat?

Qui in levioribus culpis deprehensus fuerit, in illa die privetur à mensæ participatione, & in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat, nec lectionem recitet. Refectionem cibi post Clerorum refectionem accipiat, ut si verbi gratiâ Cleri reficiunt horâ sextâ, ille nonâ: si Cleri nonâ, ille vesperâ.

CAPUT XXIX.

De gravioribus culpis.

Si quis Clerus in ordine Canonico gravioris culpæ crimen commiserit, id est, homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his similia, ex principalibus vitiis, corporali castigationi subjaceat primitùs. Deinde quanto tempore voluerit Episcopus, vel qui sub eo sunt, carcere vel exilio puniatur, sciens illam terribilem sententiam Apostoli Domini dicentis: *Tradere hujusmodi hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* (e) Et dum in ipso carcere fuerit, nullus ei ex Clero in ullo jungatur consortio, neque in colloquio, nisi cui Prior jusserit;

O

(a) Psal. II. (b) Psal. XLVI. (c) CXXXVII. (d) Matth. XXI. (e) I. Cor. V.

rit; & hic folus perfiftet in pœnitentia luctuum, quamdiu Priori vifum fuerit.

Egreffus de carcere, fi Epifcopo, vel his, qui fub eo funt, vifum fuerit, agat adhuc publicam pœnitentiam, id eft, fufpendatur ab oratorio, fimul & à menfâ; & omnibus horis Canonicis veniat ante oftium Ecclefiæ, ubi Prior jufferit, jacens proftrato omni corpore fuo, ante ipfum limitem Ecclefiæ, ufque dum ingrediuntur omnes, & poftea erigit fe, ftet foras Ecclefiæ ante ipfum oftium, & impleat ibi officium fuum in quantum poteft; & jacens, vel ftans ante ipfum limitem, cum nullo homine. Egredientibus de Ecclefia, fimiliter proftratus jaceat, ufque ad dum omnes fuerint egreffi foras.

De abftinentia quamdiu vel qualiter Epifcopo, vel his, qui fub eo funt, vifum fuerit, menfurâ, vel horâ, quâ ei viderint competere, neque à quoquam benedicatur, ufque dum reconcilietur.

CAPUT XXX.

De Reconciliatione pœnitentis capitale crimen.

Ordo pœnitentiam agentis publicam hic eft: Sufcipies eum quartâ feriâ manè in capite quadragefimæ, id eft *in capite jejuniorum*, & cooperies eum cilicio, & orabis pro eo; & includes eum ufque in cœnam Domini: qui eodem die præfentetur in gremio Ecclefiæ, qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante Epifcopum, vel Clerum, cum omni humilitate proftrato omni corpore fuper terram ante abfidiam, petat ab omnibus veniam, & Epifcopus, vel qui fub eo eft, det orationes fuper eum ad reconciliandum in quinta feriâ cœnæ Domini.

CAPUT XXXI.

De Confeffionibus.

Hortatur nos Scriptura dicens: *Revela Domino viam tuam,* (f) *& fpera in eum.* Item dicit: *Confitemini Domino, quoniam in fæculum mifericordia ejus.* (g) Item: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuftitias meas non abfcondi.* (h) Item: *Confitebor adverfùs me injuftitias meas Domino, & tu remififti impietatem peccati mei.* (i) Et iterum: *Confitemini alterutrum peccata* (k) *veftra*, & deleantur. Et alibi: *Qui abfcondit fcelera fua,* (l) *non dirigetur: Qui autem ea confeffus fuerit, falvabit animam ejus à morte:* Et Dominus in Evangelio ait: *Agite pœnitentiam,* (m) *appropinquavit enim Regnum Cælorum.* Neceffe eft, ut dum modò fuadente diabolo multa contra voluntatem & præceptum Dei commifimus, per veram humilitatem & confeffionem emendemus pœnitentes, ficut Sancti Patres conftituerunt; & deinceps cùm aliqua cogitatio mala in cor, fuadente diabolo, venerit, citò Epifcopo, vel Priori confiteatur; ut per veram confeffionem & pœnitentiam, Regnum Dei habere mereamur. Nimis enim improbus eft, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubefcit.

CAPUT XXXII.

Ordo ad Pœnitentiam accipiendam, & confeffionem faciendam.

Hæc eft oratio Pœnitentiæ & Confeffionis noftræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ funt, id eft, in uno quoque anno tribus vicibus, id eft, in tribus quadragefimis populus fidelis fuam confeffionem fuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, meliùs faciat. Monachi in unoquoque Sabbato confeffionem faciant cum bona voluntate, Epifcopo, aut Priori fuo. Quando volueris confeffionem facere peccatorum tuorum, viriliter age, & noli erubefcere, quia inde venit indulgentia, & finè confeffione non eft indulgentia.

Imprimis profterne te humiliter in confpectu Dei in terra ad orationem, & roga Beatam Mariam cum Sanctis Apoftolis & Martyribus, & Confefforibus, ut ipfi intercedant pro te ad Dominum, & Deus omnipotens dignetur tibi dare fapientiam perfectam, & fcientiam, & intelligentiam veram, ad confitendum peccata tua. Et poftea furge cum fiducia, & vera credulitate, & dic illi: Serve Dei, credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ?

Refpond. Credo.

Interrog. Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?

Refpond. Credo.

Interrog. Credis, quòd iftæ tres Perfonæ, quomodo diximus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tres Perfonæ fint, & unus Deus?

Refpond.

(f) Pfal. XXXVI, 4. (g) Pfal. CV, 1. (h) Pfal. XXXI, 5. (i) Ibid. 6. (k) Jacob. V, 16. (l) Prov. XXVIII, 13. (m) Matth. III, 2.

Respond. Credo.

Interrog. Credis, quòd in ipsa carne, in qua nunc es, recipere habes, quod egisti, & quod egeris, sive bonum, sive malum?

Respond. Credo.

Interrog. Credis resurrectionem, & vitam æternam esse tibi post mortem?

Respond. Credo.

Interrog. Vis dimittere omnia mala illis omnibus, qui in te peccaverunt; ut Deus tibi dimittat omnia peccata tua? dicente eodem Domino in Evangelio: *Si remiseritis hominibus peccata eorum, remittentur vobis peccata vestra.*

Respond. Volo.

Et postea require eum diligenter, si sunt secum opera mala, quæ separant hominem (ùt ait Apostolus) à regno Dei. Hæc sunt mala cogitatio, malus sermo, & otiosus, odium, invidia, detractio, maledictio, convitium, turpiloquium, scurrilitas, dissimulatio, adulatio, murmuratio, cupiditas carnalis, elatio, desidia, pigritia, inhonoratio, bonorum inhonoratio, cognatorum inhonoratio, dierum Dominicorum & Sanctorum solemnitatum ignorantia, iracundia, avaritia, falsa testificatio, somnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietas, comessatio, fornicatio, adulterium, sacrilegium, superbia, perjurium, furtum, homicidium, & his similia. Et postquam confessus fuerit sua peccata, si vult dimittere ea, da ei pœnitentiam, & si non vult, non da ei pœnitentiam, quia non potes: & si vult dimittere ipsa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere: *Multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus;* tunc da illi pœnitentiam canonicè mensuratam; & postea effunde super eum orationes & preces.

Cavendum est utique, ne hi, qui in gravibus peccatis incidunt, & hi, qui in levioribus quibusdam delinquunt: æqualiter judicentur: sed secundùm morbum adhibenda est medicina.

CAPUT XXXIII.

De Excommunicatione culparum.

Si quis Clericus contumax, aut inobediens, aut superbus, aut ebriosus, aut detractor, aut rebellis, aut bilinguis, aut fornicator, aut contradictor, aut contentiosus, aut raptor, aut fur, aut murmurator, aut increpator, aut indicti jejunii transgressor, aut juxta crucem standi & adorandi contemptor, aut in aliquod contrarium sistens, aut præceptis Episcopi, vel eorum, qui sub eo sunt, contemptor fuerit, & suâ voluntate veniam non petierit, hic secundùm Domini præceptum admoneatur, semel & bis, & ter secretò à senioribus suis; & si se non emendaverit, objurgetur publicè coram omnibus.

Si verò neque sic se correxerit, excommunicationi subjaceat. Si autem improbus est, aut minùs intelligens, aut incorrigibilis, vindictæ corporali subdatur.

CAPUT XXXIV.

De Quadragesimæ Observationibus.

Licèt omni tempore vita Christianorum simplex debeat esse & sobria: maximè tamen religiosis mentibus convenit, ut his diebus continentiùs vivant, & sedulâ servitute adhærere Deo contendant. Ideóque decernimus, ut in illis quadraginta diebus ante Pascha cum omni puritate mentis & corporis noster Clerus, Deo jubente, in quantum poterit, se custodiat. De cibi autem & potûs perceptione, in quantum Deus auxilium dederit, parcitatem habeat; id est, ut quotidie, exceptis diebus dominicis, à capite Quadragesimæ, usque ad Pascha sanctum, post dictam Vesperam in Refectorio reficiat, & ab illis cibis se abstineat, vel potu, sicut Episcopus, vel qui sub eo sunt, cum ratione constituerint. Et alibi neque in ipsa Civitate, neque in Monasteriis, neque in quibuslibet locis, neque in Domibus propriis, his quadraginta diebus reficiant, nisi ubi horâ competente ad cibum suum accipiendum, pro utilitatis causâ longè fuerint, & adesse cum fratribus non potuerint.

Lectioni verò Clerici in his quadraginta diebus, exceptis diebus Dominicis suis, à Primâ dictâ usque ad Tertiam plenam vacent, & foras claustra, nisi necesse fuerit, non egrediantur; nisi Episcopus, vel qui sub eo est, judicaverit, ut fiat, quod fiendum est. Et post Tertiam tunc temporis Capitulum habeant; & postea faciant, quod congruum fuerit, sive in legendo, sive in operando.

CAPUT XXXV.

De temporibus, in quibus semel aut bis in die Clericis reficiendum est.

A Pascha autem usque ad Pentecosten bis in die Canonici reficiant, & carnem manducandi licentiam habeant (nisi pœnitentes) præter tantùm quartam, sextámque feriam.

A Pentecoste verò usque ad nativitatem Sancti Joannis Baptistæ, similiter bis in die reficiant, & carne abstineant. A Nativitate verò Sancti Joannis usque ad transitum Sancti Martini, sicut antea bis in die reficiant, quartâ & sextâ feriâ à carne abstineant.

Ab ipso transitu Sancti Martini usque ad Natalem Domini à carne omnes abstineant, & usque ad nonam jejunent, & omnibus his diebus in refectorio reficiant. Et post Natalem Domini usque ad caput quadragesimæ secundâ & quartâ, & sextâ feriâ in refectorio ad nonam reficiant. Reliquis his diebus duabus vicibus in refectorio reficiant; carne verò quartâ & sextâ feriâ his temporibus abstineant. Et si dies festus in his diebus feriis talis venerit, si permiserit Prior, carnem manducent, pro infirmitate.

CAPUT XXXVI.

De Festivitatibus Sanctorum.

Illud intimare complacuit, ut nos & Clerus noster, festivitatibus Domini, & Sanctæ Mariæ, vel duodecim Apostolorum, seu reliquorum Sanctorum, quorum usus est in ista Provincia, annis singulis celebrare (in quantum Deus possibilitatem dederit) officium Divinum die noctúque procuremus. Et Episcopus, vel qui sub eo est, in Nativitate & Epiphaniâ Domini & Pascha, & clauso Paschæ, & Ascensione Domini, & Pentecoste, & festivitatibus Sanctorum Provinciæ suæ in domo suâ ad ipsos Cleros refectionem faciat, si præsens est: si absens est, his diebus tunc in refectorio habeant refectionem sufficienter, sicut superiùs scriptum est. Et postquam de refectorio exierint, in caminadâ bibant duabus vicibus, aut tribus: qualiter consolatio sit, & ebrietas non dominetur.

Aliis verò diebus festis, sicut moris est Ecclesiæ, juxta quod meliùs Prælati possunt, Clericis suis cibum potúmque ministrent. Et illud interea caveant Prælati, ne id, quod dare debent, aut possunt, qualibet dissimulatione, aut tenacitate subditis subtrahant; ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac se turpibus implicari negotiis cogantur; relictóque Ecclesiastico Officio, incipiant indisciplinatè vivere, & propriis voluptatibus deservire: & Prælati, qui eis necessaria largiendo à Domino remunerari poterant, districtè & severè judicentur.

CAPUT XXXVII.

Ut non præsumat aliquis alterum cædere, aut excommunicare.

Vitetur in hoc ordine Canonico omnis præsumptionis occasio, id est, ut nulli liceat quemquam parem suum excommunicare aut cædere, quamvis aliquis suâ præsumptione ipsum ad hoc incitet: non est suum advindicare, aut in verbis aut in factis; sed ad Priorem veniat, & ille secundùm ordinem ipsam causam definiat. Et qui hoc facere præsumpserit, ab Episcopo, vel ab eo, qui sub eo est, judicetur.

CAPUT XXXVIII.

Ut in Congregatione Canonicorum nulli liceat alterum defendere.

Omnibus modis cavendum est, ut pro nullâ occasione: alter præsumat alium defendere: nec quasi parentelæ obtentu, aut aliquâ amicitiâ, aut familiaritate id à Canonicis præsumatur; quia gravis occasio scandalorum in congregatione ex hac causâ solet oriri. Quod si quis transgressus fuerit, à Priore acriùs coërceatur, ut cæteri timorem habeant.

CAPUT XXXIX.

De Zelo bono, quem debent servi Dei habere invicem.

Sicut est Zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & deducit ad infernum; ità est Zelus bonus, qui separat à vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo Zelum ferventissimo amore exerceant servi Dei: id est, ut honore se præveniant invicem, & infirmitates suas sive corporum sive morum, patientissimè tolerent. Et si

qua

qua vitia reperta fuerint, reprimenda sunt, & castigatio adhibenda est, cum his à quibus hoc est commissum (ùt ait Apostolus) . . existant, qualiter vitia si orta fuerint, possunt destruere, & ad meliorem statum unumquemque provocare: quia scriptum est; *Qui diligitis Dominum, odite malum.* (a) *Nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Nam ille animam suam bene diligit, qui se custodit, & alios ad exemplum bonæ conversationis, & verbis & operibus trahit.

CAPUT XL.

De infirmis Canonicis.

Si aliquis ex Clero infirmatur, Episcopus, vel qui sub eo est, habeat maximam curam de illo: & caveat, nè negligatur infirmus; sed sicut reverà Christo, ità ei serviatur. Quibus infirmis sint mansiones deputatæ rationabiliter dispositæ, condignæ, aptæ, ubi esse possint; & sit unus ex Clero deputatus, timens Deum, qui circa infirmum curam gerat de omnibus necessitatibus ejus: & habeat solatium, si opus est, juxta quod constituerit Prior; & sciat, si bene ministraverit, gradum bonum sibi à Deo acquiri.

Sed & ipse infirmus consideret in honore Dei sibi serviri, & non superfluitate suâ contristet servientem sibi. Et hoc indicendum est, quod infirmo licet omni horâ cibum & potum sumere, quando desideraverit, vel possit, si opportunè non possit.

CAPUT XLI.

De vestimentis & calceamentis Clericorum.

Illa dimidia pars Cleri, qui seniores fuerint, annis singulis accipient cappas novas, & vestes laneas novas, & veteres quas præterito acceperunt, semper reddant, dum accipiunt novas. Et alia pars dimidia Cleri illas cappas & vestes veteres, quas illis seniores sui singulis annis reddunt, accipiant. Et illi seniores illas cappas & vestes, quas reddere debent, non commutent. Et unusquisque Cleri senioris annis singulis tres campsiles accipiunt; & unusquisque Cleri junioris annis singulis duas campsiles accipiunt. Calceamenta verò omnis Clerus annis singulis, pelles buccinas, & solas, paria quatuor accipiunt. Et vestimenta in transitu Sancti Martini, & campsiles in Pascha, & calceamenta in Kalendis Septembribus habeant.

CAPUT XLII.

De Eleëmosynis accipiendis.

Si aliquis uni Sacerdoti pro Missâ suâ, vel pro Confessione, aut Clerico pro Psalmis & Hymnis, seu pro se ipso, seu pro quolibet caro suo, aut vivente aut mortuo, aliquid in eleëmosynâ dare voluerit; hoc Sacerdos, vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde, quod voluerit, faciat. Si autem à tribuente ad omnes Sacerdotes aliquid in eleëmosynâ datum fuerit, hanc eleëmosynam communem habeant, & psalmodiam, vel missas pro illo misericorde faciant.

CAPUT XLIII.

De mensurâ Sacerdotibus de eleëmosynis accipiendâ, faciendâ.

Nimis grave eis esse existimamus, si tam ingentium onera peccantium solis illis Sacerdotibus contigerit portare, quia faciliùs Dei misericordiam plures impetrant, quàm unus, quia unusquisque de propriâ conscientiâ suâ debet metuere, quantò magis de alienis peccatis, supra vires non debet sibi sarcinam peccatorum cumulare.

CAPUT XLIV.

De cura, quam in populo sibi commisso debent habere Clerici.

Cavendum nobis est, ne in periculum per nostram negligentiam, & ità dixerim, absque baptismo, & confirmatione, & confessione & prædicatione, in quadam securitate positus incurrat noster populus. Unde constituimus, ut bis in mense per totum annum, de quinto decimo, in quinto decimo, verbum salutis ei prædicetur; qualiter ad vitam æternam, Deo auxiliante, perveniat. Et si omnibus Festis & Dominicis diebus assidua fuerit prædicatio, utilior est: & juxta quod intelligere vulgus possit, ità prædicandum est.

CAPUT XLV.

Cui committi debeant stipendia pauperum?

Evangelicis atque Apostolicis instruimur

(a) Psal. LXXXXV, 10.

mur documentis, in colligendis hoſpitibus; & ideo ante omnia operam debere dare, ut meritò de nobis à Domino dicatur: *Hoſpes fui, & collegiſtis me.* (b) Proinde oportet, ut Prælati Eccleſiæ, præcedentium Patrum Exempla ſectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus Eccleſiæ tantum ibidem deputent, unde ſumptus neceſſarios juxtà poſſibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Eccleſiæ villis ibidem conferuntur. Sed & Canonici tam de frugibus, quàm etiam de omnibus eleëmoſynarum oblationibus, in uſus pauperum decimas libentiſſimè ad ipſum conferant hoſpitale. Et boni teſtimonii frater conſtituatur, qui hoſpites, & peregrinos mendicantes, utpote Chriſtum in illis ſuſcipiat, eiſque neceſſaria libenter pro viribus adminiſtret: qui etiam ea, quæ in uſus pauperum cedere debent, nequaquam in ſuos uſus reflectat; nè cum Juda loculos Domini furante ſententiam damnationis excipiat.

Et Prælati cavere debent, ne curam pauperum parvi pendant. Et Clerici, ſi aliis temporibus nequeunt, ſaltem quadrageſimali tempore, pedes pauperum in competenti lavare debent hoſpitali, juxta illud Evangelicum: *Si ergo Dominus & Magiſter lavi vobis pedes,* (c) *quantò magis vos debetis alter alterius lavare pedes*, & cætera. Quapropter expedit, ut in competenti loco hoſpitale ſit pauperum, ubi perfacilis ad illud veniendi conventus fieri poſſit fratrum. Quòd ſi is, cui hoſpitale commiſſum eſt, curam pauperum neglexerit, eorúmque res in ſuos uſus retorſerit; quanquam Divinâ ultione dignus ſit, ſeveriùs tamen, quàm cœteri delinquentes, à Præpoſitis judicandus, & à miniſterio removendus: nec immeritò; quippe qui & pretia peccatorum, & alimenta pauperum, & theſaurum cœlo recondendum, ſuis aptavit uſibus.

CAPUT XLVI.
De Præpoſitis.

Quamvis omnes, qui præſunt, Præpoſiti ritè dicantur, uſus tamen obtinuit eos vocari Præpoſitos, qui quamdam prioratûs curam ſub aliis Prælatis gerunt. Hi tamen, qui juxta morem hunc Præpoſiti vocantur, tales & tam ſtrenui conſtituendi ſunt, qui vitæ probabilis ſint, & ea, quæ ſibi injuncta ſunt, fideliter, humiliterque expleant, & pro eo, quòd aliis Prælati ſunt, nequaquam parvi pendant canonica inſtituta; ſed quantò plùs implicantur in fratrum curis, tantò magis ſtudeant cœleſtibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi utiles eſſe, & de miniſterio ſibi commiſſo fideliter prodeſſe; Ea verò, quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fideli adminiſtratione gradum bonum ſibi acquirant.

CAPUT XLVII.
Quales vice Prælatorum in congregatione fungi debeant.

Oportet Eccleſiæ Prælatos, ut de congregatione ſibi commiſsâ tales eligant, boni teſtimonii fratres, in quibus onera regiminis ſecurè poſſint partiri. Quibus etiam talem conferant dignitatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes canonicâ cenſurâ corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare. Non conſtituendi ſunt perſonaliter, aut eo ordine, quo in collegio fratrum admiſſi ſunt, ſed ſecundùm vitæ meritum, & ſpiritualium donorum prærogativam: qui & in congregatione aſſidui ſint, & fratrum curam pervigili ſtudio gerant: & ſicut alios præcedunt Magiſterio, ità nimirum innocentis vitæ informent exemplo, ut juxta Apoſtolum, exemplo ſint cæteris in verbo, in converſatione, in charitate, in fide & caſtitate &c.

Qui etiam, ſi prioratûs ſui causâ intumeſcere cœperint, & curæ fratrum nihil propenderint, & ſi crebrò incorrigibiles exſtiterint; à miniſterio propellantur, aliíque in loco illorum, qui ſtrenuè peragere poſſint, conſtituantur.

CAPUT XLVIII.
De pueris nutriendis, cuſtodiendíſque.

Solerter Rectores Eccleſiarum vigilare oportet, ut pueri & adoleſcentes, qui in congregatione ſibi commiſſa nutriuntur, vel erudiuntur, ità jugibus Eccleſiaſticis diſciplinis conſtringantur; ut eorum laſciva ætas, & ad peccandum valde

(b) Matth. XXV, 35. (c) Joan. XIII, 14.

valde proclivis, nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in hujusmodi custodiendis, & spiritaliter erudiendis, talis à Prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summâ gerat industriâ, eósque ità arctissimè constringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritalibus induti, & Ecclesiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque dignè possint promoveri.

Libuit præterea ob ædificationem congruam, & instructionem, negotii, de quo agitur, quamdam Sanctorum Patrum sententiam huic operi inserere, quæ ità se habet: " Prona est enim omnis " ætas ab adolescentia in malum. Quis" quis autem in Clero puberes, aut ado" lescentes existunt, omnes in uno con" clavi atrii commorentur, ut lubricæ " ætatis annos, non in luxuriâ, sed in " disciplinis Ecclesiasticis agant, depu" tati probatissimo seniori, quem & Ma" gistrum doctrinæ, & testem vitæ ha" beant, & cœtera." (*) His ità præmissis, oportet, ut probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater verò, cui hæc cura committitur, si eorum curam parvi penderit, & aliud, quàm oportet, docuerit, aut his aliquam cujuslibet læsionis maculam ingesserit; severissimè correptus ab officio amoveatur, & fratri alii hi committantur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet.

CAPUT XLIX.

Ut omnes Canonici ad Completorium conveniant.

Expletis religiosissimo obsequio horis competentibus diurnis officiis, ab omnibus Canonicis, dato signo, devotissimè ad Completorium veniendum est, incipiente nocte: quo Completo non oportet, ut epulis, & potationibus, vanísque inserviant loquelis; sed his penitùs postpositis humiliter & honestè; dormitorium petant, & nequaquam duo in uno lecto, sed singuli in singulis lectis quiescant. Lucerna quoque in eodem dormitorio noctis tempore jugiter ardeat. Nihil denique inhonestum, aut indecens in dormitorio geratur ab aliquo: nec quispiam aliquem inquietare præsumat, nec ad verba inutilia, & otiosa prorumpere cogat. Hujus Capituli contemptor specialiter à Prælatis & Magistris severissimè corripiatur.

CAPUT L.

De Cantoribus.

Studendum sumopere Cantoribus est, ne donum sibi divinitus collatum vitiis fœdent, sed potiùs illud humilitate & sobrietate, & castitate, & cœteris Sanctarum virtutum ornamentis exornent: quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam, amorémque cœlestium non solùm sublimitate verborum, sed etiam suavitate sonorum, quæ dicantur, erigat. Cantorem autem, sicut traditum est à Sanctis Patribus, & voce & arte præclarum, illustrémque esse oportet, ità ut oblectamento dulcedinis animos incitet audientium, &c. Cantores itaque non propter donum sibi collatum se cæteris superbiendo præferant, sed humiliter socios exhibeant. Et providendum est illis, quando temperatè, quando submissè Divinum agatur officium; scilicet ut secundùm numerum Clericorum, & officii qualitatem, & temporis prolixitatem tantùm protendant, & voces moderentur cœterorum. Sonum etiam vocalilium Literarum benè, & ornatè proferant.

Hi verò qui hujus artis minùs capaces sunt, donec erudiantur meliùs, convenit ut sileant, quàm cantare volendo, quod nesciunt, aliorum voces dissonare compellant. Psalmi namque in Ecclesia non cursim, aut in excelsis, atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed planè & lucidè cum compunctione cordis recitentur: ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur: quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis officiis excelsâ soleat fieri voce, in recitandis tamen Psalmis hujuscemodi vitanda est vox.

Constituantur interea seniores fratres, probabilioris scilicet vitæ, qui tempore statuto vicissim cum Cantorum scholâ sint: ne hi, qui discere debent, aut otio vacent, aut inanibus, & supervacuis fabulis instent. Si verò Cantores superbi exstiterint, & artem, quam divinitiùs adjuti didicerint, aliis insinuare renuerint,

(*) Concil. Tolet. IV. C. 23.

nuerint; graviter, ac severè judicentur, ut emendati atque correcti, talentum sibi à Deo quidem collatum, aliis erogare procurent.

CAPUT LI.

Quales ad legendum & cantandum in Ecclesia constituendi sint.

Tales ad legendum, & cantandum, & Psallendum in Ecclesia constituantur, qui non superbè, sed humiliter, debitas Domino laudes persolvant, & suavitate lectionis, ac melodiæ doctos demulceant, & minùs doctos erudiant; plúsque velint in lectione, vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vanissimam adulationem. Qui verò hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à Magistris, & instructi hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent.

CAPUT LII.

Modus Correptionis.

Quamquam contemptores Canonicarum institutionum Episcopali præcipuè judicio plectendi sint, juxta modum culparum, ùt suprà retulimus, extendenda est correptionum. Et hæc omnia jure in Prælatorum pendent judicio, quo discretissimè temperanda sunt: necesse est enim, ut iidem Prælati circa delinquentes medici peritissimi imitentur factum, scilicet ut adhibitâ magnæ discretionis curâ, quid cuíque congruat, quìdve conveniat, adhibeant: summopere perpendentes, ut juxta quantitatem vulnerum, exhibeant fomenta curationum; quatenus nec alteri dent, quod noceat, nec alteri subtrahant, quod juvet.

Omissis igitur his, quorum ætati delinquenti parcitum non est, sed potiùs eorum latera, ne indurescant, virgis assiduè tundenda sunt; qualiter erga cœteros delinquentes juxta authoritatem Divinam, & Sanctorum Patrum exemplum, traditionésque id fieri oporteat, strictim brevitérque ostendatur.

Si quis frater in congregatione Canonicâ constitutus, horas Canonicas frequentare neglexerit, Ecclesiámque non religiosè, sed pompaticè, vel incompositè intraverit, & opus Dei negligenter exequutus fuerit, ad collationem venire distulerit, obedientiam à Magistro sibi injunctam agere recusaverit, in legendo & cantando, vel in cœteris Ecclesiasticis disciplinis, juxta vires studium non exhibuerit, ad mensam non necessitate, sed vitio, tardè occurrerit, è claustris sinè licentiâ exierit, per licentiam verò egressus extra constitutum sibi placitum moras fecerit, in plateis ire, aut in biviis residere tentaverit, in dormitorio aliquid indecens, aut inhonestum verbis, aut actibus perpetraverit, alicubi, nisi in dormitorio cum cœteris, absque causâ inevitabili dormire præsumserit: fratribus charitatis officio obedienter servire neglexerit, discordiam, quam Scriptura Dei detestatur, inter fratres seminaverit, & huic institutioni contumax, aut superbus, aut murmurans exstiterit, & cœtera hujuscemodi agere tentaverit; hic primò secundùm Domini præceptum non solùm, & secundò, & tertiò, quinimò crebriùs admoneatur; & si his admonitionibus non cesserit, publicâ objurgatione corripiatur. Quod & si his renisus fuerit, cœteris sibi alimentis interdictis, pane tantùm usque ad dignam satisfactionem utatur, & aquâ. Si verò nec sic correxerit, separetur à mensa & à societate fratrum, & à choro psallentium removeatur, & seorsim in loco hujuscemodi negligentibus à Prælatis constituto stare cogatur, ut saltem rubore sequestrationis emendetur.

Dein si his modis incorrigibilis exstiterit, & ætas permiserit, ut ait Salomon, *Stultus verbis non corrigitur*; (*d*) Congrua ei verberum adhibeatur castigatio, secundùm Beati Gregorii sententiam: „ Qui jubentis verba non audit, „ verberibus admoneatur; ut ad bona „ desideria pœnæ trahant, quem præ„ mia non invitant. „ Cœterùm si talis fuerit, quem aut ætas, aut qualitas personæ verberari non siverit, publicâ objurgatione & jejuniorum assiduâ afflictione, & sequestrationis rubore hujusmodi corripiatur, usque ad dum dignâ pœnitentiæ satisfactione veniam consequatur. Si verò uterque, & qui flagellatur, & quem flagellari ætas aut qualitas personæ prohibet, adhuc incorrigibiles exstiterint, sit locus intra claustra Canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, & secundùm modum culpæ castigentur, secundùm Apostolum: *Traditi Satanæ in inte-*

(*d*) Prov. XVIII, 2.

interitum carnis, (e) *ut spiritus salvus fit in die Domini.* Quòd si etiam tot saluberrimis admonitionibus & castigationibus necdum paruerint, fiat pro eis ab omni congregatione communis oratio, ut postremò sanentur à Domino. Si prorsus inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira serpant contagia; necesse est, ut à cœterorum societate, utpote oves morbidæ, separati, antè præsentiam deducantur Episcopi. Si verò quis in Collegio Canonicorum criminalem culpam admiserit, huic nulla est danda dilatio, quin aut sponte pœnitentiam pro admisso crimine gerat, aut si id agere resultaverit, coram Episcopo deducatur, ut ab eo publicâ multetur pœnitentiâ. Meminisse enim oportet Rectores, quòd columba in Divinis Scripturis Ecclesia appellata est, quæ non unguibus lacerat, sed alis piè percutit. Unde etiam illis summopere observandum est, ut sicut præmissum est, juxta modum culparum, & personarum, & ætatum, omnino ipsa correptio sit temperata, ut nec vitium desidiæ inolescat, nec correptio mansuetudinis modum excedat: ne (ùt ait B. Maximus) aut solutior lenitas cohibentium licentiam præbeat peccanti, aut immoderata severitas à lapsis non revocet delinquentem.

Sed & hoc illis nihilominùs cavendum est, ne errata delinquentium alicujus rei livore feriant, sed potiùs (ùt ait B. Augustinus) sint criminum persecutores, & hominum liberatores. Oderint vitia, diligant homines. Oderint, quod instinctu Diaboli ingestum est, diligant quod Dei bonitate creatum est. Teneant in manu baculum, & virgam: baculum videlicet, quo aliorum virorum imbecillitates spiritaliter sustentent: virgam verò, quâ vitia delinquentium zelo rectitudinis feriant. Interea delinquentibus excommunicatis fratribus, nequaquam debent cœteri fratres favere, aut eos suis adulationibus decipere, aut eorum errata defendere, sed potiùs opem ferre, ut æquitatis censurâ districtè corrigantur.

CAPUT LIII.

Ut Canonici cucullas Monachorum non induant.

Reprehensibilem apud plerósque Canonicos inolevisse comperimus usum, eo quòd contra morem Ecclesiasticum cucullas, quibus solis Monachis utendum est, induant, cùm utique illorum habitum penitus usurpare non debent, à quorum proposito quodammodo distant: quia sicut indecens est, ut arma militaria more Laicorum gestent, ità nimirum inhonestum, & valde indecorosum est, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. Habitus namque singulorum ordinum idcirco in Ecclesia ab invicem discreti sunt, ut his visis cujus propositi sit gestans, vel in qua professione Domino militet, liquidè cognoscatur: Nam & Domini lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere vestem; scilicet ut uterque sexus sibi conveniente veste indutus incedat: sicut enim turpe est, virum vestem muliebrem, & mulierem vestem virilem induere; ità valdè indecorum est, Canonicum vestem Monasticam induere; nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. Et quia hujuscemodi usus nullâ autoritate approbatur, sed potiùs ab his, qui sanum sapiunt, meritò reprehenditur & repudiatur; oportet ut ab hinc, ne fiat, penitus inhibitum sit.

CAPUT LIV.

Ut in cultu vestium discretionem teneant.

Quærere potiùs Deum cultu cordis, quàm corporis, evidentibus Scripturæ sanctæ patet indiciis. Proinde caveant Canonici, ne per immoderatum cultum vestium dehonestent Religionis dignitatem. Hieronymus dicit: " Sunt " quidam, quibus omnis cura de vestibus est, si benè oleant, si pes laxâ pelle non fluat. Crines Calamistri vestigio rotantur; digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis æstimato, quàm Clericos. " Inde dicit Gregorius: " Nemo æstimet in fluxu atque studio vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudâsset. Si cultus vestium culpa non esset, nequaquam Paulus Apostolus per epistolam fœminas à pretiosarum vestium appetitu compescerer,

(e) I. Cor. V. 5.

" ſceret, dicens: *Non in veſte pretioſa.* (f) " Unde oportet Canonicos ſanctæ authoritati parere, & humilitatem corde, mente, actu, habitu, inceſſu, æquitate religioſiſſimè demonſtrare: plúſque velint ſanctâ converſatione, eximiiſque moribus, quàm ornatu veſtium fulgere.

Decet porrò, ut eorum talis ſit veſtium cultus, qui vanitatis occaſione careat: non enim ſpecialiter præſumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus. Veſtes enim, & calceamenta, vel lectualia Clericorum, ex moderato & habitu competenti ſint, nec nimiùm nitida, nec plurimùm abjecta: nam ſicut inter ignem & aquam tenenda eſt via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; ſic inter apicem ſuperbiæ, & voraginem deſidiæ, iter noſtrum temperare debemus.

CAPUT LV.

Quòd à Prælatis gemina paſtio ſit ſubditis impendenda.

Solerter Prælatis ſatagendum eſt, ut eos, quibus præſunt, verbis & exemplis ad bene vivendum informent: fixóque corde tenendum, ne eos, quaſi proprios, ſed ut Domini ſui gregem tractare meminerint, juxta illud, quod Petro dicitur: *Si diligis me, paſce oves meas,* (g) inquit, non tuas. Et hoc ideo dicimus, quia ſunt nonnulli, qui oves Chriſti non amore Chriſti, ſed ſuæ gloriæ, vel dominationis, vel quæſtûs gratiâ paſcunt. Etenim terrena ſubſidia diligenter illis præbere, exempla virtutis ſimul verbo prædicationis debent ſollicitè impendere. Quapropter ſtudeat unuſquiſque Prælatus, ut familiæ Chriſti annonam ſpiritalem, carnalémque ſubminiſtret, ut effici mereatur ille Evangelicus ſervus, de quo dicitur: *Fidelis ſervus & prudens,* (h) *quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore.*

Ergo ſicut ſubditis neceſſaria corporis tribuunt, ità nihilominùs ſtudere debent, ut iidem religioſiſſimè ordinem ſervent, & Prælatis ſuis, ac Magiſtris honorem debitum ſimiliter impendant: ut horis Canonicis Divinum officium impleant, non otio vacent, non vaniloquiis inſerviant, non detractionibus & cœteris vitiorum illecebris incumbant; ſed potiùs aut orationi, aut lectioni, aut quibuslibet Eccleſiæ, aut certè propriis utilitatibus vacent, aut etiam doctrinis ſacris, & diverſarum artium erudiantur diſciplinis: ità videlicet, ut nullus in congregatione inutilis, aut otioſus exiſtens, ſtipendia Eccleſiæ inofficioſè accipiat.

Hanc igitur geminam paſtionem Prælati ſibi commiſſis ovibus impendere inſtanter procurent, utpote pro animabus eorum Domino rationem reddituri.

CAPUT LVI.

De familiaritate à Clericis mulierum extranearum devitandâ.

Prima quidem tentamenta ſunt fœminarum frequentes acceſſus & reprehenſibiles exhibent Clericos. Quid tibi reverà cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro ruſtici aratores, ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, ſi contra depoſitum fidei cum fœminis habitare contendis. Numquid in choro Apoſtolorum fœminæ affuerunt? Prohibe virgines commorari tecum, quæ de genere tuo non ſunt. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur. Non poteſt cum Domino toto corde habitare, qui frequentibus fœminarum acceſſibus copulatur. Cùm approximat ſtipulam, incendit ignem: cùm approximat fœminam, corrumpit mentem. Si cum viris fœminæ habitaverint, viſcarium diaboli non deerit. Janua diaboli via iniquitatis, percuſſus ſcorpionis, nocuúmque genus. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum.

Inde mando atque remando, ut hoſpitiolum Canonicorum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Vir autem, ſive mulier, cùm ad Dominum converſi fuerint, poſt peccatum ſuum, quod ad invicem commiſerunt, nec in unâ villâ unquam pœniteant, nec ſit inter eos ſalutatio, aut beneficium; nec viſus, nec colloquium (ſi non caſus intervenerit) nec de uno fonte (ut vulgò dicitur) potum bibant; nec alumnus inter utrumque concurrat, nec munuſculum quidem, nec colloquium (ùt diximus) nec recordatio alterius in mente ſuâ requieſcat; ſed cum affuerit, citò veniam à Deo petat. Meminere debent Canonici, quòd nec Davide ſanctiores,

nec

(f) I. Tim. II, 9. (g) Joan. XXI. (h) Matth. XXIV, 45.

nec Salomone sapientiores possunt esse. Meminere debent, quòd Paradisi colonum de possessione suâ mulier ejecit.

CAPUT LVII.

De Clericis non manentibus in suo proposito.

Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetierunt, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, & hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minùs redeant ad hoc, quod propter Deum primitùs inegerunt, anathematizari.

CAPUT LVIII.

De humiliatione faciendâ propter Deum carni.

Multitudines hominum, & officia & placita, & convivia, & salutationes hominum, quasi quædam catenæ voluptatum fugiendæ sunt. Sit vilis & vespertinus cibus; Panis cum olere & legumine, interdum pisciculus pro summis ducatur deliciis: qui cum Christo desiderat regnare, non quæret magnopere, quàm de pretiosis cibis & potibus stercus conficiat & urinam. Ventre vacuo sæpiùs dormiendum: crebræ vigiliæ carnem & sensum affligunt. Flexo corpore mens erigenda est ad Deum. Semper in manu sacra lectio, & in ore frequenter oratio sit. Pauperibus sumptuum refrigeria manu propriâ sunt distribuenda. Humilitas vestium tumenti animo non appetenda. Sæcularium, maximè potentium, consortium devitandum.

Aliquid operis semper faciendum, ut diabolus inveniat hominem in opere occupatum. Ab otiosis sermonibus auditus & lingua sunt castigandi. Et in Ecclesiâ cum timore & veneratione standum: & semper aut orandum, aut cantandum, aut legendum, aut audiendum. De justis laboribus cleëmosyna Deo justo dandum. Melius non habere quod tribuatur, quàm impudenter petere quod detur. Negotiator Clericus, & ex inope dives, & ex ignobili gloriosus, quasi quædam pestis, fugiendus.

CAPUT LIX.

De iracundis Doctoribus.

Iracundi Doctores per rabiem furoris disciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis convertunt: & unde emendare subditos poterant, inde potiùs vulnerant. Ideo sine mensurâ ulciscitur culpas doctor iracundus; quia cor ejus dispersum in rerum curis, non colligitur in amorem unius Deitatis.

CAPUT LX.

De Doctrinâ & exemplis Doctorum.

Tam doctrinâ, quàm vitâ clarere debet Ecclesiasticus Doctor? nam doctrina sine vitâ arrogantem facit; vita sine doctrinâ inutilem reddit. Doctoris prædicatio operibus bonis confirmanda est, ità, ut quod docet verbo, instruat exemplo. Illa est vera doctrina, quam vivendi bene sequitur forma: nam nihil turpius est, quàm si bonum, quod quisque prædicat, explere opere negligat; tunc enim prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter à proferente adimpletur. Unusquisque Doctor & bonæ actionis, & bonæ prædicationis habere debet studium: nam una sine alterâ non facit perfectum: sed præcedat Doctor bene agere, ut sequenter possit bene docere. Et in illâ doctrinâ clara, & similitudo patrum, & humilitas propter Deum habendæ sunt.

CAPUT. LXI.

De taciturnitate.

Omni tempore in Ecclesiâ tam à populo, quàm à Clero, summum silentium fiat, excepto hoc, quod ad laudes Dei pertineat. Videamus, quod ait Propheta: *Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ* (i) Item: *Posui ori meo custodiam: obmutui; & humiliatus sum; & silui à bonis.* Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri; quantò magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Inde Sancta Scriptura dicit: Qui enim in Ecclesia verbosari fecerit, & pro se & pro aliis malam redditurus est rationem in die judicii: (k) Ergo quamvis de bonis & Sanctis duntaxat eloquiis propter taciturnitatem rara loquendi in Ecclesia conce tatur licentia, quia scriptum est: *In multiloquio non deerit peccatum:* Et alibi: *Mors & vita in manibus linguæ.* (l) Nam loqui & docere

(i) Psal. XXXVIII. (k) S. Augustin. Serm. 214. de Temp. (l) Prov. X. & XIV.

re Magiſtro condecet, tacere & audire diſcipulo convenit.

Qui hanc taciturnitatem in Eccleſia minimè cuſtodierit, ſed fregerit, ſit in ipſo die pœnitens in aquâ & pane. Et ſi iterum, tribus diebus pœniteat in pane & aquâ. Et ſi tertiâ vice iteraverit, ſeptem diebus, ùt ſuprà, pœniteat. Et ſi ampliùs hoc facere præſumſerit, corporali diſciplinæ ſubjiciatur, ut cæteri timeant.

CAPUT LXII.

De ebrietate à Clero devitandâ atque deteſtandâ.

Dominus in Evangelio dicit: *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapulâ.* (l) Et Apoſtolus dicit: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* (m) Salomon dicit: *Luxurioſa res eſt vinum,* (n) *& tumultuoſa ebrietas: quicumque in his delectatur, non erit ſapiens. Nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas.* (o) Alibi dicitur: *Operarius ebrioſus non locupletabitur.* (p) *Vinum & mulieres apoſtatare quidem faciunt ſapientes:* Et alibi: *Diligentes ſemper ſe inebriari vino, noli provocare in congregationem tuam.* Vinolentos Sacerdotes & Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet: qui altari ſerviunt, vinum & ſiceram non bibent. Sicera hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteſt: quidquid inebriat, & ſtatum mentis mutat, fuge ſimiliter ut vinum.

Qui cupis eſſe bonus, & vis dinoſcere verum,
Ut mortis ſocium, ſic mordax effuge vinum.
Nulla febris hominum major, quàm vitreus humor:
Pro eo ſurdeſcunt aures, balbutit denique lingua.
Dic mihi; dic ebrie, vivis, an morte gravaris?
Pallidus ecce jaces, & ſinè mente quieſcis.
Non bona, non mala, non dura, non mollia ſentis.

Cavete, Fratres, in omnibus ebrietatem, quia magna animi eſt ſubverſio. Nam ſicut ignis facilè incendit ſtupas & leviores paleas, ità ebrietas corrumpit animam, & dejicit eam in grande peccatum. Dominus per Prophetam ait: *Væ illis, qui manè ſurgunt ad ebrietatem ſectandam, & ad potandum vinum uſque ad veſperam.* (q) Et in alio loco dicitur: *Væ his, qui potentes ſunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Baſilius dicit: Plurimi námque homines per vinum maximam debilitatem corporis contraxerunt, nec potuerunt conſequi priſtinam firmitatem. Ebrioſus putat ſe aliquid optimum agere, cum fuerit præcipitio devolutus. Fratres chariſſimi, nolite vos inebriare, nolite bibendo immoderatè nomina veſtra de cœlo delere. Sunt multi, quod pejus eſt, qui non ſolùm ſe inebriant, ſed etiam alios adjurant, ut ampliùs quod expedit, bibant. O infelix, qui hoc facis, non tibi ſufficit, quòd ipſe peris, niſi adhuc inſuper alios perdas? non tibi ſufficit, quòd ipſe in illâ ebrietate incurris, adhuc & alios tecum trahis? Non ſufficit miſero ebrioſo, in ebrietate ſeipſum mergere, niſi & alios ſecum conetur involvere? Nolite, fratres, nolite hoc malum facere. Audite Apoſtolum dicentem: *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* (r) Ebrius enim nec Patrem, nec Matrem, nec amicum, nec inimicum agnoſcit, neque inter bona & mala diſcernit, nec ignem, nec gladium timet; ſic falſi fratres & perſequutores ſunt, qui Deum & Eccleſiam quidem contemnunt, nec bona nec mala diſcernunt, nec gladium præſentis vitæ, nec ignem gehennæ futuræ metuunt. Quando homo ebrius fuerit, cor ſuum & membra liberare non poteſt.

CAPUT LXIII.

De Clericis.

Itaque omnes, qui in Eccleſiaſtici Miniſterii gradibus ordinati ſunt, Clerici generaliter nominantur. Cleros autem vel Clericos hinc appellatos Doctores noſtri dicunt, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primùm per Apoſtolos legimus ordinatum. Sic & omnes, quos illis temporibus Eccleſiarum Principes ordinabant, ſorte eligebant: Clerus autem ſors interpretatur, unde & hæreditas græcè Cleronomia appellatur, & hæres Cleronomus. Proinde ergo Clericos vocari ajunt, eò quod in ſorte hæreditas Domini dantur: vel pro eo, quòd ipſe Dominus

(l) Luc. XXI, 34. (m) Epheſ. V, 18. (n) Prov. XX, 1. (o) Ibid. XXXI. (p) Eccl. XIX. (q) Iſai. V, 11. & 22. (r) I. Cor. VI.

minus fors eorum sit, sicut de eis scriptum est, loquente Domino: *Ego hæreditas eorum.* (s) Unde oportet, ut, qui Deum hæreditate possident, absque ullo impedimento sæculi Deo servire studeant, & pauperes spiritu esse contendant, ut congruè Psalmistæ illud dicere possint: *Dominus* (t) *pars hæreditatis meæ.*

CAPUT LXIV.

De Regulis Clericorum.

His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita reclusi, mundi voluptatibus se abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant, privata non tantùm pudica, sed & sobria colant. Usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, nec fraudis cujusque studium appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant, sæcularia officia negotiáque abjiciant. Honorum gradus per ambitiones non subeant. Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant. Dolos & conjurationes caveant: odium & æmulationem, atque detractionem, invidiámque fugiant: non vagis oculis, non infræni linguâ aut petulanti, tumidóque gestu incedant, sed pudorem, ac verecundiam mentis simplici habitu, incessúque ostendant. Obscænitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur.

Viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant: contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant: castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò in doctrinâ, in lectionibus, in psalmis, in hymnis, in canticis, exercitio jugi incumbant: tales enim esse debent, qui Divinis cultibus sese mancipandos exhibere student; scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

CAPUT LXV.

De generibus Clericorum.

Duo sunt genera Clericorum. Unum Ecclesiasticorum, sub regimine Episcopali degentium, alterum Acephalorum, id est, sine capite, quem sequantur, ignorantium. Hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos religio retentat Divina, sed solutos, atque oberrantes, sola turpis vita & vaga complectitur.

Qui quidem nullum metuentes, explendæ voluntatis suæ licentiam consectantur: quasi animalia bruta, libertate, atque desiderio suo fruuntur, habentes signum religionis, non officium, Hippocentauris similes, qui nec equi, nec homines, *mixtúmque* (ùt ait Poëta) *genus, prolésque biformis.* Quorum quidem sordidâ, & infami numerositate, satis supérque nostra pars occidua polluitur.

CAPUT LXVI.

De Sacerdotibus peccantibus.

Presbyter aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio captus est, deponatur: non tamen communione privetur: dicit enim Scriptura: *Non judicabit Dominus bis in idipsum.*

CAPUT LXVII.

Ut Presbyter habeat unam Ecclesiam.

Presbyter non ampliùs, quàm unam Ecclesiam habeat, sicut & vir unam uxorem.

CAPUT LXVIII.

Ut Clerici nuptialia convivia vitent.

Presbyteri, Diacones, Subdiacones vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, alienarum nuptiarum evitent convivia: neque his cœtibus admisceantur, ubi amatoria & turpia cantica cantantur, aut ubi obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur: ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluatur.

CAPUT LXIX.

De eo, quòd non per ambitionem Sacerdotium appetendum.

Sicut qui invitatus renuit, & quæsitus refugit, sacris est altaribus offerendus: sic qui ultrò ambit, vel importunus se

P 3

(s) Deut. XVIII. (t) Psal. XV, 5.

ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi creſcendo decreſcat? cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur?

CAPUT LXX.

De eo, quòd removentur Presbyteri ab officio ſuo.

Hi Presbyteri, qui in Presbyterio ſuo filios genuerint, removeri ab officio ſuo debent.

CAPUT LXXI.

Pro infirmis orare & ungere eos præcipitur.

Jacobus Apoſtolus ſcripſit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros in domum ſuam, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit illum Dominus. Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* (u) Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſuâ, aut in ſuorum neceſſitate ungendis. Nam idcircò Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterùm ſi Epiſcopus poteſt, aut dignum ducit à ſe viſitandum, & benedicere & tangere chriſmate ſinè cunctatione poteſt, cujus eſt chriſma conficere: nam pœnitentibus iſtud fundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: quibus enim reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus poſſe putatur concedi?

CAPUT LXXII.

Oblationes in domibus offerri non oportere.

Non oportet in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis, vel à Presbyteris.

CAPUT LXXIII.

Quomodo benedicendi ſunt ſponſus & ſponſa.

Sponſus & ſponſa cum precibus & oblationibus à ſacerdote benedicentur; & legibus ſponſa dotetur, & à paranymphis cuſtodiatur, & publicè, ſolemnitérque accipiatur. Biduo etiam ac triduo abſtineatur, & doceatur eis, ut caſtitatem inter ſe cuſtodiant, certiſque temporibus nubant, ut filios non ſpurios, ſed hereditarios Deo & ſæculo generent.

CAPUT LXXIV.

De ſolemnitatibus præcipuis colendis.

In ſolemnitatibus præcipuis, id eſt, in Natali & in octavâ, & in Epiphania Domini, & in Paſcha, & in Aſcenſione Domini, & in Pentecoſte, & in Sanctorum feſtivitatibus, id eſt, Sancti Stephani, & Sancti Joannis Evangeliſtæ, & in feſtivitate Infantium, & in Purificatione, & in Aſſumptione Sanctæ Mariæ: Similiter in Beatorum Apoſtolorum feſtis, & Sancti Joannis Baptiſtæ, & Sancti Laurentii, & Sancti Martini, ſive & in natali cujuslibet Sancti, cujus honor in qualicumque Parochiâ ſpecialiter celebratur, plenarium officium celebretur, & bis reficiatur.

CAPUT LXXV.

De decimis dividendis.

Sacerdotes populi ſuſcipient decimas & nomina eorum, quicumque dederint, ſcripta habeant ſuper altare, & ipſas decimas ſecundùm authoritatem Canonicam coram teſtibus divident, & ad ornamentum Eccleſiæ primam eligent partem: ſecundam autem per manus fidelium ad uſum pauperum & peregrinorum, miſericorditer cum omni humilitate diſpenſent: tertiam verò partem ſibimetipſis ſoli ſacerdotes reſervent.

CAPUT LXXVI.

Ut Presbyteri per diverſa ab Epiſcopis aut Laicis indiſcretè non mittantur?

Statutum eſt, ut Presbyteri, ſicut hactenùs factum eſt, indiſcretè per diverſa non mittantur, nec ab Epiſcopis, nec à Prælatis, nec etiam à Laicis; ne fortè propter eorum abſentiam, & animarum pericula, Eccleſiarum, in quibus conſtituti ſunt, negligantur officia.

CAPUT LXXVII.

De illis, qui ſoli Miſſas contra Canonicam authoritatem canere præſumunt.

Statutum eſt, ut nullus Presbyterorum

(u) Jacob. V, 14.

rorum solus Missam celebrare præsumat: quia nec verba Domini Salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, nec Apostoli Pauli documenta declarant, nec in ipsis actibus Apostolorum, si enucleatim legantur, ità fieri debere, ullo modo invenitur. Nam etsi interrogatus, aut contemptus, hujusmodi corporis & sanguinis Domini solitarius consecrator fuerit, quid respondere poterit? Quibus enim dicit: *Dominus vobiscum*: aut à quo illi respondetur: *& cum Spiritu tuo*? Vel pro quibus supplicat Deum, dum dicit: *Memento Domine famulorum famularúmque tuarum, & omnium circumstantium*; cùm nullus circumstet? quæ consuetudo Apostolicæ & Ecclesiasticæ authoritati contraria eradicanda, & funditus exstirpanda est à Domini Sacerdotibus. Et si quis hoc deinceps facere præsumserit, gradûs sui periculo subjacebit.

CAPUT LXXVIII.

Ut Presbyteri inconsulto Episcopo non constituantur in Ecclesiis, vel de Ecclesiis expellantur ab aliquo.

Statutum est, ut sine authoritate & consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis non constituantur, nec inde expellantur. Et si quis deinceps hoc facere tentaverit, Synodali sententiâ districtè feriatur.

CAPUT LXXIX.

De libris, quos unusquisque secum in Ecclesia habere debet.

Hi sunt libri, quos habere debet unusquisque sacerdos in suâ Ecclesiâ, per quos Missas & Epistolas, seu Evangelium, vel Baptisterium, seu pœnitentiam, aut circulos annorum, sive lectiones nocturnales, intelligi potest. Si quis tales non habuerit, ab Ecclesiâ degradetur, quia in illo completur quod in libris legitur: *Canes muti non possunt latrare.* (u) Hi sunt mali Presbyteri, qui concupiscunt accipere Pastorale Ministerium Ecclesiæ, nec tamen possunt ad populum prædicare.

(u) Isa. LVI, 10.

CAPUT LXXX.

De non suscipiendis alterius Ecclesiæ Clericis: & de susceptoribus eorum absque literis commendatitiis, vel testibus à Clericis in eâdem Ecclesiâ militantibus

Jam constitutum est non licere in alterius civitatis Ecclesiâ, vel in potestate laicorum Clericos militare: sed ibidem permanere, in qua à principio meruerunt ministrare: Extraneos, qui missi à patria, ad aliquam Ecclesiam pro necessitate venerint, (absque signatis apicibus non recipere.) Qui verò Episcoporum, aut laicorum, post hoc constitutum alterius Ecclesiæ Clericum susceperit, nisi ad excusandum rationabiliter, placuit à communione suspendi, & eum, qui suscipit, & eum, qui susceptus est, quousque Clericum ad suam fecerit reverti Ecclesiam.

CAPUT LXXXI.

Epistola cujusdam Deicolæ in Christi nomine missa ad Sacerdotes & Clericos, prædicationis atque instructionis causâ ipsis directa.

Dilectissimis Sacerdotibus Ecclesiarum Christi Præsulibus, & cunctis Cleris in eisdem ubique & famulantibus, & Deicolis omnibus in totum mundum degentibus, æternam in Domino Salvatore nostro salutem. Noverit igitur dilectio vestra, quòd semper sollicitus sum, & valde nôsse desidero de salute & sanitate, & vitâ vestrâ. Deus autem omnium nostrum, vestrúmque pium adimpleat desiderium in gloriam & vitæ sanctæ disciplinam. Ergo cùm simus Dominicæ plebis supernâ miseratione Rectores, studiosiùs nos convenit Dei præsidium pro eorum sæpe cogitare salute, qui nobis commissi esse videntur, ne de creditis, atque frustratis, quod absit, animabus, insidiis antiqui hostis ante omnium Pastorem, nisi succedat præveniendo de offensis correctio, districtam cogamur solvere rationem. Unde rogamus vos, ut justè & piè, sanctéque viventes cæteris fidelibus in Exemplum sitis, & casto corde, & corpore sub regulâ Canonicâ vivatis.

Et

Et prætereа peto, ut consideretis, & ante mentis & corporis oculos semper habeatis, quid sumus nos & vos. Nónne homines sumus; & unde homines, nisì de humo? Et quid est humus, nisì pulvis, & cinis? Et quid erimus, nisì quod dictum est: *Christus cum apparuerit:* (x) Si benè egerimus; *ei similes erimus*, hoc est, immortalitate, & æternitate? Abnegemus, quod sumus, ut incipiamus esse, quod non sumus. Ergo omne bonum à summo Deo sperandum est, quia *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.* (y) Et, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam.* Nos ergo petamus, quæramus, pulsemus: *Qui petit, accipit:* (z) *& qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.* Cogitemus semper ultimum nostri exitûs diem: ornemus finem nostrum, & componamus diligenter vitam nostram, & quantùm incerti sumus de obitûs nostri die, tantùm parati simus in actione nostra bona; ut quandocúmque venerit, nos semper paratos inveniat. Consideremus & pensemus, quia districtus venturus est Judex, qui non solùm operum, sed cogitationum exactor apparebit. Laboremus in opere Dei, quantum possumus, si non quantum debemus: *Quoniam*, ùt ait Apostolus, *non* (a) *sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Quâ de re satagendum est nobis, & omnibus fidelibus, ut ad ipsam gloriam fideliter curramus.

Vestram quoque, ô Sacerdotes, Fratrésque dulcissimi, moneo solertiam, ut reminiscamini, quàm magna suscepta habetis onera animarum: nam qui curam suscepistis, ideo securitatis vitam deponite, quæ inutilis est animæ & corpori: quoniam qui animas susceperunt ad regendum, parare se debent ad rationem reddendam in conspectu Dei: Idcirco in quantum prævaletis, tam verbo, quàm exemplo, ùt prædiximus, admonere non cessetis vobis commissas oves; ut in judicio cum Propheta absoluti, dicere possitis: *Domine justitiam tuam non abscondi in corde meo.* (b) Et, *Veritatem tuam & Salutare tuum dixi.* Diem ultimum cogitate, & regulam vestram conservate; villicationem vestram compensate; quia de omnibus, qui negligentiâ vestrâ perierint, rationem eritis reddituri in die judicii. Et ut de negotio lucrum reportetis, & præmium; oportet vos magis prodesse, quàm præesse.

O spiritales Sacerdotes! diligite Clerum, & populum vestrum: & nullos vobis æstimetis propinquiores esse parentes, quàm qui vobiscum in domo & opere Dei morantur; quia ubi amor & dilectio est spiritalis, ibi Deus mediator inhabitat, qui dixit: *In hoc cognoscent omnes*, (c) *quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Vestrámque fragilitatem humiliter considerate & infirmorum curam patienter portate. In imperio vestro moderati sitis, ut regula edocet. Similiter moneo, ut opera, quæ injungitis, discernatis, & temperetis. Discretionem vestram semper cogitate, ut quod fecerint subjecti vestri, absque murmure faciant, ut & animæ salventur, & corpora supra modum non graventur. Moneo & omnes Clericos vobis subjectos, ut vobis humiliter obediant, & regulam Canonicam pro viribus adimplere satagant, & absque murmuratione imperio vestro subjaceant, Dominóque dulciter serviant; quoniam omnis homo potestatibus sublimioribus, suísque Præpositis subditus esse debet, quantò magis Servi Dei obedire humiliter Præpositis suis debent;

Moneo etiam, ut regulæ Canonicæ memores sint, ejúsque præcepta ante oculos semper habeant. Nam quis scit, quid sibi contingat, vel alii in hâc vitâ? aut quis unquam inobediens ad bonum finem pervenerit? Nobis verò pavor incutitur non modicus, dum legimus, multorum Sanctorum finem fuisse periculum, & post tantos labores conquisitos etiam de summis ad ima esse præcipitatos, quorum casus, noster debet esse profectus. Siquidem & primum hominem per inobedientiam cecidisse legimus. Multa siquidem, atque innumerabilia de his colligi possunt, sed nobis ista modò sufficiunt, ut in his caveatis, ne inobedientiam in aliquo Christo conferetis.

Non vobis delectentur deliciæ superfluæ, nisi quantùm corpus sustentare videntur, & non, quantùm voluntas humana appetere tentatur. Nolite esse cultis

(x) Coloss. III. 4. (y) Psal. CXXVI. (z) Luc. XI, 10. (a) Roman. VIII, 18.
[b] Psal. XXXIX, 11. [c] Joan. XIII, 35.

cultis vestibus adornati, sed simplici modo necessitatibus corporis contenti. Sic habeatis disciplinam, ut non amittatis animam. Nolite esse oblivioni dediti, nec ullâ securitate adhibiti, sed tam corporis, quàm animæ alimenta præparate vobis (&) Clericis subjectis vestris, ut læti semper vobiscum cum Christo serviant, sub cujus servitio se tradiderunt; ut in futuro mercedem recipiatis, & vocem Domini audiatis, ubi dicitur: *Quia super pauca fidelis fuisti*, (c) *supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Ad quod gaudium me peccatorem & vos omnes, unà cum omnibus nobis commissis, Dominus & Salvator noster precibus omnium Sanctorum suorum, perducere illæsos in vitam æternam dignetur: Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

CAPUT LXXXII.

Alia Epistola ad Episcopum.

Dulcissimo Domino meo Episcopo in Christi nomine salutem perpetuam.

Pater dulcissime, bene valeas in Christo, & illi semper placeas. Saluto te, & per te omnes Clericos tuos: consolare, & conforta eos, in servitio Domini nostri JESU CHRISTI, in quantum prævales. Moneo prudentiam tuam, ut peccantes arguas coram omnibus, ut timorem cæteri habeant: qui enim proximorum mala respicit, & tamen silentio linguam premit, eo mortis author fit, quo viros [quos] potuerat curare, noluerit. Nos ergo, qui in periculoso ordine constituti sumus, attendamus, nè simus inutiles servi. Illius semper memores simus mandati, qui dixit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* (d) In hoc enim mandato omnium salus consistit; hoc cunctis pernecessarium esse constat, & maximè his, qui gregem Christi ad regendum accipiunt.

Quapropter Pastor carissime! gregem, quem accepisti ad regendum, diligenter erudire studeto, & sanctis admonitionibus eum per pascua vitæ deducere satage. Habes in omni opere bono Christum adjutorem, Sanctum quoque, cui militas, intercessorem: sicut gubernationem & dispensationem in domo Domini habere videris, ità tibi subjectos bonis moribus ornari contende, & eos in Divinâ laude devotissimè fac consistere; & quod Angeli semper agunt in cœlis, hoc tui Clerici jugiter faciant in Ecclesiis. Tuum est præcipere, illorum obedire: tuum præire, illorum subsequi. Omnium itaque in servitio Dei una debet esse voluntas, ut una fiat in regno DEI remuneratio.

Nullus horis Canonicis se Divinis subtrahat laudibus; nè propter aliquam indiligentiam alicujus, locus in conspectu Dei vacuus inveniatur: & verba Dei in Ecclesiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magnâ reverentiâ Dei omnipotentis officia celebrentur. Omne verò Ministerium Christi humiliter, & devotè impleatur. Omnis itaque obedientia in sæculi necessitatibus fideliter & strenuè peragatur. Fiat equidem inter omnes concordissima pax, & sanctissima charitas, & devotio vitæ regularis. Seniores bonis exemplis, & sedulâ admonitione erudiant juniores, illósque diligant, ùt filios; & illi quasi patres eos honorificent, illorúmque omni alacritate obediant præceptis.

Tua verò, venerande Pastor, conversatio omnibus sit exemplum salutis. Cave, ne nimis quis in tuâ scandalizetur vitâ, sed ædificetur, & roboretur in viâ veritatis; quia tibi ex illorum salute merces judicatur æterna. Cani capilli extremum denuntiant properare diem; quapropter paratus esto omni horâ in occursum Domini Dei tui. Dilectio fraterna, & eleëmosynæ miserorum, & vitæ castitas, præparent tibi gradum in cœlo.

Festivis diebus, veniente ad Ecclesiam populo, fac eis prædicare verba Dei, & quocumque vadis, Clerici, qui servitium Dei pleniter peragant, tecum eant, sobrietate ornati, non ebrietati assueti: quorum honestas vitæ aliis sit doctrina salutis. Curámque ubique habeas, & maximè pauperum, viduarum, & orphanorum; ut audias in die tremendo à Domino cum aliis eleëmosynam facientibus: *Quamdiu fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis.* (e) Esto miseris, ùt Pater, & causam ad te clamantium diligenter discute: & parce in te peccantibus, ut Deus tuis parcat peccatis. Esto justus in judiciis, & misericors in debitis: Magister virtutum, moribus honestus, verbis jucundus, vitâ laudabilis, in omni opere Dei devotus.

(c) Math. XXV, 21. (d) Joan. XV, 12. (e) Math. XXV, 40.

Clericos quoque cohortare, ut sanctas Scripturas diligentissimè legant, non confidant in linguæ notitiâ, ut possint contradicentibus veritati resistere: sunt enim tempora periculosa, ùt Apostolus prædixit, quia multi Pseudodoctores surgent introducentes sectas, qui Catholicæ Fidei impiis assertionibus maculare nitentur: ideo necesse est ad Ecclesiam plus habere defensores, qui non solùm vitæ sanctitate, sed etiam doctrinâ veritatis castra Dei viriliter defendere valeant.

Has verò piæ admonitionis literulas, non quasi nescienti direxi, sed ut veræ charitatis (quæ) est in meo pectore, fidem ostenderem. Omnipotens Deus te, tuósque charissimos Clericos in omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternæ gloriæ pervenire concedat, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT LXXXIII.

De Doctrinæ discretione.

Non omnibus una eodémque doctrina est adhibenda, sed pro qualitate morum diversa exhortatio erit Doctorum. Nam quosdam increpatio dura, quosdam verò exhortatio corrigit blanda. Sicut periti Medici ad varios corporis morbos diverso medicamine serviunt, ità ut juxta vulnerum varietates medicina diversa sit, sic & Doctor Ecclesiæ singulis quibuscunque congruum doctrinæ remedium adhibebit, & quid cuique oporteat, pro ætate, pro sexu, ac professione annuntiabit. Non omnibus ea, quæ sunt clausa, aperienda sunt. Multi sunt enim, qui capere non possunt, quibus si indiscretè manifestentur, statim aut detrahunt, aut negligunt. Rudibus populis, seu carnalibus, plana atque communia, non summa atque ardua sunt prædicanda; ne immensitate doctrinæ opprimantur potiùs, quàm erudiantur. Unde & Paulus Apostolus ait: *Non potui vobis loqui, quasi Spiritualibus (f) sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Carnalibus quippe animis nec alta nimis de cœlestibus, nec terrena convenit prædicare, sed mediocriter; ùt initia eorum, morésque desiderant edoceri. Corvus dum pullos suos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit, sed tantum-dem attendit, donec paterno colore nigrescant, & sic illos frequenti cibo reficit. Ita & Ecclesiæ Doctor strenuus, nisi eos, quos docet, viderit ad suam similitudinem pœnitentiæ confessione nigrescere, & nitore sæculari deposito, lamentationis habitum de peccati recordatione induere, non aperit intelligentiæ spiritualis profundiora mysteria.

Priùs docendi sunt seniores plebis, ut per eos infrà positi faciliùs doceantur.

Non una eadémque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit: sæpe namque ea, quæ aliis nocent, aliis prosunt; quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt; & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit: & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo Doctorum. „ Doctor semper vocem prædicationis habeat, (g) nè superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Doctor in tabernaculum ingrediens, vel inde egrediens, moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram Dei contra se exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. „ Ranæ in aquâ sine aquâ esse videntur, & tamen in putredine paludis commorantur, & procaces efferunt voces, & impatientes, & importunæ; sic hypocritæ Doctores quasi in aquâ sapientiæ esse videntur, & in luto hæresis tamen versantur, & contrarias voces veritati emittunt, & inoportunè bonis nocent, spiritu Dæmonis agitati: procedunt ad Reges terræ congregare illos, id est, impios: inspirant ad pugnam contra Sanctos, qui sunt Reges justitiæ, licèt enim omnis falsitas similitudinem veritatis usurpet, differt tamen dignitas veræ sapientiæ à similitudine doctrinæ.

CAPUT LXXXIV.

De Clerico derelinquente Clericatum suum.

Si quis Clericus relicto officii sui ordine laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ sæculari tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

C A-

(f) I. Cor. III. (g) Gregor. L. II, Past. C. IV.

CAPUT LXXXV.

De eo, quòd non facilè vincitur unus de ordine Canonico.

Silvester dicit: Non Acolythus (b) adversùs Subdiaconum, non Exorcista adversùs Acolythum, non Lector adversùs Exorcistam, non Ostiarius adversùs Lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur Subdiaconus, Exorcista, Ostiarius, Lector, Acolythus, filios habentes & uxorem, & omnino Christum prædicantes; sic datur mystica veritas, nisi in septem testimoniis; & non damnabitur Diaconus, nisi in triginta sex, & non damnabitur Presbyter, nisi in quadraginta quatuor.

CAPUT LXXXVI.

De eo, quòd debent Canonici se præcavere ante transformationes dæmonum.

Admonendi sunt Clerici Canonici, ut sint cauti, nè à dæmonibus in cogitationum subtilitate seducantur. Propterea & forma diaboli inter Clericos observetur, ut si quis ad eos veniat, sive vir, sive mulier sit, sive senex, sive juvenis, etiamsi notus, sive ignotus sit; ante omnia oratio fiat, ut nomen Domini primùm invocetur, quia si fuerit aliqua transformatio dæmonis, continuò oratione facta defugiet. Et si verò in cogitatione eorum surrexerint dæmones, aliquid unde laudari, aut extolli debeant, non acquiescant eis, sed tunc magis semetipsos humilient in conspectu Dei, & pro nihilo ducant, cùm sibi aliquid illicitum suggesserint.

Venerunt dæmones ad quemdam Monachum, nomine *Or*, in specie cœlestis militiæ, & habitu Angelorum, currus igneos agentes, plurimo apparatu, tamquam magnum aliquem Regem deducentes, isque, qui à cœteris, ùt Rex haberi videbatur, dicebat ad eum: Implêsti omnia, ô homo, tantùm superest tibi, ut adores me; sed si adoraveris me, transferam te sicut Heliam. Et Monachus *Or* hæc audiens, dicebat in corde suo: Quid est hoc? Quotidie ego Salvatorem meum, qui est Rex meus, adoro; hic si esset ille, quem adoro, quomodo hoc à me deposceret, quod indesinenter me facere sciret? Post hæc respondit ad ipsum: Ego habeo meum Regem, quem quotidie sine intermissione adoro, tu autem non es Rex meus: & continuò ille inimicus ad hæc verba nusquam comparuit.

Item Fortunatus Episcopus ex quodam homine spiritum immundum excussit; qui malignus spiritus cùm vesperascente jam die secretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum quempiam esse se simulans, circuire cœpit civitatis plateas, & clamare: O virum Sanctum Fortunatum Episcopum! ecce quid fecit? peregrinum hominem de hospitio expulit: quæro, ubi requiescere debeam, & in civitate ejus non invenio. Tunc quidam in hospitio cum uxore suâ, & parvulo filio ad prunas sedebat, qui vocem audiens, & quid ei Episcopus fecerit requirens, hunc invitavit hospitio, & sedere eum secum juxta prunas fecit: cùmque vicissim aliqua confabularentur, isdem malignus spiritus parvulum ejus filium invasit, atque in easdem prunas projecit, ibique mox ejus animam excussit. Qui orbatus miser, vel quem ipse susceperit, vel quem Episcopus expulisset, agnovit.

(b) Concil. Rom. II. C. III.

CONVENTUS WORMATIÆ

Anno Christi DCCLXIV. Pippini Regis XIII. Pauli Papæ VII.

DCCLXIV. Verno tempore Rex Pippinus Conventum Wormatiæ convocatum adiit, & ibi testibus omnibus Annalistis de Waifario Aquitano, & Tassilono Bajoario rebellibus Concilia cum illis contulit. *Epistola XX. Codicis Caroli-ni prodit hæc sequentia Acta Ecclesiastica in hoc Conventu:*

Tassilonem Paulum PP. sæpius rogasse, ut legatos ad Pippinum mitteret, pacem se inter & Regem composituros. Paulum annuisse, & Philippum Presbyterum

byterum atque Ursum cum litteris in Franciam Majo mense direxisse. Sed hos, cùm Ticinum venissent, à Desiderio Rege, qui filiam suam Tassiloni vel jam uxorem dederat, vel brevi daturus erat, ulteriùs prógredi prohibitos fuisse: Pontificémque hac de re certiorem factum litteras suas per legatos suos Joannem Subdiaconum & Abbatem, atque Pamphilum, Romanæ Ecclesiæ Defensorem Regionarium Pippino misisse.

Venerant Joannes & Pamphilus ad Pippinum, cùm hunc Constantini Imperatoris legati Anthimus Spatharius & Synesius Eunuchus adiissent: quos ergo Rex, ut eadem Epistola *Cod. Carolini XX. indicat*, nec audire, nec videre voluit, nisi Apostolicis Legatis præsentibus.

Interfuit etiam disputationibus (*a*) quas utrique inter se de observatione fidei Orthodoxæ, & piâ Patrum traditione habuerunt.

Postea Pippinus cum Anthimo, qui Constantinopolim revertebatur, suos quoq; ad Imperatorem oratores misit, per quos illum de rebus cunctis certiorem fecit. Romam verò ablegavit unà cum legatis Apostolicis FLAVIUM Capellanum suum, per quem Pontificem de gesti negotii serie certiorem fecit, & litteras etiam communicavit à Constantino Imp. sibi scriptas, & quas ipse rescripserat, ut Pontifex cerneret, se Sedi Apostolicæ non deesse, ipsiúsque causam pro virili agere.

Eckhart. Tomo I. Franc. L. XXIV. §. LXXIV. & sequent.

Eidem Conventui Wormatiensi Asfuerus Abbas Prumiensis interfuit, & cellam S. Goaris commendavit Regi, ut hospitalitas exerceri posset. Pollicetur Rex opem.

Wandelbertus Cap. 38. de Miraculis S. Goaris.

(*a*) Hæc fuêre primordia disputationum, inter Orientales & Occidentales Franco-Germanos in multis post Synodis, præsertim Aquis instauratatum.

Conventum Wormatiensem à Pippino Rege indictum hoc anno 764. asseruot *Rhegino in Chronico*, & *Annales Fuldenses*. *Vetus Chronicon Saxuli* ejusdem, quod extat in codice Tiliano, adsignatos à Pippino Filiis Carolo, & Carolomanno Comitatus inouere videtur. Sic enim habet:

Anno DCCLXIV. Quando Domnus Pippinus placitum habuit in Wormatia, deditque Comitatus dilectis Filiis suis.

CONVENTUS EPISCOPORUM
IN CELLA S. GOARIS

Ob Dedicationem novæ Basilicæ S. Goaris, & hujus Reliquias in eam transferendas.

Circa Annum Christi DCCLXVIII. Caroli Magni I.

PErfectâ Basilicâ S. Goaris, (*a*) ubi jam tempus, quo Divino nomini esset consecranda, successit, missi sunt ab Excellentissimo Principe Carolo LULLUS Moguntiæ Archi-Episcopus, Vir Anglorum gente moribus ac vita laudabilis: BASINUS Nemeti, quæ civitas nunc Spira vocatur: & MEGINGODUS urbis, quæ trans Rhenum sita sermone barbaro Wirziburg appellatur Episcopi, qui omnes à Beato Bonifacio Pontifice & Martyre fuerunt ordinati, ut per eos & Ecclesia consecrari, & corpus beatissimi viri, in eum, quo nunc situm est, locum transferri deberet.

Wandelbertus Cap. I. de miraculis S. Goaris.

CON-

(*a*) Cellam S. Goaris Pippinus Rex anno 765. Assuero Prumiensi Abbati donaverat, qui mox Basilicam condendis ossibus S. Goaris excitavit, & Caroli Regis ope consecrationem impetravit, Episcopis vicinis coactis.



CONCILIUM RATISBONENSE.

Anno Christi DCCLXIX. (*a*) Stephani III. II. Caroli I.

In quo Chor-Episcopis interdicitur functione munerum Episcopalium.

DEcretum est in Synodo, quam Reginisburc pro eadem, vel pro aliis cautis Apostolicâ auctoritate præfato prætexto habuimus, nihil ex prædictis (*Ordinare Presbyterum vel Diaconum, aut „ Sub-Diaconum, Ecclesiam dedicare, Virgi- „ nem consecrare, quenquam confirmare, aut „ quidquam de Episcopali ministerio peragere:*) à quoquam eorum (Chori-Episcoporum) agere vel facere volentibus consentire. Sed quidquid ab his Episcopaliter præsumptum est, à canonicè ordinatis Episcopis peragi debere, nec ullum usquam de Episcopali ministerio à Chor-Episcopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod aliquis horum accipere potuisset: quoniam, quod non habuit quis eorum, dare non potuit. Nam Episcopi non erant, quia nec ad quandam civitatis Episcopalem Sedem titulati erant, nec canonicè à tribus Episcopis ordinati. Ideo de Episcopali ministerio nihil agere potuerunt. Ideo namque nulla causa permittit, ut videatur iteratum, quod de causis memoratis à canonicè ordinatis Episcopis cognoscitur regulariter peractum. Unde &, cùm sæpe quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam esse tribuendum, quod non decet fuisse conlatum. Scimus enim, sicut & in antiquis Patrum legimus decretis, posse verâ ac justâ legitimi Episcopi benedictione auferre omne vitium, quod à vitioso fuerat objectum.

L. VII. Capitularium Nro CCLX. apud Baluz. Tomo I. P. 1081.

Mansi Conciliorum Supplementi Tomo I. pag. 625.

Eadem quæstio iterum resumpta, & eodem exitu definita fuit in Synodo magna Aquensi, Capitulari primo, anni 803. Missus & ex eadem Synodo Romam Arno Archi-Episcopus Salisburgensis: & Leo Papa juxta antiquorum Patrum decreta censuit, nullam Chor-Episcopis inesse Episcopalem Potestatem. *Videatur Baluz. Tomo I. pag.* 379. 380.

(*a*) Annum Synodi Domnus Mansi statuerat verosimiliter 768.: verùm cùm is annus Pippino soleat tribui; apud Baluzium autem CAROLUS dicatur hanc Synodum coegisse, hunc malui 769. scribere. Sed parvi refert. Synodo occasionem dedit Chor-Episcopus ordinandus ad subsidium Gauzoleni Episcopi Cenomanensium cæci. Fuit tum Mærolus quidam à tribus Episcopis ordinatus, qui Cenomanensis Ecclesiæ officia Episcopalia vice cæci Episcopi obivit annis ferè XXX. ab 766. ad 796. intra quod tempus Merolus ordinatus fuit. *Labbei & Pagi Dissentientium de anno rationes* egregiè diluit MANSI Loc. cit.



CAROLI MAGNI

CAPITULARE PRIMUM

Datum, ùt videtur, sub ejus Regni exordia.

Anno Christi DCCLXIX. Stephani III. II.

Primum à Baluzio editum ex veteri Codice MS. Sancti Vincentii Laudunensis.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. Ut Servi Dei in hostem non pergant, nisi illi, qui necessarii sunt propter Divinum Ministerium.

II. Ne Sacerdotes fundant sanguinem Christianorum, vel Paganorum.

III. Ut Servi Dei venationes non exerceant.

IV. De Episcopis & Presbyteris ignotis, quomodo admittantur ad ministerium Ecclesiasticum.
V. De Sacerdotibus, qui plures uxores habuerint.
VI. Ut unusquisque Episcopus provideat in sua Parrochia, ne populus agat Paganias aut Superstitiones.
VII. Ut Parrochiam suam singulis annis unusquisque Episcopus circumeat.
VIII. Ut Presbyteri Episcopis suis subjecti sint, & ut quadragesimæ tempore rationem ministerii sui eis reddant.
IX. Ne aliquis accipiat Ecclesiam infra Parrochiam sinè consensu Episcopi sui.
X. Ut Sacerdotes magnam curam habeant de incestis, & infirmis, & pœnitentibus.
XI. De Jejunio quatuor temporum.
XII. Ut bis in anno ad mallum omnes veniant.
XIII. Ut nullus negligens sit, quando pro Rege, vel Fidelibus suis orandum fuerit.
XIV. Ut Sacerdos, nisi in locis consecratis, Missam non celebret.
XV. De Sacerdotibus, qui ministerium suum adimplere non valent.
XVI. Ut Sacerdos, qui admonitionem Episcopi sui contempserit, deponatur.
XVII. Ut nullus Judex neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum sinè consensu Episcopi sui distringat.
XVIII. Ut nullus Episcoporum, vel Sæcularium alterius cujusquam res retinere præsumat.

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

Ut Servi Dei neque in hostem pergant, neque armaturam bajulent.

I.

CArolus gratiâ Dei Rex, Regni Francorum Rector, & devotus Sanctæ Ecclesiæ defensor, atque adjutor. In omnibus Apostolicæ Sedis hortatu, omnium fidelium nostrorum, & maximè Episcoporum ac reliquorum Sacerdotum consultu, servis Dei per omnia omnibus armaturam portare & pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illi tantummodo, qui propter Divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum Patrocinia portanda, ad hoc electi sunt, id est, unum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris. Et unusquisque Princeps unum Presbyterum secum habeat, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit.

Ne Sacerdotes fundant sanguinem Christianorum, vel Paganorum.

II. Ut Sacerdotes neque Christianorum neque Paganorum fundant sanguinem.

Ut servi Dei venationes non exerceant.

III. Omnibus servis Dei venationes & silvaticas vagationes cum canibus, & ut accipitres & falcones non habeant, interdicimus.

De Episcopis, & Presbyteris ignotis, quomodo admittantur ad Ministerium Ecclesiasticum.

IV. Statuimus, ut secundùm Canonicam cautelam omnes undecunque supervenientes ignotos Episcopos, vel Presbyteros, ante probationem Synodalem, in Ecclesiasticum ministerium non admitteremus.

De Sacerdotibus, qui plures uxores habuerint.

V. Si Sacerdotes plures uxores habuerint, vel sanguinem Christianorum, vel Paganorum fuderint, aut canonibus obviaverint; Sacerdotio priventur: quia deteriores sunt sæcularibus.

Ut unusquisque Episcopus provideat in sua Parrochia, ne populus faciat paganias aut superstititiones.

VI. Decrevimus, ut secundùm Canones unusquisque Episcopus in sua Parrochia sollicitudinem adhibeat, adjuvante Graphione, qui defensor Ecclesiæ est; ut populus Dei paganias non faciat, sed ut omnes spurcitias gentilitatis abjiciat, & respuat, sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos vel divinos, sive phylacteria & auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine Sanctorum Martyrum, vel Confessorum Domini, qui potiùs, quàm ad misericordiam, sanctos suos ad iracundiam provocârunt.

Ut

Ut Parrochiam suam singulis annis unusquisque Episcopus circumeat.

VII. Statuimus, ut singulis annis unusquisque Episcopus Parrochiam suam sollicitè circumeat, & populum confirmare & plebes docere, & investigare, & prohibere Paganas observationes, divinósque & sortilegos, aut auguria, phylacteria, incantationes, vel omnes spurcitias gentilium studeat.

Ut Presbyteri Episcopis suis subjecti sint & ut quadragesimæ tempore rationem ministerii sui eis reddant.

VIII. Decrevimus quoque juxta Sanctorum Canones, ut unusquisque Presbyter in Parrochia habitans, Episcopo subjectus sit illi, in cujus Parrochia habitat, & semper in quadragesima rationem & ordinem ministerii sui, sive de Baptismo, sive de fide Catholica, sive de precibus & ordine Missarum Episcopo reddat. Et quandocunque jure Canonico Episcopus circumeat Parrochiam ad populos confirmandos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum, cum collectione, & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet. Et in cœna Domini semper novum Chrisma ab Episcopo suo quærat. Et de vetere baptizare nullus præsumat, sed ardere in luminaribus Ecclesiæ faciat.

Ne aliquis accipiat Ecclesiam infra Parrochiam sinè consensu Episcopi sui, nec de una ad aliam transeat.

IX. Ut nemo accipiat Ecclesiam infra Parrochiam sinè consensu Episcopi sui. Nec de una ad aliam transeat.

Ut Sacerdotes magnam curam habeant de incestis, & infirmis, & pœnitentibus.

X. Ut de incestis, & criminosis magnam curam habeant Sacerdotes, ne in suis pereant sceleribus, & animæ eorum à districto Judice Christo ab eis requirantur. Similiter de infirmis & pœnitentibus; ut morientes sinè sacrati olei unctione & reconciliatione & viatico non deficiant.

De Jejunio quatuor temporum.

XI. Ut Jejunium quatuor temporum & ipsi Sacerdotes observent, & ipsi plebi denuntient observandum.

Ut bis in anno ad mallum omnes veniant.

XII. Ut ad mallum venire nemo tardet. Primùm circa æstatem, secundò circa autumnum. Ad alia verò placita, si necessitas fuerit, vel denuntiatio Regis urgeat, vocatus nemo venire tardet.

Ut nemo negligens sit, quando pro Rege, vel fidelibus suis orandum fuerit.

XIII. Ut quando denuntiatum fuerit pro Rege, vel pro fidelibus suis quâlibet causâ orationes facere, nemo ex hoc negligens appareat.

Ut Sacerdos, nisi in locis consecratis Missam non celebret.

XIV. Nullus Sacerdos, nisi in locis Deo dicatis, vel in itinere positus in tabernaculis & mensis lapideis ab Episcopo consecratis, Missas celebrare præsumat. Quodsi præsumpserit gradûs sui periculo subjacebit.

De Sacerdotibus, qui ministerium suum adimplere non valent.

XV. Sacerdotes, qui ritè non sapiunt adimplere ministerium suum, nec discere juxta præceptum Episcoporum suorum pro viribus satagunt, vel contemptores Canonum existunt, ab officio proprio sunt submovendi, quousque hæc pleniter emendata habeant.

Ut Sacerdos, qui admonitionem Episcopi sui contempserit, deponatur.

XVI. Quicunque autem à suo Episcopo frequenter admonitus de sua scientia, ut discere curet, facere neglexerit; procul dubio & ab officio removeatur, & Ecclesiam, quam tenet, amittat: quia ignorantes legem Dei, eam aliis annuntiare, & prædicare non possunt.

Ut nullus Judex, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum sinè consensu Episcopi sui distringat.

XVII. Ut nullus Judex neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum, aut juniorem Ecclesiæ, extra conscientiam Pontificis, per se distringat, aut condemnare præsumat. Quod si quis hoc fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam inrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatum suum cognoscat, & emendet.

Ut nullus Episcoporum, vel sæcularium alterius cujusquam res retinere præsumat.

XVIII. Ut nullus Episcoporum, vel sæcularium cujuscunque alterius Episcopi, sive Ecclesiæ, sive privati res, aut regnorum divisione, aut Provinciarum

rum sequestratione competere, aut retinere præsumat. Quòd si quis hoc facere tentaverit; tamdiu sit ab omnium caritate suspensus, & à communionis gratia sequestratus, quoadusque res ablatas cum fructuum satisfactione restituat.

Baluzius Tomo I. Capitularium pag. 189.



CONVENTUS WORMATIÆ

Anno Christi DCCLXXII. Stephani III. Papæ V. Caroli Regis IV.

Wormatiæ populi Conventus, quem alii SYNODUM vocant, eò quod Episcopi Regni simul adessent, & de rebus Ecclesiasticis etiam, quæ necessaria viderentur, constituerent.

Decretum est hîc Bellum Saxonibus inferendum, quod per XXXIII. annos gestum fuit.

Eginhardus Cap. VII. & Poëta Saxo.

Eodem in Conventu Wormatiensi Carolus cum Episcopis de convertendis Saxonibus ad fidem consilia contulit, quod Eigil in vita Sturmii *cap.* 22. *prodit his verbis:*

Regente feliciter Domino Rege Carolo annos quatuor, Saxonum gens sæva, & infestissima cunctis fuit, & Paganis ritibus nimis dedita. Rex verò Carolus, Dominus semper devotus, cùm ipse Christianissimus esset, cogitare cœpit, qualiter gentem hanc Christo acquirere quivisset?

Inito Servorum Dei consilio poposcit, ut precibus Dominum suis votis annuere obtinerent. Congregato tam grandi conventu, invocato Christi nomine, Saxoniam profectus est, adsumptis universis Sacerdotibus, Abbatibus, Presbyteris, & omnibus Orthodoxis, ac Fidei Cultoribus, ut gentem, quæ ab initio mundi Dæmonum vinculis erat obligata, doctrinis sacris, mite & suave Christi jugum credendo subire fecissent. Quò, cùm Rex pervenisset, partim bellis, partim suasionibus, partim etiam muneribus maxima ex parte gentem illam ad fidem Christi convertit.

Eckhart. Hist. Franc. L. XXIV. §. CXXIX. pag. 619.

Megingaudum, Wurceburgensem Episcopum, eò quod Ecclesiæ Saxonicæ & Sclavicæ ipsius curæ commissæ essent; Carolum Regem ante alios Episcopos comitatum esse, nullus dubito. ait *Eckhart. loc. cit.*



CONCILIUM BAVARICUM

APUD DINGOLVINGAM,

XXII. Anno Tassilonis Ducis Bavariæ celebratum, tempore Hadriani Papæ primi, Anno Christi DCCLXXII.

De Concilio, quod Dux Tassilo apud Dingoluingam celebravit.

Regnante in perpetuum Domino nostro JESU CHRISTO, in anno verò XXII. Regni Religiosissimi Ducis Tassilonis gentis Bajoariorum, sub die (*a*) consu-

(*a*) *Callisti* conjicit Canisius, cujus memoria agitur pridie Idus Octobris: verùm cùm eadem forma

consulem, quod erat II. Id. Octob. atque anno ab Incarnatione Dominica DCC LXXII. Indict. X. Divinâ præflatus inspiratione, ut omne Regni Dei prænotatus Princeps collegium procerum coadunaret in villam publicam, Dingoluingam nuncupatam, ut ibi tam regulare moderaretur in sancto habitu Cœnobium virorum, & puellarum, quàm Episcopales moderaretur obsequias, insuper gentis suæ institutiones legum per (*b*) primatos imperitos, universa consentiente multitudine, quæ reperit (*c*) diuturna vitiata, & quæ videbantur abstrahendo evellere, & quæ decretis placerent, componendo instituerentur. Inter tot verò collegia Sacerdotum, devolutis Episcoporum & Abbatum in præsentia paginis, regularis ordines vitæ atque canonum normas, vel decreta Patrum nullis comprobare quiverant testimoniis, ut Monachis Parochiæ commendari deberent, vel publica baptismatis obsequia, nisi forte pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio, excepto (*d*) vicissitudinis villarum propriarum singulis annis obedientialibus curis commissio ab Abbate proprio fuerit determinata. Unde ab universis Abbatibus facta professio, ut minimè titulis popularibus se ingerere depellerentur, & hæc omnia, cui commissæ sunt plebes, sub potestate Episcoporum permanerent, sicut in sanctis Synodis, vel Decretis priscorum Patrum perarata comprobat conscriptio, ab Episcopis vero simili modo. Et nihilominus (*e*) prælatis ponderaverunt sententiis, ut erga eos caritatis gererentur curæ, ità ùt canonica autoritas confirmat, & spiritualis concordia declarat. Hoc peracto Concilio, & ab universis uno ore confirmato, ut si quis de eadem institutione deviare præsumpserit, à Collegio eorum alienetur, usque iterato examine, id est, publica Synodo.

Hæc sunt decreta, quæ constituit sancta Synodus, in loco, qui dicitur Dingoluingam, Domino (f) Tassilo mediante.

De die Dominico ità constitutum est, ut tali honore habeatur, sicut in lege scriptum est, & in decretis Canonum. Et si (*g*) quid præsumpserit frangere contra legem, aut decreta Canonum, tali pœnæ subjaceat, sicut ibi scriptum est.

De hæreditate, quæ tradita est ad Ecclesiam, ità constituit; ut, quisquis hæreditatem suam ad Ecclesiam ante donaverat, aut postea donaverit, si quid mutare voluerit, chartam suam habeat ità scriptam, ut locum, & tempus, & personam habeat, aut tribus fidelibus testibus, & nobilibus testificetur. Si Sacerdos non habeat chartam, nec testem, ùt prædiximus, tunc sicut in lege Bajoariorum, & Judex judicat, sic defendat.

I. (*h*) De eo, quòd Episcopi juxta Canones, & Abbates Monasteriorum juxta regulam viventes, ità constituit.

II. De eo, quòd Sanctimoniales, quæ in servitio Dei sunt, ità constituit, ut nullus ausus sit in conjugium & Matrimonium ducere; aut si quis ausus fuerit contra decreta Canonum, ità componat, sicut Canones decreverunt.

III. De eo, quòd jus ad legem, quam habuerunt in diebus Patris sui, nobiles & liberi, & servi ejus, ità donaverunt, ut firma fieret.

IV. De eo, quòd ut si qui de nobili genere & de hæreditate sua dare (*i*) ad Sanctuarium Dei, in sua potestate esset, nemo prohibuisset, nec mutaret in perpetuum.

V. De eo, quòd ut servi Principis, qui dicuntur Adelschalche (*k*) ut suam habeant Weregeldam, juxta morem, quem habuerunt sub parentibus, & cæteri minores Weregeldi juxta legem suam, ità constituit.

VI. De eo, quòd parentes Principis, quodcumque præstitum fuisset nobilibus intra Bajoarios, hoc constituit, ut permaneret, & esset sub potestate (*l*) unius-

R

forma *sub die consule* crebrò in literis Tassilonis recurrat, ad imitationem Romanorum eam formulam à Notariis Tassilonis adjectam suspicatur. P. Calles L. VII. *Annalium Germaniæ* p. 400.

(*b*) peritos primates. (*c*) *Forte* diuturnitate. (*d*) *Supple* si.

(*e*) *Forte* prolatis. (*f*) *pro* Tassilone. [*g*] *Fors* quis.

(*h*) Miratur Canisius, cur hic primùm Canones numerentur.

(*i*) *Subintellige:* vellent. (*k*) Vox Germanica: nobiles servos significat.

(*l*) Indicium clientelæ feudalis erga eos, qui fidi manebunt Domino donanti nobile feudum.

uscujusq; relinquendum posteris, quamdiu stabiles servâssent fœdere apud Principem ad serviendum sibi, & hæc firma permaneret, itâ constituit.

VII. De eo, ut nullus hæreditate sua privetur, nisi per tres causas (*m*) quas in pacto scribentur: propter homicidium, hoc est, ut quisquis hominem Principis sibi dilectum occiderit; ob injuriam Principis, & ad calumniam hominem componat secundùm legem, tunc privetur hæreditate sua.

VIII. De eo, quisquis mulierem nobilem acceperit in conjugium, & non præscivit, itâ constituit, ut iterum libera esset, dimittat servum, & postea non redigatur in servitium, sed esset libera.

IX. De eo, quòd & si quis de quocunque reatu accusatus ab aliquo potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare, si voluerit, antequam pugnam, quæ Wehadine vocatur, permittat.

De eo, quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis IV. causis, de qua supradiximus, si ille hæreditate sua portionem pro illius criminis reatu perdat, uxor autem illius suo jure non privetur, itâ constituit.

(*m*) *pro* quæ.

De collaudatione, quam Episcopi, & Abbates in Bajoaria inter se fecerunt, pro defunctis fratribus.

In Christi nomine: Notitia qualem convenientiam gentis Bajoariorum Episcopi & Abbates inter se fecerunt, quorum nomina infra perarare stylo decrevimus (id est) Manno Nuvenpurgensis civitatis Episcopus, Alim, Virgilius Wiserich, Sintpreth, Heres Episcopi; Oportunus, Wolfpreth, Adelpreth, Ato, Uto, Lantfrit, Albune, Ruothart, Ernest, Reginpreth, Volchanhart, Perchkoch, Sigido, Abbates. Ut eorum quis de hac luce migraret, unusquisque superstitum Episcoporum vel Abbatum pro defuncto in domo sua Episcopali, vel Cœnobio C. Missas speciales, & eodem numero Psalteria cantare faciat. Ipse verò de propria persona sua XXX. speciales Missas compleat, vel à Religiosis sibimet subjectis implere omninò prænotatum faciat numerum Presbyteris sive Monachis, cùm de hoc sæculo migrarint Episcopus seu Abbas, uno Presbytero vel uno Monacho XXX. Missas speciales, totidem Psalteria faciant celebrari.

Henricus Canisius edidit 1600. *Ingolstadiensi typo in* 4.

Binius anno 1618. *Tomi III. Concilior. Parte I.*

Marcus Velserus, vir doctissimus & nobilissimus, celeberrimæ Augustanæ Reip. Septemuir, hanc Synodum, vel potiùs fragmentum Synodi, supradicto tempore celebratæ, primus in lucem emisit, dentibúsque tinearum, & blattarum eripuit. Ex perveteusto codice, quem mendum acceperat, à Rever. & Magnif. Domino, Georgio Lautherio Ss. Theol. Doctore, & Monachii ad D. Virginem Præposito, idem Velserus propriâ manu exscripsit. *Notatio Canisii.*

Comitiis Bojorum hoc anno DCCLXXII. Dingoluiogæ habitis interfuerunt Episcopi Manno Nuenburgensis [qui vel unicus, vel certè postremus isti Ecclesiæ præfuit] Alimus Sabionensis, Virgilius Salisburgensis, Vilsericus Bataviensis, Simpertus Ratisbonensis, Aribo Frisingensis. Adfuêre præter Episcopos Abbates tredecim. *Notatio Adelzreiteri Consiliarii Parte I. Lib. VII. §. XLII. Annalium Boicæ Gentis.*

De Epocha hujus Synodi nota Marci Hansizii.

Synodographi & Adelzreiter ad annum Christi 772, & Tassilonis Ducis XXII. diem II. Idus Octobris referunt hanc Synodum; Sed annus XXII. Tassilonis respondet anno 769. Gewoldus refert ad annum XXIV. Tassilonis, qui est Christi 771. BARONIUS & COINTIUS censuerunt potiùs corrigendos annos Tassilonis, quàm incarnationis: & loco anni 22. vel 24. censent substituendum annum 25. Regni Tassilonis, qui mense Octobri 772. in Cursu erat. PAGIUS judicat calculum annorum à Librario recentiore adjectum, quia veteres membranæ nonnisi summam actorum hujus Synodi exhibent. *Vitus Arnpeckius in Chronico Bajoariæ L. II. Cap.* 35. De Tassilone scribit: " Hic est Tassilo, de quo scribitur in Libro Synodalium Statutorum Pataviensium his verbis: Anno XXVII. Regni Gloriosissimi Ducis Bajoariæ Tassilonis, Christi videlicet DCCLXXIV. pridie Idus Octobris, habitum est Concilium octodecim Capitulorum." Suspicatur HANSIZIUS verosimiliorem hanc Epocham: dici verò Pataviensem, quia in libro Statutorum Ecclesiæ Pataviensis relata esset, licet Dingoluingæ habita: demum coincidit dies pridie Idus Octobris pro 2do Idus Octobris. *Tomo II. Germaniæ sacræ, seu historiæ Archi-Episcopatûs Salisburgensis pag.* 93. 94.

Si vera est HANSIZII Epocha anni mortis Utilonis, & initii Ducatûs Tassilonis, anno 748 affixa: erit annus Christi 772, annus 24. vel 25. Tassilonis.

CODEX CANONUM
AB HADRIANO I. CAROLO REGI
DONATUS.

Incipiunt (*) Ecclesiasticæ Regulæ Sanctorum Apostolorum prolatæ per Clementem Ecclesiæ Romanæ Pontificem, quæ ex Græcis Exemplaribus in ordine primo ponuntur, quibus quam plurimi quidem consensum non præbuêre facilè, & tamen postea quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videntur. (*a*)

INCIPIUNT CANONES APOSTOLORUM.

De Ordinatione Episcopi.
CAPUT I.

Episcopus à duobus, aut tribus Episcopis ordinetur.

De Ordinatione Presbyterorum & Diaconorum vel cæterorum. CAP. II.

Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.

Nihil aliud in sacrificio, præter quod Dominus statuit, offerendum. CAP. III.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini alia quædam in Sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, & confecta quædam aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.

Quæ species ad Altare, non ad sacrificium, sed ad benedictionem debeant exhiberi.
CAP. IV.

Offerri (*a*) non liceat aliquid ad Altare præter novas spicas, & uvas & oleum ad Luminaria, & Thymiama, id est, incensum, tempore, quo Sancta celebratur oblatio.

R 2 *Quod*

(*) Hic titulus est in Codice CXV. MS. Bibliothecæ Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis, cujus Catalogum anno 1752. approbante Illustrissimo Capitulo vulgavimus. Est hic Codex scriptus sub pio Patre Hildebaldo Archi-Episcopo Coloniensi, Archi-Capellano, id est, summo Præfecto Capellæ Regiæ, Palatii, & Cleri Palatini, & Bibliothecæ Regiæ; adeóque coævus Hadriano, Carolo, & Hildebaldo, ùt frons libri præfert.

Ipse character membranacei Codicis Sæculum VIII. refert, & venerationem aspirat. Titulus scriptus est literis uncialibus rubro vel minio, & atramento variegatus. Similis titulus est Codicis veteris Ecclesiæ Beluacensis, ùt notat edidio elegantissima Codicis Canonum veteris Ecclesiæ Romanæ post Wendelstinum primum Editorem Germanum anno 1525, Parisiis facta à Pithoeo 1609. ac Pelleterio demum anno 1687. pag. 9.

Præter hunc Codicem CXV. etiam Codices CXVI. & CXVII. MSS. ejusdem Bibliothecæ adhibuimus, & cum illis contulimus editionem Moguntinam Wendelstinii, quàm hic denuo repræsentamus, sed collatam cum his MSS. quos indigitamus Codices his numeris: eum qui N. CXV. recensitus est 1mum, CXVI. 2dum, CXVII. 3tium appellamus brevitatis causâ: Plura in Præfatione primi voluminis attulimus argumenta, cur codicem Canonum prætulerimus *Epitome Canonum* hujusce Codicis à Binio Conciliis primò insertæ, & post ab aliis Synodographis recusæ, præterito codice, quem nos jam damus.

Tempore, quo Hadrianus PP. I. Romæ sedit ab 772. ad 795. Carolus ter Romam profectus fuit, nempe annis 774. 781. 787. Quo ex his annis codicem Canonum ab Hadriano acceperit, nos hactenus latet. *Eckhart T. I. rerum Franciæ L. 25. §. LXXXII.* PAGI in Critica ad annum 795. N. 4to.

(*a*) Omnes tres Codices habent hoc initium.

Quòd ea, quæ in Ecclesiis offerri non possunt, ad domus Sacerdotum à fidelibus deferantur.

CAP. V.

Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in Altari. Certum est autem, quod Episcopus & Presbyteri dividant (b) Diaconis, & reliquis Clericis.

Ut Episcopus, aut Presbyter uxorem suam, quam debet castè regere, non relinquat.

CAP. VI.

Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si verò rejecerit, excommunicetur, sed si perseveraverit, dejiciatur.

Ut Sacerdotes, & Ministri Altaris, Sæcularibus curis abstineant. CAP. VII.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam sæculares curas adsumat, sin aliter, dejiciatur.

Quo tempore Pascha celebretur. CAP. VIII.

Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus Sanctum Paschæ diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur.

Quod Ministri Altaris oblatione celebratâ debeant communicare. CAP. IX.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali catalogo factâ oblatione non communicaverit; aut causam dicat, ut, si rationabilis fuerit, veniam consequatur: aut si non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo causâ (c) læsionis extiterit, dans suspicionem de eo, qui sacrificavit, quod rectè non obtulerit.

Quod fideles laici ingredientes Ecclesiam communicare debeant. CAP. X.

Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines (d) Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari.

Quod cum Excommunicatis non sit orandum.

CAP. XI.

Si quis cum (e) excommunicato, saltem in domo simul oraverit, iste communione privetur.

Quod cum damnatis Clericis non sit orandum.

CAP. XII.

Si quis cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, simul oraverit, iste damnetur.

Ut nullus fidelium præter commendatitias suscipiatur epistolas. CAP. XIII.

Si quis Clericus aut Laicus à communione suspensus, seu communicans, ad aliam properet Civitatem, & suscipiatur præter commendatitias Literas, & qui susceperunt, & qui susceptus (f) communione priventur; Excommunicato verò proteletur ipsa correptio, tanquam qui mentitus sit (g) Ecclesiam Dei seduxerit.

Ut ab Episcopis aliena (h) *parochia minimè pervadatur.* CAP. XIV.

Episcopo non licere (i) alienam (k) parochiam, propriâ relictâ, pervadere, licèt cogatur à plurimis. Nisi fortè quis cum (l) rationabili (m) causâ compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre, & in causa religionis aliquid profectò prospicere. Et hoc non à semetipso pertentet, sed multorum Episcoporum judicio, & maximâ supplicatione perficiat.

Ut Clerici proprias Ecclesias non relinquant.

CAP. XV.

Si quis Presbyter, aut Diaconus aut quilibet de numero Clericorum relinquens propriam parochiam pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Episcopi sui conscientiam in aliena parochia commoretur, hunc ulteriùs ministrare non patimur. Præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in suâ inquietudine perseverans. Veruntamen tanquam laicus ibi communicet.

Ut Episcopus, qui Clericos alterius susceperit, communione privetur. CAP. XVI.

Episcopus verò, apud quem memoratos (n) esse constiterit. Si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans, tanquam clericos fortè susceperit: velut magister inquietudinis, communione privetur.

Ut

(b) Cod. 2. & reliqui Clerici. (c) Cod. 2. causam.
(d) Inquietudinis Cod. 1. & 2. (e) cum abest 2. Cod. (f) est Cod. 1. 2. 3.
(g) sit abest à Cod. 2. Cod. 1. & 3 sit & (h) Paroecia cod. 1.
(i) liceret Cod. 2. (k) Paroeciam Cod. 1. (l) eum Cod. 1. 2. 3.
(m) rationabilis causa Cod. 3. (n) Cod. 2. 3. memoratus

Ut (o) *bigami non admittantur ad Clerum.*
CAP. XVII.

Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse (*p*) Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.

Quod is, qui viduam, aut (q) *ejectam, aut meretricem acceperit, non admittatur ad Clerum.*
CAP. XVIII.

Si quis viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de iis (*r*) quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eo numero, qui ministerio sacro deserviunt.

Qui duas sorores habuerit, non admittatur ad Clerum. CAP. XIX.

Qui duas in conjugium sorores acceperit, vel filiam fratris, Clericus esse non (*s*) potest.

Clericum fidejussorem esse non posse.
CAP. XX.

Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur.

Quod ii, qui non spontè eunuchizati sunt, suscipiantur ad Clerum. CAP. XXI.

Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persequutione ejus sunt amputata virilia, vel si ità natus est, & est dignus; efficiatur Episcopus.

Ut is, qui se eunuchizavit, Clericus non fiat.
CAP. XXII.

Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia suus (*t*) homicida est, & Dei conditionis inimicus.

Ut Clericus, qui se eunuchizavit, abjiciatur à Clero. CAP. XXIII.

Siquis cùm Clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus est homicida.

Ut Laicus, qui se eunuchizavit, tribus annis communione privetur. CAP. XXIV.

Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione privetur, quia suæ vitæ insidiator exstitit.

Quod Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, si pro criminibus damnati fuerint, minimè communione priventur.
CAP. XXV.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in (*u*) fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur; non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura, non † vindicabit Dominus bis in idipsum.

Similiter & reliqui Ministri Ecclesiæ.
CAP. XXVI.

Similiter & reliqui Clerici huic conditioni subjaceant.

Qui (x) *Clerici debeant conjugibus copulari.*
CAP. XXVII.

Innuptis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut, si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores cantorésque tantummodo.

Quod Episcopus, Presbyter, & Diaconus peccantes fideles verberare non debeant.
CAP. XXVIII.

Episcopum, aut (*y*) Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, & per hujusmodi volentem (*z*) timeri, dejici ab officio suo præcipimus, quia nusquam nos hoc Dominus docuit. Econtrario verò ipse, cum percuteretur, non repercutiebat, cum malediceretur, non remaledicebat, cum pateretur, non comminabatur.

Quod officium pristinum damnati pro criminibus usurpare non debeant.
CAP. XXIX.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus depositus justè super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum; hic ab Ecclesia penitus (*a*) abscindatur.

Quod non debeant Officia Ecclesiastica pecuniis obtineri. CAP. XXX.

Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem; dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & à communione modis omni-

(*o*) Quod bigami Cod. 1. 2. 3. (*p*) non Episcopus Cod. 2. 3. (*q*) vel Cod. 1. 2.
(*r*) his Cod. 1. 2. 3. (*s*) non poterit Cod. 1. 2. 3. (*t*) his pro is Cod. 2.
(*u*) *in* abest à Cod. 2. (*x*) quod Clerici Cod. 1. (*y*) aut abest Cod. 2.
(*z*) volentes Cod. 2. 3. (*a*) abscidatur Cod. 1. 2. 3.

omnibus abſcindatur, (*b*) ſicut Simon Magus à Petro.

Ut Eccleſia ſæculari potentia minimè pervadatur. CAP: XXXI.

Siquis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes, qui illi communicant.

De Presbytero, qui contra Epiſcopum ſeorſum conventus congregare tentaverit.

CAP. XXXII.

Siquis Presbyter contemnens Epiſcopum ſuum ſeorſum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil habens, quo (*c*) reprehendat Epiſcopum in causâ (*d*) pietatis & juſtitiæ: deponatur, quaſi principatûs amator exiſtens, eſt enim tyrannus, & cœteri Clerici, quicunque tali conſentiunt, (*e*) deponantur, Laïci verò ſegregentur. Hæc autem poſt unam & ſecundam, & tertiam Epiſcopi obſecrationem fieri conveniat.

Quod Clerici damnati non debeant ab aliis recipi. CAP. XXXIII.

Siquis Presbyter, aut Diaconus ab Epiſcopo ſuo ſegregetur, hunc non licere ab alio recipi, ſed ab ipſo, qui eum ſequeſtraverat, (*f*) niſi forſitan obierit Epiſcopus ipſe, qui eum ſegregâſſe cognoſcitur.

Ut nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ſinè commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis.

CAP. XXXIV.

Nullus Epiſcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum ſinè commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis, & cum ſcripta detulerint, diſcutiantur attentiùs, & ità ſuſcipiantur, (*g*) & ſi Prædicatores pietatis extiterint minus, nec (*h*) quæ ſunt neceſſaria ſubminiſtrentur eis, & ad Communionem nullatenus admittantur, quia per ſubreptionem multa proveniunt.

De primatu Epiſcoporum.

CAP. XXXV.

Epiſcopos (*i*) gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut Caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quam illa ſola ſinguli, quæ parochiæ (*k*) propriæ, & villis, quæ ſub ea ſunt, competunt: ſed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid, ſic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu Sancto.

Quod non liceat Epiſcopum in alienâ Provinciâ Clericos ordinare. CAP. XXXVI.

Epiſcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus, & (*l*) villis, quæ illi nullo jure ſubjectæ ſunt: ſi verò convictus fuerit hoc feciſſe præter eorum conſcientiam, qui civitates illas (*m*) & villas detinent: & ipſe deponatur, & qui ab illo ſunt ordinati.

De ordinatis Epiſcopis, nec receptis.

CAP. XXXVII.

Siquis Epiſcopus non ſuſceperit officium, & curam populi ſibi commiſſam; hic communione privetur, quoadusque conſentiat obedientiam (*n*) commodans, ſimiliter autem & Presbyter & Diaconus. Si verò perrexerit, nec (*o*) receptus fuerit, non pro ſuâ ſententiâ, ſed pro malitia populi, ipſe quidem maneat Epiſcopus, Clerici verò civitatis communione priventur: (*p*) eo quod eruditores inobedientis populi non fuerunt.

Ut bis in anno Concilia celebrentur.

CAP. XXXVIII.

Bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, ut inter ſe invicem dogmata pietatis explorent & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoveant, ſemel quidem quarta ſeptimana pentecoſtes, ſecundò (*q*) die XII. die menſis Hyperſis Hyperberetæi: id eſt, juxta Romanos quarto Idus Octobr.

Ut tantùm curam rerum Eccleſiaſticarum Epiſcopus habeat. CAP. XXXIX.

Omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet: nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei ſunt, condonare. Quod ſi pauperes ſunt, can-

(*b*) abſcidatur Cod. 1. 2. 3. (*c*) quod Cod. 1. 2. 3. (*d*) in cauſam Cod. 1.
(*e*) deponantur *abeſt* à Cod. 1. 2. 3. (*f*) ſequeſtraverit Cod. 2.
(*g*) abeſt *&* à Cod. 2. 3. (*h*) neque Cod. 1. 2. 3. (*i*) Epiſcopus Cod. 2.
(*k*) paroeciæ Cod. 1. (*l*) in villis Cod. 3. (*m*) ipſas Cod. 1. 2. 3.
(*n*) *&* commodans Cod. 2. (*o*) & receptus Cod. 1. [*p*] *eo* abeſt ab 1. & 3. Cod.
[*q*] verò Cod. 1. 2. 3.

tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædet. (r)

De dignitate Pontificis, & quod rerum suarum habeat potestatem. CAP. XL.

Presbyteri, & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent, nam Domini populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum (s) hic redditurus est rationem. Sint autem manifestæ res propriæ Episcopi (si tamen habet proprias) & manifestæ Dominicæ, ut potestatem habeat, de propriis moriens Episcopus (t) sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere. (u) Nec sub occasione Ecclesiasticarum rerum, (x) quæ Episcopi esse probantur, intercidant, fortassis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut servos. Et justum est hoc apud Deum, & homines, ut nec Ecclesia (y) detrimentum patiatur, ignoratione rerum Pontificis, nec Episcopus, vel ejus propinqui sub obtentu Ecclesiæ proscribantur, & in causas incidant, qui ad eum pertinent, morsque ejus injuriis malæ famæ subjiciatur.

Quod Episcopus Ecclesiasticarum rerum pro dispensatione pauperum habeat potestatem.
CAP. XLI.

Præcipimus, ut in potestate suâ Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum preciosæ illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ità ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex iis (z) autem quæ indiget (a) (si tamen indiget) ad suas necessitates, & ad peregrinorum fratrum usus (b) ipse percipiat, (c) ut nihil eis possit omnino deesse. Lex enim Dei præcipit, ut, qui Altari deserviunt, de Altari pascantur, quia nec miles stipendiis propriis contra hostes arma (d) sustulit.

Quod Episcopus, Presbyter, & Diaconus aleator, & ebriosus esse non debeat.
CAP. XLII.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati derserviens, aut desinat, aut certè damnetur.

Similiter Clerici, & Laici, si permanserint in alea, communione priventur.
CAP. XLIII.

Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut (e) communione privetur - similiter etiam Laicus.

Quod Episcopus, Presbyter, aut Diaconus non debeat usuras accipere.
CAP. XLIV.

Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus usuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certè damnetur.

Quod non debeat Episcopus, Presbyter, aut Diaconus cum hæreticis orare.
CAP. XLV.

Episcopus, Presbyter, & Diaconus, qui cum hæreticis oraverit, tantummodo communione privetur, si verò tanquam Clericos (f) hortatus eos fuerit agere, vel orare, damnetur.

Quod non debeant hæreticorum baptismata comprobari. CAP. XLVI.

Episcopum, aut Presbyterum, hæreticorum suscipientem baptisma damnari præcipimus, quæ enim (g) conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?

Quod Ecclesiæ baptismate baptizatus denuò baptizari non debeat, & non ità baptizatus debeat baptizari.
CAP. XLVII.

Episcopus, aut Presbyter, si eum, qui secundùm veritatem habuerit baptisma, denuò baptizaverit, aut (h) pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanquam deridens crucem, & mortem Domini, nec Sacerdotes à falsis Sacerdotibus jure (i) discernens.

Laicum pellentem suam conjugem communione privandum. CAP. XLVIII.

Si quis Laicus uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.

Quod

[r] deprædetur Cod. 1. 2. [s] *hic* abest à Cod. 2. (t) siqnis Cod. 2.
(u) Episcopus ne sub cod. 2. (x) quod cod. 2. (y) Ecclesiam cod. 1.
(z) his cod. 1. 2. 3. (a) si tamen indiget *abest* à cod. 2. 3. (b) & cod. 1.
(c) & *pro* ut cod. 2. (d) sustollet cod. 1. 2. 3. (e) à communione non *aut* cod. 2.
(f) Clericus ortus cod. 1. (g) *enim* abest à cod. 1. (h) si pollutum cod. 2. 3.
(i) non discernens cod. 2.

Quod in nomine Trinitatis debeat baptizari.

CAP. XLIX.

Si quis Episcopus aut presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, sed in tribus sine initio, principiis, aut in tribus Filiis, aut in tribus paracletis, abjiciatur.

Quod non debeat una mersio in baptismate, quasi in morte Domini, provenire.

CAP. L.

Si quis Episcopus, aut presbyter non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus, in morte meâ baptizate, sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

EXPLICIUNT CANONES APOSTOLORUM.

INCIPIUNT TITULI CANONUM NICÆNI CONCILII.

NUMERO XX.

I. De Eunuchis, qui se ipsos absciderunt.
II. De his, qui ex gentilibus post baptisma ad Clericatûs ordinem promoventur.
III. De subintroductis mulieribus.
IV. De his, qui ad Episcopatum in Provinciis provehuntur.
V. De Excommunicatis.
VI. De Privilegiis, quæ quibusdam Civitatibus competunt.
VII. De Episcopo Æliæ, id est, Hierosolymorum
VIII. De his, qui dicuntur Cathari, id est, mundi.
IX. De his, qui ad honorem Presbyterii sine examine provecti sunt.
X. De his, qui in persecutionibus negaverunt, & postmodum in Clero promoti sunt.
XI. De Laicis, qui negaverunt.
XII. De his, qui abrenunciaverunt, & iterum ad Sæculum sunt regressi.
XIII. De his, qui communionem tempore mortis exposcunt.
XIV. De Catechumenis lapsis.
XV. Quod non oporteat demigrari.
XVI. De his, qui in Ecclesiis, in quibus provecti sunt, minimè perdurârunt.
XVII. De Clericis usuras accipientibus.
XVIII. De privilegiis Presbyterorum.
XIX. De his, qui à Paulo Samosateno ad Ecclesiam veniunt.
XX. De flectendo genua.

INCIPIT (a) CONSTITUTIO, ET FIDES

NICÆNI CONCILII SUBDITIS CAPITULIS SUIS.

FActa (b) est autem hæc Synodus apud Nicæam Bithyniæ, Consulatu Constantini Augusti & Licinii, XIII. Calendarum Juliarum, qui est apud Græcos XVIII. dies mensis eorum secundùm Alexandriam XXXI. Et placuit, ut hæc omnia mitterentur ad Episcopum urbis Romæ Sylvestrum. (c)

Credimus in unum Deum Patrem, omnipotentem, omnium visibilium, nec non & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non creatum, Homousion, hoc est, ejusdem (d) substantiæ. Per quem omnia facta

(a) Incipiunt cod. 2. (b) Factum cod. 2. (c) Ex Græco in Latino versa sermone cod. 3.
(d) cum Patre cod. 1. 2. 3.

facta sunt, cœlestia, & terrena.

Qui propter nos homines, & propter salutem nostram descendit, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertiâ die. Ascendit in cœlum, venturus indè judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt; Erat tempus, quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat, & quia (*e*) ex (*f*) nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse Trepton, hoc est, convertibilem, aut mutabilem Filium Dei, hos (*g*) anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.

INCIPIT PRÆFATIO S.S. CONCILII.

Concilium sacrum, venerandi culmina juris,
Condidit, & nobis congrua frœna dedit.
Ut benè fundatus, justo moderamine possit,
Intemerata gerens, Clericus ordo regi.
Pontifices summi veterum præcepta sequentes
Planius hæc monitis exposuêre suis.
Hinc fidei nostræ se pandit semita, & omnes
Errorum damnant dogmata sancta vias.
Quisque Dei famulus fuerit, Christique Sacerdos,
Hoc sale conditus, dulcia mella fluit.

INCIPIUNT CANONES NICÆNI CONCILII.

(*h*) Canones Nicæni Concilii.

De Eunuchis, & qui seipsos absciderunt.

CAPUT I.

Siquis à medicis per languorem desectus est, aut (*i*) à Barbaris (*k*) excisus, hic in Glero permaneat. Siquis autem (*l*) seipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstineri † (*m*) convenit, & deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his, qui hanc rem affectant, vel (*n*) ausi sunt seipsos abscindere; (*o*) hæc, quæ diximus, statuta sunt: Ita si qui vel à Barbaris, vel à Dominis suis eunuchi facti sunt, & probabilis vitæ sunt, tales suscipit Ecclesiastica regula ad Clerum.

De his, qui ex gentilibus post baptisma ad Clericatûs ordinem promoventur.

CAP. II.

Quoniam plura aut per necessitatem, aut (*p*) aliàs cogentibus hominibus adversùs Ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex gentili vitâ nuper accedentes ad fidem, & instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spiritale perducerent, simúlque ut baptizati sunt, ad Episcopatum, vel ad Presbyterium promoverent: optimè placuit, nihil tale de reliquo fieri.

Nam & tempore opus est ei, qui catechizatur, & post baptisma probatione quàm plurima. Manifesta est (*q*) enim Apostolica Scriptura, quæ dicit: *Non Neophytum*, (*r*) *ne in superbiam elatus in judicium incidat, & laqueum diaboli.* Si verò processu temporis aliquod delictum animæ circa personam reperiatur hujusmodi, & à duobus vel tribus testibus arguatur: à Clero talis abstineat. Siquis autem præter hæc fecerit, quasi contra magnum Concilium se efferens: ipse de Clericatûs honore periclitabitur.

De subintroductis mulieribus.

CAP. III.

Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi fortè Matrem, aut Sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt.

(*e*) *qui* cod. 2. (*f*) *ex* abest à cod. 1. 3. (*g*) hoc cod. 1.
(*h*) hic titulus deest à cod. 1. 2. 3. (*i*) *aut* abest à cod. 2. (*k*) abscisus cod. 1. 2. 3.
(*l*) se, non seipsum cod. 1. 2. 3. (*m*) conveniat cod. 1. 3. (*n*) audentque cod. 1. 3.
(*o*) dictum sit, Sic eos, quos aut Barbari aut Domini castraverunt, inveniuntur autem alias dignissimi, tales ad Clerum suscipit regula. cod. 1. & 3.
(*p*) aliis cod. 2. (*q*) autem cod. 1. (*r*) Ad Timoth. III, 6.

De his, qui ad Episcopatum in Provinciis provehuntur. CAP. IV.

Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem: tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur, firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.

De Excommunicatis.

CAP. V.

De his, qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamque provinciam: Sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio (r) quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari: ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones. Et sic, qui (s) suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur: usquequo, vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem, ante Quadragesimam Paschæ: ut omni dissensione sublatâ munus offeratur Deo purissimum. Secundum verò, circa tempus Autumni.

De Privilegiis, quæ quibusdam Civitatibus competunt. CAP. VI.

Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libiam, & Pentapolim, itâ, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem. Quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem, & apud Antiochiam, cæterásque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod siquis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres, propter contentiones proprias, contradicunt; obtineat sententia plurimorum.

De Episcopo Æliæ, id est, Hierosolymorum.

CAP. VII.

Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salvâ Metropoli propriâ dignitate.

De his, qui dicuntur Cathari, id est, mundi.

CAP. VIII.

De his, qui se cognominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto & magno Concilio, ut impositionem manûs accipientes sic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ (t) & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur; id est, bigamis se communicare, & his, qui in persecutione prolapsi sunt, erga quos & spatia constituta (u) & tempora definita, itâ ut Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ placita sequantur in omnibus. Ubicunque verò, sivè in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati: qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent, ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, vel presbytero constituto quidam ex illis adveniunt, certum est, quod Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem, qui nominatur apud eos Episcopus, honores (x) presbyterii possidebit, nisi fortè placuerit Episcopo nominis eum honore censeri, si verò hoc ei minimè placuerit, providebit ei aut Corepiscopatûs, aut presbyterii locum, ut in Clero prorsus esse videatur, (y) ne in una Civitate duo Episcopi probentur existere.

De his, qui ad honorem Presbyterii sine examine provecti sunt. CAP. IX.

Si qui presbyteri sine examine sunt provecti, vel, cùm discuterentur, peccata sua confessi sunt & homines contra Canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit, quia quod inreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

De

(r) aliquolibet cod. 1. 2. (s) è suo cod. 2. (t) & *Apostolicæ* abest à 2.
[u] *sunt* in tribus additur. [x] honorem cod. 1, 2. 3. [y] & ne cod. 2.

De his, qui in persecutionibus negaverunt, & postmodum in Clero promoti sunt.

CAP. X.

Quicunque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponantur. (z)

De Laicis, qui negaverunt. CAP. XI.

De his, qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter oblationem facultatum, aut præter periculum, aut aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii: placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicunque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur: & sex annis omni se contritione dejiciant, duobus autem annis sinè oblatione populo in oratione communicent.

De his, qui abrenuntiaverunt, & iterum ad sæculum sunt (a) *regressi.*

CAP. XII.

Quicunque vocati per gratiam primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiæ cingulum: postmodùm verò ad proprium vomitum sunt relapsi, ità ut quidam & pecunias (b) tribuerent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis post triennii tempus (quo inter audientes erunt) in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum & speciem pœnitentiæ convenit explorare, quotquot enim metu & lacrymis, atque patientiâ, vel bonis operibus rebus ipsis conversionem suam, non simulationem demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Postmodùm verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicunque verò indifferenter tulerunt, (c) & (d) aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

De his, qui communionem tempore mortis exposcunt. CAP. XIII.

De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ità, ut, si quis egreditur è corpore, ultimo, & necessario viatico minimè privetur. Quòd si desperatus & consecutus communionem, oblationisque particeps factus iterum convaluerit: sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

De Catechumenis lapsis. CAP. XIV.

De Catechumenis Sancto & magno Concilio placuit, ut tribus annis sint inter audientes tantummodo, post hæc autem cum Catechumenis orent.

Quod non oporteat demigrari. CAP. XV.

Propter multam perturbationem, & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur (e) admissa, ità ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Si quis autem post definitionem Sancti & magni Concilii tale quid agere tentaverit, & se hujuscemodi negotio mancipârit: hoc factum prorsus in irritum ducatur, restituatur Ecclesiæ cui fuit Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.

De his, qui in Ecclesiis, in quibus provecti sunt, minimè perdurârunt.

CAP. XVI.

Quicunque temerè, periculosè, neque timorem (f) præ oculis habentes, nec Ecclesiasticam regulam agnoscentes, discedunt ab Ecclesia Presbyteri, aut Diaconi, vel quicunque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur, quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit, is qui regulæ mancipatur: (g) ordinatione hujuscemodi irritâ comprobetur.

De

(z) deponuntur cod. 1. 2. 3. (a) reversi cod. 3. (b) tribuerunt cod. 2. 3.
(c) tulerint cod. 1. 2. (d) habitum cod. 1. 2. 3. (e) ammissa cod. 1. 2. 3.
(f) Dei cod. 1. 2. 3. (g) ordinatio cod. 1. 2. 3.

De Clericis usuras accipientibus.

CAP. XVII.

Quoniam multi sub regula constituti avaritiam, & turpia lucra sectantur, obliti que Divinæ Scripturæ, dicentis: *Qui pecuniam (g) suam non dedit ad usuram*; mutuum dantes centesimas (*h*) exigunt justè censuit Sancta & magna Synodus, ut, si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliquâ, vel quolibet modo negotium transigens aut Hemiola (id est, sescupla) exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratiâ: dejiciatur à Clero, & alienus existat à regula.

De Privilegiis Presbyterorum.

CAP. XVIII.

Pervenit ad Sanctum, magnúmque Concilium, quòd in quibusdam locis & civitatibus, presbyteris gratiam Sacræ Communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quòd quidam Diaconi ante Episcopos Sacra oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in suâ Diaconi mensura permaneant, scientes, quòd Episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem presbyteris habeantur per ordinem: ergo post presbyteros gratiam Sacræ communionis accipiant, aut Episcopo, (*k*) aut presbytero porrigente; sed nec sedere in medio presbyterorum Diaconis liceat, quia si hoc fiat; præter regulam, & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

De his, qui à Paulo Samosateno ad Ecclesiam veniunt. CAP. XIX.

De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut Baptizentur omnimodis. Si qui autem de his præterito tempore fuerint in Clero, si quidem immaculati & irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ: quòd si discussio incongruos eos invenerit, abjici tales conveniet, similiter autem & de Diaconissis, & omnino de his, qui sub regula versantur, hæc forma servabitur. Meminimus autem de Diaconissis, quæ in eodem habitu esse probantur, quod non habeant manûs impositionem, & ideo modis omnibus eas inter Laicos deputari.

De flectendo genua. (*l*)

CAP. XX.

Quoniam sunt quidam in die Dominico Genua flectentes, & in diebus pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit Sancto Concilio stantes Domino vota persolvere.

EXPLICIUNT CANONES NICÆNI CONCILII.

(*g*) Psal. XIV, 5. (*h*) centesimos cod. 1. 2. 3. (*i*) ad exinventionem cod. 1. 2.
(*k*) eis cod. 1. 2. 3. (*l*) genu cod. 1. 2. 3.

Et subscripserunt CCCXVIII. qui in eodem Concilio convenerunt.

OSIUS Episcopus civitatis Cordubensis, Provinciæ Spaniæ, dixit, ità credo, sicut superius scriptum est. Victor & Vincentius presbyteri urbis Romæ subscripserunt.

PROVINCIÆ ÆGYPTI.

		Ita Codex I.
Alexander	Alexandriæ magnæ	
Naucration *	Naucratiles	alias Alsecranon
Adamantius	Cynopolites	alias Cynon
Alberion	Parætonii	alias de Parpheto
Philippus	Paremphiteos	alias Parafyseos
Potamon	Heracleotes	alias Heracleos
Secundus	Ptolemaites	alias Ptolemaidos
Dorotheus	Pelusiotes	alias Pelusianus
Cajus	Muethos	Muethos
Anthiochus	Memphites	alias Mempheos
Tiberius	Tarichites **	Jacothiles

* Alsocration cod. 1. ** Tauthiles cod. 1.

PRO-

PROVINCIÆ THEBAIDOS.

			Ità Cod. I.
Atlas	Schediæ	(	alias Schedras
Tyrannus	Antinoëæ	(	alias Antinon
Volusianus	Lycopolytes	(	alias Lycon.

PROVINCIÆ LYBIÆ.

Dathes	Berenices		
Zephyrus	Barces		
Serapion	Antiphrensis		
Secundus	Tautitanensis	(	alias Tauchinbiaes
Titus	Paratonii		

PROVINCIÆ PALÆSTINÆ.

Macarius	Hierosolymitanus		
Germanus	Neopolitanus		
Marinus	Sebastenus		
Cajanus	Cæsariensis		
Eusebius	Gadareus	(	alias Gadarensis
Sabinus	Ascalonitanus		
Longinus	Nicopolitanus		
Petrus	Jamnites	(	alias Jamniensis
Macrinus	Eleutheropolites		
Maximus	Maximianopolitanus		
Paulinus	Maximianopolitanus		
Januarius	Hierichuntinus	(	alias Jerichuntus
Heliodorus	Zabulonites	(	alias Zabulon
Aetius	Lyddensis	(	alias Lybdensis
Sylvanus	Azotus	(	alias Azoti
Patrophilus	Zabulonites		
Asclepius	Lyddensis	(	alias Lyddon
Petrus	Scythopolitanus		
Antiochus	Gazæus	(	alias Gazes
Selis	Capitoliensis	(	alias Capitoliados

PROVINCIÆ PHÆNICES.

Zenon	Tyrius	(	alias de Tyro
Æneas	Ptolemaidos		
Magnus	Damascenus		
Theodorus	Sidonius	(	alias Sydonos
Hellanicus	Tripolitanus	(	alias Tripoleos
Philocalus	Paneates	(	alias Paneados
Gregorius	Berytius	(	alias Beryti
Martinus	Palmyrenus	(	alias Palmyron
Thalassus	Alassius	(	alias Alassus
Anatolius	Emisenus	(	alias Emises

PROVINCIÆ SYRIÆ COELES.

Eustachius *	Antiochenus		
Zenonius	Seleucenus	(	alias Seleuciæ
Theodorus	Laodicensis		
Alphius	Apamiensis	(	alias Apamiæ
Bassianus	Rhaphaneotes		
Philotinus	Hieropolitanus		
Piperius	Samosatenus		
Archelaus	Dolichenus	(	alias Dolices
Euphranor	Balaneotes	(	alias Balaneon
Palladius **	Corepiscopus		

* Eusthathios cod. 1. ** Salados cod. 1.

Ita Cod. I.

Zoilus	Gabalites	alias Gabalon
Baffus	Zeugmatites	alias Zeugmatos
Leontius	Lariffæus	
Euftachius	Arethufius	
Mauritius	Fpiphaneus	alias Epiphaniæ
Paulus	Neocæfarienfis	
Syricius	Cyrreftes	alias Cyri
Seleucus	Corepifcopus	
Petrus	Gindarenus	alias Gindaron
Pegafius	Ambacinianenfis	alias Ambacmianon
Pafon	Gabenus	alias Gambulenus
Gerontius	Chariffonenfis	alias Chariffon

PROVINCIÆ ARABIÆ.

Nicomachus	Boftrorum	alias Boftron
Cyrion	Philadelphiæ	
Gennadius	Isbundorum	alias Isbundon
Severus	Sodomorum	alias Sodomitanus
Sopater	Patumius	Eriftisbolanus
Severus	Dionyfiados	

PROVINCIÆ MESOPOTAMIÆ.

Ethilaus	Edeffenus	
Jacobus	Hebetenfis	alias Befthebios
Antiochus	Refinates	alias Refienas
Marcus	Macedonopolitanus	alias Macedonopolis

PROVINCIÆ PERSIDIS.

Joannes	Perfidis.	

PROVINCIÆ CILICIÆ.

Theodorus	Tarfenfis	
Alphion	Epiphaniæ	
Narciffus	Nerodiadis	alias Nerodianus
Moyfes	Caftabalenfis	alias Caftabalon
Nicefias	Flaviados	alias Flabiadenfis
Eudæmon	Corepifcopus	
Paulinus	Adanenus	alias Adanon
Macedonius	Mopfeates	vel Mopfuheftienfis
Tarcondunantus	Aegirates	alias Egettanus
Hefychius	Alexandriæ minoris	
Narciffus	Hierapolitanus	alias Irenupolis.

PROVINCIÆ CAPPADOCIÆ.

Leontius	Cæfarienfis	
Eufetius	Tyaneus	alias Tyano
Euphrafus	Colonienfis	alias Coloniæ
Timotheus	Cirfiftrorum	alias Cirfiftron
Elpidius	Cumanus	alias Cumanos
Gregorius	Corepifcopus	
Stephanus	Corepifcopus	
Euphonius	Corepifcopus	
Rhodon	Corepifcopus	
Theophanius	Corepifcopus	

PROVINCIÆ ARMENIÆ MAJORIS.

Eulogius	Sebaftenfis	alias Sebaftenus
Ebetius	Satalenfis	alias Satalon

PRO-

PROVINCIÆ ARMENIÆ MAJORIS.

		Ità Cod. I.
Arsaphius	Sobinensis	alias Sobinon
Aerites	Diospontanus	alias Diosponti
Eutychianus	Amaseus	alias Amasiæ
Elpidius	Etesiarum	alias Etesion
Heraclius	Zelonensis	alias Zelon
Elpidius	Cumanus	

PROVINC. PONTIPOLEMONIACI.

Longinus	Neocæsariensis	
Domnus	Trapezuntius	alias Trapezuntos
Stratophilus	Pityusius	alias Pityuntos

PROVINCIÆ PAPHLAGONIÆ.

Philadelphus	Pompeiopolis	alias Pompeiopolites
Petronius	Jonopolis	alias Jonopolitanus
Hesychius	Amastridos	

PROVINCIÆ GALATIÆ.

Pancratius	& Marcus Ancyrani	
Dicasius	Thobarensis	alias Tabiensis
Erechorius	Plamatonensis	alias Plamaton
Gorgonius	Cynensis	alias Cynon
Philadelphus	Juliapolitanus	alias Juliapolis

PROVINCIÆ ASIÆ.

Theon	Cyzicensis	
Menophantus	Ephesinus	
Orion	Jassius	
Eutychius	Smyrnensis	
Mithres	Popanensis	alias Ypapton
Marinus	Hellenopolitanus	alias Ellevellespontenus
Paulus	Auderensis	alias Audensis

PROVINCIÆ LYDIÆ.

Artemidorus	Sardiensis	alias Sardeon
Soron	Thyaterensis	alias Thyatiron
Thomasion	Philadelphiæ	
Polion	Bareos	alias Barensis
Agogius	Tripolitanus	
Florentinus	Anticyræ	alias Antiquiras
Marcus	Standitanus	alias Standum

PROVINCIÆ PHRYGIÆ.

Nunechius	Laodicensis	
Flaccus	Sandensis	alias Sandu
Procopius	Synnadeus	alias Synadenon
Pisticus	Azanites	alias Azanon
Athenodorus	Dorilaeus	alias Doryleu
Paulus	Apameensis	alias Apamenus
Eugenius	Eucarpeus	alias Eucarpensis
Flaccus	Hieropolitanus	alias Hieropolites

PROVINCIÆ PISIDIÆ.

Eulalius	Iconiensis	alias Iconii
Telemachus	Adrianopolitanus	alias Adrianopolites
Eutychius	Seleuciensis	alias Seleuciæ
Vranion	Sutenonensis	alias Sinenon

Tarsi.

Ità Codex I.

Tarſitius	Apamienſis	alias Apamenus
Patritius	Ambladenſis	alias Amblades
Polycarpus	Metropolitanus	
Acumedios	Parenſis	alias Panon
Heraclius	Barenſis	alias Bareos

PROVINCIÆ LYCIÆ.

Eudæmus	Patarenſis	alias Pataron

PROVINCIÆ PAMPHILIÆ.

Callidicus	Pergenſis	alias Pergis
Eureſius	Termiſſenſis	alias Termiſſus
Feuxius	Siarbonenſis	alias Siarbon
Domnus	Aſpendius	alias Aſpendi
Quintianus	Seleucienſis	
Patritius	Maximianopolitanus	
Aphrodiſius	Magidenſis	alias Magidon

PROVINCIÆ INSULARES.

Euphroſynus	Rhodienſis	alias Rhodi
Meliphron	Cous	alias à Co
Strategius	Lemnius	alias Lemni
Apollodorus	Corcyræus	alias Corcyræ

PROVINCIÆ CARIÆ.

Euſebius	Antiochenus	
Ammonius	Amphrodiſius	
Leodius	Cibyritanus	alias Cibyraton
Euſebius	Mileſius	alias à Mileto

PROVINCIÆ ISAURIÆ.

Stephanus	Barathrenſis	alias Barathron
Athenæus	Coropaſius	alias Curpiſſu
Eteſius	Claudiopolitanus	
Agapetus	Seleucienſis	alias Seleuciæ
Sylvanus	Metropolitanus	
Fauſtus	Phanemutenſis	
Antonius	Antiochenus	
Neſtor	Syedreus	alias Syedron
Heſychius	Corepiſcopus	
Cyrillus	Sindenſis	alias Synnanadron
Theodorus	Vſagadenſis	alias Vſagadon
Theodorus	Corepiſcopus	
Anatolius	Corepiſcopus	
Paulus	Larinenſis	
Quintus	Corepiſcopus	
Tiberius	Lyſtrenſis	alias Lyſtron
Aquila	Corepiſcopus	
Euſebius	Parriciæ	

PROVINCIÆ CYPRI.

Cyrillus	Paphi	alias à Papho
Selanos	Selanonenſis	alias Selanon

PROVINCIÆ BITHYNIÆ.

Euſebius	Nicomedienſis	alias Nicomediæ
Theogenius	Nicænus	alias Nicææ
Maris	Chalcedonenſis	
Cyrillus	Chius	alias à Chio

Heſy-

Hefychius	Prufenfis	alias Prufes
Gorgonius	Apolloniates	alias Apolloniados
Georgius	Rufiates	alias Rufiados
Euethios	Adrianopolitanus	
Theophanes	Corepifcopus	
Rufus	Cæfarienfis	
Eulalius	Corepifcopus	
	PROVINCIÆ EUROPÆ.	
Phœdrius	Heraclienfis	(alias Heracliæ
	PROVINCIÆ DACIÆ.	
Protogenes	Sardicenfis	
Marcus	Metropolitanus	(alias Calabrienfis
Piftus	Martianopolitanus	
Cæcilianus	Metropolitanus	(alias Carthaginenfis
Alexander	Theffalonicenfis	
Dacius	Macedoniæ	
Piftus	Athenienfis	
Marcus	Eubocæ	
Strategius	Hephæftus	
Claudius	Theffaliæ	
Budion	Stridonenfis	alias Dardanicæ
Domnus	Metropolitanus	alias Pannoniæ
Nicafius	Galliarum	alias Divienfis
Theophilus	Gotthiæ	
Can	Bofpori	(alias Bofphorenus.

EXPLICIT SACRATISSIMUM NICÆNUM CONCILIUM.

Nicæna prima œcumenica Synodus CCCXVIII. Epifcoporum, celebrata fuit Nicææ in Bithynia, Anno Chrifti CCCXXV. à die XIII. Kal. Julii, Præpfidius Hofio Epifcopo Cordubenfi, & Vito, & Vincentio Presbyteris Romanis, Papæ Sylveftri locum & vices gerentibus. Paulino & Juliano coff. *Pagi in Critica ad h. a.*

INCIPIUNT TITULI CANONUM
ANCYRANI CONCILII.
NUMERO XXIV.

I. De Presbyteris, qui immolaverunt tempore perfecutionis.
II. De Diaconis, qui immolaverunt.
III. De his, qui ex fuga comprehenfi funt, & per vim pagani ritûs aliquid pertulerunt.
IV. De his, qui diverfis caufis gentilitatis ritûs aliquid peregerunt.
V. De his, qui timore ritûs gentilium peregerunt.
VI. De his, qui in locis idolorum manducaverunt.
VII. De his, qui frequenter idolis immolaverunt.
VIII. De bit, qui & aliis facrificandi caufas attulerunt.
IX. De Diaconis, qui tempore ordinationis de nuptiis atteftati funt.
X. De defponfatis puellis, & ab aliis corruptis.
XI. De his, qui, cùm effent catechumeni, idolis immolaverunt.
XII. Quòd non oporteat Corepifcopos ordinare Clericum, nifi in agris & villulis.
XIII. De his, qui efum carnium in Clero conftituti diffugiunt.
XIV. De rebus Ecclefiafticis eo tempore diftractis, quo ipfæ Ecclefiæ viduantur Epifcopis.
XV. De his, qui fornicantur irrationabiliter, id eft, qui mifcentur pecoribus, aut cum mafculis polluuntur.
XVI. De his, qui in pecudes, vel in mafculos, aut olim polluti funt, aut hactenus hoc vitio tabefcunt.
XVII. De his, qui ad Epifcopatum promoti funt, nec recepti.
XVIII. De his, qui virginitatem profeffi funt, & de his, quæ fub fororis habitu cum aliquibus commorantur.

XIX. De his, qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri comprobentur.
XX. De his, qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt.
XXI. De Homicidiis.
XXII. De his, qui non sponte homicidium commiserunt.
XXIII. De his, qui Divinationes expetunt.
XXIV. De his, qui Virginum corruptionibus conscii sunt.

INCIPIUNT REGULÆ ANCYRANI (a) CONCILII.

ISTæ Regulæ priores quidem sunt Nicænis: sed ideo Nicænæ priùs scriptæ sunt, propter authoritatem ejusdem magni, sanctique Concilii, congregati apud Nicæam.

De Presbyteris, qui immolaverunt tempore persecutionis. CAP. I.

PResbyteros immolantes & iterum luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem (b) aliquam, sed ex veritate fecerint, (c) ut iterum teneri viderentur, aut tormentis subjici, quo facinus pati viderentur inviti: hos ergo placuit honorem quidem sedis retinere, offerre autem illis, & sermonem ad populum facere, aut aliquibus Sacerdotalibus Officiis fungi non liceat.

De Diaconis, qui immolaverunt. CAP. II.

Diaconi similiter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant; cessent verò ab omni sacro Ministerio, sive à pane, sive in calice offerendo, vel prædicando. Quòd si quidam Episcoporum conscii sunt laboris eorum, & humilitatis, & mansuetudinis; & voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere, penes ipsos erit potestas.

De his, qui ex fuga comprehensi sunt, & per vim pagani ritûs aliquid pertulerunt. CAP. III.

Qui fugientes comprehensi sunt, vel à domesticis traditi, vel ademptis facultatibus sustinuère tormenta, aut in custodiam trusi, proclamaverunt se Christianos esse, & eo usque adstricti sunt, ut manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funestis sacrificiis admoverent, aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur, confitentes jugiter, se Christianos esse (d) & luctum rei, quæ contigit, incessabiliter ostendentes omni dejectione & habitu, & humilitate vitæ: (e) nos velut extra delictum constitutos, à communionis gratia non vetamus. (f) Si verò prohibiti sunt ab aliquibus, propter ampliorem cautelam, vel propter quorundam ignorantiam; statim recipiantur. Hoc autem similiter de Clericis & de Laicis cæteris observari conveniet. Perquisitum est autem & illud, si possunt etiam Laici, qui in has necessitatis angustias inciderunt, ad Clericatûs ordinem promoveri? Placuit ergo & hos, tanquam qui nihil peccaverunt, si & præcedens eorum vita probabilis sit, ad hoc officium provehi.

De his, qui diversis causis gentilitatis ritûs aliquid peregerunt. CAP. IV.

De his, qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnaverunt in idolio. Quicunque eorum, cùm ducerentur, lætiore (g) habitu fuerunt, & vestimentis pretiosioribus usi sunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes extiterunt, placuit eos inter [h] audientes uno anno constitui, succumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam

(a) Concilium Ancyranum verosimiliter anno Christi CCCXIV. celebratum fuit ab Episcopis decem & octo, & Canones XXIV. conditi fuêre. BINIUS Tomo I. Conciliorum exhibet Canones Græcos cum triplici versione latina: Dionysii exigui, Isidori peccatoris, & Gentiani Herveti.

(b) Codd. Colon. *inlusionem.*

(c) In codicibus Coloniensibus ita legitur: nec ante parentes, & affectantes, atque suadentes, ut æstimentur quidem tormentis aptari, sed his visu tantùm & habitu subjici: hos placuit honorem quidem retinere propriæ sedis; offerre verò, aut alloqui populum, aut omnino sacerdotalibus fungi officiis non licere.

(d) *Christianos esse* non legitur in 3. codicib. Colon.

(e) *hos.* codd. Colon.

(f) Codd. Colon. *vetari.*

[g] *latiores* Cod. 1. & 2.

[h] *inter* non legitur in Cod. 1.

am pervenire. Quotquot autem aſcenderunt templa veſte lugubri, & recumbentes per omne tempus flevêre diſcubitûs; ſi compleverunt pœnitentiam triennii temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur. Si autem non manducaverunt, biennio ſubjecti pœnitentiæ, tertio anno ſine oblatione communicent: ut perfectionem quadriennio conſequantur. Penes autem Epiſcopos erit poteſtas, modum converſionis eorum probantes, vel humaniùs ergo eos agere, vel amplius tempus addicere. Ante omnia verò præcedens eorum vita & poſterior inquiratur, & ità eis impertiatur humanitas.

De his, qui timore ritus gentilium peregerunt. CAP. V.

De his, qui minis tantùm ceſſere pœnarum, aut privatione facultatum territi, aut demigratione ſacrificaverunt: & hactenus pœnitudinis negligentes, neque converſi, nunc hujus Concilii tempore ſemet obtulerunt, converſionis ſuæ conſilia capientes, placuit, uſque ad magnum diem eos inter audientes ſuſcipi, & poſt magnum diem triennio pœnitentiam agere, & poſtmodum duobus annis ſine oblatione communicare, & tunc demum, ſex annis completis, ad perfectionis gratiam pervenire. Si verò quidam ante hanc Synodum ſuſcepti ſunt ad pœnitentiam, ex illo tempore initium eis ſexennii computetur. Si quod autem periculum, vel mortis exſpectatio, aut ex infirmitate, aut ex aliquâ occaſione contigerit, his ſub definitione ſtatuta communio non negetur.

De his, qui in locis idolorum manducaverunt. CAP. VI.

De his, qui feſtis diebus gentilium, in remotis eorum locis convivia celebrârunt, cibóſque proprios deferentes ibidem commederunt, placuit poſt pœnitentiam biennii eos ſuſcipi, utrum verò cum oblatione, ſinguli Epiſcoporum probantes vitam eorum, & ſingulos actus examinent.

De his, qui frequenter idolis immolaverunt. CAP. VII.

Hi, qui ſecundò, & tertiò ſacrificaverunt coacti, quatuor annis pœnitentiæ ſubjiciantur. Duobus autem aliis ſine oblatione communicent, & ſeptimo anno perfectè recipiantur.

De his, qui & aliis ſacrificandi cauſas attulerunt. CAP. VIII.

Quotquot autem non ſolùm ipſi deviaverunt, ſed etiam inſurrexerunt, & compulerunt fratres, & cauſas præbuerunt, ut cogerentur, hi per triennium quidem locum inter audientes accipiant, per aliud verò ſexennium pœnitentiæ ſubjiciantur acriori, & alio anno communionem ſine oblatione percipiant, ut perfectionem, expleto decennio, conſequantur. Inter hæc autem & eorum vita penſanda eſt.

De Diaconis, qui tempore ordinationis de nuptiis atteſtati ſunt. CAP. IX.

Diaconi, quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt: hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quòd eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicunque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manûs impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebunt.

De deſponſatis puellis, & ab aliis corruptis.

CAP. X.

Deſponſatas puellas, & poſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant deſponſatæ, etiamſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit.

De his, qui cùm eſſent Catechumeni, idolis immolaverunt. CAP. XI.

Eos, qui ante baptiſma ſacrificaverunt idolis, & poſtea baptisma conſecuti ſunt: placuit ad ordinem provehi, eò quod probentur abluti.

Quod non oporteat Corepiſcopos Clericos ordinare, niſi in agris & villulis.

CAP. XII.

Corepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris civitatis ſine præcepto Epiſcopi, vel literis, in unaquaque parochia.

De his, qui eſum carnium in Clero conſtituti diffugiunt. CAP. XIII.

Hi, qui in Clero ſunt Presbyteri, (*b*) & Diaconi, & à carnibus abſtinent, placuit eas quidem contingere, & ità ſi voluerint contingere. Quòd ſi in tantum eas abominantur, ut nec holera, quæ

T 2

(*b*) *aut* Cod. 3.

quæ cum eis coquuntur, existiment comedenda, tanquam non consentientes Regulæ, ab ordine cessare debebunt.

De rebus Ecclesiasticis eo tempore distractis, quo ipsæ Ecclesiæ viduantur Episcopis.

CAP. XIV.

De his, quæ pertinent ad Ecclesiam, quæcunque, cùm non esset Episcopus, Presbyteri vendiderunt, placuit rescisso contractu, ad jura Ecclesiastica revocari. In Judicio autem erit Episcopi, si pretium debeat recipi, nec ne. Quia plerúmque rerum distractarum reditus ampliorem summam pro pretio dato reddiderit.

De his, qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur. CAP. XV.

De his, qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur: quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentiâ, communionem mereantur orationum, deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis Sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, qualis tempore pœnitudinis extiterit, & ità misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsère criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peractâ XX. annorum ætate, & uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, XXV. annis pœnitudinem gerentes, in communionem suscipiantur orationum: in qua quinquennio perdurantes tunc demum oblationis Sacramenta percipiant. Quod si (*i*) & uxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ità deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

De his, qui in pecudes, vel in masculos, aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt. CAP. XVI.

Eos; qui irrationabiliter vixerunt, & leprâ injusti criminis alios polluerunt, præcepit Sancta Synodus, inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.

De his, qui ad Episcopatum promoti sunt, nec recepti. CAP. XVII.

Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias, & vim Præsulibus earum inferre, seditiones adversus eos excitando: hos abjici placuit. Quòd si voluerint in presbyterii ordine, ubi priùs fuerant, ùt Presbyteri residere, non abjiciantur propriâ dignitate. Si autem seditiones commovent ibidem constitutis Episcopis, presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiántque damnatione notabiles.

De his, qui virginitatem professi sunt, & de his, quæ sub sororis habitu cum aliquibus commorantur. CAP. XVIII.

Quotquot virginitatem promittentes irritam faciunt sponsionem: inter bigamos censeantur. Virgines autem, quæ conveniunt cum aliquibus, tanquam sorores habitare prohibemus.

De his, qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri comprobantur. CAP. XIX.

Si cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundùm pristinos gradus.

De his, qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt. CAP. XX.

De mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant: antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet: humaniùs autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus, secundùm præfixos gradus, pœnitentiæ largiamur.

De homicidis. CAP. XXI.

Qui voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant: perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.

De his, qui non sponte homicidium commiserunt. CAP. XXII.

De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit: secunda verò quinquennii tempus explere, (*k*) modus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, ut secundùm conversationem pœnitentium possint & extendere tardantibus, & minuere studiosè festinantibus.

De

(*i*) Cod. 1. 2. 3. *Quod si qui.*

(*k*) Quæ sequuntur, in Codicibus Colon. non leguntur.

De his, qui Divinationes expetunt.

CAP. XXIII.

Qui Divinationes expetunt.& morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causâ, sub regula quinquennii jaceant, secundùm gradus pœnitentiæ definitos.

De his, qui virginum corruptionibus conscii sunt. CAP. XXIV.

Quidam sponsam habens, sororem ejus violavit, & gravidam reddidit: postmodum desponsatam sibi duxit uxorem, illa verò quæ corrupta est, laqueo se peremit. Hi qui fuerunt conscii, post decennem satisfactionem jussi sunt suscipi, secundùm gradus pœnitentiæ constitutos.

ET SUBSCRIPSERUNT XVIII. EPISCOPI, QUI IN EODEM CONCILIO CONVENERUNT.

Vitalis	Antiochenus	
Marcellus (*l*)	Ancyranus (*m*)	
Atricolaus (*n*)	Cæsareensis (*o*)	
Lupus (*p*)	Tarsensis	alias de Tarso
Basilius (*q*)	Amensis	alias Amnensis
Philadelpus (*r*)	Æliopolitanus	
Eustolus	Nicomediensis	
Heraclius (*s*)	Zelonensis	
Petrus	Iconiensis (*t*)	
Nunechius	Laodicensis (*u*)	
Sergianus	Antiochensis (*x*)	
Epidaurius	Pisidiensis	
Narcissus	Pergensis (*y*)	
Leontius (*z*)	Nerodianensis	
Longinus (*a*)	Dicasionensis	
Amphion (*b*)	Alphios	
Selaus (*c*)	Germanus.	

EXPLICIUNT CANONES ANCYRANI CONCILII.

(*l*) Marcellus Ancyræ Galatiæ primæ. (*m*) Cod. 1. *Anquyranus.* (*n*) Agricolaus Cæsareæ Palæstinæ. (*o*) Cod. 1. Atriocolaus. (*p*) Lupus Tarsensis Ciliciæ. (*q*) Amasenus Hellesponti. (*r*) Philadelphus Juliopolis Galatiæ primæ. [*s*] Zelenensis, Armeniæ majoris. [*t*] Lycaoniæ. [*u*] Phrygiæ Pacatianæ. [*x*] Pisidiæ sive Cariæ. (*y*) Nareissus, Neroniadis Ciliciæ. (*z*) Leontius, Cæsareensis Cappadociæ primæ. (*a*) Longinus, Neo-Cæsareensis Ponti Polemoniaci. (*b*) Amphion, Epiphaniæ Ciliciæ secundæ. (*c*) Sælamenus, Germaniæ Cœles-Syriæ. Germanus Nespolis Palæstinæ; *Hæ variantes lectiones omnes sunt Binii, aliis Codd. MSS. usi.*

INCIPIUNT TITULI CANONUM

(*a*) NEO-CÆSARIENSIS CONCILII.

NUMERO XIV.

I. De Presbyteris, qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.
II. De his, quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint.
III. De multinubis.
IV. De his, qui proponentes fornicari vetantur.
V. De Catechumenis peccantibus.

T 3 *VI.*

(*a*) Neo-Cæsareæ in Cappadocia hanc Synodum ab XIII. Episcopis celebratam fuisse anno Christi CCCXIV. statuit Illustrissimus BARONIUS. BINIUS Tomo I. Concilior. exhibet Græcos Canones cum triplici versione Dionysii, Isidori, & Gentiani Herveti: Codex Carolo Magno oblatus primam Dionysianam duntaxat habet ab Ecclesia Romana acceptatam.

INCIPIUNT CANONES CONCILII
NEO-CÆSARIENSIS.

INcipiunt (b) Regulæ prolatæ in Synodo Neo-Cæsariensi Numero XIV. Et hæ regulæ post eas quidem probantur esse, quæ apud Ancyram vel Cæsaream expositæ sunt: sed Nicænis anteriores reperiuntur.

De Presbyteris, qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.

CAPUT I.

Presbyter, si uxorem (c) acceperit, ab ordine deponatur, si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

De his, quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint.

CAP. II.

Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem: veruntamen in exitu, (d) propter misericordiam, si promiserit, quòd facta incolumis, hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

De multinubis. CAP. III.

De his, qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conversatio eorum, & fides tempus adbreviat.

De his, qui proponentes fornicari vetantur.

CAP. IV.

Siquis mulierem concupiscens proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non perveniat ad effectum; apparet, quòd Gratiâ (e) Dei liberatus sit.

De Catechumenis peccantibus. CAP. V.

Catechumenus, si ingrediatur Ecclesiam, & in ordinem eorum, qui instruuntur, assistat, hic autem deprehensus fuerit peccans, siquidem genu flectit, audiat, ut non delinquat ulterius, si verò, & audiens peccaverit, expellatur.

De Catechumena prægnante. CAP. VI.

Gravidam oportet baptizari, quando voluerit, nihil enim in hoc, quæ parit, nascenti communicat; propterea quod uniuscujusque suum propositum in confessione declaretur.

Quod non oporteat in bigami nuptiis orare Presbyterum. CAP. VII.

Presbyterum (f) in nuptiis bigami prandere non convenit, quia cùm pœnitentiâ bigamus egeat, quis erit presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum?

De his, qui mulieribus adulteris juncti sunt.

CAP. VIII.

Mulier cujusdam adulterata Laici constituti si evidenter arguatur, talis ad mini-

(b) *BINIUS hunc titulum Græco-Latinum ex MS. præmittit:* Canones Ss. & Beatorum Patrum qui convenerunt Neo-Cæsareæ: qui quidem posteriores sunt Ancyranis, priores verò Nicænis. Sed propter dignitatem Nicæni eisdem proponuntur. *Codices nostri 1. & 3. eandem notam titulo præponunt: cum hoc discrimine:* Hæ regulæ post eas quidem probantur esse, quæ apud Ancyram vel Cæsaream expositæ sunt, sed Nicænis anteriores repperiuntur.

(c) Cod. 1. 2. *uxores.* (d) *in exitum* tres codd. Colon. (e) *à Gratia.* Cod. 1. 2. 3.
[f] *Presbyteros* cod. 3.

ministerium Cleri venire non poterit, si verò post ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam convenit, quòd si cum illa convixerit, ministerium sibi commissum obtinere non poterit.

De his, qui ad Presbyterium promoventur & ante ordinationem peccatorum sibi sunt conscii. CAP. IX.

Presbyter si præoccupatus corporali peccato provehatur, & confessus fuerit de se, quòd ante ordinationem deliquerit, oblata non conseeret: manens in reliquis officiis, propter studium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti; quòd si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifestè nequiverit, potestatis suæ judicio relinquatur.

De Diaconis similiter. CAP. X.

Simili modo etiam Diaconus, si eodem peccato subcubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

Quo tempore Presbyterum conveniat ordinare. CAP. XI.

Presbyter ante tricesimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur, licet valdè sit dignus: sed hoc tempus observet. Nam Dominus noster tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est, & sic cœpit docere.

De his, qui in ægritudine baptismata consequuntur. CAP. XII.

Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem presbyterii non potest promoveri, quod non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate descendit: nisi fortè propter sequens studium ejus, & fidem, atque hominum raritatem talis possit admitti.

De Presbyteris agrorum. CAP. XIII.

Presbyteri ruris in Ecclesia civitatis, Episcopo præsente, vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicémque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt. Corepiscopi quoque ad Exemplum quidem, & formam septuaginta videntur esse, ut comministri autem propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur. (*g*)

De numero certo Diaconorum. CAP. XIX.

Diaconi septem debent esse juxta regulam, licet & valde magna sit civitas. Idipsum autem & actuum Apostolorum Liber insinuat.

CONVENERUNT AUTEM IN UNUM SANCTI, & VENERABILES Episcopi in urbe Cæsariensi, id est,

Vitalis	Lupus	
Germanus	Valentinus	
Gregorius	Gerontius	
Alphius	Narcissus	
Heraclius	Longinus	
Basilius	Sanctus	
Leontius	Salaminus	alias Salminus.
Amphion	Rudus	alias Redus.
Stephanus	Dicasius	
Eretius		

Et cæteri, qui statuerunt superiùs scripta.

[*g*] *honorantur* cod. 1. 2. 3.

[*h*] Nomina subscribentium nulla leguntur in cod. 2. in 3. aliqua tantum.

Binius diversis à Wendelstino Codicibus usus sic recenset Episcopos. Vitalis Antiochenus Cœles-Syriæ. Germanus Neapolis Palæstinæ. Gregorius Cinnensis Galatiæ primæ. Alphius Apameæ, Cœles-Syriæ. Heraclius Zelonensis Armeniæ majoris. Basilius Amasiæ Hellesponti, vel Armeniæ majoris. Leontius Cæsareæ Cappadociæ primæ. Amphion Epiphaniæ Ciliciæ secundæ. Stephanus Chorepiscopus Cappadociæ. Eretius Placianensis Galatiæ primæ: *aliàs* Histricus Timoniacensis, Cappadociæ Polemoniacensis. Luppus, Tarcensis Ciliciæ primæ. Gerontius, Larissæ Cœles-Syriæ. Narcissus, Neroniadis Ciliciæ secundæ. Longinus, Neo-Cæsariensis Ponti Polemoniaci. Salaminus, Germaniæ Cœles-Syriæ. Rudus, Chorepiscopus Cappadociæ. Decasius, Taviensis Galatiæ; Valentinianus, Leontius. *Binius Tomo I. Concilior. pag.* 236.

TITU-

TITULI CANONUM (*a*) GANGRENSIS CONCILII.

NUMERO XX.

I. De his, qui nuptias execrantur.
II. De his, qui abominantur eos, qui carnibus vescuntur.
III. De Servis, qui jugum famulatûs abjiciunt Christianitatis obtentu.
IV. De Presbyteris, qui habuêre conjugia.
V. De his, qui ab Ecclesia Conventus spernendos æstimant.
VI. De his, qui Ecclesiastica ministeria præter Ecclesiam faciunt.
VII. De fructuum oblationibus, quæ ministris Ecclesiæ conferuntur.
VIII. De his, quæ in usus pauperum conferuntur.
IX. De his, qui in virginitate, continentiâque persistunt.
X. De his, qui pro virginitate superbiunt.
XI. De his, qui Agapas, id est, pastiones pauperum, risui deputant.
XII. De his, qui palliis utuntur, & idcirco superbiunt.
XIII. De mulieribus, quæ utuntur virilibus indumentis.
XIV. De his, qui velut peccatum copulam deserunt nuptiarum.
XV. De his, qui Christianitatis obtentu despiciunt filios.
XVI. De his, qui Patres Christianitatis occasione contemnunt.
XVII. De mulieribus, qui se attondunt Christianitatis obtentu.
XVIII. De his, qui Dominico die jejunant, tanquam nihil præ cæteris differente.
XIX. De his, qui Ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvunt.
XX. De his, qui Collectas, quæ fiunt in Martyrum commemorationibus, execrantur.

INCIPIUNT REGULÆ GANGRENSIS, QUÆ POST NICÆNUM CONCILIUM EXPOSITÆ SUNT. NUMERO XX.

*PRÆFATIO.**

Dominis honorabilibus Consacerdotibus in Armenia constitutis Coepiscopi, Eusebius ** Hypatius, Eulalius, Gregorius, Ælianus, Bithynicus, Olympius, Bassianus, Basilius, Philetus, Heraclius, Pappus, Eugenius, Osius Cordubensis, Proæresius, Bassus, qui convenerunt in Gangrensi Concilio, in Domino salutem.

QUoniam conveniens Sancta Synodus Episcoporum in Ecclesia Gangrensi, propter quasdam Ecclesiasticas, & necessarias causas inquirendas, & ea, quæ secundùm Eustachium gesta sunt, dignoscenda, invenit multa fieri indecenter ab his, qui eundem Eustachium sequuti sunt, necessariò

[*a*] Gangris in Paphlagonia Asiæ minoris Provincia Concilium hoc Provinciale celebratum fuit anno Christi CCCXXIV. exhibet BINIUS Tomo I. Conciliorum Canones Græcos XX. cum triplici latina interpretatione; Dionysii exigui, Isidori peccatoris, & Gentiani Herveti.

* Hæc Præfatio extat in 3. Codicibus Eccles. Metrop. Colon.

** Hæc nomina Episcoporum sic apud Binium habentur; in nostris autem tribus codicibus iidem Episcopi subscribunt, sed ordine paululum mutato, quam mutationem etiam indicat BINIUS Tomo I. Concilior. pag. 366. 367. dum eundem Episcopum, nunc ante, nunc postpositum ostendit.

riò ſtatuit, palam omnibus actis, amputare univerſa, quæ ab eodem malè commiſſa ſunt. Declaratum eſt enim, hos eoſdem nuptias accuſare, & docere, quod nullus in conjugali poſitus gradu, ſpem habeat apud Deum. Unde factum eſt, ut multæ mulieres eos ſecutæ, relictis propriis viris: & viri, uxoribus deſtitutis, vinculum conjugale diſſolverunt, continentiam profitentes, quam, quum retinere non poſſent, adulterium commiſerunt. Inventi ſunt enim, diſceſſiones & ſeparationes à Dominicis conſtitutis in Eccleſiis Dei docere, id eſt, traditiones Eccleſiaſticas, & ea, quæ in Eccleſiis aguntur, debere contemni, privatiſque conventiculis inſtitutis ad imitationem eorum, quæ in domo Dei aguntur, omnia præſumere celebrare: adhuc etiam veſtibus communibus ſpretis, novos etiam & inſolitos habitus aſſumpſiſſe: primitias quoque fructuum, & oblationes eorum, quas veterum inſtitutio Eccleſiis tribuit, ſibimet vindicâſſe, id eſt, propriæ ratiocinatione doctrinæ, tanquam ſanctis, ſibi eas offerri debere, apud ſe & inter ſe diſpenſandas: ſervos, à Dominis recedentes, per hunc inuſitatum Religionis morem Dominos contempſiſſe. Mulieres quoque præter conſuetudinem & ſui ſexûs ornatum, hinc ſe juſtificari credentes, virilem habitum ſuſcepiſſe, pluréſque earum occaſione Religionis, tonſas, genuini decoris comas penitus amputâſſe; jejunia, quæ in Eccleſia prædicantur, contemnenda aſſeruiſſe: nonnullos eorum etiam cibos carnium tanquam illicitos reputâſſe: in domibus conjugatorum, nec orationes quidem debere celebrari, perſuaſiſſe in tantum, ut eaſdem fieri vetent, & oblationibus, quæ in domibus factæ fuerint, minimè communicandum eſſe decernant: Presbyteros verò, qui Matrimonia contraxerunt, ſperni debere dicunt, nec Sacramenta, quæ ab eis conficiuntur, attingi. Loca Sanctorum Martyrum, vel baſilicas contemnere, & omnes, qui illuc conveniunt, reprehendere. Divites fideles, qui non omnibus renuntiant, quæ poſſident, ſpem apud Deum non habere: & multa alia, quæ numerare nulli poſſibile eſt, ſingulos quoque eorum pro ſuo arbitrio conſtituere. Unumquemque enim eorum, tales inſtitutiones ab Eccleſiaſtico Canone recedentes, tanquam proprias leges ſibimet condidiſſe. Sed nec communis hæc omnibus & una ſententia eſt. Singuli enim, prout videtur & libet, ad accuſationem Eccleſiæ nitendo, tanquam rector non ſit, vel addunt decreta, vel minuunt. Propterea ergo coactum eſt hoc Concilium in Gangrenſi Eccleſia habitum, ut Canones iſtos exponeret, quibus probantur memorati extra Eccleſiam eſſe. Quod ſi per pœnitentiam condemnaverint omnia hæc, quæ malè ſenſerunt, tanquam à ſe non bene prolata, acceptabiles fiant, atque ideo ſingula, quæ debeant condemnare, Synodus credidit exponenda. Quodſi quis renuerit hæc, quæ hodie conſtituta ſunt, tanquam hæreticus, & anathematizatus, & damnatus abjiciatur. Et erit non ſolum incommunicatus, verùm etiam & ab Eccleſia habeatur extorris, donec deprecetur Epiſcopum, & de univerſis, quæ penes eos detecta atque deprehenſa ſunt, prodiderit, quid horum ſuſceperit obſervandum.

De his, qui nuptias execrantur.

CAPUT I.

SI quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro ſuo fidelem, ac religioſam deteſtatur, aut culpabiles æſtimat, velut qui in regnum Dei introire non poſſint: anathema ſit.

De his, qui abominantur eos, qui carnibus veſcuntur. CAP. II.

Siquis carnem (*a*) edentem, præter ſanguinem, & idolis immolatum, & ſuffocatum, cum religione & fide condemnat, velut ſpem, propter hujuſmodi perceptionem, non habentem: anathema ſit.

De Servis, qui jugum famulatûs abjiciunt Chriſtianitatis obtentu. CAP. III.

Siquis ſervum prætextu Divini cultûs doceat, Dominum contemnere proprium, ut diſcedat ab ejus obſequio, nec ei cum benevolentiâ, & omni honore deſerviat: anathema ſit.

De Presbyteris, qui habuêre conjugia.

CAP. IV.

Quicunque diſcernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quòd non oporteat eo miniſtrante de oblatione percipere: anathema ſit.

V *De*

(*a*) *carnes* Cod. 1, 2. 3.

De his, qui Ecclesiæ Conventus spernendos existimant. CAP. V.

Siquis docet, domum Dei contemptibilem esse, & conventus, qui in ea celebrantur; anathema sit.

De his, qui Ecclesiastica ministeria præter Ecclesiam faciunt. CAP. VI.

Siquis extra Ecclesiam seorsum conventus celebrat, & despiciens Ecclesiam, (*b*) ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit usurpare, non conveniente Presbytero, juxta decretum Episcopi: anathema sit.

De fructuum oblationibus, quæ ministris Ecclesiæ conferuntur. CAP. VII.

Siquis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere, vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel ejus, cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio: anathema sit.

De his, quæ in usus pauperum conferuntur. CAP. VIII.

Siquis dederit, vel acceperit oblata præter Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus; & qui dat, & qui accipit, anathema sit.

De his, qui in virginitate, continentiáque persistunt. CAP. IX.

Quicunque virginitatem custodiens, aut continentiæ studens, velut horrescens nuptias temerat, nec propter hoc, quod bonum, & sanctum est, nomen virginitatis adsumit: anathema sit.

De his, qui pro Virginitate superbiunt. CAP. X.

Siquis ex his, qui virginitatem propter dominum servant, extollitur adversum conjugatos: anathema sit.

De his, qui Agapas, id est, pastiones pauperum risui deputant. CAP. XI.

Siquis despicit eos, qui fideliter agapas, id est, convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei (*c*) convocant fratres, & noluerit communicare hujuscemodi vocationibus, parvipendens, quod geritur: anathema sit.

De his, qui Palliis utuntur, & idcirco superbiunt. CAP. XII.

Siquis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallii utitur, quasi per hoc habere se justitiam credens: & despicit eos, qui cum reverentia birris, & aliis communibus, & solitis (*d*) utuntur: anathema sit.

De mulieribus, quæ utuntur virilibus indumentis. CAP. XIII.

Siqua mulier propter continentiam, quæ (*e*) putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri amictum virilem sumit, anathema sit.

De his, qui (f) velut peccatum copulam deserunt nuptiarum. CAP. XIV.

Siqua mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias exsecrans: (*g*) anathema sit.

De his, qui Christianitatis obtentu despiciunt filios. CAP. XV.

Siquis filios suos relinquens, non eos enutrit, & quod ad se pertinet, non (*h*) ad pietatem Divini cultûs informat, sed per occasionem continentiæ negligit; anathema sit.

De his, qui Patres (i) Christianitatis occasione contemnunt. CAP. XVI.

Quicunque filii à parentibus sub prætextu Divini cultûs abscedunt, nec debitam reverentiam dependunt illis, qui Divinum cultum sibi procul dubio præferunt: anathema sit.

De mulieribus, quæ se attondent Christianitatis obtentu. CAP. XVII.

Siqua mulier, (*k*) propter Divinum cultum (ùt æstimat) crines attondet, quos ei Deus ad subjectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum dissolvens obedientiæ, anathema sit.

De his, qui Dominico die jejunant, tanquam nihil præ cæteris differente. CAP. XVIII.

Si quis propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam, in die Dominico jejunat; anathema sit.

De his, qui Ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvunt. CAP. XIX.

Si quis eorum, qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit, stimu-

(*b*) *& ea* Cod. 2. (*c*) *Domini* Cod. 1. & 3. (*d*) *vestibus* Cod. 1. 2. 3.
(*e*) quam patitur Cod. 1. (*f*) *qua* Cod. 1. 2. (*g*) *execrare* Cod. 1. 2. Cod. 3. *execrata.*
(*h*) *non* abest in 1. 2. 3. Cod. (*i*) *parentes* Cod. 1. 2. 3. (*k*) *mulierum* Cod. 1. 2.

mulo ſuæ cogitationis impulſus: anathema ſit.

De his, qui collectas, quæ fiunt in martyrum commemorationibus, execrantur.

CAP. XX.

Si quis ſuperbiæ uſus affectu conventus abominatur, qui ad confeſſiones martyrum celebantur, & miniſteria, quæ in eis fiunt, ſimul cum eorum memoriis execratur: anathema ſit.


ET SUBSCRIPSERUNT (l)

Ælianus	Proæreſeus
Euſebius	Eulalius
Baſilius	Olympius
Eugenius	Heracleus
Hypatius	Broerius
Bithynicus	Gregorius
Philethus	Baſſus
Baſſianus	Pappus
Oſius	

Hæc (*m*) autem ſcripſimus, non, qui in Eccleſia Dei ſecundùm ſcripturas Sanctum propoſitum continentiæ eligunt, vituperantes: ſed eos, qui abutuntur propoſito in ſuperbiam, & extolluntur adverſùs ſimpliciores, abſcindimus, & damnamus eos, qui adverſùm ſcripturas & Eccleſiaſticas regulas nova introducunt præcepta. Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam, quæ cum caſtitate & religione ſuſcipitur, approbamus, & renunciationem ſæcularium negotiorum cum humilitate recipimus, & nuptiarum-caſtum vinculum honoramus, & divitias cum juſtitia, & operibus bonis non ſpernimus, & habitum ſimplicem, ac veſtem viliorem pro corporis diligentiâ infucatum laudamus, ſicut etiam ſolutas & fractas in veſtibus proceſſiones reprobamus. Et domos Dei honoramus, & conventus, qui in his fiunt, tanquam Sanctos, & utiles ſuſcipimus, pietatem in privatis domibus non claudentes, ſed omnem locum in nomine Dei ædificatum, honoramus, & congregationem in eadem Eccleſia factam pro utilitate communi, recipimus. Et bona opera, quæ ſupra vires in fratres pauperes exercentur, ſecundùm Eccleſiaſticas traditiones beatificamus, & omnia, quæ ſanctas per ſcripturas, & per Apoſtolos ſunt tradita, in Eccleſia celebrari exoptamus.

(*l*) Codex 2. *XVI. & ſubſcripſerunt Epiſcopi.* Cod. 3. Subſcriptiones non habet. Nomina Epiſcoporum vide in Nota [*a*] ad Præfationem hujus Synodi paululum diverſa à Binianis.

(*m*) Sequentem Clauſulam tres Codices Metropolit. Colon. non habent, ſed finiunt hâc formula: *Explicit Regula Gangrenſis Concilii.* Codex 3. addit *Amen.*



TITULI CANONUM ANTIOCHENI* CONCILII. (*n*)

NUMERO XXV.

I. *De his, qui contraria gerunt his, quæ regulariter de Paſcha ſtatuta ſunt in Nicæno Concilio.*

* Antiochena Synodus, in Encæniis dicta, Anno CCCXLI, Indictione XIV, celebrata, ſuſpecta ideo Illuſtriſſimo Baronio fuit, quaſi ad evitandum à Julio Papa indictam Synodum Romanam ab Euſebianis coacta fuerit: ſed eam Synodum, etſi XL. Patres Arianis faventes intervenerint, quinquaginta inſuper orthodoxos Epiſcopos habuiſſe, & XXV. Canones per omnem Eccleſiam probatiſſimos ſemper fuiſſe, nec errori Arii, nec Athanaſii damnationi favere oſtendit *Schelestrate* Libro ſpeciali pro hoc Antiocheno Concilio; cujus epitomen & vindicias refert *PAGI in Critica ad A. C.* 341.

Poſt hanc Synodum & XXV. Canones, tres Fidei formulas non hæreticas, ſed Catholicas habemus: ſoli Ariani Epiſcopi Conciliabulum Antiochiæ coëgerunt adverſùs Athanaſium, & quartam Fidei formulam doloſam fabricârunt. *Pagi ibidem.*

(*n*) Codex 1. & 3. *Incipiunt Regulæ Antiocheni Concilii. Regula expoſita apud Antiochiam in Encæniis.*

II. De his, qui se à perceptione Sanctæ Communionis avertunt, & qui Excommunicatis per domos communicant.
III. De his, qui ab alia Parochia, præter conscientiam Episcoporum suorum in aliis immorantur.
IV. De damnatis, & ministrare tentantibus.
V. De his, qui se à ministerio Ecclesiastico subtrahunt, & seorsum colligunt.
VI. De Clericis excommunicatis & Laicis.
VII. De Peregrinorum susceptione.
VIII. De pacificis Peregrinorum, id est, commendatitiis literis.
IX. De Metropolitanis singularum Provinciarum.
X. De his, qui vocantur Corepiscopi.
XI. De Episcopis, & Clericis adeuntibus Imperatorem.
XII. De damnatis Episcopis, aut Clericis, & adeuntibus Imperatorem.
XIII. De his, qui cùm sint ex alia Provincia, in aliis audent ordinationes efficere.
XIV. De dissensione, quæ super Episcoporum dijudicatione contigit, appellantiam provinciales Antistites.
XV. De Episcopis, ab ejusdem Provinciæ Sacerdotibus consonanter exclusis.
XVI. De vacantibus Episcopis.
XVII. De his, qui cùm ad Episcopatum convocantur, evitant.
XVIII. De his, qui promoventur ad Episcopatum, nec recipiuntur.
XIX. De Episcopalibus in Provinciis ordinationibus.
XX. De Synodis, quæ debent ab Episcopis suis temporibus in Provincia celebrari.
XXI. Ut nullo modo de Parochia ad aliam Parochiam transeat.
XXII. Ut in altera Parochia Clericos alterius Parochiæ Episcopus nullatenus ordinet.
XXIII. Ut nullum ad Episcopatum pro se constituat promovendum.
XXIV. De rebus ad Ecclesiam pertinentibus, & de his, quæ propria Episcopi esse noscuntur.
XXV. Ut Episcopus dispensandi res Ecclesiasticas habeat potestatem.

INCIPIUNT REGULÆ ANTIOCHENI
CONCILII, EXPOSITÆ APUD ANTIOCHIAM IN ENCENIIS. NUMERO XXV.

SAncta, & pacata Synodus in unum congregata, his, qui per singulas provincias sunt, unanimibus Sanctis, & Consacerdotibus in Domino salutem. Gratia, & veritas Jesu Christi, Domini & Salvatoris nostri, Sanctam Antiochenam Ecclesiam visitans, & in unum connectens, per concordiam pacatissimi Spiritûs: multa quidem & alia perfecit, in omnibus autem, & pacata Spiritu etiam hoc perfecit, ut quæ visa sunt rectè constitui cum plurimâ consideratione & judicio, unà omnibus nobis Antiochiam ex diversis Provinciis congregatis Episcopis, in vestram notitiam deferrentur. Credimus autem gratiæ Domini, & Sancto Spiritui pacis, quòd & ipsi conspirabitis nobis, tanquam in una fuissetis virtute: ut nobis cum traditionibus adnitentes, magis autem muniti, & in Spiritu Sancto, præsentibus hisdem ipsis, quæ definita sunt, consentientes, & ea, quæ recta visa sunt, roborantes cum consensu Sancti Spiritûs consignabitis. Sunt autem præfiniti Canones Ecclesiastici hi, qui infra scripti sunt, in qua Synodo fuerunt Episcopi Eusebius, Theodorus, & cœteri, qui in Græco sermone continentur, & hæc constituerunt, quæ infra scripta sunt. (*n*)

De his, qui contraria gerunt his, quæ regulariter de Pascha statuta sunt in Nicæno Concilio. CAP. I.

Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem Sancti & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi, & venerandi Principis Constantini de salutiferâ solennitate Sacratissimæ Paschæ: excommunicandos, & de Ecclesia pellendos esse censemus, si tamen contenciosiùs adversùs ea, quæ benè sunt decreta, perstiterint, & hæc quidem de Laicis dicta sint. Si quis

(*n*) Hæc Præfatio non legitur in tribus Codicibus Colon.

quis autem eorum, qui præcesse noscuntur Ecclesiæ, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus post hanc definitionem tentaverit ad subversionem populorum, Ecclesiarúmque perturbationem seorsum colligere, & cum Judæis Pascha celebrare: Sancta Synodus hunc alienum jam hinc ab Ecclesia judicavit, quòd non solùm sibi, sed & plurimis causa corruptionis, & perturbationis exstiterit. Nec solùm tales à ministerio removet, sed etiam illos, qui post damnationem hujusmodi communicare tentaverint: damnatos autem omni quoque extrinsecus honore privari, quem sancta Regula & Sacerdotium Dei promeruit.

De his, qui se à perceptione Sanctæ Communionis avertunt, & qui excommunicatis per domos communicant.

CAP. II.

Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & Scripturas Sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione Sanctæ Communionis avertunt: hi de Ecclesia removeantur, quamdiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur. Cum excommunicatis autem non licere communicare, nec cum his, qui per domos conveniunt, devitantes orationes Ecclesiæ, simul orandum est: ab alia quoque Ecclesia non suscipiendum, qui in alia minimè congregatur. Si quis autem de Episcopis, aut Presbyteris, vel Diaconis, seu quilibet ex Clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste privetur communione, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ.

De his, qui ab alia parochia præter conscientiam Episcoporum suorum, in aliis immorantur. CAP. III.

Si quis Presbyter, aut Diaconus, & omninò quilibet ex Clero, parochiam propriam deserens, ad aliam properaverit, vel (o) inde omnino demigrans, in alia parochia per multa tempora nititur immorari, ulteriùs ibidem non ministret: maximè si vocanti suo Episcopo, & ingredi ad propriam parochiam commonenti, obedire contempserit. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, à ministerio modis omnibus removeatur, ità, ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Si verò pro hac causa damnatum alter Episcopus suscipiat, hic etiam à communi coërceatur Synodo, velut qui Ecclesiastica constituta dissolvat.

De damnatis, & ministrare tentantibus.

CAP. IV.

Si quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere: sive Episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive Presbyter, aut Diaconus; nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo, restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes ei (p) omnes abjici de Ecclesia, & maximè, si posteaquam didicerint adversùm memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint.

De his, qui se à Ministerio Ecclesiastico subtrahunt, & seorsum colligunt.

CAP. V.

Si quis Presbyter, aut Diaconus Episcopum proprium contemnens, se ab Ecclesia sequestravit, & seorsùm colligens altare constituit, & commonenti Episcopo non adquieverit, nec consentire, vel obedire voluerit semel & iterum convocanti, (q) hic damnetur (r) omni modo, nec ultra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare, & sollicitare persistat, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.

De Clericis excommunicatis & Laicis.

CAP. VI.

Si quis à proprio Episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum, quæ congregatur, occurrens, pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem definitio maneat circa Laicos, & Presbyteros, & Diaconos, omnésque, qui sub regula esse monstrantur.

De peregrinorum susceptione.

CAP. VII.

Nullus peregrinorum sine pacificis, id

(o) *vel* abest in 3. Codic. [p] & legunt Cod. 1. 2. [q] *convocati* Cod. 1. & 2.
(r) *damnatur* Cod. 1. & 2.

id eſt, commendatitiis ſuſcipiatur Epiſtolis.

De pacificis peregrinorum, id eſt, commendatitiis Literis. CAP. VIII.

Presbyteri, qui ſunt in agris, Canonicas Epiſtolas dare non poſſunt: ad ſolos tantùm vicinos Epiſcopos literas deſtinabunt. Corepiſcopi autem, qui ſunt inreprehenſibiles, dare poſſunt pacificas, id eſt, generales Epiſtolas.

De Metropolitanis ſingularum Provinciarum.
CAP. IX.

Per ſingulas Regiones Epiſcopos convenit nôſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius Provinciæ gerere; propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. (s) Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil ampliùs præter eum cœteros Epiſcopos agere, ſecundùm antiquam à Patribus noſtris regulam conſtitutam: niſi ea tantùm, quæ ad ſuam Diœceſim pertinent, poſſeſſionéſque ſubjectas. Unusquisque etiam (t) Epiſcopus habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem & providentiam gerat omnis poſſeſſionis, (u) quæ ſub ejus eſt poteſtate, ità, ut Presbyteros, & Diaconos ordinet, & ſingula ſuo judicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet, præter antiſtitem Metropolitanum, nec Metropolitanus ſine cœterorum gerat conſilio Sacerdotum.

De his, qui vocantur Corepiſcopi.
CAP. X.

Qui in vicis, vel poſſeſſionibus Corepiſcopi nominantur, quamvis manûs impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ùt Epiſcopi conſecrati ſint, tamen Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, ut (x) gubernent ſubjectas ſibi Eccleſias, earúmque moderamine, curáque contenti ſint, ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorciſtas; quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare præter Civitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt. Si quis autem transgredi ſtatuta tentaverit, depoſitus, quo utebatur, honore privetur. Corepiſcopum verò civitatis Epiſcopus ordinet, cui ille ſubjectus eſt.

De Epiſcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem. CAP. XI.

Siquis Epiſcopus, aut Presbyter, aut quilibet regulæ ſubjectus Eccleſiæ, præter conſilium, & literas Epiſcoporum provinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abjici oportere, non ſolùm à communione, verùm & ab honore, cujus particeps videtur exiſtere. Quia venerandi Principis auribus moleſtiam tentavit inferre, contra Leges Eccleſiæ. Si igitur adire principem neceſſaria cauſa depoſcit, hoc agatur cum tractatu & conſilio Metropolitani, & cæterorum Epiſcoporum, qui in eadem provincia commorantur, qui etiam proficiſcentem ſuis proſequantur epiſtolis.

De damnatis Epiſcopis, aut Clericis (y) *adeuntibus Imperatorem.* CAP. XII.

Siquis à proprio Epiſcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Epiſcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus moleſtus extiterit: oporteat (z) ad majus Epiſcoporum converti concilium, & quæ putaverint habere juſta, plurimis Epiſcopis ſuggerant, eorúmque diſcuſſiones ac judicia præſtolentur. Si verò hæc parvipendentes moleſti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos eſſe, nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitus opperiri dijudicamus.

De his, qui, cùm ſint ex alia Provincia, in aliis audent ordinationes efficere.
CAP. XIII.

Nullus Epiſcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem miniſterii aliquos in Eccleſiis ordinare, licet conſenſum videantur præbere nonnulli: niſi literis tam Metropolitani, quàm cæterorum, qui cum eo ſunt, Epiſcoporum, rogatus adveniat, & ſic ad actionem ordinationis accedat. Si verò nullo vocante, inordinato more deproperet ſuper aliquibus ordinationibus, & Eccleſiaſticis negotiis ad eum non pertinentibus, componendis: irrita quidem, quæ ab eo geruntur, exiſtant, ipſe verò incom-

(s) *concurrant* Cod. 1. 2. 3. (t) *enim* Cod. 1. 3. (u) *omnes poſſeſſiones* Cod. 1. & 2.
(x) *&* pro *ut* Cod. 1. 2. 3. (y) *&* additur in Cod. 1. 2. 3. (z) *oportet* Cod. 1. 2. 3.
(a) *dijudicamus* abeſt à Cod. 1. 2. 3.

incompositi motûs sui, & irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc jam damnatus à sancto Concilio.

De dissensione, quæ super Episcoporum dijudicatione contigit, appellantium provinciales antistites. CAP. XIV.

Siquis Episcopus de certis criminibus judicetur, & contingat de eo comprovinciales Episcopos dissidere: cùm judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis æstimatur; pro totius hujus (*b*) ambiguitatis absolutione sanctæ Synodo placuit, ut Metropolitanus Episcopus à vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant, ut (*c*) per eos simul, & per comprovinciales Episcopos, quod justum visum fuerit, approbetur.

De Episcopis ab ejusdem Provinciæ Sacerdotibus consonanter exclusis. CAP. XV.

Siquis Episcopus de certis criminibus accusatus contemnatur (*d*) ab omnibus Episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum provinciæ manere sententiam.

De vacantibus Episcopis. CAP. XVI.

Si quis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedémque pervadat absque integro perfectóque Concilio, hic abjiciatur, necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuit Metropolitanus antistes.

De his, qui, cùm ad Episcopatum vocantur, (e) *evitant.* CAP. XVII.

Si quis Episcopus per manûs impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus Ministerium subire neglexerit, nec adquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam; hunc oportet communione privari, donec susceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid integra decreverit ejusdem Provinciæ Synodus Sacerdotum.

De his, qui promoventur ad Episcopatum, nec recipiuntur. CAP. XVIII.

Si quis Episcopus ordinatus ad parochiam minimè, cui est electus, accesserit, non suo vitio, sed quòd cum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam: hic & honoris sit, & ministerii particeps, dummodo nil molestus Ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet, quicquid Synodus perfecta Provinciæ, quod visum fuerit, judicando decreverit.

De Episcopalibus in Provinciis ordinationibus.

CAP. XIX.

Episcopus præter Synodum & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus coram posito melius quidem est, ut omnes simul adsint ejusdem Provinciæ Sacerdotes, quos Metropolitanus Episcopus advocare debebit. Et siquidem omnes occurrerint, optimè; quod si hoc difficile fuerit, saltem plures adesse omnimodo convenit, aut certè scriptis ejusdem sententiæ comprobari, & ita sub plurimorum vel præsentia, vel decreto ordinatio celebretur. Quòd si secùs contra definita factum fuerit, nullas ordinatio vires habeat: si verò juxta definitam regulam fiat, & nonnulli pro contentione propriâ contradicant, obtineat sententia plurimorum.

De Synodis, quæ debent ab Episcopis suis temporibus in Provincia celebrari.

CAP. XX.

Propter utilitates Ecclesiasticas, & absolutiones earum rerum, quæ dubitationem, controversiamque recipiunt, optimè placuit, ut per singulas quasque Provincias bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur. Semel quidem post tertiam Septimanam festi Paschalis, ità ut quartâ septimanâ Pentecostes conveniat Synodus, Metropolitano Provinciales Episcopos ammonente. Secunda verò Synodus fiat idus Octobris, id est, quinto decimo die mensis Octobris, quem Hyperberetæon Græci cognominant. In ipsis autem Conciliis adsint presbyteri, & Diaconi: & omnes, qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. (*f*) Nullis verò liceat apud se celebrare Concilia, præter eos, quibus à Metropolitanis (*g*) videntur esse commissa.

Ut

(*b*) *propter hujus* Cod. 3. (*c*) *&* Cod. 1. 2. 3. (*d*) *condemnetur* Cod. 1. 2. 3.
(*e*) convocantur Cod. 1. 2. 3. (*f*) *examine* Cod. 1. 2.
[*g*] *Metropolitana Jura,* Loco: à Metropolitanis Cod. 1. 2. & 3.

Ut nullo modo de parochia ad aliam parochiam Episcopus transeat. CAP. XXI.

Episcopus ab alia parochia nequaquam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopo (*b*) necessitate compulsus: maneat autem in Ecclesia, quam primitus à Deo sortitus est; nec inde transmigret, secundùm pristinum de hac re terminum constitutum.

Ut in altera parochia Clericos alterius parochiæ Episcopus nullatenus ordinet.

CAP. XXII.

Episcopus alienam Civitatem, quæ non est illi subjecta, non adeat, nec ad professionem accedat, quæ ad eum non pertinet, super ordinationem cujusquam, nec constituat Presbyteros, aut Diaconos alteri subjectos Episcopo, nisi forte cum consilio, & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentaverit, irrita sit ejus ordinatio, & ipse coerceatur à Synodo, nam si ordinare non potuerit, nullatenus judicabit. (*i*)

Ut nullum ad Episcopatum pro se constituat promovendum. CAP. XXIII.

Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat; quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujuscemodi, est (*k*) constitutum. Servetur autem jus Ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo, & Judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, eum, qui dignus extiterit, promovere.

De rebus ad Ecclesiam pertinentibus, & de his, quæ propria Episcopi esse noscuntur.

CAP. XXIV.

Quæ sunt Ecclesiæ, sub omni sollicitudine & conscientia bonâ, & fide, quæ in Deum est, qui cuncta considerat, judicátque, serventur, quæ etiam dispensanda sunt judicio, & potestate Pontificis, cui commissus est populus, & animæ, quæ intra Ecclesiam congregantur. Manifesta verò sint, quæ pertinere videntur ad Ecclesiam (*l*) cum notitia Presbyterorum, & Diaconorum, quæ (*m*) circa ipsum sunt: ità ut agnoscant, nec ignorent, quæ sint Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat. Ut si contigerit, Episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec, quæ propria probantur Episcopi, sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namque & acceptum est coram Deo, & hominibus, ut sua Episcopus, quibus voluerit, derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ, ut nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ, & in causas incidant, qui ad eam pertinent, & ipse post obitum maledictionibus ingravetur.

Ut Episcopus dispensandi res Ecclesiasticas habeat potestatem. CAP. XXV.

Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes, qui indigent, summâ reverentiâ, & timore Dei. Participet autem & ipse, quibus indiget, si tamen indiget, tam suis, quàm fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis. Ità, ut in nullo qualibet occasione fraudentur, juxta sanctum Apostolum sic dicentem: Habentes victum, & tegumentum, his contenti sumus. Quod si contentus istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda, vel agrorum fructus, non cum Presbyterorum conscientia Diaconorúmque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occultè cœteræ lædantur Ecclesiæ; Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat. Si autem & aliter accusetur Episcopus, aut Presbyteri, qui cum ipso sunt, quòd ea, quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet Ecclesiasticâ facultate, sibimet usurpent, ità ut ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi verò, & blasphemiis tam sermo prædicationis, quàm hi, qui dispensant, taliter exponantur; & hos oportet corrigi, Sanctâ Synodo, id quod condecet, approbante.

ET

(*b*) *Episcopis* Cod. 1. 2. 3. (*i*) *judicavit* Cod. 1. 2. (*k*) *est* abest à Cod. 1. 2. 3.
(*l*) *Ecclesiæ* Cod. 1. 2. 3. (*m*) *qui* Cod. 1. 2. 3.

ET SUBSCRIPSERUNT XXX. EPISCOPI, QUI IN EODEM CONCILIO CONVENERUNT.

Eusebius	Palæstinensis	Bassus	Moyses
Theodorus	Isauriensis	Mocimus	Jacobus
Igapius	Arabiensis	Macedonius	Magnus
Narcissus	Cœles-Syriæ	Quirion	Anatolius
Paulus Tergundici, *aliàs* Torgundimancos		Nicetas	Siricus
Theodorus Mancos, *aliàs* Manicos.		Alexander	Petrus
Theodorus	Mesopotamiensis	Hesychius	Aetherius
Antiochus	Phænicensis	Petrus	Agàpius
Alsias	Ciliciensis	Theodorus	Aemus.
		Archelaus	

TITULI CANONUM CONCILII
APUD LAODICEAM (a) PHRYGIÆ
CONGREGATI.
NUMERO LIX.

I. De Bigamis.

II. De his, qui pro diversis erratis pœnitudinem serventiùs exegerunt.

III. Quod non oporteat ad Clerum statim post baptisma promoveri.

IV. De tempore ordinationum.

V. Ut hi, qui sacrario serviunt, usuras non exigant.

VI. De hæreticis intrantibus in Ecclesias, vel Basilicas Martyrum.

VII. De his, qui ad Ecclesias ab hæreticis veniunt.

VIII. De his, qui veniunt ab hæresi Cataphrygarum.

IX. De his, qui ad hæreticorum speluncas causâ orationis accedunt.

X. De his, qui cum hæreticis nuptiarum copulâ junguntur.

XI. Non congruere Presbyteras in mulieribus ordinare.

XII. De Episcopalibus ordinationibus.

XIII. Judicio multitudinis ordinationes fieri non debere.

XIV. Ad alias Parochias, eulogias, quæ oblatæ sunt, minimè destinandas.

XV. De his, qui debent in ambone, id est, in pulpito psallere.

XVI. De Lectionibus, quæ debent Sabbatis recenseri.

XVII. Quod interstitium Psalmorum debeat in congregationibus fieri.

XVIII. De precibus nonâ & vesperâ celebrandis.

XIX. De precibus post omilias, id est, post sermones habitos ad populum, proferendis, & de his, quos intra sacrarium communicare conveniat.

XX. De honore, quem Presbyteris Diaconi, qui sub ipsis sunt, debeant exhibere.

XXI. Quod Subdiaconi à Diaconico, id est, à Secretario, sint remoti.

XXII. Subdiaconos cum orariis adsistere non debere.

XXIII. Lectores, cantorésque cum orariis agere suum officium non debere.

XXIV. Quod nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.

XXV. Quod Subdiaconi non debeant benedicere, vel benedictionem tribuere.

XXVI. De Exorcistis, qui non sunt sub Episcopis ordinati.

XXVII. Quod de conviviis, quæ ex Agape fiunt, escarum partes accipi non debeant.

XXVIII. In Ecclesiis prandia fieri non debere.

XXIX. De Christianis, qui sabbatizare, vel juxta quendam modum judaizare noscuntur.

XXX. De viris, cum mulieribus lavacra celebrantibus.

XXXI. De his, qui hæreticis jungunt fœdera nuptiarum.

XXXII. Ab hæreticis eulogias accipere non debere.

XXXIII. De Schismaticis.

XXXIV. De Martyribus hæreticorum.

XXXV. De his, qui Angelos colunt.

XXXVI. De his, qui incantationibus, & phylacteriis utuntur.

(a) BINIUS *Tomo I. Conciliorum* Canones Laodicenos Græcos edidit cum triplici latina interpretatione, Dionysii exigui, Isidori peccatoris, & Gentiani Herveti, demum eruditas Notas adjecit.

INCIPIT TEXTUS CANONUM CONCILII LAODICENSIS, (a) EXPOSITÆ APUD LAODICEAM PHRYGIÆ. NUMERO LIX.

SAncta Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ convenit ex diversis regionibus Asiæ, definitiones exposuit Ecclesiasticas, quæ subter annexæ sunt.

De bigamis. CAP. I.

DE his, qui secundùm Ecclesiasticam Regulam liberè, ac legitimè secundis nuptiis juncti sunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut parvo tempore transacto vacent orationibus, & jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus.

De his, qui pro diversis erratis pænitudinem ferventiùs exegerunt. CAP. II.

De his, qui diversis facinoribus peccaverunt, & perseverantes in oratione confessionis & pœnitentiæ, conversionem à malis habere perfectam pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impensum propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.

Quod non oporteat ad Clerum statim post Baptisma promoveri. CAP. III.

De his, qui nuper sunt inluminati Baptismate, quod eos in Sacerdotali non conveniat ordine promoveri.

De tempore ordinationum. CAP. IV.

Quod non oporteat ordinationes sub conspectu audientium celebrari.

Ut hi, qui Sacrario serviunt, usuras non exigant. CAP. V.

Quod non oporteat Sacerdotes, & Clericos fœnerantes usuras, vel quæ dicuntur sescupla id est, summam capitis, & dimidium summæ percipere.

De hæreticis intrantibus Ecclesias, vel Basilicas martyrum. CAP. VI.

Quòd hæretici non permittendi sint ingredi in domum Dei, in hæresi permanentes.

De his, qui ad Ecclesias ab hæreticis veniunt. CAP. VII.

De his, qui ab hæreticis convertuntur,

(a) Laodiceam Synodum in Phrygia Pacatiana Anno Christi CCCLXIII. celebratam fuisse contra Petrum de Marca statuit Pagi in Critica ad A. C. 314. Nro XXV.
Equidem ea Synodus ab hæreticis Episcopis coacta. Canones LIX. circa disciplinam Cleri condidit, qui Canones faciunt partem Codicis veteris Ecclesiæ ab Hadriano dati Carolo Magno, & hæc Ecclesia acceptatio tribuit auctoritatem his Canonibus. *Ita Pagi contra Baronium Loc. cit.*

tur, id eſt, Novatianis, aut Photinianis, aut Teſſareſcædecatitis, ſive Baptizati ſint illi, ſeu Catechumeni; non ante ſuſcipiantur, quàm omnes hæreſes anathematizent & præcipuè illam, quâ detinebantur. Et tunc demum hi, qui apud eos dicebantur, fideles, noſtræ doceantur fidei ſymbolum, & uncti Sancto chriſmate, ſic myſteriis communicent Sacroſanctis.

De his, qui veniunt ab hæreſi Cataphrygarum.
CAP. VIII.

De his, qui convertuntur ab hæreſi, quæ dicitur Cataphrygarum, etſi in Clero, qui apud eos eſſe creditur, fuerint, etſi maximè nominentur; hos ſub omni diligentia ab Epiſcopis Eccleſiæ, vel presbyteris, inſtrui & baptizari convenier.

De his, qui ad hæreticorum ſpeluncas cauſâ orationis accedunt. CAP. IX.

Quod non permittantur Eccleſiaſtici ad hæreticorum cœmiteria, vel ad ea, quæ ab eis appellantur martyria orationis cauſâ, vel ſanitatis accedere: ſed hujuſmodi, ſi fideles fuerint, certo tempore communione privari: pœnitentes autem & confitentes ſe deliquiſſe, convenit ſuſcipi.

De his, qui cum hæreticis nuptiarum copula junguntur. CAP. X.

Quod non oporteat indifferenter Eccleſiaſticos fœdere nuptiarum hæreticis ſuos filios, filiáſque conjungere.

Non congruere Presbyteras in mulieribus ordinare. CAP. XI.

Quod non oporteat eas, quæ dicuntur presbyteræ, vel (*a*) præſentes, (*b*) Eccleſiis ordinari.

De Epiſcopalibus ordinationibus.
CAP. XII.

Ut Epiſcopi, judicio Metropolitanorum, & eorum Epiſcoporum, qui circumcirca ſunt, provehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem: hi videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quàm rectæ converſationis exemplo.

Judicio multitudinis ordinationes fieri non debere. CAP. XIII.

Quod non ſit permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium provehendi.

Ad alias Parochias, Eulogias, quæ oblata ſunt, minimè deſtinandas.
CAP. XIV.

Quod Sancta nullo modo cauſâ Eulogiarum tempore paſchalis feſti ad alias parochias debeant deſtinare.

De his, qui debeant in ambone, id eſt, in pulpito pſallere. CAP. XV.

Quod non oporteat amplius præter eos, qui regulariter cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere.

De lectionibus, quæ debeant ſabbatis recenſeri.
CAP. XVI.

Quod in Sabbatis Evangelia cum aliis ſcriptis legi conveniat.

Quod interſtitium Pſalmorum debeat in Congregationibus fieri. CAP. XVII.

Quod in conventu fidelium nequaquam pſalmos continuare conveniat, ſed per intervallum, id eſt, per pſalmos ſingulos recenſeri debeant lectiones.

De precibus nonâ & veſperâ celebrandis.
CAP. XVIII.

Quod id ipſum ſemper officium precum nonâ & veſpera ſemper debeat exhiberi.

De precibus poſt omilias, id eſt, poſt ſermones habitos ad populum, proferendis, & de his, quos intra Sacrarium communicare conveniat.
CAP. XIX.

Quod oporteat ſeorſum primum, poſt allocutiones Epiſcoporum, orationem ſuper Catechumenos celebrari, & poſtquam Catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qui ſunt in pœnitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & deſcendentibus, tres orationes (*c*) conſummari fidelium; ità ut prima quidem ſub ſilentio, ſecunda verò, & tertia per exclamationes ſolitas expleantur, & ità demum pacem ſibi invicem dabunt. Et poſteaquam dederit Epiſcopus presbyteris oſculum pacis, tunc Laici ſibi tribuent. Et ità Sancta celebrabitur oblatio, ſolis autem miniſterio ſacro deditis ad altare ingredi & communicare ibidem liceat.

X 2 De

(*a*) *præſidentes* Cod. 1. (*b*) *in* Cod. 1.

(*c*) *orationibus* Cod. 1.

De honore, quem Presbyteris Diaconi, qui sub ipsis sunt, debent exhibere.

CAP. XX.

Quod non oporteat Diaconum coram presbytero sedere, sed jussione presbyteri sedeat. Similiter autem & Diaconis honor habeatur ab obsequentibus, id est, Subdiaconis, & omnibus Clericis.

Quod Subdiaconi à Diaconico, id est, à secretario, sint remoti. CAP. XXI.

Quod non oporteat Subdiaconos habere locum in Diaconico, & dominica vasa contingere.

Subdiaconos cum orariis adsistere non debere.

CAP. XXII.

Quod non oporteat Subdiaconum uti orario, nec ostia derelinquere.

Lectores, cantorésque cum orariis, agere suum officium non debere.

CAP. XXIII.

Quod non oporteat Lectores, aut Cantores orariis uti, & ità legere, vel psallere.

Quod nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat. CAP. XXIV.

Quod non oporteat Sacro Ministerio deditos à Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, id est, usque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas & Ostiarios, & ex numero continentium & monachorum ingredi tabernas.

Quod Subdiaconi non debeant benedicere, vel benedictionem tribuere. CAP. XXV.

Quod non oporteat Subdiaconos panem dare, vel Calicem benedicere.

De Exorcistis, qui non sunt ab Episcopis ordinati. CAP. XXVI.

Quod hi, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quàm in domibus, exorcizare non possunt.

Quod de conviviis, quæ ex agape fiunt, escarum partes accipi non debeant.

CAP. XXVII.

Quod non oporteat Sacro Ministerio deditos Clericos, aut Laicos, ad agapen vocatos, ciborum partes accipere: propterea, quod hinc Ecclesiastico ordini fiat injuria.

In Ecclesiis prandia fieri non debere.

CAP. XXVIII.

Quod non oporteat in domiciliis Divinis, id est, in Ecclesiis convivia, quæ vocantur agapæ, fieri: nec intra domum Dei comedere, vel accubitus sternere.

De Christianis, qui sabbatizare, vel juxta quendam modum judaizare noscuntur.

CAP. XXIX.

Quod non oporteat Christianos judaizare, & otiari in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem, si vacare voluerint, ut Christiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare: anathema sint à Christo.

De viris cum mulieribus lavacra celebrantibus.

CAP. XXX.

Quod non oporteat sacris officiis deditos, aut Clericos, aut continentes, vel omnem laicum Christianum lavacra cum mulieribus celebrare, quia hæc apud gentes reprehensio prima est.

De his, qui hæreticis jungunt fœdera nuptiarum. CAP. XXXI.

Quod non oporteat cum hæreticis universis nuptiarum fœdera celebrare, nec eis filios dare, vel filias, sed magis accipere: si tamen Christianos se fieri promittant.

Ab hæreticis eulogias accipere non debere.

CAP. XXXII.

Quod non oporteat ab hæreticis eulogias accipere, quæ sunt maledictiones potiùs, quàm benedictiones.

De Schismaticis. CAP. XXXIII.

Quod non oporteat cum hæreticis, aut schismaticis pariter orare.

De Martyribus Hæreticorum.

CAP. XXXIV.

Quod omnem Christianum non oporteat deserere Martyres Christi, & ire ad pseudo-martyres, id est hæreticorum, & quos ipsos constet hæreticos extitisse: hi namque sunt alienati à Deo. Sint igitur anathema, qui ad tales accesserint.

De his, qui Angelos colunt.

CAP. XXXV.

Quod non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere, & ire, atque Angelos nominare, & congregationes facere,

re, quæ interdicta noſcuntur. Siquis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ ſerviens, ſit anathema, quia dereliquit Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium Dei, & ſe idololatriæ tradidit.

De his, qui incantationibus, & phylacteriis utuntur. CAP. XXXVI.

Quod non oporteat ſacris officiis deditos, vel Clericos, magos, aut incantatores exiſtere, aut facere phylacteria; quæ animarum ſuarum vincula comprobantur. Eos autem, qui his utuntur, ab Eccleſia pelli præcipimus.

De his, qui ab Hæreticis, vel Judæis feſtivitatis eorum dona ſuſcipiunt.

CAP. XXXVII.

Quod non oporteat à Judæis vel Hæreticis ea, quæ mittuntur munera feſtiva, ſuſcipere, nec cum eis feſta celebrare.

De Chriſtianis, qui Judæorum azyma comedunt. CAP. XXXVIII.

Quod non oporteat azyma à Judæis accipere, & communicare impietatibus eorum.

De Chriſtianis celebrantibus feſta gentilium.

CAP. XXXIX.

Quod non oporteat cum gentilibus feſta celebrare, & communicare pravitatibus eorum, qui ſinè Deo ſunt.

De Epiſcopis, qui eas, quæ fiunt, evocationes ad Synodum vitant. CAP. XL.

Quod non oporteat Epiſcopos, ad Synodum vocatos, omnino contemnere, ſed protinus ire & docere, vel diſcere ea, quæ ad correctionem Eccleſiæ, vel reliquarum pertinent rerum. Seipſum verò, qui contempſerit, accuſavit; niſi fortè per ægritudinem ire non poſſit.

Quod ſinè literis Sacro Miniſterio ſervientes proficiſci non debeant. CAP. XLI.

Quod non oporteat Sacerdotem, vel Clericum ſinè literis proficiſci canonicis.

Quod præter Epiſcopum Clericus proficiſci non debeat. CAP. XLII.

Quod non oporteat Sacerdotem, vel Clericum præter juſſionem ſui proficiſci Pontificis.

Ut Subdiaconi ad oſtia perſeverent.

CAP. XLIII.

Quod non oporteat Subdiaconos ſaltem paululum, januas deſerere, & orationi vacare.

Ut ad Sacrarium mulieres non introeant.

CAP. XLIV.

Quod non oporteat ingredi mulieres ad altare.

De his, qui circa mediam ſeptimanam ad baptiſma veniunt. CAP. XLV.

Quod non oporteat ad baptiſma quenquam poſt duas quadrageſimæ hebdomadas admitti.

De redditione baptizandorum.

CAP. XLVI.

Quod oporteat eos, qui ad baptiſma veniunt, fidem diſcere, & quintâ feriâ ſeptimanæ majoris Epiſcopo, aut presbyteris reddere.

De his, qui in ægritudine baptizantur.

CAP. XLVII.

Quod oporteat eos, qui in ægritudine percipiunt baptiſma, poſtquam convaluerint, fidem perdiſcere, & ſcire, cujus muneris participes facti ſint.

Ut poſt baptiſma Chriſma detur.

CAP. XLVIII.

Quod oporteat eos, qui baptizantur, poſt lavacrum Chriſma cœleſte percipere, & regni Chriſti participes inveniri.

Oblationes offerri in quadrageſima non oportere. CAP. XLIX.

Quod non oporteat in quadrageſima panem benedictionis offerri in Sabbato, & Dominico.

Non debere jejunium ſolvi in quintâ feriâ majoris ſeptimanæ. CAP. L.

Quod non oporteat in quadrageſima, in ultima ſeptimana, quintæ feriæ jejunium ſolvere, totámque quadrageſimam ſinè veneratione tranſire, magiſque conveniat omnem quadrageſimam diſtricto venerari jejunio.

Non debere in diebus jejuniorum commemorationes martyrum fieri. CAP. LI.

Quod non oporteat in quadrageſima Martyrum natalitia celebrari, ſed eorum ſancta commemoratio in diebus Sabbatorum & Dominicorum fieri conveniat.

(*d*) *vetant* Cod. 1. (*e*) *niſi in* Cod. 1.

Ut natalitia vel nuptiæ in quadragesima non fiant. CAP. LII.

Quod non oporteat in quadragesima aut nuptias, aut natalitia celebrari.

Ut in Christianorum non saltetur nuptiis.

CAP. LIII.

Quod non oporteat Christianos, euntes ad nuptias plaudere, vel saltare, sed venerabiliter cœnare, vel prandere, sicut Christianos decet.

Non licere Clericis ludicris spectaculis interesse.

CAP. LIV.

Quod non oporteat Sacerdotes, aut Clericos, quibuscúnque spectaculis in cœnis, aut in nuptiis interesse; sed antequam thymelici ingrediantur, exsurgere eos convenit, atque inde discedere.

Non congruere penitus Christianis, commissationibus interesse. CAP. LV.

Quod non oporteat Sacerdotes, aut Clericos ex collatis, vel commessationibus convivia celebrare, hoc autem nec laicis posse congruere.

Non licere Presbyteris introire ad altare, priusquam ingrediatur. Episcopus.

CAP. LVI.

Quod non oporteat Presbyteros ante processionem Episcopi introire Sacrarium, & sedere, sed cum Episcopo debent ingredi, vel in subselliis sedere, nisi forsitan infirmitate detineatur, aut proficiscatur Episcopus.

Qui in agris, vel possessionibus debeant ordinari.

CAP. LVII.

Quod non oporteat in villulis, aut in agris Episcopos constitui, sed visitatores. Veruntamen jam pridem constituti nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis, similiter & presbyteri præter consilium Episcopi nihil agant.

Oblationes offerri in domibus non oportere.

CAP. LVIII.

Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel presbyteris.

Quæ psallere, vel legere in Ecclesiis conveniat.

CAP. LIX.

Quod non oporteat plebeios psalmos in Ecclesia cantare, nec libros præter canonem legi; sed sola Sacra volumina novi testamenti, vel veteris.

EXPLICIUNT CANONES CONCILII LAODICENSIS.
NUMERO LIX.

INCIPIUNT CANONES CONCILII (a)
APUD CONSTANTINOPOLIM.
NUMERO III.

I. Ut ea, quæ apud Nicæam statuta sunt, immota permaneant, & de anathemate Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Sabellianorum, Photinianorum, Marcellianorum, & Appollinariorum.

II. De ordine singularum Diœceseon, & de Privilegiis, quæ Ægyptiis, Antiochenis, Constantinopolitanisque debentur.

III. De Maximi inlicitâ ordinatione.

INCIPIUNT REGULÆ CONSTANTINOPOLITANI CONCILII.

SUb Theodosio, piissimo Imperatore, apud Constantinopolim expositi sunt Canones, Numero tres. Hæ definitiones expositæ sunt ab Episcopis CL. qui in idipsum apud Constantinopolim convenerunt, quando beatus Nectarius Episcopus est ordinatus.

Ut

(a) Hoc Concilium anno CCCLXXXI. mense Majo Constantinopoli sob Theodosio Imp. ex solis Orientis Episcopis coactum per se œcumenicum non erat, sed accedente Damasi Papæ & Occidentalium Episcoporum consensu œcumenicum evasit, & ejus Canones in Codicem Ecclesiæ veteris relatæ fuere. *PAGI in Critica ad hunc annum.*

Ut ea, quæ apud Nicæam statuta sunt, immota permaneant, & de anathemate Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Sabellianorum, Photinianorum, Marcellianorum & Apollinariorum.

CAP. I.

Fidem non violandam Patrum CCC XVIII. qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt, sed manere eam firmam, & stabilem: anathematizandam omnem hæresim & specialiter Eunomianorum, vel Anomianorum, & Arianorum, vel Eudoxianorum, & Macedonianorum, vel Spiritui Sancto resistentium, & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinariorum.

De ordine singularum Diœceseon, & de Privilegiis, quæ Ægyptiis, Antiochenis, Constantinopolitanisque debentur.

CAP. II.

Qui sunt super diœcesin Episcopi, nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos, accedant, nec eas hac præsumptione confundant: sed juxta Canones Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto, regat solummodò, & Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoque diœceseos Episcopi ea solùm, quæ sunt in Asiana diœcesi, dispensent. Nec non & Ponti Episcopi ea tantùm, quæ sunt in Ponto, & Thraciarum, quæ in Thraciis sunt, gubernent.

Non vocati autem Episcopi, ultra suam diœcesin non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas. Servatâ verò, quæ scripta est de gubernationibus regulâ, manifestum est, quod illa, quæ sunt per unamquamque Provinciam, ipsius provinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio. Ecclesias autem Dei in barbaricis gentibus constitutas gubernari convenit juxta consuetudinem, quæ est à patribus observata.

Veruntamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea, quod urbs ipsa sit junior Roma.

De Maximi inlicitâ ordinatione.

CAP. III.

De Maximo Cynico, & ejus inordinatâ constitutione, quæ Constantinopoli facta est, placuit, neque Maximum Episcopum esse, vel fuisse, nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati: cùm omnia, quæ ab eo perpetrata sunt, in irritum deducta esse videantur.

EXPOSITIO FIDEI CL. SANCTORUM, QUI CONSTANTINOPOLIM CONGREGATI SUNT. *aliàs* SYMBOLUM EJUSDEM CONCILII.

Credimus in unum Deum, Patrem, omnipotentem factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, & in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre ante omnia sæcula, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines & salutem nostram descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine & inhumanatus est, & crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato, & sepultus est, & resurrexit tertiâ die, ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris, iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Sanctos Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, exspectamus resurrectionem mortuorum, vitam futuri sæculi. Amen.

ET SUBSCRIPSERUNT EPISCOPI CL. QUI IN EODEM CONCILIO (b) CONVENERUNT.

Nectarius Constantinopolitanus

PRO-

(b) Licet neque Papa Damasus, neque ejus Legati huic Concilio adfuerint: attamen *sexta* Synodus actione XVIII. ab Damaso Papa secundam Constantinopolitanam Synodum confirmatam fuisse affirmat. Idem dicit *Photius L. de Synodis.*

PROVINCIÆ ÆGYPTI.

Timotheus	Alexandrinus	Dorotheus	Oxyrynchites

PROVINCIÆ PALÆSTINÆ.

Cyrillus	Hieroſolymitanus	Rufus	Neapolitanus (*a*)
Gelaſius	Cæſarienſis	Ælianus	Jamnienſis
Macer	Hierichuntinus	Priſcianus	Sebaſtenſis
Dionyſius	Dioſpolitanus	Auxentius	Aſcalonitanus
Saturnius	Scythopolitanus		

PROVINCIÆ PHOENICES.

Zenon	Tyri	Paulus	Sidonienſis
Nectabus	Ptolemaidenſis	Philippus	Damaſcenſis
Batrachus (*b*)	Paneadenſis	Timotheus	Berytius
Baſilides	Biblenſis	Mocimus	Aradenſis
Alexander	Arcundenſis		

PROVINCIÆ SYRIÆ COELES.

Melitius	Antiochenſis	Pegaſius	Laodicenſis
Acatius	Berienſis	Joannes	Apamienſis
Byzus	Seleucienſis	Euſebius Epiphsnienſis *aliàs* Epiphaniæ.	
Martianus	Seleucopolitanus		
Parophilus	Lariſſenſis	Severus	Partenſis
Flavianus & Elpidius Presbyter Antiochenſis			
Euſebius	Chalcidenſis	Dominus	Gabalenſis
Baſilius	Raſanenſis		

PROVINCIÆ ARABIÆ.

Agapius & Bagadius

PROVINCIÆ BOSTRON.

Elpidius	Dionyſienſis	Vranius Adratenſis	aliàs Adranenſis,
Chilon	Conſtantinienſis	Severus	Neapolitanus

PROVINCIÆ OSDROENÆ.

Eulogius	Edeſſenſis	Vitos Caronenſis *aliàs* Vitus Carronenſis.
Abramus	Batmonenſis aliàs Bapmonenſis.	

PROVINCIÆ MESOPOTAMIÆ.

Maras	Amidenſis	Bathes	Conſtantinianenſis
Jobianus	Aemarenſis		

PROVINCIÆ AUGUSTO EUFRASIÆ.

Theodotus Hieropolitanus *aliàs* Theodorus
Antiochos Ssmoſatenſis *aliàs* Antiochus Samoſatenus

Iſidorus	Cyrrenſis	Jobinus	Perrenſis
Maris	Dolichenſis		

PROVINCIÆ CILICIÆ.

Diodorus	Tarſenſis	Cyriacus	Adonenſis
Heſychius	Epiphanienſis	Germanus	Corycenſis
Acrius	Zephyrenſis	Olympius	Pompſuentias
Philomuſus	Pompeiopolitanus		
Philomuſes	Alexandrinus per Alipium Presbyterum Cappadociæ.		
Elladius	Cæſarienſis	Gregorius	Nyſenſis
Efericus (*c*)	Tranenſis	Boſphorius	Colonienſis
Olympius	Parnaſſenſis	Gregorius	Nazianzenus

PRO-

(*a*) *Nicopolitanus* Cod. 1. (*b*) *Barachius* Cod. 1. (*c*) *Eferius* Cod. 1.

PROVINCIÆ ARMENIÆ MINORIS.

Otreius Melicinensis alias Oterius Meletinensis
Otreius Arabissensis alias Oterius

PROVINCIÆ ISAURIÆ.

Symposius Seleucensis Montanus Claudianopolitanus (per Pau-
Philotheus Irenopolitanus (lum Presbyterum.
Musonius Celenderitanus Hypsistius alias Isystius Philadelphius
Theodosius Antiochenus Marinus Dasidandensis
Neon Selinuncinensis Artemius Titiopolitanus
Montanus Diocæsariensis Eusebius Olbitensis

PROVINCIÆ CYPRI.

Julius Paphensis Theopompus Tremithusius
Tychon Tamasensis
Mnemius Citiensis alias Meminius

PROVINCIÆ PAMPHILIÆ.

Troilus Geonensis Cajus Lyrbensis alias Lymbensis
Longinus Colymbransensis Theodolus Corocasiensis
Hesychius Cantemensis alias Catamensis
Tuesianus Cassonensis Mydus Paneminensis
Heraclides Tychensis Theodulus Sialun
Pammenius Æriassensis

PROVINCIÆ LYCAONIÆ.

Amphilotius Iconiensis Cyrillus Vmanatensis alias Humanatensis
Aristophanes Soparensis Paulus Lustrensis, Laustensis, *lego* Lystren-
Inzus Coriensis Darius Mistiensis (sis
Leontius Pergensis Theodosius Hydensis
Eustathius Cananensis Daphnus Derbensis
Eugenius Palanensis alias Pasalonensis
Ilvarius Isauronensis Severus Ambladensis

PROVINCIÆ PISIDIÆ.

Optimus Antiochenus Themistius Adrianopolitanus
Attalus Prostamensis
Ananius Adadanensis Faustus Liminensis alias Limenensis
Jonius Salagassensis
Callinicus Pœmandrensis Eustathius als Eustadius Metropolitanus
Patritius Paradagensis alias Parlagensis
Lucius Neapolitanus Longianus Sozopolitanus per Simplicium Presbyterum.
Tyrannus Presbyter Amorii Auxanon Presbyter Apamiæ
Helladius Presbyter Comenon alias Cinnanon
Theosebius Philomiensis alias Philomiliensis per Bassum Presbyterum Lyciæ.
Tacianus Myrensis Pionius Comatensis
Eudemus Patarensis Patritius Enoandensis alias Endandensis
Lupicinus Dimirensis Macedon Zandolensis
Romanus Bibonensis alias Bibolensis
Theanthinus Aroxonensis alias Thoantius

PROVINCIÆ PHRYGIÆ SALUTARIS.

Vitus Brimnensis Auxamanus Eucarpiensis

PROVINCIÆ PHRYGIÆ PACATIANÆ.

Nectarius Appianensis Theodorus Eumeniensis per Profuturum Presbyterum Cæsareæ.
Eudocius Aphrodisiados Leontius Cibyrensis

PROVINCIÆ BITHYNIÆ.

Eufrasius	Nicomedienfis	Dorotheus Nicænus *aliàs* Nichenus
Olympius	Neocæfarienfis	Theodulus Chalcedonenfis
Euftathius	Prufienfis	

PROVINCIÆ PONTI AMASIÆ.

Pafiphilus Ibirenfis, *aliàs* Pantophilus, *aliàs* Panfophilus Ibirenfis

PROVINCIÆ MYSIÆ.

Martyrius Martianopolitanus

PROVINCIÆ SCYTHIÆ.

Gerontius	Tomenfis
Aetherius	Terfonitanus, *aliàs* Terfonitanus
Sebaftianus	Antialienfis

PROVINCIÆ SPANIÆ.

Agrius Immontinenfis

PROVINCIÆ PONTIPOLEMONIACI.

Atarbius per Cylum Lectorem.

EXPLICIT CANON CONCILII CONSTANTINOPOLITANI.



INCIPIT CANON SANCTI EPHESINI (a) PRIMI CONCILII CC. EPISCOPORUM,

HABITI CONTRA NESTORIUM, CONSTANTINOPOLITANUM Epifcopum, qui purum hominem ex Sancta Maria Virgine natum afferuit; ut aliam perfonam carnis, aliam faceret Deitatis, nec unum Chriftum in Verbo Dei, & carne fentiret, fed fejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicaret. Convenit autem hæc Synodus Theodofio juniore XIII. & Valentiniano III. Conff. Æra CCCCLXVII. Cui Synodo, vice Sancti Cœleftini Papæ præfedit Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui cum omni Concilio Neftorium condemnavit.

Religiofo & Deo amabili confacerdoti Neftorio Cyrillus, vel quæ convenit apud Ephefum, Synodus. Cùm Salvator nofter apertè pronunciet: *Qui diligit Patrem, vel Matrem fuper me, non eft me dignus: & qui diligit filium, vel filiam fuper me, non eft me dignus:* (b) Quid nos faciemus, qui depofcimur à tua religione, ut te fuper Chriftum Salvatorem omnium diligamus? Quid enim nobis in die judicii prodeft, vel quam fatisfactionem reperire poterimus pro tam diuturno filentio de prolatis à te contra eum blafphemiis? Et fiquidem te tantummodo læderes docens ifta, vel fentiens, follicitudo nobis minor exifteret; cùm verò totam fcandalizaveris Ecclefiam, & fermentum infolitæ pravitatis, & novæ hærefis mifcueris in populis, nec tantum ibidem pofitis fed ubique confiftentibus (nam tuarum expofitionum libri, per cuncta vulgati funt per noftros * filentio) ** Ratio ultra, vel excufationis fermo fufficiat? aut quomodo non neceffe fit meminiffe Chrifti Domini, dicentis: *Non putetis,* (c) *quod venerim pacem mittere in terram, fed gladium. Veni enim feparare hominem adversùs Patrem fuum, & filiam adversùs Matrem fuam.* Nam cùm læditur fides: parentum reverentia, velut inutilis, & periculofa, defpicitur, & amor erga filios & fratres vitatur. Ad poftremum etiam fuper iftam vitam mors potiùs à piis viris eligitur,

(a) Ephefinum Concilium Anno CCCCXXXI. VII. Junii die Pentecoftes indictum, ferè CC. Epifcopis conftitit: quibus Cyrillus præfedit & Vicarius Cœleftini Romani Epifcopi & Alexandriæ Epifcopus præter Philippum, Arcadium & Juvenalem, Legatos Papæ & Sedis Apoftolicæ. *PAGI in Critica ad hunc annum* 431. (b) Matth. X, 37. (c) Matth. X, 34. 35.

* *fortè* noftro. ** *fortè* quæ Ratio.

gitur, ut meliorem resurrectionem, sicut scriptum, consequantur. Ecce itaque te simul cum Sancta Synodo, quæ apud amplam urbem Romam congregata, præsidente Sanctissimo, & venerandissimo fratre, & Consacerdote nostro Cœlestino Episcopo, his scriptis Synodicis te jam tertiò convenimus consilium dantes, ut tam pravis abstineas distortisque dogmatibus, quæ, & sentire cognosceris, & docere. Recipias verò fidem rectam, Ecclesiis per Beatissimos Apostolos, & Evangelistas ab initio traditam, qui & oculis inspexerunt, & ministri verbi fuisse monstrantur. Quod si hoc religio tua facere distulerit, juxta dilationem literis præfinitam Sanctissimi & Venerandissimi consacerdotis nostri, Romanæ præsulis Ecclesiæ, Coelestini: scias te nullam sortem habere nobiscum, nec locum, aut colloquium cum Dei Sacerdotibus & Episcopis obtinere. Non enim fas, nos contemnere Ecclesias ità turbatas, & scandalizatos populos, fidémque rectissimam violatam, dissipatum quin etiam gregem, quem custodire debueras: si quidem juxta nos amator recti dogmatis extitisses Sanctorum Patrum vestigia pia consectans. Omnes itaque, quos propter fidem tua religio à communione removit, aut ab ordine suo deposuit, laicos, & Clericos in nostra communione recepimus. Non enim justum est, eos tuis decretis opprimi, qui noverunt recta sentire, qui etiam benefacientes tibi prudentissimè restiterunt. Hoc idem namque in Epistola, quam misisti ad præsulem amplæ Romæ sanctum, & Coepiscopum nostrum Cœlestinum significâre curâsti. Non autem sufficit tuæ religioni solummodo fidei symbolum confiteri, quod expositum est per idem tempus Sancti Spiritûs largitate à venerando, & magno Concilio apud Nicæam congregato. Hoc enim non intellexisti, nec rectè interpretatus es, quin immo perversè, licet sono vocis eadem verba protuleris, sed consequens est, ut jure jurando fatearis, quo anathematizes quidem tua polluta & prophana dogmata; sentias autem & doceas, quæ nos universi per orientem, seu per occidentem Episcopi, & Magistri, præsulésque populorum credimus, & docemus. Epistolis autem ab Alexandria tuæ religioni directis Ecclesia consensum præbuit tam ea, quæ apud urbem Romam convenit Sancta Synodus, quàm etiam nos omnes, velut rectè, irreprehensibilitérque conscriptis. Subdimus autem his nostris, quæ te sentire oporteat, & docere, & ea, quibus abstinere conveniat. Hæc est fides Catholicæ Ecclesiæ, cui cuncti consentiunt orthodoxi per orientem, occidentémq; pontifices.

Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum de patre, unigenitum, hoc est, de substantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum. Homusion patri, hoc est, unius cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus, & homo factus, passus est. Et resurgens à mortuis tertiâ die ascendit in cœlos, sedet ad dexteram patris, inde venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt: erat tempus, cùm non erat, & antequam nasceretur, non erat, & qui ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse, aut convertibilem Filium Dei, vel commutabilem, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

Sequentes itaque omnium Sanctorum patrum confessiones, quas loquente in eis Spiritu Sancto protulerunt, & intentioni, quæ est in eorum intellectibus, æquis vestigiis inhærentes, atque iter ambulantes regium: profitemur, quod ipsum unigenitum Dei verbum, natum ex ipsa patris essentia, de Deo vero Deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt sive in cœlis, sive in terra, salutis nostræ causâ descendens, ad exinanitionem se dignatus est inclinare: natus autem, & homo factus, id est, carnem de virgine Sancta suscipiens, eámque propriam faciens, nativitatem nostram ex vulva sustinuit, homo de muliere procedens, nec, quod erat, abjiciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis, & sanguinis, tamen etiam sic, quod erat Deus, natura scilicet, & veritate, perstitit. Nec carnem itaque dicimus in naturam Deitatis esse conversam, nec substantiam carnis in ineffabilem Dei verbi essentiam commutatam, incommutabilis est enim & inconvertibilis,

lis, idémque ipse juxta scripturas jugiter permanens. Visus est autem & parvulus positus, atque in cunabilis, & finibus genitricis virginis constitutus universam creaturam replebat: ut Deus genitori suo indivisus existeret, quod Divinum est enim, sine quantitate & sine mole cognoscitur, nec ullis terminis continetur verbum Dei. Secundùm substantiam confitentes unum, adoramus filium & Dominum nostrum Jesum Christum: non seorsum ponentes & determinantes hominem, & Deum, velut invicem sibi dignitatis & authoritatis unitate conjunctos. Hoc enim novitas est vocis, & aliud nihil: nec item Christum specialiter nominantes Deum verbum, quod ex Deo est; nec alterum similiter Christum specialiter, qui de muliere natus est: sed unum solummodo Christum, Dei patris verbum, cum propriâ carne cognoscimus. Tunc enim etiam juxta nos cunctos est, quamvis Spiritum dignis ipse contulerit, & non ad mensuram, sicut Beatus Evangelista Joannes asseruit. Sed nec illud dicimus, quod Dei verbum velut * homine communi, qui de virgine sancta natus est, habitaverit, ne Deum homo Christus habitatorem possidere credatur. Quamvis enim verbum habitaverit in nobis, & dictum sit in Christo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter; tamen intelligimus eum, quod caro factus, non sicut in sanctis habitare dicatur, nec talem in ipso habitationem factam definire tentavimus: sed unitus juxta naturam, nec in carnem penitus commutatus, talem sibi fecit habitationem, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus. Unus igitur est Christus, Filius, & Dominus, non velut conjunctionem quamlibet in unitate dignitatis & authoritatis homo habens ad Deum. Non enim potest unire naturam sola dignitatis æqualitas. Denique Petrus & Joannes æquales sunt in alterutrum dignitatis, propter quod & Apostoli, & Sancti discipuli esse monstrantur: veruntamen uterque non unus est, nec juxta collationem, vel connexionem modum conjunctionis advertimus: hoc enim ad unitatem non sufficit naturalem, nec secundùm participationis effectum, sic nos etiam adhærentes Domino, unus cum eo Spiritus sumus. Immo potiùs conjunctionis nomen evitamus: ** tam non existens idoneum, quod significet unitatis arcanum, sed neque Deum, aut Dominum Christi, verbum Dei Patris asserimus: ne iterum manifestiùs in duo dividamus unum Christum filium, & Dominum in crimen Sacrilegii recidamus, Deum illi seipsum facientes & Dominum. Unitus quippe sicut superius diximus; Deus verbum carni secundùm subsistentiam, Deus est omnium & dominator universitatis. Veruntamen nec servus est sibi ipse Dominus, quia ineptum est, vel potius impium, hoc sentire, vel dicere. Quamvis enim Deum *** suum in se natura, & illius essentia, tamen nullatenus ignoramus, quod manens Deus, homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret, ipse verò sibi quomodo vel Deus poterit esse, vel Dominus, ergo sicut homo, quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se nobiscum esse disseruit. Hoc etiam, quomodo sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, & legislator Deus exstiterit. Cavemus autem de Christo dicere, propter assumentem veneror assumptum, & propter invisibilem adoro visibilem. Horrendum super hoc etiam illud dicere, is, qui susceptus est, cum eo, qui suscepit, connuncupatur Deus. Qui enim hæc dicit, dividit iterum in duos Christos eum, qui unus est, hominem seorsum in parte, & Deum similiter in parte constituens. Evidenter enim denegat unitatem, secundùm quam non alter cum altero coadoratur, aut connuncupatur Deus: sed unus intelligitur Christus Jesus, Filius Dei unigenitus, unâ servitute cum propriâ carne venerandus. Confitemur etiam, quod idem ipse, qui ex Deo Patre natus est Filius unigenitus Deus: licèt juxta naturam suam expers passionis exstiterit, pro nobis tunc secundùm scripturas carnem **** perpessus est, & erat in crucifixo corpore propriæ carnis impassibiliter ad se referens passiones. Gratia verò Dei, pro hominibus gustavit mortem, tradens & proprium corpus, quamvis naturaliter ipse vita sit, & resurrectio mortuorum. Nam ut mortem ineffabili potentia proculcaret, ac priùs in sua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium, viámque faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum, gratia Dei,

* *forte* in homine ** *forte* tanquam *** *forte* Deus sit **** *forte* in carne

Dei, ficut fuprà dictum eft, *pro omnibus guftavit mortem*, & tertiâ die refurgens expoliavit infernum. Idcirco quamvis dicatur, quod per hominem facta fit refurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem factum verbum, quod ex Deo eft, & per ipfum mortis imperium fuiffe deftructum. Veniet autem temporibus præfinitis, ficut unus eft filius, & Dominus in gloria Patris, ut judicet orbem terrarum in æquitate, ficut fcriptum eft. Neceffariò igitur & hoc adjicimus, annuntiantes enim fecundùm carnem mortem unigeniti Filii Dei, id eft, JESU Chrifti, & refurrectionem ejus, & in cœlos afcenfionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclefiafticis Sacrificiis fervitutem, fic etiam ad myfticas benedictiones accedimus, & fanctificamur participes Sancti Corporis, & pretiofi Sanguinis Chrifti, omnium noftrorum Redemptoris effecti; non ut communem carnem percipientes, quod abfit, nec ut viri fancti facti, & verbo conjuncti, ficut dignitatis unitatem, aut ficut Divinam poffidentes habitationem; fed ut verè vivificatricem, & ipfius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, ut Deus exiftens, quia propriæ carni unitus eft, vivificatricem eam effe profeffus eft. Et ideò quamvis dicat ad nos: *Amen, amen dico vobis, nifi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus fanguinem;* (a) non tamen eam, ut hominis unius ex nobis æftimare debemus; quomodo enim juxta naturam fuam vivificatrix effe caro hominis poterit? fed ut verè propriam effe factam, qui propter nos filius hominis & factus, & vocatus. Eas autem voces, quas Salvator nofter in Evangeliis protulit, non in duabus fubfiftentiis aut perfonis omninò partimur: non enim duplex eft, unus Chriftus, & folus, quamvis ex duabus, diversífque rebus ad unitatem cognofcatur individuam coiffe, ficut homo, quanquam ex anima conftans & corpore, non duplex, fed potius unus eft, ex utroque. Humanas ergo, Divinásque infuper voces ab uno Chrifto dictas, animadvertentes, rectè fentimus, cùm enim Deo digniffimè loquitur de feipfo: *Qui me videt, videt & Patrem.* (b) *Ego & Pater unum fumus:* (c Divinam ejus intelligimus, ineffabilémque naturam, fecundùm quam unum eft cum patre fuo propter unam, eandémque fubftantiam, imago, & character, fplendórque gloriæ ejus exiftens. Cùm verò humanæ naturæ menfuram nullatenus ignorans, Judæos alloquitur: *Nunc me quæritis occidere hominem, qui veritatem vobis locutus fum;* (d) Item non minùs eum, qui in fimilitudine, & æqualitate Patris eft, Deum verum etiam in menfuris humanitatis ejus cognofcimus. Si autem neceffariò creditur, quoniam natura Deus exiftens, factus fit caro, immo potiùs homo animatus animâ rationali, quæ caufa eft, in ejus (e) quilibet vocibus erubefcat, fi eas homine dignas effatus eft? quod fi fermones homini congruentes abjicit, juxta nos hominem fieri quis coegit? Cùm verò fe propter nos ad exinanitionem fponteneam mifericorditer inclinaverit, quam ob caufam dignos exinanitione fermones effugerit? Uni igitur perfonæ cuncta ejus in Evangelio adfcribemus, uni fubftantiæ, verbi fcilicet incarnati, quia unus eft Dominus Jefus Chriftus, ut fcriptum eft: *Appellatum verò Apoftolum,* (f) *& Pontificem confeffionis noftræ*, tanquam facrificantem Deo, & Patri fidei noftræ confeffionem, qua à nobis ipfis, & ipfi cum Deo Patre inceffanter offertur. Iterum cùm dicimus, quia ex Deo fecundùm naturam Filius unigenitus, nec homini præter eum alteri Sacerdotis nomen & officium deputamus: *Factus eft enim Mediator Dei & hominum,* (g) *& reconciliator ad pacem, femetipfum Deo & Patri pro nobis offerens in odorem fuavitatis.* Ideóque dicebat: *Sacrificium, & oblationem noluifti,* (h) *holocaufta & pro peccato non tibi placuerunt, corpus autem perfecifti mihi: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri fcriptum eft de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Obtulit enim proprium corpus, non pro fe, fed pro nobis in odorem fuavitatis; nam quâ pro fe oblatione, vel facrificio indigeret ab omni peccato liber, ut Deus exiftens? quod fi omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, fecundùm hoc, quod fumus ad mutabilitatis exceffum promptiores effecti, & peccatis, ægrotavit humana natura; ipfe verò non ità, ideóque nos gloriæ ejus efficimur: cur erit ultra jam dubi-

(a) Joannis VI. (b) Joannis XIV. (c) Joannis X. (d) Joannis VIII.
(e) *forte* quibuslibet. (f) Hebræos II. (g) Hebræos IX. X.
(h) Pfalm. XXXIX.

dubium, quod agnus verus pro nobis sit immolatus? Qui autem dicit, quia ipsum tam pro se, quàm pro aliis obtulerit, nullatenus impietatis notam effugiet, cui nil prorsus deliquerit, nec ullum fecerit omnino peccatum, qui egerat oblationes suas, nullo suo extante facinore, pro quo, si esset, satis admodum convenienter offerret. De spiritu quoque, cùm dicit: *Ille me clarificabit*, (i) hoc rectissimè sentientes unum Christum, & Filium, non velut alterius egentem gloriæ, confitemur à Spiritu Sancto gloriam consecutum. quia Spiritus ejus nec melior, nec superior ipso est: sed quia humana opera faciens ad demonstrationem suæ Deitatis virtute proprii spiritus utebatur. Ab ipso glorificari dicitur, sicut unumquemque virtus sua, vel disciplina clarificare dicitur. Quamvis enim in sua sit substantia spiritus, & intelligatur in persona proprietas, juxta id, quod quia Spiritus est, & non Filius, attamen alienus non est ab illo, nam Spiritus appellatus est veritatis, veritas Christus est, unde & ab isto similiter, sicut ex Deo Patre, procedit. Denique hic & ipse Spiritus etiam per Sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens Dominum glorificavit Jesum Christum, postquam ascendit in cœlum. Nam creditus est Christus, naturâ Deus existens, per Spiritum Sanctum virtutes efficiens, ideóque dicebat: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*. (k) Nequaquam verò participatione alterius, idem Spiritus sapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus, & nullo prorsus indigens bono, nam paternæ virtutis, & sapientiæ, id est, Filii, Spiritus creditur; & ideo ipsa re, & subsistentiæ virtus & sapientia comprobatur. Igitur, quia Deum carne unitum juxta subsistentiam sancta Virgo corporaliter peperit, idcirco eam Dei Genitricem esse profitemur, non quod verbi natura existendi principium de carne sortita sit. (l) *Erat enim in principio & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, & ipse Conditor sæculorum, Patri coæternus & universitatis Creator, sed, quod supra diximus, juxta subsistentiam sibi mutuans humanam naturam, nativitatem sustineret ex ipsa corporea vulva, non quod eguerit necessario, ut propter suam naturam nativitas fieret, quæ est in extremis sæculi facta temporibus, sed ut ipsas benediceret substantiæ nostræ primitias, & dum ipsum carni unitum, mulieri dedisset, illa, quæ adversùs omne genus humanum, maledictio fuerat prolata, desineret, nec jam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque, quod dictum est, *in tristitia paries filios*, (m) ipse dissolvens, verum esse monstraret, quod Prophetæ voce prædixerat: *Absorpta est mors in victoria*. (n) & iterum: *Abstulit* (o) *Deus omnem lacbrymam ab omni facie*. Propter hanc enim causam dicimus eum dispensatoriè & ipsis benedixisse (p) tunc nuptiis in Cana Galilææ, cum Sanctis vocatis Apostolis adesse dignatus est. Hæc sapere sumus edocti à Sanctis Apostolis, & Evangelistis, & ab omni Scriptura divinitus inspirata. Nec non & à Beatis Patrum confessionibus, veritate subnixis. His omnibus & tuam religionem concordare, & præter aliquem dolum consentire jam convenit. Quæ religionem tuam anathematizare necesse est, huic epistolæ nostræ subjecta sunt.

STATUTA EPHESINI CONCILII contra hæresim Nestorii.

I. Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem: peperit enim secundùm carnem factum Dei verbum, secundùm quod scriptum est: *Verbum caro factum est*, anathema sit.

II. Si quis non confitetur carni secundùm substantiam unitum Dei Patris Verbum, unúmque esse Christum cum propriâ carne, eundem scilicet Deum simul, & hominem: anathema sit.

III. Si quis in Christo dividit substantiam post unitatem, solâ eas connexione conjungens, eámque secundùm dignitatem, vel etiam authoritatem aut potestatem, ac non potiùs conventu, qui per unitatem factus est naturalem: anathema sit.

IV. Si quis personis duabus, vel substantiis eas voces, quæ in Apostolicis

(i) Joannis XVI. (k) Joannis X. (l) Joannis I. (m) Genes.
(n) Osee XIII. Paulus I. ad Corinth. XV. (o) (p) Joannis II.

licis & Evangelicis Scriptis continentur, dividit, vel quæ de Christo à Sanctis dicuntur, vel ab ipso; & aliquas quidem ex his velut homini, qui præter Dei verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tanquam Deo dignas, soli Deo Patris verbo deputaverit: anathema sit.

V. Si quis audeat dicere Christum hominem theophoron, id est, Deum ferentem: ac non potiùs Deum esse veraciter dixerit: tanquam Filium per naturam, secundùm quod verbum caro factum communicavit similiter, ut nos, carni, & sanguini: anathema sit.

VI. Si quis dicit Deum esse Christi, Dei Patris verbum, & non magis eundem ipse confitetur Deum simul, & hominem: propterea, quod verbum caro factum est, secundùm scripturas: anathema sit.

VII. Si quis velut hominem Jesum operantem Dei verbo dicit adjutum, & unigeniti gloriam tanquam alteri præter ipsum existenti, tribuit: anathema sit.

VIII. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Dei verbo, & conglorificandum & connuncupandum Deum, tanquam alterum cum altero, nam con syllaba semper adjecta hoc cogit intelligi: ac non potiùs unâ supplicatione veneratur Emmanuel, unámque ei glorificationem dependit, juxta quod (q) Verbum caro factum est: anathema sit.

IX. Si quis unum Dominum nostrum Jesum Christum glorificatum dicit à Spiritu Sancto, tanquam qui alienâ virtute visus fuerit per eum, & ab eo accipere efficaciam contra immundos Spiritus, & omnibus Divina signa perficere, ac non potiùs proprium fatetur ejus Spiritum, per quem Divina signa implevit: anathema sit.

X. Pontificem, & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum Divina Scriptura commemorat, obtulit autem semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo & Patri. Si quis ergo pontificem, & Apostolum nostrum dicit Factum, non ipsum Dei verbum, quando caro factum est, & juxta nos homo, sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, ut pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potiùs pro nobis solis, quia non eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit: anathema sit.

XI. Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, & propriam ipsius verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi Divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria verbi cuncta vivificare valentis: anathema sit.

XII. Si quis non confitetur Dei verbum passum in carne, & crucifixum in carne, & mortem in carne gustâsse, factúmque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est, & vivificator ut Deus: anathema sit.

EXPLICIT SANCTUM, ET UNIVERSALE EPHESINUM CONCILIUM PRIMUM.

(q) *Scriptum est*: in Codice Pithoeano & Pelleteriano.

Concilium Ephesinum abest à Codicibus tribus Coloniensibus. WENDELSTINUS in unico ex tribus MS. Codicibus Concilium Ephesinum reperit, & edidit Moguntiæ.

TITULI CANONUM CHALCEDONENSIS (a) CONCILII.

NUMERO XXVII.

I. De Canonibus uniuscujusque Concilii.

II.

(a) Anno Christi CCCCLI. Leonis Papæ XII. quarta Synodus œcumenica in Metropoli Bithyniæ Chalcedone ab VIII. Idus Octobris ad Kalendas Novembris celebrata fuit. Leo Papa Legatos misit Paschasinum & Lucentium Episcopos, Bonifacium & Basilium Presbyteros, inter fuêre Episcopi DCXXX. juxta communem opinionem, ait *Lupus Tomo II. Dissertat. in Concilia pag.* 120. *Edit. ultim.*

II. Quod non oporteat Episcopos, aut quemlibet ex Clero per pecunias ordinari.
III. Quod non oporteat Episcopos, Clericos, & monachos prædia aliena conducere.
IV. De honore Monachis competente, & ut nullus eorum tentet Ecclesiastica aut sæcularia inquietare negotia, nec alienum servum, præter conscientiam Domini ejus, suscipere.
V. Non transmigrandum de civitate in civitatem.
VI. Quod non oporteat absolute quoslibet ordinari.
VII. De Clericis, & Monachis non manentibus in suo proposito.
VIII. De Clericis, qui sunt in Ptochodochiis Monasterii atque martyriis, quæ sub potestate Episcoporum uniuscujusque civitatis existunt.
IX. Quod non oporteat Clericos, habentes adversùs invicem negotia proprium Episcopum relinquere, & ad sæcularia judicia convolare.
X. Quod non liceat Clerico in duarum civitatum Ecclesiis ministrare.
XI. Quod non oporteat egenis Epistolas tribui: honestiores autem commendatitiis litteris approbari.
XII. Ut nequaquam in duos Metropolitanos Provincia dividatur.
XIII. Quod non oporteat peregrinos Clericos sine commendatitiis ministrare.
XIV. Quod non liceat Clerico uxorem sectæ alterius accipere.
XV. De Diaconissis mulieribus.
XVI. De Virginibus.
XVII. De Parochiis.
XVIII. De conjuratione vel conspiratione.
XIX. Quod oporteat per Provincias bis in anno Concilia celebrari.
XX. Quod minimè Clericos transmigrari conveniat
XXI. De Episcoporum aut Clericorum accusatoribus.
XXII. Quod non liceat Clericis post mortem sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere.
XXIII. De Clericis, & Monachis, qui præter voluntatem sui Episcopi ad urbem regiam Constantinopolim veniunt.
XXIV. Quod non liceat Monasteria, quæ consecrata sunt, diversoria sæcularia fieri.
XXV. Quod non oporteat ordinationes Episcoporum diu differre.
XXVI. De dispensatoribus singularum Ecclesiarum.
XXVII. De his, qui rapiunt puellas.

INCIPIUNT REGULÆ ECCLESIASTICÆ, PROMULGATÆ (a) à CHALCEDONENSI SANCTO CONCILIO. NUMERO XXVII.

De Canonibus uniuscujusque Concilii.

CAP. I.

Regulas Sanctorum Patrum, per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.

Quod non oporteat Episcopos, aut quemlibet ex Clero per pecunias ordinari.

CAP. II.

Si quis Episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem vel quenquam, qui subjectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo: is, cui hoc attentanti probatum fuerit, proprii gradûs periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negationem facta, proficiat: sed sit alienus (b) à dignitate, vel sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Siquis verò mediator tam turpibus, & nefandis datis, & acceptis

(a) promulgatæ *abest* à Cod. 2. (b) *ea* Cod. 1. 2. 3. sine *à*.

ceptis extiterit: siquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat, si verò Laicus, aut Monachus, anathematizetur.

Quod non oporteat Episcopos, Clericos, & Monachos prædia aliena conducere.

CAP. III.

Pervenit ad Sanctam Synodum, quod quidam, qui in Clero videntur allecti, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant: Dei quidem ministerium parvipendentes, sæcularium verò discurrentes domos, & propter avaritiam patrimoniorum sollicitudines sumentes; decrevit itaque sanctum hoc, magnúmque Concilium, nullum deinceps, non Episcopum, non Clericum, vel Monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere: præter pupillorum, nisi (c) forte leges (d) imponantur inexcusabilem curam, aut civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat: aut orphanorum, & viduarum, earúmque, quæ sine ullâ provisione sunt, personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adjutorio, propter timorem Domini causâ deposcat. Si quis autem transgredi de cœtero statuta tentaverit, hujusmodi Ecclesiasticis increpationibus subjacebit.

De honore Monachis competente, & ut nullus eorum tentet Ecclesiastica, aut sæcularia inquietare negotia, nec alienum servum præter conscientiam Domini ejus suscipere.

CAP. IV.

Qui verè & sincerè singularem sectantur vitam, competenter honorentur: quoniam verò quidam utentes habitu Monachi, Ecclesiastica negotia, civiliáque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, nec non & Monasteria sibi instituere tentantes, placuit nullum quidem usquam ædificare aut constituere Monasterium, vel Oratorii domum præter conscientiam civitatis Episcopi. Monachos verò per unamquamque civitatem, aut regionem, subjectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo jejunio, & orationi, in locis, quibus renunciaverunt sæculo, permanentes. Nec Ecclesiasticis verò, nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti propria Monasteria deserentes; nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis. Nullum verò recipere in Monasteriis servum obtentu Monachi præter sui Domini conscientiam. Transgredientem verò hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur. (e) Veruntamen Episcopum convenit civitatis competentem Monasteriorum providentiam gerere.

Non transmigrandum de civitate in civitatem.

CAP. V.

De his, qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis, aut Clericis, placuit: ut canones, qui de hac re à Sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

Quod non oporteat absolutè quoslibet ordinari.

CAP. VI.

Nullum absolutè ordinari debere Presbyterum, aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico; nisi specialiter Ecclesiæ civitatis, aut possessionis, aut Martyrii, aut Monasterii, qui ordinandus est, pronuncietur. Qui verò absolutè ordinantur, decrevit Sancta Synodus, irritam haberi hujuscemodi manûs impositionem, & nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.

De Clericis, & Monachis non manentibus in suo proposito. CAP. VII.

Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, statuimus nec ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, sed (f) hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt: anathematizari.

De Clericis, qui sunt in (g) Ptochodochiis, Monasteriis, atque Martyriis, quæ sub potestate Episcoporum uniuscujusque civitatis existunt.

CAP. VIII.

Clerici, qui præficiuntur Ptochodochiis, vel qui ordinantur in Monasteriis, & Basilicis Martyrum, sub Episcoporum,

(c) *si* Codex 1. 2. 3. (d) *imponant* Cod. 1. 2. 3.
(e) *ne nomen Domini blasphemetur.* Cod. 3. nec reliqua hujus Capitis habet.
(f) *aut* Cod. 1. 2. 3. pro *sed.* (g) *Prochdochiis* in titulo & Capite Cod. 1. 2. 3.

ſcoporum, qui in unaquaque civitate ſunt, ſecundùm Sanctorum Patrum traditiones, poteſtate permaneant, nec per contumaciam ab Epiſcopo ſuo diſſiliant. Qui verò audent evertere hujuſcemodi formam quocunque modo, nec proprio ſubjiciuntur Epiſcopo; ſiquidem Clerici ſunt, Canonum correptionibus ſubjacebunt, ſi verò Laici vel Monachi fuerint, communione priventur.

Quod non oporteat Clericos, habentes adverſus invicem negotia, proprium Epiſcopum relinquere, & ad ſecularia judicia convolare.

CAP. IX.

Si quis Clericus adverſùs Clericum habet negotium, non deſerat Epiſcopum proprium, & ad ſæcularia percurrat judicia, ſed prius actio ventiletur apud Epiſcopum proprium, vel certè Conſiliarios (*h*) ejuſdem Epiſcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus ſubjacebit. Quod ſi Clericus habet cauſam adverſùs Epiſcopum proprium vel adverſùs alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quod ſi adverſùs ejuſdem Provinciæ Metropolitanum Epiſcopus, vel Clericus habet querelam, petat primatem Diœceſeos, aut ſedem regiæ urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum judicetur.

Quod non liceat Clerico in duarum civitatum Eccleſiis miniſtrare. CAP. X.

Non licere Clericum in duarum civitatum conſcribi ſimul Eccleſiis, & in qua initio ordinatus eſt, & ad quam confugit, quaſi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad ſuam Eccleſiam, in qua primitùs ordinati ſunt, & ibi tantummodo miniſtrare.

Si verò jam quis translatus eſt ex alia in aliam Eccleſiam; prioris Eccleſiæ, vel Martyriorum, quæ ſub ea ſunt, aut Ptochodochorum, aut Xenodochorum rebus in nullo communicet. Eos verò, qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ, & univerſalis hujus Synodi quicquam ex his, quæ ſunt prohibita perpetrare, decrevit Sancta Synodus, à proprio hujuſmodi gradu recedere.

Quod oporteat egenis Epiſtolia tribui: honeſtiores autem commendatitiis literis approbari.

CAP. XI.

Omnes pauperes, & indigentes auxilio, cum proficiſcuntur ſub probatione epiſtolis, (*i*) vel Eccleſiaſticis pacificis tantummodò commendare (*k*) decrevimus, & non commendatitiis literis, propter quod commendatitias literas honoratioribus tantummodò præſtari perſonis conveniat.

Ut nequaquam in duos Metropolitanos Provincia dividatur. CAP. XII.

Pervenit ad nos, quod quidam præter Eccleſiaſtica Statuta facientes, convolarunt ad poteſtates, & per pragmaticam formam in duo unam Provinciam diviſerunt: ità ut ex hoc facto duo Metropolitani eſſe videantur in una provincia. Statuit ergo Sancta Synodus de reliquo nihil ab Epiſcopis tale tentari, alioqui qui hoc adniſus fuerit, amiſſioni gradus proprii ſubjacebit. Quæcunque verò civitates literis imperialibus Metropolitani nominis honore ſubnixæ ſunt, honore tantummodo perfruantur, & qui Eccleſiam ejus gubernat Epiſcopus, ſalvis ſcilicet veræ Metropolis privilegiis ſuis.

Quod non oporteat peregrinos Clericos ſine commendatitiis miniſtrare.

CAP. XIII.

Peregrinos Clericos & Lectores in alia civitate præter commendatitias literas ſui Epiſcopi nuſquam penitus miniſtrare debere.

Quod non liceat Clerico uxorem ſectæ alterius accipere. CAP. XIV.

Quoniam in quibuſdam Provinciis conceſſum eſt lectoribus, & pſaltis uxorem ducere, ſtatuit Sancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere ſectæ alterius uxorem. Qui verò ex hujuſmodi conjugio jam filios ſuſceperunt, ſiquidem præventi ſunt, ut ex ſe genitos apud hæreticos baptizarent, offerre eos Eccleſiæ Catholicæ communioni conveniet, non baptizatos autem non poſſe ulterius apud hæreticos baptizari, ſed neque copulari debet nuptura hæretico, judæo, vel pagano, niſi fortè promittat, ad orthodoxam fidem ſe perſonam ortho-

(*h*) *conſilio* Cod. 1. 2. 3.
(*k*) *commendari* Cod. 3.
(*i*) *Epiſtoliis* Cod. 1. 2. 3.

orthodoxè copulandam transferre. Si quis autem hanc definitionem Sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit.

De Diaconissis mulieribus. CAP. XV.

Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hanc cum summo libramine. (*l*) Si verò suscipiens manûs impositionem & aliquantum temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo, qui eidem copulatur.

De Virginibus. CAP. XVI.

Virginem quæ se Deo Domino consecravit, similiter & monachum non licere nuptialia jura contrahere; quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decrevimus, ut habeat authoritatem ejusdem loci Episcopus, misericordiam, humanitatémque largiri.

De Parochiis. CAP. XVII.

Singularum Ecclesiarum rusticas parochias, vel possessiones (*m*) manere inconcussas illis Episcopis, qui eas retinere noscuntur, & maximè si per tricennium eas absque vi obtinentes sub dispensatione rexerunt: quod si intra tricennium facta fuerit (*n*) de his, vel fiat altercatio, licere eis, qui se læsos asserunt, apud Sanctam Synodum provinciæ de his movere certamen. (*o*) Quod si quis à Metropolitano læditur, apud primatem diœceseos, aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superiùs dictum est. Si qua verò civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones, & publicas Ecclesiasticarum quoque parochiarum ordines subsequantur.

De conjuratione, vel conspiratione.

CAP. XVIII.

Conjurationis vel conspirationis crimen, & ab exteris legibus est omnino prohibitum, multò magis hoc in Dei Ecclesia, ne fiat, admonere conveniet. Si qui ergo Clerici, vel Monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis, aut Clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

Quod oporteat per Provincias bis in anno Concilia celebrari. CAP. XIX.

Pervenit ad aures nostras, quod in provinciis statuta Episcoporum Concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur Ecclesiasticarum causarum, quæ correctione indigent; decrevit itaque Sancta Synodus secundùm Canones Patrum, bis in anno Episcopos in idipsum in unaquaque provincia convenire, quo Metropolitanus antistes probaverit, & corrigere singula: si qua fortassis emerserint. Quicunque verò non advenerint Episcopi, resident autem in suis civitatibus, & hoc, dum (*p*) in sua incolumitate consistunt, omnique inexcusabili & necessariâ occupatione probantur liberi, fraterno corripiantur affectu.

Quod minimè Clericos transmigrari conveniat. CAP. XX.

Clericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet: sed contentos esse in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt. Si quis autem Episcopus post hanc definitionem susceperit Clericum, ad alium Episcopum pertinentem; placuit & suscipientem (*q*) communione privari, donec is, qui migraverat, Clericus ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.

De Episcoporum aut Clericorum accusatoribus.

CAP. XXI.

Clericos aut Laicos accusantes Episcopos, aut Clericos passim, & sine probatione, ad accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

Quod non liceat Clericis post mortem sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere.

CAP. XXII.

Non licere Clericis post obitum sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est canonibus constitutum. Quod si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.

(*l*) *fieri* Cod. 1. addit. (*m*) in possessionibus Cod. 1. 2. 3.
(*n*) *fuerit* abest à Cod. 1, 2. 3. (*o*) *movere certamen* abest à Cod. 1. 2.
(*p*) *dum* abest à tribus Codicibus. (*q*) & *susceptum* Cod. 1, 2. 3.

De Clericis & monachis, qui præter voluntatem sui Episcopi ad urbem regiam Constantinopolim veniunt.

CAP. XXIII.

Venit ad aures Sancti Concilii, quod quidam Clerici & Monachi, quibus nil ab Episcopo suo commissum est, est autem quando & communione ab eo privantur, pervenientes ad urbem regiam Constantinopolitanam, in ea diutiùs immorentur, excitantes turbas, & statum Ecclesiasticum commoventes, subvertentes etiam quorundam domos: decrevit Sancta Synodus, hujusmodo primo quidem (r) à defensore Constantinopolitanæ Ecclesiæ commoneri, ut egrediantur ab urbe regia, quod (s) iisdem negotiis impudenter insistant, etiam nolentes idem defensor expellat, ut ad propria loca perveniant.

Quod non liceat monasteria, quæ consecrata sunt, diversoria sæcularia fieri.

CAP. XIV.

Quæ semel dedicata sunt monasteria, Consilio Episcoporum, maneant perpetuò Monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, Monasteriis reservari, nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula: qui verò hoc fieri permiserint, canonum sententiis subjacebunt.

Quod non oportcat ordinationes Episcoporum diu differre. CAP. XXV.

Quoniam quidam Metropolitanorum, quantum comperimus, negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit Sanctæ Synodo intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari, nisi forte necessitas inexcusabilis præparet tempus dilationis extendi: quod si hoc minimè fecerit, correptioni Ecclesiasticæ subjacebit: veruntamen redditus Ecclesiæ viduatæ penes œconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.

De dispensatoribus singularum Ecclesiarum.

CAP. XXVI.

Quoniam in quibusdam Ecclesiis, ut rumore comperimus, præter œconomos Episcopi facultates Ecclesiasticas tractant, placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere œconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam Episcopi proprii; ità, ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiasticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis derogatio procurretur. Quod si hoc minimè fecerit, Divinis Constitutionibus subjaceat. (t)

De his qui rapiunt puellas.

CAP. XXVII.

Eos, qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi cooperantes, aut connibentes raptoribus: decrevit Sancta Synodus, ut siquidem Clerici sunt, decidant gradu proprio, si verò Laici, anathematizentur. (u)

(x) SEQUITUR CONSTITUTIO, ET FIDES CHALCEDONENSIS CONCILII. ÆTIUS, ARCHI-DIACONUS CONSTANTINOPOLIS, NOVÆ ROMÆ, LEGIT.

Sancta, & magna universalis Synodus quæ secundùm gratiam, & Sanctiones piissimorum, Christianorumque (y) Imperatorum Valentiniani, & Marciani Augustorum congregata apud Chalcedona, metropolim Bithyniæ provinciæ in Martyrio Sanctæ Martyris Euphemiæ statuit subter adnexa.

Dominus noster, & Salvator Christus notitiam fidei confirmans discipulis suis ait: *Pacem* (z) *meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, ne ullus à proximo suo dissonet in doctrina pietatis, sed æqualiter prædicationem veritatis ostendat. Sed quoniam non quiescit nequissimus Zizania (a) stationibus pietatis inspergere, novi aliquid contra veritatem semper inveniens, ob hoc frequenter Dominus noster providens humano generi, piissimum, & fidelissimum Principem ad Zelum fidei suscitavit, & undique Sacerdotii Principes convocavit, quatenus gratiam omnium Domino nostro Jesu Christo operante, ab ovilibus Christi pestem mendacii submoveret. Quod quidem fecimus communi decreto, dogma-

ta

(r) *per defensorem* Cod. 2. 3. (s) *si* in Cod. 1. 2. 3. (t) *subjacebit* tres Codices nostri.
(u) *Explicit textus Chalcedonensis Concilii.* tres Codices. (x) *Incipit* tres Codices.
(y) *Christianissimorúmque* Cod. 1. 2. 3. (z) Joannis XIV. (a) Forte *sationibus*.

ta fugantes erroris, & integram patrum renovavimus fidem trecentorum decem & octo symbolum omnibus prædicantes & tanquam propinquos pietatis hujus consensum recipientes Patres adscripsimus, qui postea apud magnam Constantinopolim convenerunt centum quinquaginta. Quoniam & ipsi eandem fidem subsignaverunt, decernimus (*a*) statutæ ordinem & formam fidei reservantes nos, (*b*) & quæ apud Ephesum olim facta est, Sancta Synodus, cujus præsides fuerunt Sanctæ memoriæ Cælestinus, Romanæ urbis antistes, & Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ, præfulgere quidem rectæ, & immaculatæ fidei expositionem trecentorum decem, & octo Sanctorum & Beatissimorum apud Nicæam, sub piæ recordationis Constantino Principe congregatorum. Obtinere autem etiam centum quinquaginta Sanctorum Patrum apud Constantinopolim constituta, ad interimendas quidem, quæ tunc emerserant, hæreses. Sufficeret quidem ad plenitudinem cognoscendam pietatis, & confirmationem, prudens hoc, & salutare per Dei gratiam symbolum: de patre (*c*) enim, & Filio, & Spiritu Sancto (*d*) doctrinam perfectam edocet, & Domini inhumanationem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniam lædere prædicationem veritatis conantes, propriis hæresibus novas voces proferunt, hi quidem mysterium Domini propter nos divinæ dispensationis audentes corrumpere, & matris Dei virginis appellationem recusant, alii verò confusionem, permistionémque introducunt, & unam naturam carnis, & Deitatis stultè confingunt, passibilem unigeniti Divinam esse naturam confusione portentosâ dicentes. Ob hoc illis omnem aditum contra fidem volens claudere præsens nunc sancta & magna, atque universalis Synodus prædicationis hujus ab initio inconcussam docens, constituit præ cæteris trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum fidem manere illæsam. Et propter illos, qui adversus Spiritum Sanctum pugnant, Monachomenos (*e*) posterioribus temporibus à Patribus apud Constantinopolim CL. congregatis de essentia Spiritûs conroborat traditam disciplinam, quam illi omnibus notam fecerunt: non quasi deesset aliquid præcedentibus inferentes, sed de Sancto Spiritu suam sententiam promulgantes adversùs eos, qui veritatem ipsius lædere tentaverunt, Scripturam testimoniis roborantes. At verò propter illos, qui mysterium dispensationis violare conantur, & purum hominem esse, qui ex Sancta Virgine Maria natus est, impudentius dilirantes, Epistolas Beati Cyrilli Ecclesiæ Alexandrinæ præsulis, Synodicas utique literas ad Nestorium, & ad alios per orientem acceptissimas habet, ad convincendas Nestorii blasphemias, & ad interpretationem (*g*) salutaris symboli his, qui pro Zelo Dei (*h*) nosse desiderant, quibus etiam subjunxit (*i*) Epistolam magnæ & senioris urbis præsulis Beatissimi, & Sancti Episcopi Leonis, quæ Scripta est ad Sanctæ memoriæ Archiepiscopum Flavianum, & ad sensus pessimos Eutychetis auferendos; quippe magni illius Petri confessionibus congruentem & quandam columnam nobis (*k*) adversùs prava dogmata jure conjunctam ad confirmationem recti dogmatis. Eos (*l*) autem, qui in dualitate filiorum dispensationis convellere Mysterium nituntur, præcepit & illos, qui passibilem Deitatem unigeniti ausi sunt dicere: Sacerdotali munere (*m*) submoveri. Et his, qui in duâbus naturis Christi promistionem (*n*) aut confusionem dici æstimant, repugnandum: vel eos qui cœlestem, aut alterius esse substantiæ carnem, quæ illi est assumpta de nobis, formam Dei negantes abjicit. Et qui duas quidem ante unionem naturas Domini fabulantur, unam verò post unionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur Sanctos Patres unum, eundémque confiteri filium, & Dominum nostrum Jesum Christum consonâ voce omnes docemus eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in

(*a*) *statui* Cod. 1. 2. 3. (*b*) *nosque* tres Codices. [*c*] *autem* Cod. 1. 2. 3.
(*d*) plenitudinem *Codices tres* omittunt *doctrinam perfectam*.
(*e*) *Machomenos* Cod. 1. 2. 3. aliàs *forte* Macedonianos (*f*) *ac* tres Codices loco *at*.
(*g*) *autem amoris* Cod. 1. 2. 3. (*h*) *pro zelo Dei* abest à tribus Codd.
(*i*) *subjunxit* abest à tribus Codd. (*k*) *nobis* habent Cod. 1. 2. 3.
(*l*) *his, qui in universalitatem filiorum dispensationem* Cod. 1. 2.
(*m*) *numero* pro munere Cod. 1. 2. 3. (*n*) *per remixtionem* Cod. 3.

in humanitate, Deum verè & hominem verè, eundem ex anima rationali, & corpore, coessentialem Patri secundùm Deitatem, coessentialem nobis eundem secundùm humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundùm Deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter salutem nostram ex Maria Virgine Theotoco secundùm humanitatem unum eundémque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata essentia naturarum propter unionem, magisque salvâ proprietate utriusque naturæ, & unam personam, atque existentiam concurrentem, non in duas personas partitum, atque divisum, neque disjunctum: sed unum, & eundem Filium unigenitum, Deum verbum Jesum Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit, & patrum nobis symbolum tradidit. His igitur cum omni undique veritate, & diligentia, & sollicitudine à nobis definitis: statuit Sancta, & universalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre vel conscribere, vel componere, vel sentire, vel docere aliter. Eos autem, qui ausi sunt componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum Symbolum volenti, vel converti, vel ex gentibus ad cognitionem veritatis venire, vel ex judæis, vel hæresi quacunque: si Episcopi fuerint, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clero: si verò Monachi aut Laici fuerint, anathematizari.

ET SUBSCRIPSERUNT UNIVERSI EPISCOPI.

Paschasius (o) Episcopus, Vicarius Domini mei beatissimi, atque Apostolici universalis Ecclesiæ Papæ Leonis urbis Romæ, Synodo præsidens, statui, consensi & subscripsi.

Lucensis Episcopus civitatis Ecclesiæ Asculanæ, Vicarius Domini mei, beatissimi, & Apostolici Viri, universalis Ecclesiæ Papæ, urbis Romæ Leonis in Synodo græcè lecta subscripsi.

Bonifacius Presbyter Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, statui, & subscripsi.

Leontius Romanus Ss.
Anatolius Constantinopolitanus Ss.

PROVINCIÆ THRACIÆ. III.

Cyriacus Heracliensis per Lucianum *aliàs* Pelusianum.
Romanus Eudoxiopolitanus Lucianus Buzes, *aliàs* Byzes.

PROVIN. THRACIÆ ALTERIUS. III.

Erotion	Philippopolitanus	Sebastianus	Beryis (p)
Epictetus	Berois		

PROVIN. DIOCLETIANOPOLI RODOPES. IV.

Basilius (q) Trajanopolitanus Docimasius Marodianus
Serenus *aliàs* Cærenus Maximianopolitanus
Marius *aliàs* Macarius Aenuntos

PROVIN. AEMI MONTIS. I.

Jobianus Demectri.

PROVIN. ILLYRII. VII.

Anastasius Thessalonicensis per Quintillum Episcopum Heracliensem.

Sozon	Philippensis	Dardanius	Barlaa
Maximinus	Seniensis	Nicolaus	Strobiensis
Anopatus	Thassutanus	Eusebius	Deborotanus (r)

PROVIN. HELLADIÆ. VIII.

Petrus	Corinthi	Nicetas	Megarensis
Joannes	Messenensis	Ophelimus	Geteas

Aths·

(o) Cod. 1. *Paschasinus.* Cod. 2. & 3. non habent nomina subscribentium.
(p) Cod. 1. *Berus.* (q) *Tracsonopolitanus* Cod. 1. (r) *Doverotanus* Cod. 1.

Athanaſius	Opuntunenſis	Irenicus	Naupactunenſis
Domnus	Plateonenſis	Oneſimus	Alguſanus

PROVIN. SYRIÆ PRIMÆ. IX.

Maximus	Antiochenus	Macarius Laodicenſis per Euſebium Presbyterum Antiochenum	
Theoctiſtus	Berienſis	Gerontius	Seleucenſis
Romulus	Chalcedonenſis	Petrus	Gabalenſis
Marias	Onoſatenſis, *aliàs* Maras Onothatenſis		
Sabas	Paltibenſis, *aliàs* Paltinenſis		
Vranius	Gabalonienſis		

PROVIN. SYRIÆ SECUNDÆ. I.

Domnus Apamienſis per Mellitum Lariſſenſem.

PROVIN. CILICIÆ PRIMÆ. VIII.

Theodorus	Tarſenſis	Matronianus Pompeiopolitanus, per Theodorum Metropolitanum.	
Alexandrus	Sebaſtenſis	Philippus	Adanenſis
Hypatius	Zephyrenſis	Theodorus	Auguſtenſis
Chryſippus	Malletanus	Salluſtius Corycanus (*s*) per Philippum Adanenſem.	

PROVIN. CILICIÆ SECUNDÆ. XIX.

Cyrillus	Anazarbenſis	Polichronius	Epiphanenſis
Joannes	Flaviados	Indemus	Hypenopolitanus
Julianus	Roſſutanus, *aliàs* Roſſitanus		
Baſſianus	Mopſueſtienſis, per Sophronium Epiſcopum Iſauriæ.		
Baſilius, *aliàs* Balius	Seleucienſis		
Theodorus	Claudiopolitanus	Julianus	Celenderitanus
Joannes	Diocæſarienſis	Danihelus	Anagnoſti
Epiphanius	Ceteſtoroenſis	Mampreus	Titiopolitanus
Acacius	Antiochenſis, *aliàs* Antiochenus		
Leamanditos	Antiochenſis per Papam Diaconum		
Ammonius	Latapis	Arlianus Selinuntonienſis, per Paulum Subdiaconum.	
Natalus	Philadelphiæ, *aliàs* Philadelphitanus		
Tyrannus	Germanicenſis		

PROVIN. PHOENICES. XIII.

Photinus *aliàs* Photius	Tyrienſis.		
Damianus	Sidonenſis, *aliàs* Sinodenſis, ſed malè.		
Paulus	Ptolemaidos, *aliàs* Ptolemidos		
Olympius	Aratopolitanus	Paulus	Porphyreonius (*t*)
Thomas	Paneadis	Petrus Biblitanus (*u*) per Fotrum Purentanum	
Euſtathius	Berithropolitanus	Theodorus	Tripolitanus
Paraclitus	Arcis	Alexandrus	Amparadus
Porphyrius	Batryopolitanus, per Seloſium Diaconum, *aliàs* Geloſium		
Phoſphorus	Sithroſiadenſis, *aliàs* Stoſiadenſis		

PROVIN. PHOENICES LIBANITIDIS aliàs LIBANITES. VII.

Theodorus	Damaſcenus	Vranius	Emiſienſis
Joſeph	Heliopolitanus	Thomas	Eulreopolitanus
Valerius	Laodicenſis	Euſtathius	Sileſaracenſis
Jordonis, *aliàs* Jordanis	Arabienſis.		

PROVIN.

(*s*) *Corycutanus* Cod. 1. [*t*] *Prophiritanus* Cod. 1. [*u*] *Biblutanus* Cod. 1.

PROVIN. ARABIÆ. XV.

Conſtantinus	Boſtron	Eulogius	Philadelphienſis
Proclus	Adraonenſis	Theodoſius	Canotaſienſis
Hormiſda	Philippopolitanus	Flaccus Geraſotanus per Conſtantinum Boſtroenſem.	
Auguſtus	Eufratenſis	Stephanus	Hieraſpolitanus
Theodoretus	Samoſatenus	Joannes	Cyropolitanus
Timotheus	Germanienſis	Eultius (x)	Doliches
Gavianus, *aliàs* Gavinianus Zeugmatos			
Patritius	Perrenſis	Rufinus	Neocæſarienſis

PROVIN. OSDROENES. VIII.

Nonnus	Caelaba Sedenſis, *aliàs* Zelabaſedenſis		
Gavimas	Marcopolitanus	Joannes	Carron
Habraamus	Caſtrocircon	Danielus	Macedonopolitanus
Damianus	Callinicopolitanus	Sophronius	Conſtantinopolitanus
Joannes	Seracenus, *aliàs* Saracenus		

PROVIN. MESOPOTAMIÆ. VI.

Simeon	Amidenſis	Noe	Zephanenſis
Maras	Azetinenſis, *aliàs* Ezetinienſis		
Zebennos	Martipolitanus, *aliàs* Martiropolitanus		
Gavimas	Inreles	Euſebius.	Suphaninenſis

PROVIN. PALÆSTINÆ PRIMÆ. IX.

Juvenalis	Hieroſolymitanus	Glycon Cæſarienſis per Zoſimum Epiſcopum Medinenſem	
Leontius	Aſcalonitanus	Photinus	Dioſpolitanus
Paulus	Antheodonenſis	Heraclius (y)	Agathopolitanus
Pancratius	Abiadenſis, *aliàs* Ebiadenſis		
Polychronius	Anepatridenſis	Stephanus	Jamnienſis

PROVIN. PALÆSTINÆ SECUNDÆ. IV. (z)

Severianus	Scythopolitanus	Anianus	Capitoliados
Zebinus	Pelleſitanus	Joannes	Gadarenſis (a)

PROVIN. PALÆSTINÆ TERTIÆ. VI. (b)

Berillus	Elienſis	Aretas	Eluſitanus
Muſonius	Zooronenſis	Martianus	Diotanus
Nuz, *aliàs* Niz	Tyras	Martianus	Gazes

PROVIN. PALÆAS EPIRU. VIII.

Atticus	Nicopolitanus	Marcus	Eurias
Peregrinus	Finicenus	Eutychius	Adrianopolitanus
Claudius	Aſchiamenſis	Soterius	Neſbitanus
Philocteras, *aliàs* Fictectos Dodonenſis		Joannes	Brucicenſis

PROVIN. METROPOLI EPIRI. IV.

Zenobius	Boſtroenſis	Lucas	Doracienſis
Euſebius	Apollonienſis	Petrus	Ethinienſis

PROVIN. THESSALIÆ. I.

Conſtantinus (c)	Demetriados

PROVIN. CRETÆ. V.

Martyrius	Gorginenſis	Gennadius	Enoſitanus
Cyrillus	Subretanus	Eufratos, *aliàs* Eufrates Eleutherienſis	
Demetrius	Laupenſis, *aliàs* Lupenſis		

PROVIN.

[x] *Eyoltius* Cod. 1. [y] *Practios* Cod. 1. [z] *V.* Cod. 1.
(a) *Gadarsensis* Cod. 1. (b) *VII.* Cod. 1. (c) *Demetrias* Cod. 1.

PROVIN. BITHYNIÆ PONTICÆ. (d) V.

Eunomius	Nicomedensis	Anastasius	Nicæas
Julianus	Cous, *aliàs* à Co, & Presbyter (e). Archiepiscopi Leontis.		
Eleutherius	Chalcidos	Callinicus	Apamenus

PROVIN. GALATIÆ PRIMÆ VII.

Eusebius	Ancyranus, *aliàs* Anquiranus		
Julianus	Tabianus	Melistoggus	Juliopolitanus
Hyperetus	Asponotaniensis	Acacius	Cynnitanus
Leucadius	Mnizutanus	Euphrasius	Galatinensis

PROVIN. GALATIÆ SECUNDÆ. VII.

Theoctistus	Pesinuntos per Fotium Archidiaconum, *aliàs* per Foratium		
Elpidius	Myricenontermis	Mysteros	Amorii
Aquila	Eudoxiados	Cyriacus	Tronicatensis
Pius	Petenissensis	Longinus (f)	Orcissu

PROVIN. CAPPADOCIÆ PRIMÆ. III. (g)

Gelasius, *aliàs* Thalassius Cæsariensis		Musonius	Nyssenus
Firminus	Thermis		

PROVIN. CAPPADOCIÆ SECUNDÆ. IV.

Patritius	Tyanensis	Theodosius	Nanziazensis
Aristomachus	Coloniensis	Cyrus	Cybistronensis

PROVIN. ARMENIÆ PRIMÆ. III.

Joannes	Sebastensis	Cecropius	Sebastianopolitanus
Joannes	Nicopolitanus		

PROVIN. ARMENIÆ SECUNDÆ. IV.

Constantinus	Melitinensis	Acacius	Arimantheus
Adonius	Cravissu, per Lothium Presbyterum		
Joannes	Arcis, *aliàs* Argis, per Euphronium Presbyterum		

PROVIN. PONTIPOLEMONIACI. IV.

Dorotheus	Neocæsariensis, per Photinum Diaconum	
Joannes	Polemoniacus	Gratiadus (h) Cerussuntelus, *aliàs* Cesarunthes
Atarbius	Trapezuntos	

PROVIN. HELLESPONTI. V.

Seleucius	Amasenus, *aliàs* Amarenus
Antonius (i)	Amissenus, per Olympium Diaconum
Paralios	Andranoponensis, per Elpidium Presbyterum
Vranius	Iborensis, per Paulum Presbyterum
Atticus	Zenonensis, *aliàs* Zelonensis
Antiochus	Synopenus

PROVIN. PAPHLAGONIÆ. V.

Petrus	Gagrotanus	Aetherius Pompeiopolitanus, per Epiphanium Presbyterum
Renas	Loll'opolitanus	Polichronius Dedirensis, *aliàs* Dadirensis
Theodorus	Soronensis	

PROVIN. NONORIADOS, *aliàs* HONORIADOS. VI.

Calegorus	Claudiopolitanus	Theodorus	Heraclensis
Apragmonius	Tuitanus	Theophilus Adrianopolitanus, per Pelagium Presbyterum.	

A a Gene-

(d) *Ponticis VI.* Cod. 1. (e) *Presbyteri* Cod. 1. [f] *Longinus* abest à Cod. 1.
[g] *VII.* Cod. 1. (h) *Cerassuntanus* Cod. 1. (i) *Antoninus* Cod. 1.

Genethlius	Eranrenfis per Eulogium presbyterum		
Olympius	prufiadenfis, per Modeftum presbyterum		

PROVIN. HELLESPONTI ANIANÆ. XI.

Diogenes	Gyzicunctos	Petrus	Dardanenfis
Thalaffius	pari	David	Adrianenfis
Eulalius	pionienfis	Pionius	Troadenfis
Srephanus	pimanenus	Theufebius	Ilii
Hermas	Abydenfis	Daniel	Lampfacenus
Patritius	Adrianopolitanus		

PROVIN. ASIÆ. XX.

Stephanus	Ephefinus	Ætherius	Smyrnenfis
Thomas	Æliocomenus & Valentinianipolitanus		
Eufebius	Clazomenus	Cyriacus Etles, *aliàs* Edes, *aliàs* Adles.	
Mamas	Animetu	Leontius	Magnefiæ majoris
Quintus	Phocenfis	Proclus	Alofizenus
Bafilius	Paleafpolitanus	Rufinus, *aliàs* Runus Briulonitanus	
Philippus	Neaslileranus	Hefaias	Eleas
Olympius	Evazotanus	Petronius	Myrincus
Hefperus	Epitanenfis	Paulinus Perronatanus, *aliàs* perperonotanus.	
Neonius	Nyffenus		
Marcellinus	Metropolitanus	Julianus	Hypepotanus

PROVIN. LYDIÆ. XIII.

Florentius	Sardeonenfis	Menecrates	Corafenfis
Patritius	Craffenfis	Polycarpus	Gabalenfis
Paulus	Tripolitanus	Helias	Vendotanus
Confinios	Hierocæfarienfis	Amaxios	Selgon, *aliàs* Zelgon
Andreas	Satalenus	Dionyfius	Attanenfis
Gemellus	Stratonicenfis	Altimedos	Eulantenfis
Leucius	Apollofieru		

PROVIN. PAMPHYLIÆ. VIII.

Epiphanius	Pergenfis	Theophilus	Adriaffu.
Neon	Sonifu, *aliàs* Sinifu		
Diodorus	Lyfanienfis	Paulus	Poglonienfis
Marcellinus	Ifindonenfis	Macedon	Magidonenfis
Maras	Codroylonenfis, *aliàs* Godroyionenfis		

PROVIN. PAMPHYLIÆ ALTERIUS. XXII.

Amphilotius	Sidenfis (*k*)	Gajus	Sucdronenfis
Eudoxius	Ellelonenfis	Martianus	Corallenfis
Eufebius	Cottinenfis	Obremus	Caracefienfis
Romanus	Myrrenfis	Ariftoclitus	Olymponenfis
Eudoxius	Comatenfis	Palladius	Capitalenfis
Cyrinus	Patarenfis	Stephanus (*l*)	Lymmirenfis
Zenodotus	Telmifu	Cronton Pafitidonenfis, *aliàs* Pafittonenfis	
Philippus	Barbarenfis	Theodorus	Antipollenus
Leontius	Araxenus	Antipatros	Cacumenus
Cratinus	Panormitanus	Andreas	Prolcoranus
Nicollus	Acraffuranus	Romanus	Bobonenfis

PROVIN. LYCAONIÆ. VIII.

Onefiphorus	Iconenfis	Neoptolemus	Cronenfis
Paulus	Derbenfis (*m*)	Plutarchus	Lyftron
Eugenius	Canon	Rufus	S.des
Tyrannus	Imadanenfis	Afcholias (*n*) Lalandenfis, *aliàs* Ladandenfis	

PRO-

[k] *Sidefenfis* Cod. 1. (*l*) *Lymmirenfis* Cod. 1. (*m*) *Dernenfis* Cod. 1.
(*n*) *Afchalsos* Cod. 1.

PROVIN. PISIDIÆ. XVI.

Pergamius	Antiochenus	Eutropius	Adadonenſis
Paulus	Philomedenſis	Longinus	Apamenus
Theoctiſtus	Tyreu	Eorticius	Metropolitanus
Cyrus	Siniandenſis	Libanius	Pallatonenſis
Alexander	Seleucenſis	Olympius	Sozopolitanus
Photianus	Salagaſutanus	Meſſalinus	Laodicenſis
Barrones, *aliàs* Baſſones Neaſpolitanus			
Florentinus	Adrianopolitanus	Muſonius	Limenenſis
Maximinus	Zozilonenſis		

PROVIN. CARIÆ. (*o*) XIII.

Cretonianus	Aphrodiſius, *aliàs* Aphrodius		
Dionyſius	Antiochenus	Joannes (*p*)	
Placalus	Jaſſi	Panias Eriſtonenſis, *aliàs* Ariſtodonenſis	
Dionyſius	Latomenus	Menandros	Heracleus
Eupithius	Stratonicenſis	Joannes	Amazonenſis
Tichanius	Apollonenſis	Theodoretus	Alabandenſis
Joannes	Enidienſis	Calandion Halicarnaſſenſis, per Paulinum *aliàs* Publianum Preſbyterum.	

PROVIN. PHRYGIÆ SALUTARIS XII.

Marianus	Sinadenſis (*q*)	Aquila	Auroclenus
Euſebius	Dorilei	Myros Bilandenſis, *aliàs* Bilandrenſis	
Mocimus, *aliàs* Mozimus Epſu		Epiphanius	Mardagenſis
Philippus	Lyciados	Cyriacus	Eucarpenſis
Abirtius	Hieropolitanus	Baſilius	Nicolienſis
Euſtochius	Docimii	Strategius	Polibatenſis

PROVIN. PHRYGIÆ PACATIANÆ. XIII.

Nunechius	Laociaſtrimitarias	Danielus	Cadonenſis
Modeſtus (*r*)	Sebaſtenſis		
Eulalius	Fibrienſis, *aliàs* Sibrienſis		
Matthias	Temeſenſis (*s*)	Paulus	Ariſtenſis
Charis	Dionyſopolitanus	Gennadius	Acmonenſis
Thomas	Theodoſiopolitanus	Philippus	Agiraſſidenſis
Joannes	Trapezuntinus	Evandros	Diocles
Gennadius	Moſinenſis		

PROVIN. JONNESON. IV.

Joannes.	Rhodi	Florentius	Mitylenenſis
Euphrotius	Chi	Batrachus	Naxenſis

PROVIN. CYPRI. VII.

Olympius	Conſtantienſis, per Didymum Epiſcopum Lapitenſem		
Epaphroditus	Camaſſenſis	Eliodorus	Amathuntos
Soteras	Theodoſianenſis	Didymus Lapitenſis, *aliàs* Lapidenſis	
Proeuchius	Archenoenſis, *aliàs* Arcenoenſis		
Photinus (*t*)	Cytrenus		

PROVIN. APHRICÆ. II.

Valerianus	Baſſianenſis	Valerianus	Apher

EXPLICIT (u) *SANCTUM CHALCEDONENSE CONCILIUM.*

Aa 2 TITU-

(*o*) *Caſaria* Cod. 1. (*p*) *Alisdonenſis* Cod. 1. (*q*) *Sinalidenſis* Cod. 1.
[*r*] *Dodeſtus* Cod. 1. [*s*] *Temeſianenſis* Cod. 1. [*t*] *Phoninus* Cod. 1.
(*u*) *Expliciunt Canones Chalcedonenſis* Cod. 1.



TITULI CANONUM (a) SARDICENSIS CONCILII.

NUMERO XXI.

I. De Episcopis, etiam laica communione privandis, qui civitates (b) *mutaverint.*

II. Item de iisdem Episcopis, ut si per ambitionem sedem mutaverint, nec in exitu communionem (c) *laicam consequantur.*

III. Ut inter discordes Episcopos Comprovinciales antistites audiant, quod si (d) *damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id observandum, quod ipse censuerit.*

IV. Ut nullus accusati sedem usurpet Episcopi.

V. Quando quis debeat à vicinis Provinciæ Episcopis ordinari?

VI. De non ordinandis Episcopis per vicos & modicas civitates.

VII. De Provinciali Synodo retractanda per vicarios Episcopi urbis Romæ, si ipse decreverit.

VIII. Quando, & in quibus causis Episcopi ad Comitatum ire debeant?

IX. De Diaconis ad Comitatum dirigendis.

X. Quod ad Comitatum pro pupillis & viduis ac necessitatem patientibus sit eundum.

XI. Ut, qui in canali sunt Episcopi, euntes ad Comitatum sollicitè discutiant.

XII. De his, qui ignorant, quid sit in Synodo constitutum.

XIII. De Laicis non temerè faciendis Episcopis.

XIV. Quamdiu Episcopus in aliena civitate remoretur?

XV. Non liceat Episcopo à sua Ecclesia plus tribus hebdomadibus abesse.

XVI. De Clericis à communione summotis, ab alio non recipiendis Episcopo.

XVII. De excommunicatis apud vicinos Episcopos audiendis.

XVIII. De non sollicitandis Clericis alienis.

XIX. De non ordinandis Clericis alienis sinè sui consensu Episcopi.

XX. De Presbyteris & Diaconis, qui Thessalonicam veniunt, quantum temporis ibi resideant?

XXI. De suscipiendis his, qui persecutionem patiuntur.

PRÆFATIO (e) EX TERTIO CODICE ANTIQUO.

SUnt etiam Regulæ Ecclesiasticæ, quæ in Aphricanis regionibus frequentissimo Synodali Concilio conscriptæ sunt, quæ quoniam multipliciter, & diversis modis inveniuntur; si ad manus cujuscunque Catholicorum venerint, salvâ & incolumi fide Catholicâ, quæ apud Nicæam Bithyniæ à CCCXVIII. patribus exposita est, & postea iterum in urbe Roma de Spiritu Sancto ab Episcopis salubriter adjecta est, si quid in his rationabile repererit, quod tamen à Sancta, atque Apostolica Ecclesia Romana non discrepet, sequi debebit.

Præterea sunt aliæ XL. Regulæ, quæ per Osium Episcopum Cordubensium currunt, quæ titulantur tanquam. XX. Episcopum apud Sardicam, quæ tamen non apud Græcos, sed apud Latinos magis inveniuntur, sed quoniam de Osii persona mentio facta est, necessariè omnibus Catholicis intimandum est; hunc eundem apud Nicæam Bithiniæ inter Sanctissimos. CCCXVIII. Patres fuisse honorabilem, atque ab Epistolica Sede cum Victore & Joventio Presbyteris destinatum, quique in Hispaniis usque ad tempus Constantii Principis in corpore man-

(a) *Incipiunt Canones Sardicensis* Cod. 1. 2. 3. (b) *mutaverunt* Cod. 1, 3.
[c] *saltem* Cod. 1. 2. 3. [d] *Diaconaties* Cod. 1, 2.
[e] Præfatio hæc non extat in tribus Codicibus MS. Coloniensibus.

mansit. Nam memoratus Constantius: sicut vir eruditissimus *Sulpitius Severus* in Chronicis suis refert, qui diligenti cura complectens nostræ memoriæ dereliquit apud Ariminium Italiæ numerosum utriusque orbis Synodum Episcopalem collegit, & adversus fidem Catholicam vel CCCXVIII. Patrum definitionem Arii cupiens venena revolvere, Ecclesiam Dei Tyrannicâ usurpatione turbavit, denique coacti, vel metu Principis, vel Tauri præfecti præsentia, cui executio taliter fuerat delegata, ut si major pars Concilii in Arianorum perfidia consentiret, ipse consulatus insignia mereretur: penè omnes qui ibidem fuerunt, Episcopi subscripserunt. Sed postea iterum Divino inspirante præsidio, quàm plurimi agentes pœnitentiam, datis quoque libellis ad Sanctam Ecclesiam, de qua plus necessitate quàm voluntate discesserant, redierunt. Unde & in æternum ab omnibus Catholicis Ariminense Concilium rectè dicitur anathema. Quod si quis dicere neglexerit, Catholicus non est. Hunc ergo Osium, sicut prædictus Sulpitius refert, in longa Synodi disceptatione quoniam ut supra memoratum est; adhuc Constantii temporibus erat in corpore: placuit missâ Episcopali Legatione debere perquiri, utrum in sancta & venerabili Nicæna congregatione, in qua præsens fuerat, Homusion, sicut nos Catholici rectè confitemur unius cum Patre substantiæ Filium: an certè, sicut Ariani obtendunt Homœusion, quod est similis cum Patre substantiæ Filium CCCXVIII. Patres nostri confiteri decrevissent? Qui sive per longam ætatem desipiens, sive certè pro assentatione Principis hujusmodi reddidisse perhibetur.

Utrámque partem rectè intendere quæ confessa fuerit, sive Homusion, sive Homœusion, cujus sententia, quoniam ità stultè prolata est, ab omnibus Catholicis, etiam ab Arianis uno ore irrisa, atque refutata est. Denique in civitate Corduba, in qua Episcopatum tenuit, post hanc consultationem, sive responsum nomen ejus inter Catholicos Episcopos antecessores, vel decessores ejus minimè recitatur. Sunt hæ Regulæ, quæ per sæpè dictum Osium, & XX. Episcopos currunt salva, & incolumi Fide Catholica, quæ apud eandem Nicæam Bithyniæ à CCCXVIII. Patribus exposita est, & postea iterum in urbe Roma de Spiritu Sancto à Catholicis Episcopis salubriter adjectum est. Siquid in his rationabile, qui legit, repererit, quod tamen à Sancta, atque Apostolica Romana Ecclesia non discrepet, sequi debebit:

INCIPIUNT CANONES SARDICENSIS CONCILII. NUMERO XXI.

De Episcopis etiam Laica communione privandis, qui civitates mutaverunt.

CAPUT I.

OSius Episcopus dixit. Non minus mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela, funditus eradicanda est: necui liceat Episcopo, de civitate suâ ad aliam transire civitatem. Manifesta est enim causa, quâ hoc facere tentat: cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret. Unde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius, & austerius vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt universi; placet.

Item de iisdem Episcopis, ut si per ambitionem sedem mutaverint, nec in exitu communionem, saltem Laicam, consequuntur.

CAP. II.

Osius Episcopus dixit. Etiam si talis aliquis extiterit temerarius, ut fortassis talem (*f*) excusationem afferens asseveret, quod populi literas acceperit, cùm manifestum sit potuisse (*g*) plures præmio, & mercede corrumpi eos, qui sinceram fidem non habent: ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum. Omnino has fraudes damnandas esse arbitror: ità, ut nec laicam in fine communionem talis accipiat. Si verò (*h*) omnibus placet, statuite, Synodus respondit: placet.

Aa 3 Ut

(*f*) *talem* abest à tribus Codicibus nostris.
(*h*) *vobis* pro vero. Cod. 1. 2. 3.
(*g*) *paucos* Cod. 1. 2. 3.

Ut inter discordes Episcopos Comprovinciales antistites audiant, quod si damnatus appellaverit Romanum Pontificem, id observandum, quod ipse censuerit. CAP. III.

Osius Episcopus dixit. Illud quoque necessariò adjiciendum est, ut Episcopi de sua Provincia ad aliam Provinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant; nisi fortè à fratribus suis invitati; ne videamur januam claudere charitatis. Quod si in aliqua Provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit; (*i*) unus de duobus ex alia Provincia advocet Episcopum cognitorem. Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere: ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur; & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt: si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet.

Ut nullus accusati sedem usurpet Episcopi.

CAP. IV.

Gaudentius Episcopus dixit. Addendum si placet huic sententiæ, quam plenam Sanctitate protulisti: (*k*) ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.

Quando quis debeat à vicinis Provinciæ Episcopis ordinari. CAP. V.

Osius Episcopus dixit. Si contigerit in una Provincia, in qua plurimi fuerint Episcopi, unum fortè remanere Episcopum, (ille (*l*) verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum,) & populi convenerunt, Episcopi (*m*) vicinæ Provinciæ debent (*n*) illum prius convenire Episcopum, qui in ea Provincia moratur; & ostendere, quod populi petant sibi rectorem; & hoc justum (*o*) est, ut & ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum. Quod si conventus literis tacuerit, & dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicina Provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.

De non ordinandis Episcopis per vicos, & modicas civitates. CAP. VI.

Licentia verò danda non est ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modicâ civitate, cui sufficit unus presbyter, quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi, & authoritas. Non debent illi ex alia Provincia invitati facere Episcopum: nisi aut in his civitatibus, quæ Episcopos habuerunt, aut si qua talis, aut tam populosa est civitas, quæ mereatur habere Episcopum; Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet.

De Provinciali Synodo retractandâ per vicarios Episcopi urbis Romæ, si ipse decreverit.

CAP. VII.

Osius Episcopus. Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri; si justum putaverit, ut renovetur (*p*) judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione suâ moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit, mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus authoritatem, à quo destinati sunt; erit in suo arbitrio; si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negatio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio judicaverit.

Quam-

(*i*) *ne* interponitur in tribus nostris. (*k*) *extulistis* pro *protulistis* Cod. 1. 2. 3.
(*l*) Hoc comma omissum in Cod. 1. 2. (*m*) *Episcopos* Cod. 1, 2. 3.
(*n*) *debere* Cod. 1. 2. 3. (*o*) *esse* Cod. 1. 2. 3.
(*p*) *examen* LOCO judicium, Discussionis examen Cod. 1. 2. 3.

Quando, & in quibus causis Episcopi ad comitatum ire debeant. CAP. VIII.

Osius Episcopus dixit. Importunitates, & nimia frequentia, & injustæ petitiones fecerunt, nos non tantam habere vel gratiam vel fiduciam, dum quidam non cessant ad Comitatum ire Episcopi, & maximè Aphri, qui, sicut cognovimus, Sanctissimi fratris & Coepiscopi nostri Grati salutaria consilia spernunt, atque contemnunt: ut non solùm ad Comitatum multas & diversas, Ecclesiæ non profuturas, proferant causas, ùt fieri solet, aut oportet, aut pauperibus, aut viduis, aut pupillis subveniatur, sed & dignitates sæculares, & administrationes quibusdam postulant. Hæc itaque pravitas olim non solum murmurationes, sed & scandala excitat. Honestum est autem, ut Episcopi intercessionem his præstent, qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur. Si tamen isthæc nomina justam habent causam, aut petitionem. Si vobis ergo fratres charissimi, placet, decernite, ne Episcopi ad Comitatum accedant, nisi fortè hi, qui religiosi Imperatoris literis vel invitati vel vocati fuerint. Sed quoniam sæpè contingit, ut ad misericordiam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel insulis damnantur, aut certè quamcunque sententiam suscipiunt, subveniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia, hoc ergo decernite, si vobis placet, universi dixerunt. Placet; constituatur.

De Diaconis ad Comitatum dirigendis.

CAP. IX.

Osius Episcopus dixit. Hoc quoque providentia vestra tractare debet, qui (*q*) decrevistis, ne Episcoporum improbitas nitatur, ut ad comitatum pergant. Quicunque ergo, qualis superiùs memoravimus preces habuerint, vel acceperint, per Diaconum suum mittant, quia persona ministri invidiosa non est, &, quæ impetraverit, celeriùs poterit referre, & hoc consequens esse videtur, ut de qualibet provincia Episcopi ad eum fratrem & coepiscopum nostrum preces mittant, qui in Metropoli consistit, ut illi (*r*) & Diaconum ejus, & supplicationes destinet tribuens commendatitias epistolas pari ratione ad fratres & Coepiscopos nostros, qui in illo tempore in his regionibus, & urbibus morantur, in quibus fœlix, & beatus Augustus rempublicam gubernat. Si verò habet Episcopus amicos in palatio qui cupit aliquid, quod tamen honestum est, impetrare, non prohibetur per Diaconum suum rogare, ac significare his, quos (*s*) scit benignâ intercessione sibi absenti posse præstare.

Quod ad Comitatum pro pupillis & viduis, ac necessitatem patientibus sit eundum.

CAP. X.

Si (*t*) verò Romam venerint, sicut dictum est Sanctissimo fratri, & Coepiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ preces, quas habent, tradant: ut & ipse prùis examinet, si honestæ, & justæ sunt, & præstet diligentiam, atque sollicitudinem, ut ad Comitatum perferantur. Universi dixerunt placere sibi, & honestum esse consilium.

Alipius Episcopus dixit. Si propter pupillos & viduas, vel laborantes, qui causas (*u*) iniquas habent, susceperint peregrinationis incommoda: habebunt aliquid rationis, nunc verò, cùm ea postulent præcipuè, quæ sine invidia hominum, & sine reprehensione esse non possunt, non necesse est ire ad Comitatum.

Ut, qui in Canali sunt Episcopi, euntes ad comitatum sollicitè discutiant.

CAP. XI.

Gaudentius Episcopus dixit. Ea, quæ salubriter præmonuistis (*x*) convenientia, & æstimatione omnium, & Deo placitura, & hominibus, tenere hanc firmitatem possunt, si metus huic sententiæ conjungatur. Scimus enim, & ipsi sæpissimè propter paucorum impudentiam religiosum Sacerdotale nomen fuisse reprehensum. Si igitur aliquis contra omnium sententiam nisus voluerit ambitioni magis placere, quàm Deo; is debet scire, causis redditis, honorem dignitatémque se amissurum, quòd ità demùm compleri poterit, si unusquisque nostrum, qui in carnali constitutus est, cùm progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum ejus, causas videat, quò tendat, agnoscat, & siquidem

(*q*) *quia* Cod. 3. (*r*) *ille* Cod. 1. 2. 3. (*s*) *quod* Cod. 1. 2.
(*t*) *qui pro* si. (*u*) *non* (*x*) *providistis*

dem eum invenerit ire ad Comitatum, requirat & illud, quod superiùs comprehensum est, nisi fortè invitatus est, ut ei facultas eundi permittatur. Si verò, ut superiùs memoravit Sanctitas vestra, propter desideria, & ambitiones ad comitatum pergat, neque in literis ejus scribatur, neque in communione recipiatur. Si vobis placet, omnium sententia confirmari debet. Universi dixerunt honestum esse, & placere sibi hanc constitutionem.

De his, qui ignorant, quid sit in Synodo constitutum. CAP. XII.

Osius Episcopus dixit. Sed & moderatio necessaria est, dilectissimi fratres, ne subitò adhuc aliqui nescientes, quid decretum sit in Synodo, veniant ad civitates eas, quæ in canali sunt. Debet ergo Episcopus civitatis ipsius admonere eum, & instruere, & ex eo loco Diaconum suum mittat: admonitus ipse tamen redeat in Parochiam suam.

De Laicis non temerè faciendis Episcopis.

CAP. XIII.

Osius Episcopus dixit. Et hoc necessarium arbitror ut diligentissimè tractetis: si fortè aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus: ut non priùs ordinetur nisi ante, & lectoris munere, & officio Diaconi aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ità per singulos Gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatûs. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari, quâ fide sit, quâ modestiâ quâ gravitate, & verecundiâ. Et si dignus fuerit probatus, Divino Sacerdotio illustretur; quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temerè, & leviter ordinetur aut Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est. Maximè cum & Magister gentium, Beatus Apostolus, ne hoc fieret, denunciâsse, & prohibuisse videatur. Sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata.

Quamdiu Episcopus in aliena civitate remoretur? CAP. XIV.

Osius Episcopus dixit. Et hoc quoque statuere debetis, ut ex alia civitate cùm venerit ad aliam civitatem, vel ex Provincia sua ad aliam Provinciam, & ambitioni magis, quàm devotioni serviens voluerit in aliena civitate multo tempore residere: Fortè enim evenit, Episcopum loci non esse tam instructum, neque tam doctum. Is verò, qui advenit, incipiat contemnere eum, & frequenter facere sermonem, ut dehonestet, & infirmet illius personam; ità ut hac occasione non dubitet relinquere adsignatam sibi Ecclesiam, & transeat (a) ad alienam. Definite ergò tempus, quia & non recipi Episcopum inhumanum est, & si diutiùs resideat, perniciosum est: hoc ergo ne fiat, providendum est. Memini autem superiore Concilio, fratres nostros constituisse, ut, si quis laicus in ea, in qua commoratur, civitate tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas, non (b) celebrâsse conventum, communione privetur. Si hæc circa laicos constituta sunt, multò magis Episcopo nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas, quæ detineat, ut amplius à suprà scripto tempore absens sit ab Ecclesia sua. Universi dixerunt, placere sibi.

Ne liceat Episcopo à sua Ecclesia plus tribus hebdomadibus abesse. XV.

Osius Episcopus dixit. Quia nihil prætermitti oportet; sunt quidam fratres, & Coepiscopi nostri qui non (c) eam civitatem (d) possident, in qua videntur Episcopi esse constituti, vel certè quòd (e) parvam rem illic habeant, Alibi autem idonea prædia habere cognoscuntur, vel affectionem proximorum, quibus indulgeant, hactenus permitti eis oportet, ut accedant ad possessiones suas, & disponant, vel ordinent fructum laboris sui; ut post tres Dominicos, id est, post tres hebdomadas, si morari necesse est, in suis potius fundis morentur. Aut si est proxima civitas, in qua est Presbyter, ne sine Ecclesia videatur facere diem Dominicum, illuc accedat: ut neque res domesticæ per absentiam ejus, detrimentum sustineant, & non frequenter veniendo ad civitatem, in qua Episcopus moratur, suspicionem jactantiæ & ambitionis evadat. Universi dixerunt, placere sibi.

De

(a) *transire* Cod. 3. (b) *celebrâsset* Cod. 1. 2. 3. (c) *in ea civitate* Cod. 1. 2.
(d) *possident* omissum Cod. 1. 2. (e) *quod* omissum in tribus nostris.

De Clericis à communione summotis, ab alio non recipiendis Episcopo. CAP. XVI.

Osius Episcopus dixit. Hoc quoque omnibus, ut sive Diaconus, sive Presbyter, sive quis Clericorum ab Episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & sciεrit, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abjectum; non oportet, ut ei communionem indulgeat, quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt, hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet.

De excommunicatis apud vicinos Episcopos audiendis. CAP. XVII.

Osius Episcopus dixit. Quod me adhuc movet, reticere non debeo, si Episcopus, qui (*f*) fortè iracundus (quod esse non debet) & asperè commovetur adversus Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem, & ideo habeat potestatem is, qui abjectus est ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti, & ille Episcopus, qui justè, aut injuste eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus à plurimis vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum, qui fuerit à communione (*g*) separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere, ut eum communione societ. Hi verò, qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse fastidium, & superbiam, quia jam non decet, ut Episcopus injuriam, vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo, qui (*h*) sicut ille Clericis Syncerum exhibere debet amorem charitatis, ità quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.

De non sollicitandis Clericis alienis. CAP. XVIII.

Januarius Episcopus dixit. Illud quoque statuat Sanctitas vestra, ut nulli Episcopo liceat, alterius Episcopi civitatis ministrum Ecclesiasticum sollicitare, & in suis Parochiis ordinare. Universi dixerunt: placet, quia ex his contentionibus solet nasci discordia, & ideo prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

De non ordinandis Clericis alienis sinè sui consensu Episcopi. CAP. XIX.

Osius Episcopus dixit. Et hoc universi constituimus, ut quicunque ex alia Parochia voluerit alienum ministrum sinè consensu Episcopi ipsius, & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio ejus. Quicunque autem hoc usurpaverit, à fratribus, & Coepiscopis nostris & admoneri debet, & corrigi.

De Presbyteris & Diaconis, qui Thessalonicam veniunt, quantum temporis ibi residebant? CAP. XX.

Aetius (*i*) Episcopus dixit. Non ignoratis, quanta & qualis sit Thessalonicensium civitas, sæpè ad eam veniunt ex aliis regionibus Presbyteri & Diaconi, & non sunt contenti brevi tempore morari, & aut resident ibi, & aut certè vix post longa spatia, ad sua redire coguntur. Universi dixerunt: ea tempora, quæ constituta sunt circa Episcopos, & circa has personas, observari debent.

De suscipiendis his, qui persecutionem patiuntur. CAP. XXI.

Osius Episcopus dixit. Suggerente fratre, & Coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit; ut, si aliquis vim perpessus est, & iniquè expulsus, pro disciplinâ, & Catholica confessione, vel pro defensione veritatis, effugiens pericula, innocens, & devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire possit, aut injuriâ ejus remedium acceperit; quia durum est eum, qui persecutionem patitur, non recipi; etiam & larga benevolentia, & humanitas ei est exhibenda. Omnis Synodus dixit, universa, quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in universo orbe diffusa custodiet.

(*f*) *quis* Cod. 2. 3. (*g*) *communioni* Cod. 1. 2. 3. (*h*) *quia* omnes tres.
(*i*) *Olympius* Cod. 2. pro Aëtius.

ET SUBSCRIPSERUNT, (k) *QUI CONVENERANT.*

Ofius	ab Spania	Cordubenfis
Vincentius	de Capua Legatus S. Ecclefiæ Rom. ab Spadoniis	
Florentinus	de Emerita	
Coftus (*l*)	ab Spaniis	de Cæfar-Augufta
Maximus	à Tufcia	
Porphyrius	à Macedonia	de Philippis
Eutherius	à Proica	de Candos
Moyftus	à Theffalia	de Thebis
Diofcorus	de Thracia	de Thracia
Lucius	de Thracia	de Caniopoli
Evagrius	à Macedonia	de Heraclianopoli
Zofymus	à Bacacia	de Ligmedo
Diodorus	ab Afia	de Tenedo
Aetius	à Macedonia	de Theffalonica
Parigorius	à Dardania	de Seupis
Athanafius	Alexandriæ	
Jonas	à Macedonia	de Partecopoli
Macedonius	à Dardania	de Vlpianis
Fortunatianus	Aquilegienfis	
Heliodorus	de Nicopoli	
Arius	à Palæftina	
Chocras	ab Achaia	
Stercoreus	de Canufia	
Martyrius	ab Achaia	de Neapoli
Severus	Ravennenfis	
Protafius	Mediolanenfis	
Veriffimus	à Gallia	de Lugduno
Palladius	à Macedonia	de Dio
Alexander	ab Achaia	de Ceporifma
Tihius (*m*)	ab Afia	de Metonis
Annianus	ab Spania	de Ceffalona
Calipodius	Depolitanus (*n*) Legatus S. Ecclefiæ Rom.	
Domitianus	ab Spadoniis	de Afturica
Prætextatus	ab Spaniis	de Barcilona
Baffus	à Macedonia	de Diocletianopoli
Marcellus	à Machedonia	de Ancyra
Afclepius	ab Achaia	de Serdica *aliàs* Palæftina
Protogenes	à Theffalia, *aliàs* ab Achaia	de Gaza Serderdica
Hymenæus	à Theffalia	Separata, *aliàs* de Phrata
Item Lucius	ab Italia	de Verona
Julius	à Bacacia	de Tebeffem
Athenodorus	à Bacacia	de Blacena
Alexander	à Theffalia	de Lariffa
Vitalis	ab Achaia	de Aquiripenfis
Triphon	ab Achaia	de Macarce
Gaudentius	ab Achaia	de Naifo
Alypius	ab Achaia	de Megaris
Calunis	ab Achaia	Ripenfi de Caftra
Poftarcus (*o*)	ab Achaia	de Patris
Eutherius	ab Pannonia	
Afturius	de Arabia	
Dias	à Pofibus	
Irenæus (*p*)	ab Achaia	de Secoro

Diony-

(*k*) Codex 2. non habet nomina: Codex 3. pauciffima. (*l*) *Caftus* Cod. 1. & 3. (*m*) *Tychius* Cod. 1. (*n*) *Neapolitanus.* (*o*) *Protarcus* Cod. 1. (*p*) *Herrenius* Cod. 1.

Dionyſius	ab Achaia	de Elide
Urſatius	ab Italia	de Brixia
Marcus	ab Aſia	de Scifcia
Valens	ab Achiarpenſod	Scythopolitanus
Gerontius	à Macedonia	de Brebi
Eutychius	ab Achaia	
Alexander	ab Achaia	de Moreniis

ET CÆTERI.

ET SUBSCRIPSERUNT OMNES EPISCOPI DIVERSARUM PROVINCIARUM, VEL CIVITATUM. Numero CXXI.

EXPLICIUNT CANONES CONCILII SARDICENSIS.



TITULI (*a*) CANONUM CONCILII CONGREGATI APUD CARTHAGINEM.

NUMERO XXXIII.

I. Ut, quæ in Nicæno Concilio ſtatuta ſunt omnimodo conſerventur.
II. De Trinitate prædicanda.
III. De continentia.
IV. De diverſis Ordinibus ab uxoribus abſtinendis.
V. De avaritia.
VI. Ut Chriſma à Presbyteris non fiat.
VII. De his, qui in periculo poſiti reconciliantur.
VIII. De his, qui in accuſationem majoris natu veniunt, & ut Epiſcopum nulli criminoſo liceat accuſare.
IX. De his, qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſiæ Congregatione pelluntur.
X. De Presbyteris, qui à propriis corripiuntur Epiſcopis.
XI. Siquis Presbyter contra Epiſcopum ſuum inflatus Schiſma fecerit, anathema ſit.
XII. Siquis Epiſcopus abſque tempore Synodi in crimine detentus fuerit, à XII. Epiſcopis audiatur.
XIII. Ut non liceat Epiſcopum, niſi à plurimis ordinari, ſed ſi neceſſitas fuerit, vel à tribus ordinetur Epiſcopis.
XIV. Ut de Tripoli unus Epiſcopus in legationem veniat, vel ut Presbyter ibidem à quinque Epiſcopis audiatur.
XV. De diverſis ordinibus Eccleſiæ ſervientibus; ut ſiquis cauſam criminis incurrerit, & abnuerit judicium Eccleſiaſticum, debeat periclitari, & ut filii Sacerdotum ſpectacula ſæcularia non adeant.
XVI. Ut nullus Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus conductor exiſtat, & ut Lectores uxores accipiant, & Clerici abſtineant ab uſuris, & quo tempore vel ipſi vel virgines conſecrentur?
XVII. Ut unaquæque Provincia propter longinquitatem Primatem habeat proprium.
XVIII. Siquis Clericus ordinatur, moneri debet conſtituta ſervare, & ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur, nec baptiſma; & ut per ſingulos annos per omnes Provincias ad Concilium Metropolitani conveniatur.
XIX. Ut ſiquis Epiſcopus accuſatur, ad primatem ipſius Provinciæ cauſa deferatur.
XX. De Presbyteris, vel Clericis accuſatis.
XXI. Ut filii Clericorum in matrimonio non jungantur hæreticis.
XXII. Ut Epiſcopi, vel Clerici in eos, qui Catholici non ſunt, nihil conferant.
XXIII. Ut Epiſcopi trans mare non proficiſcantur.
XXIV. Ut præter Scripturas Catholicas nihil in Eccleſia legatur.
XXV. De Epiſcopis, vel ſequentibus Ordinibus, qui Sacroſancta Myſteria contrectant, placuit ab uxoribus contineri.

(*a*) *Incipiunt Canones Carthaginenſes* Cod. 1, 2.

XXVI. Ut tres Ecclesiæ nemo distrahat.

XXVII. Presbyteri & Diaconi in graviore culpa convicti manus impositionem tanquam laici, nequaquam suscipiant.

XXVIII. Presbyteri & Diaconi, vel Clerici, qui causa sua ad transmarina putaverint appellandum; in communione minimè suscipiantur.

XXIX. Siquis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.

XXX. De accusato vel accusatore.

XXXI. Siqui Clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerunt.

XXXII. Siquis Clericorum pauper promotus in ordine postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subjaceat.

XXXIII. Ut Presbyteri rem Ecclesiæ, in qua sunt constituti, non vendant, & nulli Episcopo liceat rem tituli matricis Ecclesiæ usurpare.

INCIPIUNT CANONES SYNODI
CARTHAGINENSIS. (b)

POst Consulatum Gloriosissimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodosii VIII. Augustorum V. (d) Kal. Junii Carthagine, in Secretario Basilicæ Faustæ (e) cum Aurelius Papa, unà cum Valentino, primæ sedis provinciæ Numidiæ, Faustino Ecclesiæ Potentiæ, provinciæ Italiæ Piceni, Legato Ecclesiæ Romanæ: Sed & Legatis diversarum Provinciarum Aphricanarum, id est, Numidiarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Cæsariensis, sed & Tripolim, & Vincentio Colositano, Fortunatio, & cæteris Episcopis provinciæ Proconsularis residentibus CCXVII. nec non Philippo, & Asello presbyteris atque Legatis Romanæ Ecclesiæ concedisset, adstantibus Diaconis; Aurelius Episcopus dixit. Post diem præstitutam Concilii, ut recordamini Fratres Beatissimi, multa flagitata sunt, exspectantes Fratres nostros, qui nunc ad præsentem Synodum Legati adveniunt, quæ gestis necesse est sociecentur, quæ de re Domino Deo nostro de tantæ Congregationis cætu gratias referimus. Super est, ut tam exemplaria Nicœni Concilii, quæ nunc habemus, & à Patribus constituta sunt, quàm etiam hìc à decessoribus nostris eandem Synodum firmantes, vel quæ secundùm (f) formam per omnes Clericorum gradus à summo usque ad ultimum salubriter ordinata sunt, in medio proferantur. Ab universo Concilio dictum est: Proferantur.

Daniël Notarius recitavit. Nicæni Concilii fidei (g) professio, vel statuta ità se habent, & cùm diceret Faustinus Episcopus plebis Potentianæ, provinciæ Italiæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ dixit. Injuncta nobis sunt à Sede Apostolica aliqua per Scripturam, aliqua etiam in mandatis, cum vestra beatitudine tractanda, sicuti & gestis superioribus meminimus, hoc est, de Nicænis Canonibus, ut conserventur & constituta eorum, & consuetudo quia & aliqua ordine, & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergo primitus si placet beatitudini vestræ tractemus, & postea cætera, quæ acta, vel inchoata sunt, inserta, firmabuntur, ut & ad sedem venerandam rescriptis vestris intimare possitis, ad quæ nos ammonuisse

Tituli Canonum præmissi absunt à nostris tribus Codibus.

Præfatio *post consulatum* abest à Cod. 2.

(b) Edimus Canones Concilii Carthaginensis, eo ordine & numero, quo MS. Codices antiquissimi Dionysii exigui eos referunt. Annus post consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. est annus Christi CCCCXIX. quo anno *sextum* Carthagine Concilium habitum fuit. Quinque Concilia ante hunc annum Carthagine, & in aliis Africæ locis celebrata fuere. Crabbius, Surius, Binius, & recentissimè Schelestrateus *in Dissertatione de Ecclesia Africana* conati sunt Canones hos à Dionysio coacervatos ad suos annos Consules, Episcopos & Synodos sigillatim referre, sed parum profecerunt: Certum hoc, quod multarum Synodorum Canones ad Synodum anni 419. adjuncti inserri fuere. Nos uti in MSS. nostris reperimus, sic edimus.

(c) XIII. Cod. 1. & 3. (d) VIII. Kal. Junias Cod. 1. 3. (e) *fausti* Cod. 1, 3.

(f) *eam formam* Cod. 1. 3. (g) *fidei* abest à 1. & 3. Cod.

nuiſſe apud venerabilem Papam evidenter clareat, licèt & Capitula actionum jam inſerta ſint geſtis. De ipſis ergo, ùt ſuperius dixi, quid veſtræ Beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergo commonitorium in medio (*h*) ut ſcire poſſit veſtra Beatitudo, quid in eo contineatur, ut ad ſingula reſpondeatur.

Aurelius Epiſcopus dixit. Proferatur commonitorium, quod fratres, & Conſacerdotes noſtri in actis nuper allegaverunt, & cætera, quæ acta ſunt, vel agenda ſunt, ſubſequentur. Daniël notarius recitavit commonitorium fratri Fauſtino, & Filiis Philippo, & Aſello Presbyteris Zoſimus Epiſcopus. Vobis commiſſa negotia non latent vos, ità ac ſi noſtra, immò quia noſtra ibi in vobis pœnitentia (*i*) eſt, cuncta peragite, maximè cùm & hoc noſtrum poſſitis habere mandatum, & verba Canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inſeruimus. Ità enim dixerunt fratres in Nicæno Concilio: cùm de Epiſcoporum appellatione decernerent.

Placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis (*k*) ipſius, & de gradu ſuo dejecerint eum, & appellâſſe videatur, & confugerit ad Beatiſſimum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit audiri, & juſtum putaverit, ut renovetur examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia ſunt: ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi quis rogat cauſam ſuam iterum audiri & deprecatione ſuâ moverit Epiſcopum Romanum ut de latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid exiſtimet. Et ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent habentes authoritatem ejus, à quo deſtinati ſunt, erit in ejus arbitrio. Si verò crediderit ſufficere Epiſcopos, ut negotio terminum imponant, faciet, quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit.

Et cùm recitaret Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Tagæſtenſis, Legatus Provinciæ Numidiæ dixit. De hoc jam ſuperioribus etiam literis Concilii noſtri reſcripſimus, & id nos ſervaturos profitemur, quod in Nicæno Concilio conſtitutum eſt, adhuc tamen me movet, quomodo (*l*) cum inſpiceremus græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, iſta ibi, neſcio qua ratione minimè invenimus, unde petimus Venerationem tuam Sancte Papa Aureli, ut quia hoc authenticum Concilium Nicænum in urbe dicitur eſſe Conſtantinopolitana, aliquos cum ſcriptis tuæ Sanctitatis mittere digneris, & non ſolùm ad ipſum ſanctum Fratrem noſtrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſed etiam ad Alexandrinum, & Antiochenum venerabiles Sacerdotes, qui hoc nobis Concilium ſub adſtipulatione literarum ſuarum dirigant, ut omnis poſtmodum ambiguitas auferatur, quia nos ità, ut frater Fauſtinus attulit, minimè invenimus iſta, nos tamen paulisper ſervaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria veniant, profitemur. Petendus eſt autem literis noſtris etiam venerabilis Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus Bonifacius, ut ipſe quoque dignetur ad memoratas Eccleſias aliquos mittere, qui eadem exemplaria debeant ſecundùm ejus ſcripta perferre, nunc autem memorati Nicæni Concilii, qualia exemplaria habemus, his geſtis ſociamus.

Fauſtinus Epiſcopus, Legatus Eccleſiæ Romanæ dixit. Nec veſtra Sanctitas præjudicat Eccleſiæ Romanæ, ſive de hoc Capitulo, ſive de aliis, quia dicere dignatus eſt Frater noſter, & Coepiſcopus Alygrius, (*m*) dubios eſſe Canones, ſed hæc ipſa ad ſanctum & beatiſſimum Papam noſtrum ſcribere dignemini, ut & ipſe integros Canones inquirens cum veſtra Sanctitate de omnibus conſtitutis tractare poſſit. Sufficit autem, & ipſe beatiſſimus Epiſcopus urbis Romæ, ſicut & veſtra Sanctitas apud ſe tractat: ità & ipſe inquirat, ne contentio inter Eccleſias naſci videatur: ſed magis charitate fraternâ deliberare poſſitis, ipſo reſcribente, quod melius obſervari debeat.

Aurelius Epiſcopus dixit. Præter iſta, quæ promiſimus actis, neceſſe eſt, ut etiam noſtræ parvitatis literis Sancto Fratri, & Conſacerdoti noſtro Bonifacio ſingula, quæ tractamus, pleniſſimè intimemus. Ergo ſi omnibus placet proſecutio noſtra, ore omnium condiſcamus. Univerſum Concilium dixit: placet.

(*h*) *in medium* cod. 3. (*i*) *præſentia* eſt. (*k*) *S. Religionis* cod. 1.
(*l*) *movit quoniam* cod. 1. (*m*) *Alypius* cod. 1. 3.

Novatus Episcopus, Legatus Mauritaniæ Sitifensis dixit. Nunc meminimus hoc commonitorio, etiam de Presbyteris, vel Diaconibus contineri, (*n*) qualiter audiri ab Episcopis suis, vel à finitimis debeant, quod in Nicæno Concilio minimè legimus, unde (*o*) nobis hoc ipsum jubeat Sanctitas vestra, recitari.

Aurelius Episcopus dixit. Recitetur ad locum etiam hoc, quod deposcitur: Daniel Notarius recitavit. De appellationibus autem Clericorum, id est de (*p*) minoris loci, est ipsius Synodi certa responsio, de qua re, quid acturi sitis, credimus inserendum, quod taliter dictum est.

Osius Episcopus dixit. Quid me adhuc moveat, reticere non debeo. Si Episcopus forte iracundus (quod esse non debet) citò aut asperè commoveatur adversùs Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem; habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet, ut causa ejus audiatur, & diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui aut justè aut injustè eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut aut probetur ejus, aut emendetur sententia &c.

Cúmque recitarentur, Augustinus Episcopus Ecclesiæ Hipponensis, Legatus (*q*) Provinciæ Numidiæ dixit. Et hoc nos servaturos profitemur, salvâ diligentiore inquisitione Concilii Nicæni. Aurelius Episcopus dixit. Si hoc etiam omnium vestræ charitati placet, responsione firmate, universum Concilium dixit. Omnia, quæ in Nicæno Concilio statuta sunt, nobis omnibus placent. Jocundus Episcopus Ecclesiæ Suffitulæ, Legatus Provinciæ Byzacenæ dixit. Quod statutum est in Nicæno Concilio, violari à quoquam nullatenus potest.

Faustinus Episcopus Legatus Ecclesiæ Romanæ dixit. Adhuc secundùm professionem Sanctitatis vestræ, tam Sancti Alypii, quàm etiam fratris nostri Jocundi, aliqua infirmari credo, aliqua firmari, quod non debeat, cum jam in dubium ipsi Canones venerint. Ergo ut placet & nobis & beatitudinem vestræ, ad Sanctum, & venerabilem Ecclesiæ Romanæ Episcopum vestra Sanctitas referre dignetur, ut & ipse, quod Sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, utrum & hoc concedendum? hoc est, de appellatione (*r*) inferioris gradûs. Si ergo adhuc in dubium venit, & de hoc Capitulo justum est, ut Beatissimæ Sedis Episcopus informari debeat, si tamen approbatis Canonibus hoc non inveniri possit. Aurelius Episcopus dixit. Etiam, quæ dudum vestræ charitati intimavimus, nunc patimini exemplaria statutorum Nicæni Concilii, sed & quæ hic salubriter à nostris decessoribus secundùm ejusdem Concilii formam, vel quæ nunc à nobis ordinata sunt, recitari, & gestis inseri, omne Concilium dixit. Exemplaria fidei, & Statuta Nicænæ Synodi, quæ ad nostrum Concilium per Beatæ recordationis olim prædecessorem tuæ Sanctitatis, qui interfuit *Cæcilianum* Episcopum adlata sunt, sed & quæ Patres exemplaria sequentes hic constituerunt, vel nunc communi Tractatu statuimus, his gestis Ecclesiasticis inserta manebunt, ità, ut quemadmodum (*s*) superiùs dictum est, venerabilibus viris Antiochenæ, & Alexandrinæ, sed & Constantinopolitanæ Ecclesiarum Episcopis scribere vestra beatitudo dignetur, ut examinaria (*t*) verissima Concilii Nicæni sub adstipulatione literarum suarum dirigat, quibus declaratis, ea Capitula, quæ in commonitorio præsens frater, & Coepiscopus noster Faustinus sed & Compresbyteri Philippus & Asellus secum attulerunt, aut ibidem reperta, à nobis firmabuntur, aut si non inveniantur, collectâ Synodo de hoc in sequenti tractabimus. Daniël Notarius Nicæni Concilii professionem fidei, vel ejus Statuta recitavit in Concilio Aphricano.

PRO-

(*n*) *continere* cod. 1. 3. (*o*) *nobis* abest à cod. 1. 3. (*p*) *de* abest à cod. 1. 3.
(*q*) *Legatus* abest à cod. 1. 3. (*r*) *appellationibus* cod. 1. 3.
(*s*) *quemadmodum* abest à cod. 1. 3. (*t*) *exemplaria* cod. 1. 3.

PROFESSIO FIDEI NICÆNI CONCILII.

CRedimus in unum Deum, Patrem omnipotentem visibilium & invisibilium factorem, & in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo (*u*) lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius substantiæ cum Patre, quod græci dicunt Homusion, per quem omnia facta sunt, sive quæ in cœlo, sive, quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus. Passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cœlos, sedit ad dexteram Patris (*x*) inde venturus est judicare vivos & mortuos, & in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat tempus, (*y*) quando non erat, & priusquam nasceretur non erat, & quia ex nullis extantibus factus est, vel ex alia substantia dicentes mutabilem & convertibilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

Statuta quoque Nicœni Concilii in viginti Capitulis similiter recitata sunt, in superioribus inveniuntur adscripta. Deinde quæ in Conciliis Aphricanis promulgata sunt, actis præsentibus inserta noscuntur.

Ut, quæ in Nicœno Concilio statuta sunt, omnimodo serventur

CAP. I.

Aurelius Episcopus dixit. Hæc ità apud nos habentur exemplaria statutorum, quæ tunc Patres nostri de Concilio Nicœno secum detulerunt, cujus formam servantes, hæc, quæ sequentur constituta, firmata in nobis custodientur.

De Trinitate prædicanda. CAP. II.

Universum Concilium dixit. Deo propitio pari professione fides Ecclesiastica, quæ per nos traditur in hoc cœtu glorioso, primitus confitenda est, tunc demum ordo Ecclesiasticus singulorum, & consensu omnium adstruendus. Ad corroborandas autem Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum, nuper promotorum mentes, ea proponenda sunt, quæ à Patribus certa dispositione accepimus. Ut Trinitatis, quam nostris (*z*) sensibus consecratam retinemus, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unitatem, quæ nullam noscitur habere differentiam: sicuti (*a*) dicimus, ità Dei populos instruamus. Item ab universis Episcopis nuper promotis dictum est, plane sic accepimus, sic tenemus, sic docemus fidem Evangelicam cum vestra doctrina sequentes,

De Continentia. CAP. III.

Aurelius Episcopus dixit. Cum (*b*) in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres: qui constitutione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt. Episcopos inquam, Presbyteros & Diaconos, ità placuit, ut condecet Sacros Antistites, ac Dei Sacerdotes, nec non & levitas, vel qui Sacramentis Divinis inserviunt: continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus.

De diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis.

CAP. IV.

Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ, dixit. Placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant. Ab universis Episcopis dictum est, placet; ut in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari inserviunt.

De avaritia. CAP. V.

Aurelius Episcopus dixit. Avaritiæ cupiditatem (*c*) rerum omnium malorum matrem esse, nemo qui (*d*) dubitet; proinde inhibenda est, nequis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos Patrum Statutos transcendat, nec omninò cuiquam Clericorum liceat de

(*u*) *vero* sequitur: *Lumen de Lumine*, *Deum verum de Deo vero* absunt à cod. 1. 3.
(*x*) *unde* cod 1, 2. (*y*) *tempus* abest à 1. & 3. (*z*) *nostris in sensibus* tres codices.
(*a*) *didicimus* cod. tres. (*b*) *in* abest à 3. cod. [*c*] *cupiditas, quam* codices tres.
(*d*) *quis* pro qui.

de qualibet re fœnus accipere. Quamquam novellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcuræ ſunt, vel ſub genere latent, inſpectæ à nobis, formam accipient. Cæterùm de quibus apertiſſimè Divina Scriptura ſanxit, non eſt differenda (e) ſententia, ſed potiùs exequenda. Proinde quod in Laicis reprehenditur, id multò magis debet in Clericis prædominari. Univerſum Concilium dixit. Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit ſine periculo.

Ut chriſma à Presbyteris non fiat.

CAP. VI.

Fortunatus Epiſcopus dixit. In præteritis Conciliis Statutum meminimus eſſe, ut chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non & puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant, ſiquis autem emerſerit hoc faciens, quid de eo Statuendum ſit? Aurelius Epiſcopus dixit. Audivit Dignatio veſtra ſuggeſtionem fratris & coepiſcopi noſtri Fortunati, quid ad hæc dicitis ab univerſis Epiſcopis dictum eſt. Chriſmatis (f) confectio, & puellarum conſecratio à Presbyteris non fiat, vel reconciliare quenquam in publica miſſa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.

De his, qui in periculo poſiti reconciliantur.

CAP. VII.

Aurelius Epiſcopus dixit. Siquisquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari Divinis altaribus petierit; ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare, quam rem debemus ſalubri Concilio roborare. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, placet, quod Sanctitas veſtra neceſſariò nos inſtruere dignata eſt.

De his, qui in accuſationem majoris natu veniunt, & ut Epiſcopum nulli crimi-noſo liceat accuſare.

CAP. VIII.

Numidius Epiſcopus (g) Maſſilitanus dixit. Præterea ſunt quamplurimi non bonæ converſationis: qui exiſtimant majores natu, vel Epiſcopos paſſim, vagéque in accuſationem pulſandos, debent tam facilè admitti, nec ne? Aurelius Epiſcopus dixit. Placet igitur charitati veſtræ, ut is, qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem adverſùs majorem natu non habeant accuſandi? Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, ſi criminoſus eſt, non admittatur. Placet.

De his qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſiæ congregatione pelluntur.

CAP. IX.

Auguſtinus Epiſcopus, Legatus Provinciæ Numidiæ dixit. Hoc ſtatuere dignemini, (h) ut ſiqui fortè merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, & ſive ab aliquo Epiſcopo, vel Presbytero fuerint in communionem ſuſcepti, etiam ipſe pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugientibus (i) ſui Epiſcopi regulare judicium. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, omnibus placet.

De Presbyteris, qui à propriis corripiuntur Epiſcopis. CAP. X.

Alypius Epiſcopus, Legatus Provinciæ Numidiæ dixit. Nec illud prætermittendum eſt, ut ſiquis forte Presbyter ab Epiſcopo ſuo correptus tumore vel ſuperbiâ, inflatus putaverit ſeparatim ſacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contra Eccleſiaſticam fidem, vel diſciplinam crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primæ ſedis Provinciæ Numidiæ dixit. Neceſſario diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & fidei congrua ſunt, quæ frater noſter Alypius proſecutus eſt, proinde quid videatur veſtræ dilectioni, edicite.

Siquis Presbyter contra Epiſcopum ſuum inflatus ſchiſma fecerit, anathema ſit.

CAP. XI.

Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt. Siquis Presbyter à præpoſito ſuo correptus fuerit, debet utique apud vicinos Epiſcopos conqueri, ut ab ipſis ejus cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari, quod niſi fecerit, ſed ſuperbiâ (quod abſit) inflatus ſecernendum ſe ab Epiſcopi ſui communione duxerit, ac ſeparatim cum aliquibus ſciſma (k) faciens ſacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur (l) & locum amittat, ac (m) ſi querimoniam juſtam adverſùs Epiſcopum non habuerit, inquirendum erit.

Siquis

(e) *deferenda* cod. 1. & 2. (f) *Chriſma* cod. 3.
(g) *Maſulitanus* cod. 1. & 2. *Arylitanus* cod. 3. (h) *dignamini* cod. 3.
(i) *refugientes* 3. cod. (k) *ſchiſma* abeſt à 3. cod. (l) *habeat* cod. 1. 2.
(m) *ac* abeſt à 3. cod.

Siquis Episcopus absque tempore Synodi in crimine detentus fuerit, à XII. Episcopis audiatur. CAP. XII.

Felix Episcopus dixit. Suggero secundùm Statuta veterum Conciliorum, ut si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare: ne in crimine remaneat, à XII. Episcopis audiatur, & Presbyter à sex Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus.

Ut non liceat Episcopum, nisi à plurimis ordinari, sed si necessitas fuerit, vel à tribus ordinetur Episcopis.

CAP. XIII.

Aurelius Episcopus dixit. Quid ad hæc dicit Sanctitas vestra? ab universis Episcopis dictum est: A nobis veterum Statuta debere asservari, sicuti & inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ tam facilè non præsumant multi congregati Episcopi Episcopum ordinare: nisi necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocunque loco sint, ejus præcepto ordinare debebunt Episcopum, & siquis contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore privabit.

Ut de Tripoli unus Episcopus in legationem veniat, & ut Presbyter ibidem à quinque Episcopis audiatur.

CAP. XIV.

Item placuit de Tripoli, propter inopiam Provinciæ unus Episcopus in Legationem veniat, & ut ibi Presbyter à quinque audiatur Episcopis, & Diaconus à tribus, ut superiùs memoratum est, proprio Episcopo residente.

De diversis ordinibus Ecclesiæ servientibus, ut si quis (n) *causam criminis incurrit & abjecerit* (o) *Judicium Ecclesiasticum, debeat periclitari, & ut Filii Sacerdotum spectacula sæcularia non adeant.* CAP. XV.

Item placuit, ut (p) quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota; si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat. Et hoc in criminali (q) actione: in civili verò perdat, quod evincit, si locum suum obtinere maluerit. Hoc etiam placuit, ut à quibuscunque Judicibus Ecclesiasticis ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo judicâsse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. Sanè si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam à pauciori numero, quàm constitutum est, non liceat provocari: & ut filii Sacerdotum spectacula sæcularia non exhibeant, sed nec expectent, licèt hoc semper Christianis omnibus indictum sit, & ubi blasphemiæ sunt, non accedant.

Ut nullus Episcopus, Presbyter, & Diaconus conductor exsistat, & ut Lectores uxores accipiant, & Clerici abstineant ab usuris, & quo tempore vel ipsi, vel virgines consecrentur? CAP. XVI.

Item placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio, & inhonesto victum quærant, quia respicere debent, scriptum esse, *nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Item (r) placuit, ut Lectores, cùm ad annos pubertatis pervenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. Item placuit, ut Clericus, si commodaverit pecuniam, accipiat, si speciem, eandem speciem, quantum dederit, accipiat, & ut ante XXV. annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec Virgines consecrentur (s) & ut Lectores populum non salutent.

Ut unaquæque Provincia propter longinquitatem primatem habeant proprium.

CAP. XVII.

Placuit, ut Mauritania Sitifensis, ùt postulavit, Primatem Provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separatur, ut suum habeat Primatem: quem consentientibus omnibus Primatibus Provinciarum Aphricanarum, vel omnibus Episcopis, propter longinquitatem habere permissa est.

(n) *in* cod. 3. (o) *abnuerit* 3. cod. (p) *ut* abest à 3. (q) *actione* abest à 3.
(r) *idem* abest à 3. (s) *nec virgines consacrentur* abest à 3.

Siquis Clericus ordinatur, moneri debet conſtituta ſervare, & ut corporibus mortuorum Euchariſtia non detur, nec Baptiſma, & ut per ſingulos annos per omnes Provincias ad Concilium Metropolitani conveniatur.

CAP. XVIII.

Item placuit, ut ordinatis Epiſcopis, vel Clericis priùs ab ordinatoribus ſuis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur: ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilii feciſſe pœniteant. Item placuit, ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur, ſcriptum eſt enim *accipite, & edite*: cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere: & nec jam mortuos homines Baptizari faciat Presbyterorum ignavia, pro qua re confirmandum eſt in hac Sancta Synodo, ut ſecundùm Nicæna Statuta propter cauſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebium ſæpe veteraſcunt, ſingulis quibusque annis Concilium convocetur, ad quod omnes Provinciæ, quæ primas ſedes habent, de Conciliis ſuis binos, aut quantos delegerint, Epiſcopos (*t*) legatos mittant ut in congregato conventu plena poſſit eſſe auctoritas.

Ut ſiquis Epiſcopus accuſatur, ad Primatem ipſius Provinciæ cauſa deferatur.

CAP. XIX.

Aurelius Epiſcopus dixit. Quiſquis Epiſcoporum accuſatur, ad Primatem (*u*) Provinciæ ipſius cauſam deferat accuſator: nec à communione ſuſpendatur, cui crimen intenditur, niſi ad cauſam ſuam dicendam Electorum Judicium die ſtatuta literis evocatus minimè occurrerit, hoc eſt infra ſpatium menſis, ex ea die, quâ eum literas accepiſſe conſtiterit. Quod ſi aliquis veras neceſſitatis cauſas probaverit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ (*x*) dicendæ intra alterum menſem integram habeat facultatem: veruntamen diu poſt menſem ſecundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad Concilium univerſale infra anni ſpatium occurrere noluerit, ut vel ibi cauſa ejus terminetur, ipſe in ſe damnationis ſententiam dixiſſe judicetur: tempore ſane, quo non communicat, nec in ſua Eccleſia, vel Parochia communicet. Accuſator autem ejus, ſi nunquam diebus cauſæ dicendæ defuerit, à communione non removeatur, ſi verò aliquando defuerit ſubtrahens ſe, reſtituto in communione Epiſcopo, ipſe removeatur à communione accuſator: ità tamen, ut nec ipſi adimatur facultas cauſæ peragendæ. Si ſe ad diem occurrere non noluiſſe, ſed non potuiſſe probaverit, placuit illud ſanè, ut cùm agere cœperit in Epiſcoporum Judiciis, ſi fuerit accuſatoris perſona culpabilis, ad arguendum non admittatur, niſi proprias cauſas, non tamen Eccleſiaſticas aſſerere voluerit.

De Presbyteris, vel Clericis accuſatis.

CAP. XX.

Si autem Presbyteri, vel Diaconi accuſati, adjuncto ſibi ex vicinis locis cum proprio (*y*) Epiſcopo legitimo numero collegarum, quos ab eodem accuſati petierint, (*z*) id eſt, una ſecum in Presbyteri nomine ſex: in Diaconi tres, ipſorum cauſam diſcutiant, eàdem dierum, & dilationum, & à communione remotionum, & diſcuſſione perſonarum inter accuſatores, & eos qui accuſantur, forma ſervatâ. Reliquorum autem Clericorum cauſas etiam ſolus Epiſcopus loci agnoſcat, & (*a*) definiat.

Ut Filii Clericorum in Matrimonio non jungantur Hæreticis. CAP. XXI.

Iterum placuit, ut Filii Clericorum gentilibus vel Hæreticis, vel ſchiſmaticis (*b*) matrimonio non jungantur.

Ut Epiſcopi vel Clerici in eos, qui non ſunt Catholici, nihil conferant.

CAP. XXII.

Et ut in eos, qui Catholici Chriſtiani non ſunt, etiamſi conſanguinei fuerint, per donationes rerum ſuarum Epiſcopi, vel Clerici nihil conferant.

Ut Epiſcopi trans mare non proficiſcantur.

CAP. XXIII.

Item ut Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ ſedis Epiſcopo ſuæ cujusque Provinciæ: ut ab eo præcipuè poſſint ſumere formatam vel commendationem.

Ut

[t] *delegatos* cod. 3. [u] *primates* cod. 3. [x] *cauſæ ſua* cod. 3.
[y] *proprius Epiſcopus* codices tres. [z] *petierunt* 1. & 2. cod. [a] *finiat* tres codices.
(b) *ſchiſmaticis* abeſt à tribus cod.

Ut præter Scripturas Catholicas nihil in Ecclesia legatur. CAP. XXIV.

Item placuit, (c) ut præter Scripturas (d) Catholicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum libri IV, Paralipomenon libri II, Job, Psalterium, Salomonis libri V, liber (e) XII Prophetarum, Hesaias, Hieremias, Ezechiël, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri II, Maccabæorum libri II, Novi Testamenti Evangeliorum libri IV, Actuum Apostolorum liber I, Epistolæ Pauli XIV, Petri Apostoli Epistolæ II, Joannis Apostoli III, Jacobi Apostoli liber I, Judæ Apostoli liber I, Apocalypsis Joannis Apostoli liber I. Hoc etiam fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia in Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.

De Episcopis, vel sequentibus ordinibus, qui Sacrosancta Mysteria contrectant, placuit ab uxoribus contineri.

CAP. XXV.

Aurelius Episcopus dixit. Addimus fratres charissimi præterea, cùm de quorundam Clericorum, quamvis Lectorum, erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit, quod & in diversis Conciliis firmatum est, ut (f) Subdiaconi, qui Sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, sed & Episcopi secundùm priora statuta etiam ab uxoribus se contineant: ut tanquam non habentes videantur esse; quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate. Ab universo Concilio dictum est, quæ vestra Sanctitas est justè moderata, & sancta, & Deo placita sunt, confirmamus.

Ut res Ecclesiæ nemo distrahat.

CAP. XXVI.

Item placuit, ut rem Ecclesiæ nemo vendat, quod si redditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogit, hoc (g) insinuandum esse Primati Provinciæ ipsius: ut cum statuto numero Episcoporum, utrum faciendum sit, arbitretur. Quod si tanta urget necessitas Ecclesiæ, ut non possit ante consulere, saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium omnes referre suæ Ecclesiæ necessitates, quod si non fecerit, reus Deo & Concilio venditor honore amisso teneatur.

Presbyteri & Diaconi in graviore culpa convicti, manûs impositionem tanquam laici, nequaquam suscipiant.

CAP. XXVII.

Item confirmatum est, ut siquando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, quâ eos à Ministerio necesse sit removeri, non eis manus, tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis, imponatur: neque permittendum, ut rebaptizati ad Clericatûs gradum promoveantur.

Presbyteri, Diaconi, vel Clerici, qui causa sua ad transmarina putaverint appellandum, in communionem minimè suscipiantur.

CAP. XXVIII.

Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos definiant, adhibiti ab eis Episcopi: quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad Transmarina Judicia, sed ad Primates suarum Provinciarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est. Ad Transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Aphricam ad communionem suscipiatur.

Siquis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.

CAP. XXIX.

Item placuit universo Concilio, ut, qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive Episcopus, sive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit: ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

De accusato, vel accusatore. CAP. XXX.

Item placuit, ut accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille, qui accusatur,

(c) *placuit* abest à tribus codd. (d) *Canonicas* omnes tres, non *Catholicas*.
(e) *libri.* cod. 3. (f) *ut* abest à tribus. (g) *hanc* cod. tres.

cusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quò non sit difficile testes perducere: ubi causa finiatur.

Si qui Clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerunt. CAP. XXXI.

Item placuit, ut quicunque Clerici, vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere; nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.

Si quis Clericorum pauper promotus in ordine, postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subjaceat. CAP. XXXII.

Item placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatûs vel Clericatûs sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur: nisi admoniti in Ecclesiam eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. Quod si à suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tanquam reprobi, judicentur.

Ut Presbyteri rem Ecclesiæ, in qua sunt constituti non vendant, & nulli Episcopo liceat rem tituli matricis Ecclesiæ usurpare. CAP. XXXIII.

Item placuit, ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis, quomodo & Episcopis non liceat vendere prædia Ecclesiæ, ignorante Concilio, vel Presbyteris suis. Non habente ergo necessitatem (*b*) nec Episcopo liceat matricis Ecclesiæ, nec (*i*) Presbytero rem tituli sui usurpare.

EXPLICIUNT CANONES CARTHAGINENSIS CONCILII.

(*h*) *necessitate* cod. 1. 2. (*i*) *Presbytero* abest à tribus.

TITULI (*) CANONUM DIVERSORUM CONCILIORUM APHRICANÆ PROVINCIÆ. (**)

NUMERO CV.

1. *Quod nihil de Hipponensi Concilio sit emendandum.*
2. *Ut Episcopi vel Clerici non facilè filios suos emancipent.*
3. *Ut Episcopi vel Clerici non ordinentur, nisi omnes suos fecerint Christianos.*
4. *Quod præter panem & merum mixtum aquâ, nihil in Sacramentis offerri debeat.*
5. *Ut Clerici, vel continentes ad virgines, viduásque non accedant.*
6. *Ut Princeps Sacerdotum non appelletur Episcopus.*
7. *Ut Clerici tabernas, nisi in peregrinis, non ingrediantur.*
8. *Ut à jejunis Deo Sacrificia peragantur.*
9. *Ut in Ecclesiis convivia minimè celebrentur.*
10. *De Pœnitentibus.*
11. *De Virginibus.*
12. *De ægrotantibus, qui pro se respondere non possunt.*
13. *De Passionibus Martyrum.*
14. *De Parvulis, qui apud Donatistas baptizati sunt.*
15. *De rebaptizationibus, reordinationibus, vel translationibus Episcoporum.*
16. *Quod Episcopi ordinare Episcopum debeant.*
17. *Quot addi debeant Episcopi numero ordinatorum, si de ordinando Episcopo fuerit contradictum.*
18. *De Ecclesia Carthaginis dies Pascha nuncietur.*
19. *De visitandis Provinciis.*

20. *Ut*

(*) *Incipiunt Canones* omnes tres codd. (**) *Numidia* codd. 3.
Verissimus est hic Titulus. Non enim unius loci, aut anni, sed plurium Africæ Conciliorum Canones diversis annis conditi, ab anonymo inepto Rapsodo in hanc massam sunt conferti, imò acta de Appellationibus sub Zosimo, Bonifacio, Cæléstino, in unum Concilium sub 105 numeris redegit. *Perronius* Cardinalis *apud Schelestrate Dissert. de Eccl. Africana pag.* 265, 266.

20. *Ut Diœceses, nisi ex consensu Episcopi proprii Episcopum non accipiant.*
21. *Ut alienus Clericus minimè suscipiatur ab alio.*
22. *Ut Carthaginensi Episcopo, unde voluerit, Clericum liceat ordinare.*
23. *Ut Episcopi, qui in Diœcesibus fuerint ordinati, Diœcesim sibi nullam vendicent.*
24. *Ut parvuli apud Donatistas baptizati, in Catholica Clerici ordinentur.*
25. *De reliquiis idolorum, vel templis ab Imperatoribus abolendis.*
26. *Ut Clerici de Judicii sui cognitione non cogantur in publico dicere testimonium.*
27. *De Paganorum conviviis auferendis.*
28. *De spectaculis, ut die Dominico, vel cæteris Sanctorum festivitatibus minimè celebrentur.*
29. *De Clericis damnatis.*
30. *De histrionibus Christianis factis.*
31. *De manu missionibus, ut in Ecclesia celebrentur ab Imperatore poscendum.*
32. *De Equitio damnato Episcopo.*
33. *Ut cum Donatistis leviùs agatur.*
34. *De literis mittendis judicibus, ut ea, quæ inter Donatistas, & Maximianistas facta sunt, innotescant.*
35. *Ut Clerici Donatistarum in Ecclesia Catholica suscipiantur in Clero.*
36. *Ut Legatio ad Donatistas componendæ pacis gratiâ dirigatur.*
37. *Qui Clerici ab uxoribus debeant abstinere?*
38. *De his, qui plebes proprias derelinquunt.*
39. *De infantibus baptizandis, quoties dubitatur, utrum fuerint baptizati.*
40. *Diem Paschæ, diem Concilii nunciandum.*
41. *Ne interventor Episcopus cathedram, ubi interventor est, sedeat.*
42. *De Defensionibus Ecclesiarum ab Imperatore poscendis.*
43. *De Episcopis, qui ad Concilia non occurrunt.*
44. *De Cresconio.*
45. *De Ecclesia Hipponensium Diarretorum.*
46. *De Clericis, qui intra annum causam suam agere non procurârint.*
47. *Ut de alieno monasterio receptos, nec præpositos monasterii, nec Clericos liceat ordinare.*
48. *De Episcopis, qui hæreticos, vel paganos hæredes instituunt.*
49. *De Manumissionibus.*
50. *De falsis memoriis Martyrum.*
51. *De Idolorum reliquiis extirpandis.*
52. *Ut ab Episcopo Carthaginensi, cùm opus fuerit, omnium Episcoporum nomine dictentur, & subscribantur Epistolæ.*
53. *De Episcoporum ordine, ut qui posteriùs ordinati sunt, prioribus se non audeant anteferre.*
54. *De Quodvult Deus Episcopo.*
55. *De Maximiano Episcopo.*
56. *Ut Episcopi, qui ordinantur, ab Ordinatoribus suis Epistolas accipiant, quæ diem & consulem præferant.*
57. *De his, qui vel semel in Ecclesia legerint, ab aliis non posse promoveri.*
58. *De conveniendis Donatistis.*
59. *Forma Conventionis Donatistarum.*
60. *Quale Commonitorium acceperunt Legati contra Donatistas.*
61. *Brevis causarum.*
62. *Concilium universale non nisi necessitate faciendum.*
63. *Ut ab electis Judicibus provocare non liceat.*
64. *Ut ab Imperatoribus postuletur Advocatorum Defensio pro causis Ecclesiæ.*
65. *De plebibus, quæ nunquam Episcopos habuerunt.*
66. *De plebibus, vel Diœcesibus ex Donatistarum pravitate conversis.*
67. *De Suggestione Maurentii Episcopi.*
68. *De pacificandis Ecclesiis, Romana, & Alexandrina.*
69. *De his, qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant.*
70. *De precibus ad altare dicendis.*
71. *De his, qui publicorum Judiciorum cognitionem ab Imperatore proposcerint.*
72. *De his, qui, cum in Aphricâ non communicant, voluerint trans mare subripere.*
73. *Ut pergentes ad comitatum causam suam vel Carthaginensi, vel Romano Pontifici insinuare procurent.*
74. *Concilium de cogitatione Episcopi.*
75. *Concilium contra Hæresim Pelagii & Cælestini.*
76. *Quod Adam non sit factus à Deo mortalis.*
77. *Quod parvuli in peccatorum remissionem baptizentur.*
78. *Quod gratia Dei non solùm remissionem tribuit peccatorum, sed etiam præstat adjutorium, ne peccetur.*
79. *Quod gratia Christi non solùm scientiam tribuit quod agamus, sed etiam dilectionem nobis inspirat, ut quod scimus, implere valeamus.*
80. *Quod sine Dei gratia nihil boni possumus implere.*
81. *Quod non solùm humilis, sed & verax Sanctorum vox ista est, si diximus, quia pecca-*

peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. (*)

82. *Quod in oratione Dominica Sancti pro se dicant: dimitte nobis debita nostra.*

83. *Quod veraciter à Sanctis dicatur: Dimitte nobis debita nostra.*

84. *De plebibus conversis à Donatistis.*

85. *De Diœcesibus, qualiter eas dividant inter se Episcopi tam Catholici, quàm qui ex Donati parte conversi sunt.*

86. *Ut siquam Diœcesim Episcopus ab Hæresi liberans triennio possederit, nullus eam repetat.*

87. *De his, qui in plebes, quas ad se putant pertinere, inconventis his, à quibus tenentur, irruerint.*

88. *De his, qui plebes ad se pertinentes negligunt.*

89. *Quod Electorum Judicum sententia sperni non debeat.*

90. *Ut si Episcopus negligat suam Diœcesim, communione privetur.*

91. *De Episcopis, qui Donatistas communicâsse sibi mentiti fuerint.*

92. *De Presbyteris & Clericis, ut non appellent, nisi ad Aphricana Concilia.*

93. *De Virginibus, etiam minoribus velandis.*

94. *Ne diutiùs Episcopi teneantur in Concilio, ternos ex se singularum Provinciarum Judices eligant.*

95. *Quod excommunicati ad accusationem admitti non debeant.*

96. *Quod servi, & liberti, omnésque infames personæ non debeant accusare.*

97. *Ut qui unum crimen non probaverit, ad alterum admitti non debeat.*

98. *Qui ad Testimonium admittendi sint?*

99. *De Episcopo, qui excommunicat eum, qui sibi soli crimen dicit esse confessum.*

100. *Ut non temere quenquam communione privet Episcopus.*

101. *Epistola totius Concilii Aphricani ad Bonifacium urbis Romæ Episcopum.*

102. *Epistola Cyrilli Alexandrini Episcopi ad Concilium Aphricanæ Provinciæ.*

103. *Epistola Attici Episcopi Constantinopolitani ad memoratum Concilium.*

104. *Symbolum fidei Nicæni Concilii.*

105. *Epistola totius Concilii Aphricani ad Papam Cælestinum, urbis Romæ Episcopum.*

[*] I. Joannis I.

INCIPIUNT CANONES CONCILIORUM
DIVERSORUM APHRICANÆ PROVINCIÆ.
NUMERO CV.

Recitata sunt etiam in ista Synodo diversa Concilia universæ Provinciæ Aphricæ, transactis temporibus Aurelii Carthaginensis Episcopi celebrata. Gloriosissimo Imperatore Theodosio Augusto III. (*a*) & Abundantio Clarissimo Viro, Consulibus, VIII, Idus Octobris, Hippone regio, in Secretario Basilicæ pacis. (*b*) Gesta hujus Concilii ideo descripta non sunt, quia ea, quæ ibi statuta sunt, in superioribus probantur inserta.

De Concilio Carthaginensi, ubi Legati Episcopi proconsulares ad Concilium Adrumetinum destinantur.

Gloriosissimis Imperatoribus, Arcadio III, & Honorio II, Augg. Conss. VI. Kal. Juliarum, Carthagine. In hoc Concilio Legati (*c*) directi sunt Episcopi, proconsulares ad Concilium Adrumetinum.

De Concilio Carthaginensi, ubi multa sunt constituta.

Cæsario, & Attico VV. CC. (*d*) Conss. Quinto Kal. Septembris Carthagine in Secretario Basilicæ restitutæ, cùm Aurelius Episcopus unà cum Episcopis consedisset, adstantibus etiam Diaconibus, advenientibus quoque Victore sene Puppianense, Tuto Migirpense, Evangelio Assuritano.

Allocutio ad Episcopos Aurelii Carthaginensis Episcopi.

Aurelius Episcopus dixit. Post diem præstitu-

(*a*) Annus Christi CCCXCIII. habuit Coss. Theodosium Aug. III. & Abundantium V. C. quo Concilium Hipponense celebratum fuit, in quo Divus Augustinus de Fide & Symbolo Apostolorum disputavit. *Schelestr. Differt. de Eccles. Africana pag.* 171.

(*b*) *& cætera gesta* tres codices. [*c*] *delecti* tres cod.

[*d*] Est hic annus Christi 397. & Exordium Concilii Carthaginensis Tertii, in quo quinquaginta Canones editos fuisse docet *Schelestratus Differt. III. de Eccles. Africana C. VII.*

præstitutam Concilii consedimus, ùt recordamini fratres Beatissimi, & arbitrabamur (*e*) omnium provinciarum per (*f*) Aphricam Legationes convenisse ad diem, ùt dixi, præstitutam nostri Tractatus, sed cum Sacerdotum nostrorum Epistola Byzacenorum fuisset recitata, vel quid mecum iidem, qui tempus, & diem Concilii prævenerant, tractâssent, vestræ charitati legeretur, lecta est etiam à fratribus Honorato, & Urbano; qui nobiscum hodie Concilio (*g*) participantur: Legatio Sitifensis provinciæ destinata. Frater etiam Reginus Ecclesiæ Vegei Selitanæ literas ad parvitatem meam datas Crescentiani primæ Sedis, ut ipse insinuat, Numidiarum, & Aurelii Coepiscoporum nostrorum, in quibus scriptis vestra mecum charitas recognoscit promisisse eosdem, quod aut ipsi dignarentur venire, aut ad hoc Concilium fuissent ex more destinaturi Legatos. Sed hoc, quia minimè factum videtur, diu se detineri de longinquo venientes Legati Mauritaniæ Sitifensis non posse testantur, & ideo fratres, si vestræ charitati videtur, literæ fratrum nostrorum Byzacenorum, sed & breviarium, quod eidem Epistolæ adjunxerunt, ad hunc cœtum conrogatum legantur, ut si qua forte illic movere charitatis vestræ animum possunt, in eodem breviario, quæ diligentius fuerint animadversa, in melius reformentur. Hoc enim frater, & coepiscopus noster primæ Sedis, vir perspectus, merito suæ gravitatis, atque prudentiæ, Mizanius (*h*) scribens ad meam parvitatem postulavit. Si ergo placet, quæ tractata sunt, leguntur, & singula à vestra charitate considerentur.

(*) *In hoc Concilio statutum est, ut Episcopi sine formata non navigent.*

Cæsario, & Attico VV. CC. Conss. Sexto Kal. Julias Carthagine, placuit, ut nullus Episcoporum naviget, sine formata Primatis. Gesta in authenticis, qui quæret, inveniet.

De Concilio isto Legati ad Imperatores infra Scripti diriguntur Episcopi.

Post Consulatum Gloriosissimi Imperatoris Honorii (*i*) Augusti IV. & Eutychiani V. C. Quinto Kal. Majas. Carthagine, in Secretario Basilicæ Restitutæ. In hoc Concilio Legationem susceperunt Epigonius, & Vincentius Episcopi, ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocunque reatu involutis legem de Gloriosissimis Principibus mereantur, nequis eos audeat abstrahere.

(k) *In hoc Concilio Legatio destinatur ad Romanum & Mediolanensem Episcopos de parvulis, qui apud hæreticos baptizati sunt, & ad Imperatorem de idolorum reliquiis auferendis, & de aliis rebus quamplurimis.*

Post consulatum. Fl. Stiliconis (*l*) V. C. XIV. (*m*) Kal. Julias. Carthagine (*n*) in Secretario Basilicæ Restitutæ. Cum Aurelius Episcopus unà cum Episcopis suis concedisset, adstantibus Diaconibus, Aurelius Episcopus dixit. Ecclesiarum Dei per Aphricam constitutarum necessitates mecum optimè novit charitas vestra, Sanctissimi Fratres, & quoniam præstitit Dominus, ut ex aliqua parte Sancti Cœtûs vestri esset congregata præsentia, videtur mihi, ut has easdem necessitates, quas pro sollicitudine nostra indagare potuimus, in medium proferamus, quas cum approbaverit vestra Sinceritas, sit consequens, eligendum esse unum à nostro numero consacerdotem, qui auxiliante Domino, & orationibus vestris, & has ipsas necessitates suscipere possit, & gnaviter peragendas implere, perrecturus ad transmarinas Italiæ partes, ut tam Sanctis Fratribus &

[*e*] *arbitrabantur* cod. 1. 2. (*f*) *pro Aphrica* cod. 1. 2. (*g*) *Concilium* cod. 3.

(*h*) *Mizonius* cod. 3.

(*) Hoc caput in aliis codicibus insertum est post canonem XXVI. uti & in nostris tribus codicibus, & non in principio, uti codices Wendelstini habebant.

(*i*) Annus Christi 399. est annus post consulatum Honorii IV. & Eutychiani Viri C. qui anno 398. coss. erant. Celebratum tunc fuit Concilium Carthaginense quartum & canones 104. editi, ùt ajunt.

(*k*) Idem hoc Caput est insertum post Cap. XXIII. infra; adeóque tria Capita codices Moguntini præposuerunt, quæ codices MSS. Colonienses post Cap. XXIII. rejiciunt.

(*l*) Flavius Stilico fuit Cos. I. anno 400. ergo 401 est annus post consulatum.

(*m*) XVII. habent nostri tres codices.

(*n*) Acta Concilii Carthaginensis post Stiliconem, hoc est, anno 401. sunt deperdita, vel aliis Conciliis immixta. *Schelestrat. loco citat.*

& conſacerdotibus noſtris, Venerabili Sancto Fratri Anaſtaſio, Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo, quàm etiam Sancto Fratri Venerio Sacerdoti Mediolanenſis Eccleſiæ, neceſſitatem ipſam, ac dolorem, atque inopiam noſtram valeat intimare. Ex his enim ſedibus hoc fuerat prohibitum, quod noverint, communi periculo providendum, maximè quia tanta indigentia Clericorum eſt, multæque Eccleſiæ ità deſertæ ſunt, ut ne unum quidem Diaconum, vel in literarum (*o*) habere reperiantur. Nam de cæteris ſuperioribus gradibus, & officiis tacendum arbitror, quia, ùt dixi, ſi Miniſterium Diaconi facile non invenitur, multò magis ſuperiorum honorum invenire non (*p*) poſſe certiſſimum eſt, & quotidie (*q*) nos planctus diverſarum pene emortuarum plebium jam non ſuſtinemus: quibus niſi fuerit aliquando ſubventum, gravis nobis (*r*) & inexcuſabilis innumerabilium animarum pereuntium cauſa apud Deum manſura eſt.

Quod nihil de Hipponenſi Concilio ſit emendandum. CAP. I.

Epigonius Epiſcopus dixit. In hoc breviario, quod decerptum eſt de Concilio Hipponenſi, nihil arbitramur eſſe emendandum, vel aſſuendum; niſi id (*s*) dies Sanctæ Paſchæ tempore Concilii innoteſcat.

Ut Epiſcopi vel Clerici non facilè filios ſuos emancipent. CAP. II.

Ut Epiſcopi vel Clerici filios ſuos à ſua poteſtate per emancipationem exire non ſinant: niſi de moribus eorum fuerint, & de ætate ſecuri, ut poſſint ad eos jam propria pertinere peccata.

Ut Epiſcopi vel Clerici non ordinentur, niſi omnes ſuos fecerint Chriſtianos.

CAP. III.

Ut Epiſcopi, & Presbyteri & Diaconi non ordinentur priuſquam omnes, qui ſunt in domo eorum, Chriſtianos Catholicos fecerint.

Quod præter panem, & merum mixtum aqua nihil in Sacramentis offerri debeat.

CAP. IV.

Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm (*t*) quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum: primitiæ verò, ſeu mel & lac, quod uno die ſolenniſſimo in infantium myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam Benedictionem, ut à Sacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur, nec amplius in primitiis offeratur, quàm de uvis & frumentis.

Ut Clerici, vel continentes ad virgines vel viduas non accedant.

CAP. V.

Clerici, vel continentes ad viduas vel virgines, niſi ex juſſu vel permiſſu Epiſcoporum, aut Presbyterorum non accedant, & hoc non ſoli faciant, ſed cum Conclericis (*u*) vel cum (*x*) quibus Epiſcopus, aut Presbyter juſſerit, nec ipſi Epiſcopi & Presbyteri ſoli habeant acceſſum ad hujuſmodi fœminas: ſed ubi aut Clerici præſentes ſunt, aut graves aliqui Chriſtiani.

Ut Princeps Sacerdotum non appelletur Epiſcopus. CAP. VI.

Ut primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus.

Ut Clerici tabernas, niſi in peregrinis, non ingrediantur. CAP. VII.

Ut Clerici edendi vel bibendi cauſâ tabernas non ingrediantur; niſi peregrinationis neceſſitate.

Ut à jejunis Deo Sacrificia celebrentur.

CAP. VIII.

Ut Sacramenta Altaris non niſi à Jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario quo cœna Domini celebratur, nam ſi aliquorum promeridiano tempore defunctorum, ſive Epiſcoporum, ſive cæterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat: ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniuntur.

Ut in Eccleſiis convivia minimè celebrentur.

CAP. IX.

Ut nulli Epiſcopi, vel Clerici in Eccleſia (*y*) conveniantur, niſi fortè tranſeuntes

(*o*) *in literatum* cod. 1. 2. (*p*) *non* abeſt à tribus. (*q*) *quotidianos* cod. 1. 2. 3.
[*r*] *nos* codices tres. [*s*] *ut* cod. 3. (*t*) *quàm* abeſt à 3. (*u*) *Clericis* cod. 1. 2.
[*x*] *cum his cum* cod. 3. [*y*] *conviventur* cod. 3.

ſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiant; populi etiam ab hujuſmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur.

De Pænitentibus. CAP. X.

Ut pœnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & ut Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem; niſi [z] abſentiæ Epiſcopi neceſſitate cogente. Cujuſcunque autem pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponatur.

De Virginibus. CAP. XI.

Ut Virgines Sacræ, cùm parentibus, à quibus cuſtodiebantur, privatæ fuerint, ab Epiſcopo (*a*) cuſtodiantur. Ubi autem Epiſcopus abſens eſt, providentia gravioribus fœminis commendetur (*b*) ut ſimul habitantes invicem ſe cuſtodiant; ne (*c*) paſſim vagando Eccleſiæ lædant exiſtimationem.

De ægrotantibus, qui pro ſe reſpondere non poſſunt. CAP. XII.

Ut ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium hi, (*d*) qui ſuis periculo proprio affuêre, dixerint, baptizentur. Ut Schænicis, atque Hiſtrionibus, cæteriſque hujuſmodi perſonis reconciliatio non negetur.

De paſſionibus Martyrum. CAP. XIII.

Liceat etiam legi paſſiones Martyrum, cùm anniverſarii dies celebrantur.

De parvulis, qui apud Donatiſtas baptizati ſunt. CAP. XIV.

De Donatiſtis placuit, ut conſulamus fratres, & conſacerdotes noſtros Syricium & Simplicianum de ſolis infantibus, qui baptizantur penes eoſdem: ne quod ſuo (*e*) non fecerunt judicio, cùm ad Eccleſiam Dei ſalubri propoſito fuerint converſi, parentum illos (*f*) error impediat, ne promoveantur Sacri Altaris Miniſtri.

Quibus inſertis, Honoratus, & Urbanus Epiſcopi Legati Provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis, dixerunt. Jam dudum, cùm apud Sanctitatem veſtram allegaremus Scripta, dilati ſumus eâ contemplatione, quouſque (*g*) fratres noſtri advenire poſſent de Numidia Legati, ſed quia non parvi dies ſunt, quibus exſpectati minimè venerunt, ultra prætermittere, quæ nobis mandata ſunt à noſtris Coepiſcopis, non oportet, atque ideo fratres ſuggeſtionem noſtram libenter admittite. De fide enim Nicæni Tractâs audivimus: verum eſt de Sacrificiis inhibendis poſt prandium, ut ab jejunis, ſicuti dignum eſt, offerantur, & tunc & nunc firmatum eſt.

De rebaptizationibus, & reordinationibus vel translationibus Epiſcoporum. CAP. XV.

Illud autem ſuggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel Translationes Epiſcoporum. Nam Creſconius villæ Rhegenſis Epiſcopus, plebe ſua derelictâ, Tubunienſem invaſit Eccleſiam, nec (*h*) uſque (*i*) hodie commonitus, ſecundùm quod ſtatutum fuerat, relinquere eandem, quam invaſerat plebem, contempſit. Adverſùm iſtum, quæ pronunciata fuerant, confirmata quidem audivimus, ſed petimus, ſecundùm quod nobis mandatum eſt, ut dignemini dare fiduciam, quo jam neceſſitate ipsâ cogente liberum nobis ſit Rectorem Provinciæ ſecundùm ſtatuta Glorioſiſſimorum Principum adverſùs illum adire, ut, qui miti admonitione Sanctitatis veſtræ adquieſcere noluit, & emendare illicitum, authoritate judiciariâ protinus excludatur. Aurelius Epiſcopus dixit, ſervatâ formâ diſciplinæ non æſtimabitur appetitus, ſi à veſtra charitate modeſtè conventus recedere detrectaverit: cùm fuerit ſuo contemptu, & contumaciâ faciente etiam authoritate judiciariâ (*k*) conventus. Honoratus & Urbanus Epiſcopi dixerunt: Hoc enim omnibus placet. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: placet, & juſtum eſt.

D d Quot

[z] *abſentia* cod. tres.
(*a*) *Epiſcopi vel Presbyteri* loco *ab Epiſcopo cuſtodiantur* cod. 1. 2. 3.
(*b*) *commendentur* tres cod. (*c*) *aut* loco ne cod. 1, 2.
(*d*) *ſui proprio periculo dixerint* habent tres codices. (*e*) *ſuos* cod. 1. & 2.
(*f*) *illis* codices tres. (*g*) *quod* cod. tres loco quouſque. (*h*) *&* pro *nec* cod. tres.
(*i*) *in hodie* cod. tres. (*k*) *convictus* cod. 1, 2.

Quot Episcopi ordinare Episcopum debeant.

CAP. XVI.

Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum est, ut quia proximè fratres nostri Numidiæ duo Episcopi ordinare præsumpserunt Pontificem: non nisi à XII. censeatis celebrari Episcoporum ordinationes. Aurelius Episcopus dixit. Forma antiqua servabitur, ut non minus, quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum, propterea, quia in Tripoli fortè, & in Arzuge interjacere videntur Barbaræ Gentes: nam in Tripoli, ut asseritur, Episcopi sunt quinque tantummodo, & possunt fortè de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari: difficile est enim, ut de quolibet numero omnes possint occurrere; nunquid debet hoc ipsum impedimento esse Ecclesiasticæ utilitati? Nam & in hac Ecclesia, ad quam dignata est vestra Sanctitas convenire, crebrò, ac pene per diem Dominicam ordinandos habemus, nunquid nam frequenter duodecim potero, vel decem, vel non multò minus advocare Episcopos? sed facile est mihi, duos adjungere meæ parvitati vicinos. Quapropter cernit mecum charitas vestra, hoc ipsum observari non posse.

Quot addi debeant Episcopi numero ordinatorum, si de ordinando Episcopo fuerit contradictum. CAP. XVII.

Sed & illud est statuendum, ut quando ad eligendum Episcopum convenerimus, siqua contradictio fuerit oborta, quia talia tractata sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres Episcopi (*l*) jam: sed postuletur ad numerum supradictorum, (*m*) si haberi possunt, unus vel duo, & in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primò personæ contradicentium. Postremò, etiam illa, quæ objiciuntur, pertractentur, & cum purgatus fuerit in conspectu publico, ità demum ordinetur. Si hoc cum vestræ Sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignationis responsione. Ab universis Episcopis dictum est: fatis placet.

Ut de Ecclesia Carthaginis dies Paschæ nuncietur. CAP. XVIII.

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: Quoniam de commonitorio nostro omnia tractata noscuntur, addimus etiam, de die Paschæ nobis esse mandatum, ut de Ecclesia semper Carthaginensi, sicuti adsolet, instruamur, & non sub angusto temporis spatio. Aurelius Episcopus dixit. Si Sanctitati vestræ videtur, quoniam nos spopondisse jam dudum meminimus, ut singulis quibúsque annis ad tractandum conveniamus, & cùm venerimus in unum, tunc divulgabitur Sanctus Paschæ dies per Legatos, qui adfuerint Concilio. Honoratus, & Urbanus Episcopi dixerunt: Nunc de præsenti cœtu petimus, ut literis Provinciam nostram de hac die informare dignemini. Aurelius Episcopus dixit: ità fiat necesse est.

De visitandis Provinciis. CAP. XIX.

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: Et illud nobis verbo mandatum est, ut quia constitutum est in Concilio Hipponensi, singulas debere Provincias tempore Concilii visitandas esse, dignemini etiam, quod hoc anno secundum ordinem distulistis, vel alio anno Mauritaniam Provinciam visitare. Aurelius Episcopus dixit. Tunc de Provincia Mauritania, propter quod in finibus Aphricæ posita sit, nihil statuimus, siquidem vicinæ sunt barbarico, sed præstet Deus, ut ex abundanti non pollicentes venire possimus ad vestram Provinciam. Cogitare enim debetis fratres, quia hoc sibi & Tripolitani & Arzugitani fratres potuerunt exigere, si ratio pateretur.

Ut Diœceses, nisi ex consensu Episcopi proprii, Episcopum non accipiant.

CAP. XX.

Epigonius Episcopus dixit, Multis Conciliis hoc statutum à cœtu Sacerdotali est, ut plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopos nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi, à quo tenentur, proprios accipiant Rectores, id est, Episcopos. At verò, quia nonnulli, dominatu quodam adepto communionem (*n*) fratrum abhorrent, vel certè, cùm

(*l*) *Episcopi* abest à tribus. (*m*) *supradictorum si haberi possunt* abest à tribus.
(*n*) *commonitorem* cod. 2.

cùm depravati fuerint, quasi in quadam arce Tyrannica sibi dominatum vendicant, quòd plerique tumidi, atque stolidi adversùm Episcopum suas cervices erigunt Presbyteri, vel conviviis sibi concinnantes plebem, vel certè persuasu maligno, ut illicito favore eosdem velint sibi collocare rectores. Quod quidem insigne mentis tuæ tenemus votum, frater religiose Aureli, qui hæc sæpe oppressisti, non curando tales petitores. Sed propter eorum malos cogitatus, & pravè continuata consilia hoc dico, non debere rectorem accipere eam plebem, quæ in Diœcesi semper subjacuit, nec unquam proprium Episcopum habuit. Quapropter si universo Sanctissimo Cœtui placet hoc, quod prosecutus sum, confirmetur. Aurelius Episcopus dixit. Fratris, & Consacerdotis nostri prosecutioni non obsisto, sed hoc me & fecisse, & facturum esse profiteor circa eos sane, qui fuerint concordes, non solùm circa Ecclesiam Carthaginensem, sed circa omne Sacerdotale consortium. Sunt enim plerique conspirantes cum plebibus propriis, quas decipiunt, ut dictum est, eorum scalpentes aures, blandi ad seducendum, vitiosæ vitæ homines, vel certè inflati, & ab hoc consortio separati, qui putant propriæ plebi incubandum, & nonnunquam conventi ad Concilium venire detrectant: sua forte ne prodantur flagitia, metuentes. Dico, si placet, circa hos non tantùm Diœceses non esse servandas, verùm & de propria Ecclesia, quæ illis malè faverit, omni modo adnitendum, ut etiam authoritate publicâ rejiciantur, atque ab ipsis Principalibus Cathedris removeantur. Oportet enim, ut, qui universis fratribus, ac toto Concilio inhæserit, non solùm suam (o) integre, sed & Diœceses possideat. At verò, qui sibimet putant plebes (p) sufficere, fraternâ dilectione contemptâ, non tantùm Diœceses amittant, sed, ut dixi, etiam propriis publicâ careant authoritate, ut rebelles. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt. Summa provisio Sanctitatis tuæ cohæsit mentibus singulorum, & puto, omnium responsione ea, quæ prosequi dignatus es, roboranda. Universi Episcopi dixerunt: placet, placet.

Ut alienus Clericus minimè suscipiatur ab alio.

CAP. XXI.

Epigonius Episcopus dixit: in multis Conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum (q) est à vestra prudentia, Beatissimi fratres, ut Clericum alienum nullus sibi (r) præripiat Episcopus præter ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus. Dico autem, Julianum, qui ingratus est Dei beneficiis, per meam parvitatem in se collatis, ità temerarium & audacem extitisse, ut eum, qui à me Baptizatus est, cùm esset puer egentissimus mihi ab eodem commendatus, cúmque multis annis à me aleretur, atque increscerer, hunc, ut dixi, Baptizatum esse in Ecclesia mea per manum parvitatis meæ, constat: idem in Diœcesi Mappalensi lector esse cœperat, immo annis (s) sex me duobus legerat, nescio, quo contemptu humilitatis meæ. Idem Julianus eum (t) arripuit, quem dicit quasi proprium civem sui loci, Vazaritani, me inconsulto usurpare: nam & Diaconum illum ordinavit. Hoc si liceat, pateat hæc licentia, à vobis (u) Beatissimi Fratres; si minùs, tam impudens cohibeatur, ne se misceat communioni cujusquam. Numidius Episcopus dixit. Si non postulatâ, neque consultâ tuâ dignatione id videtur fecisse Julianus, judicamus omnes iniquè factum atque indignè. Quapropter nisi idem Julianus correxerit errorem suum, & cum satisfactione eundem Clericum, quem fuerat ausus ordinare, revocaverit tuæ plebi, contra statuta Concilii faciens, contumaciæ suæ separatus à nobis excipiet Judicium. Epigonius Episcopus dixit. Ætate Pater, & ipsa promotione antiquissimus, vir laudabilis, frater & collega noster Victor vult hanc petitionem generalem omnibus effici.

Ut Carthaginensi Episcopo, unde voluerit Clericum liceat ordinare.

CAP. XXII.

Aurelius Episcopus dixit. Sermonem meum admittite fratres. Contingit (x) nonnunquam, ut postulentur ab Ecclesiis, quæ præpositis egent, ut Presbyteris, vel Episcopis; & tamen memor statutorum id sequor, ut conveniam

(o) *jure integre* cod. tres. (p) *suas* cod. tres. (q) *confirmatum* tres cod.
(r) *privet* cod. 1. 2. 3. (s) *ferme* non *sex me* tres codices. (t) *eum* abest à tribus.
(u) *à nobis* tres codices. (x) *contigit* cod. 1. 2.

niam Epiſcopum ejus, atque ei inculcem, quòd ejus Clericus à qualibet Eccleſia poſtuletur, ſed forte in hodierno non reluctati ſunt, & nequando contingat, ut reluctentur, cum fuerint à me in hac cauſa poſtulati, quem ſcitis multarum Eccleſiarum, & ordinandorum curam ſuſtinere; juſtum eſt ergo, ut quemlibet conſacerdotum conveniam cum duobus & conſortio noſtro, vel tribus teſtibus. Sin verò indevotus extiterit; quid cenſet charitas veſtra, faciendum? Ego enim cunctarum Eccleſiarum, dignatione (y) Dei, ut ſcitis fratres, ſollicitudinem ſuſtineo. Numidius Epiſcopus dixit. Fuit ſemper hæc licentia huic ſedi, ut unde vellet, & de cujus nomine fuiſſet conventus, pro deſiderio cujusque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum. Epigonius Epiſcopus dixit. Bonitas ſequeſtrat poſſibilitatem, minus enim præſumis frater, cùm te bonum & clementem omnibus præbes (z) habes enim hoc in arbitrio. Satis eſt, ut ſatisfiat perſonæ uniuscujuſque Epiſcopi in prima tantummodo conventione. Si autem quod (a) libet huic ſedi vendicandum ſibi fuerit arbitratus, neceſſe habes tu, omnes Eccleſias ſuffulcire, unde tibi non poteſtatem damus, ſed tua adſignamus, ut liceat voluntati tuæ & ſemper tenere, quem voles, ut præpoſitos plebibus, vel Eccleſiis non (b) conſtituas, qui poſtulati fuerint, & unde voles.

Poſthumianus Epiſcopus dixit. De inde, qui unum habuerit, nunquid debet illi unus (c) Presbyter auferri? Aurelius Epiſcopus dixit. Sed Epiſcopus unus eſſe poteſt, per quem dignatione Divinâ Presbyteri multi conſtitui poſſint, unus autem Epiſcopus difficilè invenitur conſtituendus. Quapropter ſi neceſſarium Epiſcopatui quis habuerit Presbyterum, & unum, ut dixiſti frater, habuerit, etiam ipſum ad promotionem dare debebit. Poſthumianus Epiſcopus dixit. Ergo ſi habet alius abundantes Clericos, debet mihi alia plebs ſubvenire. Aurelius Epiſcopus dixit. Sanè (d) quando tu Eccleſiæ alteri ſubveneris, perſuadebitur illi, qui plures habet Clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur.

Ut Epiſcopi, qui in Diœceſibus fuerint ordinati, Diœceſim ſibi nullam vendicent.

CAP. XXIII.

Honoratus & Urbanus Epiſcopi dixerunt. Audivimus conſtitutum, ut Diœceſes (e) non mereantur Epiſcopos accipere, niſi conſenſu ejus, ſub quo fuerant conſtitutæ; ſed in provincia noſtra cum aliqui forte in Diœceſi, concedente eo Epiſcopo, in cujus poteſtate fuerant conſtituti, ordinati ſunt Epiſcopi, etiam Diœceſes ſibi vendicant: hoc & corrigi charitatis veſtræ judicio, & inhiberi de cœtero debet. Epigonius Epiſcopus dixit: ſingulis Epiſcopis ſervatum eſt, quod decebat: ut ex maſſa Diœceſium nulla carperetur, ut proprium Epiſcopum habuiſſet, niſi ipſe conſenſum adhibuiſſet, concedendi. Sufficiat enim ſi (f) conceſſerit, ut (g) eadem Diœceſis permiſſa proprium tantùm Epiſcopum habeat, cæteras ſibi non vendicent Diœceſes, quia exempta de faſce multarum ſola meruit honorem Epiſcopatûs ſuſcipere. Aurelius Epiſcopus dixit. Non dubito charitati veſtræ omnium placere eum, qui in Diœceſi concedente Epiſcopo, qui matricem tenuit, ſolam eandem retinere plebem, in qua fuerit ordinatus: quoniam igitur univerſa arbitror fuiſſe tractata, ſi omnia cum animo veſtro convenerunt, ſermone veſtro cuncta roborate. Univerſi Epiſcopi dixerunt. Omnia nobis hæc placuerunt. Et hæc noſtrâ ſubſcriptione firmavimus. Et ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis, huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.

(h) *Ut parvuli apud Donatiſtas baptizati, in Catholica Eccleſia Clerici ordinentur.*

CAP. XXIV.

Unde quoniam ſuperiori Concilio ſtatutum eſſe, mecum recognoſcit unanimitas veſtra, ut hi, qui apud Donatiſtas parvuli baptizati ſunt, nondum ſcire valentes erroris eorum interitum, & poſteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnitâ veritate falſitatem eorum abhorrentes, ad Eccleſiam Dei Catholicam per univerſum mundum diffuſam

(y) *dignationem* cod 1, 2. (z) *reddis* cod. tres. (a) *quod licet* cod. tres.
(b) *non* abeſt à tribus. (c) *ipſe* cod. 1, 2. (d) *quomodo* cod. tres pro quando.
(e) *Diœceſin non mereantur Epiſcopus* cod. 1. 2. (f) *conſenſerit* tres codic.
(g) *eandem* cod. 1, 2. (h) *Poſt hoc Caput XXIII. ſequuntur tria Capitula in fronte Canonum poſita.*

ſum ordine antiquo per manûs impoſitionem recepti ſunt, debere talibus ſuſcipiendum munus clericatûs non impedire nomen erroris, cùm veram Eccleſiam illorum putaverint ad fidem accedendo, & ibi Chriſto crediderint, & Trinitatis Sacramenta perceperint: quæ omnia vera, & Sancta, atque divina eſſe certiſſimum eſt, & in his omnem animæ ſpem conſtitutam. Quamquam & hæreticorum præſumpta audacia, veritatis nomine palliata, hæc tradere audeat, quæ quoniam ſimplicia ſunt, ut præmonet Beatus Apoſtolus dicendo, *Unus Deus, una Fides, unum Baptiſma*: & iterari non liceat, quod ſemel dare oportet, anathematizato nomine erroris recipiantur per manus impoſitionem in unam Eccleſiam, Columbam, ut dictum eſt, & unam matrem omnium Chriſtianorum, ubi omnia illa Sacramenta ſalubriter & (*k*) æterna, & vitaliter accipiuntur; quæ perſeverantibus in hæreſi magnam damnationis pœnam conquirunt, ut quod eis veritate ad æternam vitam conſequendam eſſet luminoſius, hoc in errore ſit tenebroſius, atque damnoſius. Quod fugientes nonnulli, & matris Eccleſiæ (*l*) ubera cognoſcentes, qui illa omnia Sancta myſteria amore veritatis crediderunt, atque perceperunt, quibus Sacramentorum rebus cum vitæ bonæ probitas (*m*) acceſſerit ſine dubio ad officium clericatûs tales eſſe applicandos, & maximè in tanta rerum neceſſitate, nullus eſt, qui non concedat. Quanquam nonnulli ejuſdem ſectæ Clerici (*n*) cum plebibus atque honoribus ſuis ad nos tranſire deſiderent, qui amore honoris, aut perſuadent ad vitam, aut retinent ad ſalutem. Sed hoc majori fratrum ſupradictorum conſiderationi dimittendum cenſeo, ut prudentiori ſuo conſilio noſtræ ſuggeſtionis ſermonem cùm perpenderint, quid de hac re eis placeat, nos informare dignentur. Tantum de his, qui infantes baptizati ſunt, ſatagimus, noſtræ, ſi placet, in iiſdem ordinandis conſentiant voluntati, omnia ergo quæ ſuperiùs comprehendimus, apud Sanctos Epiſcopos agenda eſſe mecum honorabilis fraternitas veſtra perpendat.

De Reliquiis idolorum, vel templis ab Imperatoribus abolendis. CAP. XXV.

Inſtant etiam aliæ neceſſitates à religioſis Imperatoribus poſtulandæ: ut reliquias idolorum per omnem Aphricam jubeant penitus amputari, nam pleriſque in locis maritimis, atque poſſeſſionibus diverſis, adhuc erroris iſtius iniquitas viget: ut præcipiantur, & ipſa (*o*) deleri, & templa eorum quæ in agris, vel in locis abditis conſtituta nullo ornamento ſunt, jubeantur omni modo deſtrui.

Ut Clerici de Judicii ſui Cognitione non cogantur, in publico dicere Teſtimonium.

CAP. XXVI.

Petendum etiam, ut ſtatuere dignentur, ut ſi fortè in Eccleſia quamlibet cauſam jure Apoſtolico Eccleſiis impoſito agere voluerint, & fortaſſe deciſio Clericorum uni parti diſplicuerit: non liceat Clericum in Judicio ad Teſtimonium devocari eum, quia (*p*) cognitor vel præſens fuit, ut nulla ad Teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cujuſlibet perſona pulſetur.

De Paganorum conviviis auferendis.

CAP. XXVII.

Illud etiam petendum, ut, quæ (*q*) contra præcepta Divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta ſunt, ità ut nunc à Paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occultè videatur; vetari talia jubeant, & de civitatibus, & de poſſeſſionibus impoſita pœna prohiberi; maximè cùm etiam in natalibus beatiſſimorum Martyrum per nonnullas civitates, & in ipſis locis ſacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos, atque plateas exercent, ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devotè venientium ad ſacratiſſimum diem, injuriis laſcivientibus appetatur, ut etiam ipſius ſanctæ religionis penè fugiatur acceſſus.

(*k*) & abeſt à tribus. (*l*) *Catholica* cod. tres. (*m*) *acceperit* cod. tres.
(*n*) *Clericorum* cod. 1. 2. (*o*) *ipſa deleri* tres cod.
(*p*) *qui* cod. tres pro *quia*. (*q*) *quoniam* tres codices pro *quæ*.

De ſpectaculis: ut die Dominico, vel cæteris Sanctorum feſtivitatibus minimè celebrentur. CAP. XXVIII.

Nec non & illud petendum, ut ſpectacula theatrorum, cæterorúmque ludorum die Dominicâ, vel cæteris religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur, maximè quia Sancti Paſchæ octavarum die populi ad circum magis, quam ad Eccleſiam conveniant, deberi transferri devotionis eorum dies, ſi quando occurrerint: nec oportere etiam quemquam Chriſtianorum cogi ad hæc ſpectacula, maximè, quia in his exercendis, quæ contra præcepta Dei ſunt, nulla perſecutionis neceſſitas à quoquam adhibenda eſt; ſed, uti oportet hominem, liberâ voluntate ſubſiſtat ſibi divinitùs conceſsâ. Corporatorum enim maximè periculum conſiderandum eſt, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad ſpectacula convenire.

De Clericis damnatis.

CAP. XXIX.

Et illud petendum: ut ſtatuere dignentur, (r) ut ſiquis cujuſlibet honoris Clericus judicio Epiſcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum ſive ab Eccleſiis, quibus præfuit, ſive à quolibet homine defenſari, interpoſitâ pœnâ damni, pecuniæ, atque honoris, quo nec ætatem, nec ſexum excuſandum eſſe præcipiant.

De hiſtrionibus Chriſtianis factis.

CAP. XXX.

Et de his etiam petendum, ut ſiquis ex qualibet ludicra arte ad Chriſtianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere, non eum liceat à quoquam iterum ad eadem exercenda reduci vel cogi.

De manumiſſionibus, ut in Eccleſia celebrentur, ab Imperatore poſcendum.

CAP. XXXI.

De manumiſſionibus ſanè in Eccleſia dicendis, ſi id noſtri Conſacerdotes per Italiam facere reperiuntur, noſtræ etiam erit fiduciæ iſtorum ordinem ſequi: datâ plenè (s) licentiâ miſſo Legato, ut quæcunque digna fide pro ſtatu Eccleſiæ, & ſalute animarum agere potuerit, nos laudabiliter in conſpectu Domini accepturos. Quæ omnia, ſi Sanctitati veſtræ placent, edicite: ut & meam ſuggeſtionem ratam eſſe vobis advertant, & noſtram (t) olim conſenſionem ſinceritas eorum libenter accipiat. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt. Omnibus placent hæc, quæ injuncta ſunt peragenda, & prudenter à tuâ Sanctitate narrata.

De Equitio damnato Epiſcopo.

CAP. XXXII.

Aurelius Epiſcopus dixit. Equitii etiam, olim merito ſuo Epiſcopali ſententiâ damnati, non arbitror prætereundam eſſe legationis cauſam: ut ſi fortè eum in illis partibus repererit, ſi (u) eidem Fratri noſtro curæ pro Eccleſiæ ſtatu, quod oportuerit, vel ubi licuerit, adversùs eum peragere. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, multum placet & iſta perſecutio: (x) maximè cùm olim damnatus ſit Equitius, & ejus impudens inquietudo pro ſtatu & ſalute Eccleſiæ magis magíſque ubique repellenda. Et ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis, huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.

In hoc Concilio Literæ leguntur Anaſtaſii Romani Pontificis, de Donatiſtis Catholicos Epiſcopos admonentis. (y)

Vincentio, (z) & Flabito VV. CC. Conſſ. Idus Septembris Carthagine in Secretario Baſilicæ reſtitutæ, cùm in Concilio congregati in Eccleſia Carthaginenſi conſediſſemus ex Aphricanis omnibus Provinciis Epiſcopi, id eſt, Aurelius ejuſdem ſedis Epiſcopus cum collegis ſuis, quos eorum ſuſcriptio manifeſtat, ait idem Aurelius Epiſcopus: recitatis Epiſtolis Beatiſſimi Fratris, & conſacerdotis noſtri Anaſtaſii Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi, quibus nos paternæ & fraternæ charitatis ſollicitudine, ac ſinceritate adhortatus eſt, ut de hæreticorum, & ſchiſmaticorum Donatiſtarum inſidiis & improbitatibus, quibus Aphricanam Eccleſiam Catholicam graviter vexant, nullo modo diſſimulemus. Gratias agimus Domino noſtro,

(r) *dignetur* cod. 1. (s) *planè* cod. 1. 3. (t) *omnium* loco *olim.*
(u) *ſit* cod. 1. 3. pro *ſi.* (x) *profecutio* cod. 1.
(y) *admonentes* cod. 1. 3. p. *ait autem Aurelius Epiſcopus* omiſſa in cod. 1. 3.
(z) Vincentius & Fravita coſſ. erant anno 401.

stro, quòd illi optimo, ac Sancto Antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis inspirare dignatus est.

Ut cum Donatistis levius (a) *agatur.*

CAP. XXXIII.

Deinde pertractatis, & consideratis omnibus, quæ utilitati Ecclesiæ convenire videbantur, annuente, atque admonente Spiritu Dei eligimus (*b*) cum memoratis hominibus, quamvis de Dominici corporis unitate, inquietà dissensione præcisis, leniter, & pacificè agere: ut quantum in nobis est, omnibus, qui eorum communione, & societate irretiti sunt per universas Provincias Africanas penitus innotescat, quàm miserabili errore devincti sunt; ne fortè, sicut dicit Apostolus, nobis in mansuetudine corripientibus diversa sentientes, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso in ipsius voluntatem.

De literis mittendis judicibus, ut ea, quæ inter Donatistas & Maximianistas acta sunt, innotescant.

CAP. XXXIV.

Itaque placuit, ut ex Concilio nostro literæ darentur ad judices Africanos, à quibus hoc peti congruum videretur, ut in hoc adjuvent communem matrem Ecclesiam Catholicam, in quo Episcopalis Authoritas communiri (*c*) in civitatibus potest, id est, ut judiciariâ potestate atque diligentia ex fide Christiana, quid gestum sit in omnibus locis, in quibus Maximianistæ Basilicas obtinuerunt, qui ab eis schisma fecerunt, inquirant, & gestis publicis propter firmam notitiam omnibus necessariam faciant inhærere.

Ut Clerici Donatistarum in Ecclesiâ Catholica suscipiantur in Clero.

CAP. XXXV.

Deinde placuit, ut literæ mittantur ad Fratres Coepiscopos nostros, & maximè ad sedem Apostolicam, in qua præsidet memoratus venerabilis frater, & collega noster Anastasius, quo noverit habere Aphricam magnam necessitatem propter Ecclesiæ pacem & utilitatem, ut & ipsis Donatistis: quicunque Clerici correcto consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint secundùm uniuscujusque Episcopi Catholici voluntatem, atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur. Sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum esse manifestum est. Quod multarum & pœne omnium Aphricanarum Ecclesiarum, in (*d*) quibus talis error exortus est, exempla testantur: non ut Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, sed ut illud maneat circa eos, qui sic transire ad Catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur. Per quos autem vel omni modo perfici (*e*) adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris Catholica unitas in locis, in quibus degunt, visa fuerit, non eis obsit, quod contra honores eorum, quamvis salus nulli interclusa sit. In transmarino Concilio statutum est, id est, ut ordinati, in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerint (*f*) ut suscipiantur in honoribus suis secundùm transmarinum Concilium, sed exceptis his, per quos Catholicæ unitati consuletur.

Ut Legatio ad Donatistas componendæ pacis gratia dirigatur.

CAP. XXXVI.

Deinde placuit, ut his peractis, Legati etiam prædicandæ pacis, atque unitatis, sine qua salus Christiana non potest obtineri, è numero nostro ad ipsorum Donatistarum, sive quos habent Episcopos, sive ad plebes mittantur, per quos omnibus in notitiam perferatur, quam nihil habeant, quod adversùs Ecclesiam Catholicam justè possint dicere: maximè ut manifestum fiat omnibus per gesta etiam municipalia, propter documentorum firmitatem, quid ipsi de Maximianistis schismaticis suis egerint: ubi ei (*g*) divinitus demonstratur, si attendere velint, tam iniquè tunc illos ab Ecclesiæ unitate præcisos, quàm iniquè nunc

(*a*) *lenius* cod. 1. 3. (*b*) *elegimus*. (*c*) *contemni* cod. 1. 3.
(*d*) *quibus* sine *in*. cod. 1. 3. (*e*) *profici* cod. 1. (*f*) *non* pro *ut* cod. 1. 3.
(*g*) *eis* pro *ei* cod. 1. 3.

nunc clamant, à se Maximianistas schisma fecisse, ex quorum tamen numero, quos jam plenarii Concilii sui authoritate damnaverant, in suis honoribus denuò receperunt, baptismum, quem damnati, & exclusi dederant, acceptaverunt; (*b*) ut videant, quàm stulto corde resistant paci Ecclesiæ toto orbe diffusæ: cùm ista faciant pro parte Donati, neque se istorum; quos ità receperunt, communione propter intuitum pacis contaminari dicant; & nos condemnent, (*i*) id est, Ecclesiam Catholicam, etiam in extremis terrarum partibus constitutam, per eorum communionem inquinatam, quos tunc accusantes convincere nequiverunt.

Qui Clerici ab uxoribus debeant abstinere.

CAP. XXXVII.

Præterea, cùm de quorundam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur: placuit Episcopos, & Presbyteros & Diaconos secundùm priora statuta etiam ab uxoribus continere, quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio; cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.

De his, qui plebes proprias derelinquunt.

CAP. XXXVIII.

Rursum placuit, ut nemini sit facultas, relictâ principali Cathedrâ ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi (*k*) constitutam se conferre, vel in re propria diutiùs, quàm oportet, constitutum, curam, vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.

De infantibus baptizandis, quoties dubitatur, utrum fuerint baptizati.

CAP. XXXIX.

Item placuit, de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sinè dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum, fratres nostri, consuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt.

Diem Paschæ & diem Concilii nunciandum.

CAP. XL.

Item placuit, ut dies venerabilis Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur; dies verò Concilii idem servetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, id est X. Kal. Septembris. Et scribendum ad singularum quarumque Provinciarum Primates, ut quando apud se Concilium congregant, istum diem non impediant.

Ne interventor Episcopus Cathedram, ubi interventor est, teneat. CAP. XLI.

Item constitutum est, ut nulli intercessori licitum sit Cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis, vel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat; quod si neglexerit, anno exempto interventor alius tribuatur.

De Defensoribus Ecclesiarum ab Imperatore poscendis. CAP. XLII.

Ab Imperatoribus, universis visum est, postulandum propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversùs potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.

De Episcopis, qui ad Concilia non occurrunt.

CAP. XLIII.

Item placuit, ut quotiescunque Concilium congregandum est, Episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliquâ graviore necessitate impediuntur, competenter occurrant, & à (*l*) Primatibus suarum quarumcunq; Provinciarum intimetur, ut de universis Episcopis, vel duæ, vel tres turmæ fiant, ac de singulis turmis vicissim, quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantissimè occurrant. Quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in tractatoria subscribant; vel si post adventum tractatoriæ aliquæ necessitates repentè fortsitan ortæ fuerint: nisi rationem impedimenti sui apud suum Primatem reddiderint, Ecclesiæ suæ communione debere esse contentos.

De

(*b*) *acceptaverant* cod. 1, 3. (*i*) *contemnant* cod. 1. 3. (*k*) *Diœcesin* cod. 1. 3.
(*l*) *à* omittitur cod. 1, 3.

De Cresconio. CAP. XLIV.

De Cresconio villa Regensi hoc omnibus visum est, ut hinc quoque Primati Numidiæ intimetur, quò cognoscat, memoratum Cresconium scriptis suis conveniendum esse, ut proximo universali Aphricano Concilio suam præsentiam non differat exhibere; quod si venire contempserit, in se cognoscat sententiam (*m*) promulgatam.

De Ecclesia Hipponensium Diarretorum.

CAP. XLV.

Rursum placuit, ut (*n*) quoniam Hipponensium Diaretorum Ecclesiæ destitutio non est diutius negligenda (*o*) ecclesiæ, ibi ab his retineantur (*p*) qui Equitii facinorosam communionem declinaverunt, missis ex præsenti Concilio Episcopis, Regino, Alypio, Augustino, Materno, Theasio, Evodio, Placiano, Urbano, Valerio, Ambivio, Fortunato, Quod-vult-Deo, Honorio, Januario, Apto, Honorato, Ampelio, Victoriano, Evangelo & Rogatiano. Conventis ergo (*q*) & correctis his, qui culpabili pertinacia fugam ejusdem Equitii expectandam putabant, cum omnium voto eis episcopus ordinetur. Si autem illi pacem considerare noluerint, non impediant in eligendo ad ordinandum præposito utilitatem tanto tempore ecclesiæ destitutæ.

De Clericis, qui intra annum causam suam agere non procuraverint.

CAP. XLVI.

Rursus constitutum est, ut quoties Clericis convictis, & confessis in aliquo crimine vel propter eorum, quorum verecundiæ parcitur, vel propter ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum, atque gentilium, si forte causæ suæ adesse voluerint, & innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si verò intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.

Ut de alieno Monasterio susceptos nec præpositos Monasterii, nec Clericos liceat ordinare. CAP. XLVII.

Item placuit, ut siquis de alterius Monasterio repertum vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo Monasterio majorem Monasterii constituerit, Episcopus, qui hoc fecerit, à cæterorum communione contemptus sit, & ille neque Clericus, neque Præpositus perseveret.

De Episcopis, qui hæreticos, vel paganos hæredes instituunt. CAP. XLVIII.

Item constitutum est, ut siquis episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. Nec excusari possit, si intestatus defecerit, quia utique debuit factus episcopus rei suæ ordinationem congruam suæ professioni nequaquam differre.

De manumissionibus. CAP. XLIX.

Item placuit, ut de manumissionibus in Ecclesia celebrandis ab Imperatore petatur.

De falsis memoriis Martyrum.

CAP. L.

Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros, & per vias, tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur: si autem hoc per tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione devincti teneantur: & omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur*, nisi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur altaria omni modo reprobentur.

De Idolorum reliquiis extirpandis.

CAP. LI.

Item placuit, ab Imperatoribus Gloriosissimis peti, ut reliquiæ idololatriæ non solùm in simulacris, sed in quibuscunque locis, vel lucis, vel arboribus omni modo deleantur.

(*m*) *promulgandam* cod. 1. 3. (*n*) *ut* abest à tribus. (*o*) *& Ecclesia* cod. 1. 3.
(*p*) *retineantur* cod. 1. 3. (*q*) *conventis* abest à 1. 3.

Ut ab Episcopo Carthaginensi, cùm opus fuerit, omnium Episcoporum nomine dictentur, & subscribantur Epistolæ.

CAP. LII.

Ut siquæ literæ dictandæ in Concilio placuerint, venerandus Episcopus, qui huic sedi præsidet, omnium nomine dictare, & subscribere dignetur: in quibus etiam ad Episcopos Legatos, qui per Provincias Aphricanas in causa Donatistarum mittendi sunt, placuit literas dari tenorem mandati continentes, quem non egrediantur. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt. (*r*)

In hoc Concilio præterita decreta firmantur.

Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Augustis V. Conss. (*s*) sexto Kal. Septembris in civitate Melibitana, in Secretario Basilicæ cùm Aurelius Episcopus (*t*) Carthaginensis in Concilio universali consedisset, adstantibus Diaconibus, Aurelius Episcopus dixit: Quoniam Ecclesiæ Sanctæ unum est corpus, omniúmque membrorum caput est unum, factum est, volente Deo, & (*u*) nostram infirmitatem juvante, ut ad hanc Ecclesiam venerimus dilectionis, & fraternitatis gratiâ invitati; unde quæso charitatem vestram, quia ità credendum est, (*x*) quia noster accessus ad vos nec superfluus, nec insuavis est cunctis, ut consensus omnium vestrum manifestetur concordare complacitis decretorum, quæ jam dudum vel in Hipponensi Synodo sunt firmata, vel postmodum meliore Concilio apud Carthaginem definita, nunc quoque nobis ex ordine recitentur. Tunc demum fraternitatis vestræ concordia luce clarior apparebit, si hæc, quæ à nobis superioribus Conciliis legaliter definita noscuntur, non solùm consensu vestro his actis, verùm & subscriptionibus (*y*) manifestetis. Xantippus Episcopus primæ sedis Numidiæ suâ manu (*z*) confirmavit subscribendo, etiam nobis placere posse, & nostra subscriptione firmamus. Nicetius Episcopus primæ sedis Mauritaniæ Sitifensis dixit: quæ recitata sunt decreta, quoniam ratione non carent, & sunt approbata cunctis, etiam & meæ parvitati hæc placent, quæ quidem propriâ subscriptione firmabo.

De Episcoporum ordine, (a) ut qui posteriùs ordinati sunt, prioribus se non audeant anteferre.

CAP. LIII.

Valentinianus Episcopus dixit. Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequor ea, quæ præterito tempore in Ecclesia Carthaginensi gesta sunt, & subscriptionibus fratrum firmata claruerunt, etiam nos hoc servaturos esse profiteor: sed illud scimus, inviolatè semper mansisse Ecclesiasticam disciplinam; ità ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet anteponere, sed officiis charitatis id semper exhibitum est prioribus, quod (*b*) in sequentibus gratanter semper acciperetur. Hunc ordinem jubeat Sanctitas vestra meliùs vestris interlocutionibus roborari. Aurelius Episcopus dixit. Non decuerat quidem, ut hæc repeteremus; nisi fortè existerent inconsideratæ mentes quorundam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus: sed communis hæc causa est, quam insinuavit frater & consacerdos noster, ut unusquisque nostrûm ordinem sibi decretum à Deo cognoscat, (*c*) nec posteriores anterioribus se præferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re dico, prout captus animi mei retinet, eos, qui putaverint spretis majoribus aliquid præsumendum, competenter ab omni esse Concilio coercendos. Xantippus Episcopus primæ sedis Numidiæ dixit. Audivit omnium fratrum præsentia prosecutionem fratris, & consacerdotis nostri Aurelii: quid ad hæc respondent? Datianus Episcopus dixit: quæ (*d*) majorum decrevit sententia, nostro assensui mancipabuntur, ut quæ præteritorum Conciliorum gestis tenentur Carthaginensis Ecclesiæ, nostrâ assensio-

(*r*) *Hic sicut in aliis Canonibus invenitur. Incipit Concilium Milevitanum*: hæc omnia inseruntur cod. 3tio hoc loco.

(*s*) Arcadius Aug. V, & Honorius Aug. V. erant Coss, anno 402.

(*t*) *Ecclesiæ* additur cod. 1. 3. (*u*) *ad* pro *&*. [*x*] *quia insuavis est* abest à 1. & 3. cod.

[*y*] *Manifestis roboretur* cod. 3. (*z*) *confirmaverunt* cod. 1. (*a*) *ordinatione* cod. 3.

(*b*) *ab insequentibus* cod. 1. 3. (*c*) *& posteriores anterioribus deferant* cod. 1. 3.

(*d*) *Maurorum* cod. 3.

ſenſione plenè apud omnes firma teneantur. Univerſi Epiſcopi dixerunt. Hic ordo & à patribus, & à majoribus ſervatus eſt, & à nobis, Deo propitio ſervabitur, ſalvo etiam jure primatûs Numidiæ & Mauritaniæ.

De Archibo & Matricula Numidiæ.

Deinde placuit omnibus Epiſcopis, qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, ut matricula & archibus Numidiæ, & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, id eſt, Conſtantina. (e)

De Quod-vult-Deo Epiſcopo.

CAP. LIV.

De Quod-vult-Deo etiam Centurienſi, quomodo (f) adverſarius ipſius, cùm ſe petiiſſet introduci ad Concilium noſtrum, interrogatus, utrum cum eo vellet apud Epiſcopos experiri, primò promiſerat, & alia die reſpondit, hoc ſibi non placere, atque diſceſſit; placuit omnibus Epiſcopis, ut nullus eidem Quod-vult-Deo communicet, donec cauſa ejus, qualem potuerit, terminum ſumat. Nam adimi ei Epiſcopatum, antequam cauſæ ejus exitus appareret, nulli Chriſtiano videri jure potuiſſet.

De Maximiano Epiſcopo. CAP. LV.

De Maximiano autem Bagaienſi, & ad eum, & ad ipſam plebem placuit de Concilio literas dari, ut & ipſe ab Epiſcopatu diſcedat, & illi ſibi alium requirant.

Ut Epiſcopi, qui ordinantur, ab Ordinatoribus ſuis Epiſtolas accipiant, quæ diem & Conſulem præferant. CAP. LVI.

Deinde placuit, ut quicunque deinceps ab Epiſcopis ordinantur per Provincias Aphricanas, literas accipiant ab Ordinatoribus ſuis, manu eorum conſcriptas, continentes Conſulem & diem: ut nulla altercatio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur.

De his, qui vel ſemel in Eccleſia legerint, ab aliis non poſſe promoveri.

CAP. LVII.

Item placuit, ut quicunque in Eccleſia vel ſemel legerit, ab alia Eccleſia ad Clericatum non teneatur. Et ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.

In hoc Concilio, quid egerint Epiſcopi, qui ad tranſmarina Legati directi ſunt, intimatur.

Glorioſiſſimo Imperatore Theodoſio Auguſto, & Rumorido (g) V. C. Conſſ. VIII. Kal. Septembris Carthagine, in Baſilica Regionis ſecundæ, cùm Aurelius Epiſcopus in univerſali Concilio conſediſſet, adſtantibus Diaconibus, Aurelius Epiſcopus dixit: Exigente ratione fraternitas veſtra à mea tenuitate ad hoc Concilium congregata eſt: jam dudum enim, ſicut veſtra Sanctitas recordatur, habito Concilio deſtinavimus fratres noſtros ad tranſmarina Legatos, quos oportuit in cætu Sanctitatis veſtræ perfunctæ legationis curſum narrare: & licet heſterno die de hac re conſidentibus nobis præter geſta Eccleſiaſtica diligentiùs, quæ geſſerint, tractaremus, hodie tamen oportet tractatum heſterni diei actis Eccleſiaſticis confirmari.

De Epiſcopis Provinciarum Aphricæ, qui non adfuerunt præſenti Concilio.

Ordo itaque rerum depoſcit, ut primitus de Fratribus noſtris, & Conſacerdotibus, qui ad hoc Concilium, vel de Bizantio, vel certè de Mauritania convenerunt, quæramus, quemadmodum huic Concilio decreverint intereſſe, & offerentibus Philologo, Geſta, (h) Venuſtiano, & Feliciano, Epiſcopis Provinciæ Bizantinæ Legationis literas, & recitatis, offerentibus etiam Luciano, & Sylvano Legatis Provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis Legationis literas, & recitatis, Aurelius Epiſcopus dixit: Horum Scriptorum textus ſociabitur geſtis.

De Epiſcopis Byzantinis. (i)

Numidius Epiſcopus dixit: Animadvertimus, Fratres & Coepiſcopos noſtros Byzantinæ Provinciæ, & Mauritaniæ Sitifenſis ad Concilium deſtinâſſe Legatos, nunc quæramus, utrum Legati Numidiæ advenerint? vel certè Provinciæ Tripolitanæ, vel Mauritaniæ Cæſarienſis?

De

(e) *conſtantia* cod. 1. 3: [f] *quoniam* pro *quomodo*.

[g] Rumtrino Rumtrido cod. 1. 3. Vera nomina Conſulum anni 403. ſunt, Theodoſius junior Aug. & Fl. Rumoridus. *Pagi in Breviario.*

(h) Alii legunt: *Geta.* (i) *Byzacenis* cod. 1.3:

De Episcopis Mauritaniæ Sitifensis.

Lucianus & Sylvanus Episcopi, Legati Provinciæ Mauritaniæ Sitifensis dixerunt: Serò ad Cæsarienses fratres nostros tractatoria venit, nam jam & illi venirent, tamen necesse est veniant, & confidimus de animis illorum, quia siquid in hoc Concilio gestum fuerit, & ipsi sine dubio suos consensus adhibebunt.

De Episcopis Numidiæ.

Alypius Episcopus Ecclesiæ Tagestensis (*i*) dixit. Nos quidem de Numidia venimus. Ego, & Sancti fratres Augustinus, & Posidius, sed de Numidia Legati mitti non (*k*) potuerunt, quod adhuc tumultu tironum, Episcopi propriis necessitatibus in civitatibus suis aut impediti, aut occupati sunt. Nam etiam tractatoriam Sanctitatis tuæ, cùm ad sanctum senem Sancti Spiritus (*l*) deferrem, in præsenti tractatu hoc visum fuerat, ut Concilium indiceretur, quod (*m*) instructa legatio posset ad hoc Concilium destinari. Sed cùm eum posterioribus literis ammonerem de impedimento tironum, ut superiùs dixi, rescriptis propriis excusavit.

De (*n*) Tripolitanis verò fratribus nostris hoc potui condiscere, quòd Dulcicium fratrem nostrum destinaverunt Legatum: sed quia non potuit occurrere, hoc asseveraverunt quidam filii nostri venientes de supradicta Provincia, quod commemoratus navi se commiserat, & credendum est accidisse nonnullam de tempestatibus moram, quæ retardaret ejus adventum. Tamen etiam circa ipsos, si charitati vestræ placet, hæc forma servabitur, ut placita ad eosdem Concilii transmittantur. Ab universis Episcopis dictum est: hæc, quæ statuit Sanctitas tua, omnibus placent.

De conveniendis Donatistis.

CAP. LVIII.

Aurelius Episcopus dixit: quod in tractatum venit charitatis vestræ, puto hoc Ecclesiasticis gestis esse firmandum. Professio vestrûm omnium hoc deprompsit, debere unumquemque nostrûm in civitate sua per se convenire Donatistarum Præpositos, aut adjungere sibi vicinum collegam: ut pariter eos in singulis quibusque civitatibus, vel locis per Magistratus, vel Seniores locorum conveniant; hoc si omnibus placet, edicatur. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, & omnes hoc subscriptione nostra firmabimus. Petimus etiam, ut epistolis ad Judices de Concilio mittendis pro omnibus subscribat Sanctitas tua. Aurelius Episcopus dixit: Si videtur charitati vestræ, forma conventionis eorum recitetur: ut hunc tenorem prosecutionis omnes, si placuerit, teneamus. Ab universis Episcopis dictum est: recitetur. Lætus Notarius recitavit.

Forma Conventionis Donatistarum.

CAP. LIX.

Ille Episcopus Ecclesiæ illius dixit. Quid de authoritate illius amplissimæ sedis impetraverimus, petimus gravitatem vestram recitare, & gestis innecti, atque ut in effectum deduci jubeatis. Recitatâ autem jussione, atque actis innexâ, dixit (*o*) ille Episcopus Ecclesiæ illius. Quid ergo nobis de Concilio Ecclesiæ Catholicæ mandatum sit ad Donatistas per vestram gravitatem perferendum, audire, & actis inserere, & ad eos perferre dignemini, eorúmque responsionem rursus apud acta vestra nobis insinuare. Convenimus nos ex Concilii nostri Catholicâ authoritate missi, de vestra correptione gaudere cupientes, considerantes Domini charitatem, qui dixit: Beati Pacifici, (*p*) quia ipsi filii Dei vocabuntur, & admonuit per Prophetam etiam in (*q*) his, qui dicunt se fratres nostros non esse, dicere nos debere, fratres nostri estis. Hanc ergo pacificam ex charitate venientem communionem nostram contemnere non debetis: ut siquid veritatis habere vos arbitramini, non dubitetis asserere, id est, ut congregato vestro Concilio deligatis ex vobis, quibus causam assertionis vestræ committatis, ut & nos possimus hoc facere, ut etiam de nostro Concilio deligantur, qui cum eis, quos (*r*) delegeritis, constituto loco, & tempore, quidquid quæstionis est, quod vestram à nobis separat communionem, cum

(*i*) *Tagastensis* cod. 3. [*k*] *Legatio mitti non potuit* cod. 3.
(*l*) *Sanctippum* pro Sancti Spiritus. (*m*) *quo*. (*n*) *de Episcopis Tripolitanis* titulus cod. 1.
(*o*) *dicat* cod. 1. 3. (*p*) *Matthai V*, 9. (*q*) *in* abest à cod. 1, 3.
(*r*) *quod* pro quos cod. 1. 3.

cum pace discutiant & tandem aliquando adjuvante Domino Deo nostro, finem veternosus error accipiat, ne propter animositatem hominum infirmi (t) nostri, & ignari populi sacrilega dissensione dispereant. Si enim hoc fraternè acceperitis, veritas facilè dilucescet, si autem hoc facere nolueritis, diffidentia (u) vestra facilè innotescet. Cúmque recitata esset, ab universis Episcopis dictum est: satis placet, hoc fiat: Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

Hæc Synodus adversus Donatistas legationem ad Principes dirigit.

Gloriosissimo Imperatore Honorio Augusto VI. (k) Conf. XVI. Kal. Julias Carthagine, in Basilica Regionis secundæ. In hoc Concilio legationem susceperunt Theasius, & Evodius contra Donatistas, in quo Concilio insertum est communitorium, quod ita se continet.

Quale communitorium (y) *acceperunt Legati contra Donatistas.* CAP. LX.

Communitorium fratribus, Theasio & Evodio Legatis ex Carthaginensi Concilio ad Gloriosissimos, Religiosissimósque Principes missis. Cum Domini auxilio piissimos Imperatores adierunt, ut eis insinuent. Quemadmodum plena fiducia secundùm superioris anni Concilium Donatistarum præpositi actis municipalibus sunt conventi, ut si confiderent de assertionibus suis, electis ex suo numero aliquibus idoneis, nobiscum pacificè conferrent & mansuetudine Christianâ, si quid veritatis tenerent, non ambigerent demonstrare, quò ita sinceritas Catholica, quæ jam pridem superioribus temporibus claruit, nunc quoque (z) imperitiam, vel pertinaciam resistentibus innotesceret; sed quia diffidentiâ (a) premebantur, nihil pene ausi sunt respondere. Unde quia impletum est erga eos Episcopale ac pacificum officium, & illi, qui veritati respondere nequiverunt, ad immanes violentias sunt conversi, ità ut multos Episcopos, multósque Clericos (ut de laicis taceamus) insidiis oppresserint, Ecclesias etiam aliquas invaserint, aliquas invadere pertentaverint, ipsorum jam clementiæ est consulere, ut Ecclesia Catholica, quæ eos religioso utero genuit, & Fidei firmitate nutrivit, eorum etiam prospectione muniatur, ne temerarii homines religiosis temporibus infirmos populos terrendo prævaleant, quoniam secundo depravare non possunt; Nota est enim, & sæpe legibus conclamata Circuncellionum, quâ furunt, (b) detestabilis manus. Quæ etiam ipsorum religiosissimorum supra Principum frequentibus Sanctionibus condemnata est, adversùs quorum furorem possemus non insolita, nec à Scripturis Sacris aliena impetrare (c) subsidia, quando Apostolus Paulus, sicut in Apostolorum actibus fidelibus notum est, factiosorum conspirationem militari etiam submovit auxilio. Sed nos illud poscimus, ut Catholicis Ecclesiis ordinum per civitates singulas, & vicinorum quorumque possessorum per diversa loca sine ulla dissimulatione tuitio præbeatur. Simul etiam petendum, ut illam legem, quæ à religiosæ memoriæ eorum Patre Theodosio de auri libris decem in ordinatores, vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio depræhenditur, promulgata est, ità deinceps confirmari præcipiant: ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati (d) contestationem (e) deposuerunt, ut hoc saltem terrore à schismatica, vel hæretica pravitate desistant, qui consideratione æterni supplicii emendari, corrigique dissimulant. Petendum etiam, ut lex, quæ hæreticis, vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi, vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hactenus reperiatur, ut eis relinquendi, vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatistarum errore perseverare voluerint; cæterum illis, qui consideratione unitatis & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis, capiendæ hæreditatis aditus pateat, si adhuc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis, vel hæreditatis obvenit, his sane exceptis, qui lite pulsati puta-

(t) *infirmæ animæ* cod. 1. 3. (u) *defferentia* cod. 1. 3. (x) *commonitorium* cod. 1. 3.
[y] Honorius Aug. Cos. VI. fuit anno 404. & Aristænctus Collega.
[z] *per* addit cod. 1. 3. [a] *defferentiâ.* (b) *furiunt* cod. 1. 3.
(c) *præsidia* cod. 1. 3. (d) *provocatio* cod. 1. 3. [e] *deposuerint* cod. 1. 3.

putaverint ad Catholicam tranſeundum, quia de talibus credibile eſt, non metu cæleſtis judicii potius, quàm terreni commodi aviditate unitatem Catholicam præoptâſſe. Ad hæc autem omnia præſidiò opus eſt poteſtatum ſuarum quarumcunq; Provinciarum. Sanè pro utilitatibus Eccleſiæ, quicquid intellexerint prodeſſe, agendi & imperandi liberam decernimus legationem. Illud præterea cunctis (*f*) vobis placuit, ut literæ de cœtu noſtro ad glorioſiſſimos Imperatores, & eminentiſſimas Poteſtates dirigantur, quibus inſtruantur, noſtro omnium conſenſu ad beatiſſimum Comitatum Legatos à nobis eſſe directos. Sed quia iiſdem literis ab omnibus ſubſcribi tardiſſimum eſt, niſi ſingulorum ſubſcriptionibus eædem epiſtolæ onerentur, petimus, frater Aureli, ut iiſdem tua charitas noſtro omnium nomine ſubcribere dignetur. Et ſubſcripſerunt. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & ſubſcripſi. Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt. Literæ etiam ad judices mittendæ ſunt, ut, donec Dominus Legatos ad nos redire permittat, tuitiones per ordines civitatum, & poſſeſſores prædiorum Eccleſiæ Catholicæ impertiant. Adjungendum etiam de Equitio, ut improbitas ejus, quâ ſibi jus ſacerdotale improbiſſimè vendicat, ab Hipponenſi Diaretorum Diœceſi ſecundùm ſtatuta Imperatorum repellatur. Literæ etiam ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ commendatione Legatorum mittendæ ſunt, vel ad alios, ubi fuerit Imperator. Et ſubſcripſerunt. Item Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & prælecto ſubſcripſi. Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.

In hac Synodo, quæ ſtatuta ſunt, brevis declarat adnexus.

Stilicone iterum (*g*) & Arthemio VV. CC. Conſſ. X. Kal. Septembris Carthagine in Baſilica Regionis ſecundæ. Hujus Concilii geſta ideo non ex integro deſcripſi, quoniam magis ea, quæ in tempore neceſſaria fuerunt, quàm aliqua generalia, conſtituta ſunt, ſed ad inſtructionem ſtudioſorum ejuſdem Concilii brevem digeſſi.

Brevis Cauſarum. CAP. LXI.

Ut libera legatio ab omnibus Provinciis ad Concilium dirigatur, ad Mizonium Legati & literæ, propter liberam dirigendam legationem deſtinare præcepta ſunt, ut quia apud Carthaginem tantum unitas facta eſt, dentur etiam literæ ad judices, ut & aliis Provinciis, & civitatibus operam impendi jubeant unitati, ut gratiarum actiones de Carthaginenſi Eccleſia pro univerſa Aphrica, de excluſione Donatiſtarum cum Epiſcoporum literis ad comitatum mittantur. Recitatæ ſunt literæ Papæ Innocentii: ut Epiſcopi ad transmarina pergere facilè non debeant, quod hoc ipſum Epiſcoporum ſententiis confirmatur, ut propter gratiarum actionem & excluſionem Donatiſtarum duo Clerici Eccleſiæ Carthaginenſis ad comitatum mittantur.

In (*h*) *hoc Concilio quædam de conſtitutis ſuperioribus corriguntur, ut Concilium univerſale non, niſi neceſſitate faciendum.*

CAP. LXII.

Glorioſiſſimis Imperatoribus Honorio VII. & Theodoſio II. iterum Auguſtis (*i*) Conſſ. Idus Junii. Carthagine in Baſilica regionis ſecundæ, cùm Aurelius Epiſcopus unà cum Epiſcopis ſuis conſediſſet, adſtantibus Diaconibus ait: quoniam conſtitutum fuerat in Concilio Hipponenſi, ut ſingulis annis contraheretur Concilium Aphricæ plenarium, non tantùm hic apud Carthaginem, verùm etiam per diverſas Provincias ſuo ordine, & hoc reſervatum eſt: ut indiceremus aliquando in Numidia, aliquando in Byzantio; at quia hoc laborioſum omnibus fratribus viſum eſt, (*k*) placuit, ut non ſit ultra fatigandis fratribus anniverſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, id eſt, totius Aphricæ, undecunque ad hanc ſedem de hac re datæ literæ fuerint, congregandam eſſe Synodum in ea Provincia; ubi opportunitas perſuaſerit, cauſæ autem, quæ communes non ſunt, in ſuis Provinciis judicentur.

Ut

(*f*) *nobis* cod. 1. 3.
(*g*) Stilico II. & Anthemius Coſſ. erant anno 405. *Pagi in Breviario.*
(*h*) *In hoc* Prologus hic abeſt à cod. 1.
(*i*) Hoaorius Aug. VII. & Theodoſius jun. II. Auguſtus erant Coſſ. anno 407.
(*k*) *Concilium univerſale nonniſi neceſſitate faciendum* hic inſeritur cod. 1.

Ut ab electis judicibus provocare non liceat.

CAP. LXIII.

Si autem fuerit provocatum, eligat qui provocaverit, judices; & cum eo & ille, contra quem provocaverit: ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.

De Legationibus diversarum Provinciarum.

Cùm universæ legationes diversarum Provinciarum allegarentur, gratissimè acceptæ sunt, id est Numidiarum, Byzacenorum, Maurorum Sitifensium, itémque Cæsariensium, sed & Tripolitanorum.

Ut ab Imperatoribus postuletur advocatorum defensio pro causis Ecclesiæ.

CAP. LXIV.

Placuit etiam, ut petant ex nomine provinciarum omnium legati perrecturi, Vincentius, & Fotunianus (*l*) à Gloriosissimis Imperatoribus, ut dent facultatem defensores constituendi Scholasticos qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, ut more Sacerdotum provinciæ iidem ipsi quidem defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum Secretaria.

Ut sit Legatio libera.

Placuit, ut Legationem liberam habeant ad comitatum missi delecti legati.

Protestatio Maurorum Pontificum de Primoso. (m)

Protestatos esse præterea Mauros Cæsarienses constat. Primosum per principales civitatis Thiganensis conventum literis eorum fuisse, ut secundùm principalia scita plenario Concilio sui præsentiam faceret, & ut oportuit, requisitus Primosus repertus non est, sicuti Diaconi renunciaverunt: sed quia popoſcerunt iidem Mauri, de plenario Concilio oportere literas destinari ad venerabilem fratrem senem Innocentium; has, placuit, mitti, ut agnoscat requisitum Primosum in Concilio, & minimè fuisse repertum.

De plebibus, qui nunquam Episcopos habuerunt.

CAP. LXV.

Placuit & illud: ut plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario uniuscujusque Provinciæ, & primatis, atque consensu ejus, ad cujus diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum (*n*) fuerit, minimè accipiant.

De plebibus, vel Diœcesibus ex Donatistis conversis. CAP. LXVI.

Sanè ut illæ plebes, quæ conversæ sunt à Donatistis, & habuerunt Episcopos sine dubio, inconsulto Concilio habere mereantur; quæ autem plebes habuerunt Episcopum, & eo defuncto valuerunt (*o*) non Episcopum proprium habere, sed ad alicujus Episcopi diœcesim pertinere, non eis esse denegandum. Nec non & illud suggestum est, quod plebes ante legem Imperatorum de unitate datam (*p*) quicunque converterentur Episcopi ad Catholicam, ipsi eas obtinere debeant, verùm à lege unitatis, & deinceps oporteat universas Ecclesias vendicare sibi Episcopos Catholicos eorum locorum, ad quæ loca sub hæreticis pertinebant, vel conversorum ad Catholicam, vel non conversorum hæreticorum, & diœceses, & si qua forte sunt instrumenta Ecclesiæ, vel ad ejus jus pertinentia. Qui verò aliqua usurpaverunt, post legem (*q*) usurpata conventi restituant.

De Suggestione Maurentii Episcopi.

CAP. LXVII.

Ad suggestionem vel postulationem Episcopi Maurentii, cùm lecta fuisset scheda, quam obtulit Episcopus Placentius (*r*) qui personam legati Numidarum gestabat, sententia (*s*) ejusdem Placentii recitata est in conspectu Episcoporum, & cùm quærerentur hi, quos adesse voluit, à Diaconis pro foribus, id est, seniores à nova Germania, ac minimè invenirentur, secundò vel tertiò requisiti; propterea censuit Sanctum Concilium, ut literæ ad eundem senem Xantippum prærogentur, quò noverit voluntati plebis memoratæ nullo modo injuriam Episcopi succumbendum. Maurentius Episcopus dixit. Quoniam requisiti sunt senio-

(*l*) *Fortunatianus* cod. 1. 3. (*m*) *Promoso* cod. 1. 3. (*n*) *decretus* cod. 1. 2.
(*o*) *voluerunt* cod. 1. 3. (*p*) *lata* cod. 1. 3. (*q*) *usurpatam* cod. 1. 3.
[*r*] *Placentinus* cod. 1. 3. [*s*] *secundùm sententiam* cod. 1. 3. [*t*] *Placentini* cod. 1. 3.

seniores à nova Germania secundò ac tertiò, & non sunt inventi, quibus præceptum erat à primate, ut occurrerent ad venerabile Concilium, quod nunc agitur Idibus Juniis, suam absentiam procurârunt: idcircò decernat ex hac re aliquid Sanctitas vestra, ne sub (*u*) molestia calumniæ ipsorum innocens videar laborare. Concilium Sanctum statuit, debuisse quidem secundùm censuram sacerdotalem ex hoc Concilio adversùs contumaces ferri sententiam, sed quia mansuetudo Ecclesiastica servanda est in omnibus causis, promissæ sunt (*x*) ad senem Xantippum, ut noverint Judices de Concilio electos sinè dilatione considerare debere in civitate Thubursicensi, ut negotio congruum adhibeatur examen. Maurentius (*y*) Episcopus dixit. Judices peto Sanctum senem Xantippum, Sanctum Augustinum, Florentium, Theasium, Sansucium, Secundum, & Posidium, hos decerni mihi jubeatis. Sanctum Concilium concessit Judices postulatos, reliquos autem Judices ad complendum numerum necessarios, eligentibus ipsis senioribus à nova Germania, senex Xantippus curavit decernere.

De pacificandis Ecclesiis, Romana, & Alexandrina. CAP. LXVIII.

Placuit etiam, ut de dissensione Romanæ, atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad Sanctum Papam Innocentium scribatur, quo utraque Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.

De his, qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut sic maneant. CAP. LXIX.

Placuit, ut secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungatur, sed ità maneant, aut sibimet reconcilientur; quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur, in qua causa legem Imperialem petendam promulgari.

De precibus ad altare dicendis.

CAP. LXX.

Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manûs impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliæ omninò contra fidem præferantur, sed quæcunque cum prudentioribus fuerunt collatæ, dicantur.

De his, qui publicorum judiciorum cognitionem ab Imperatore poposcerint.

CAP. LXXI.

Placuit, ut quicunque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur; si autem Episcopale judicium ab Imperatore postulârit, nihil ei obsit.

De his, qui cùm in Aphrica non communicant, voluerint transmare subrepere.

CAP. LXXII.

Quicunque autem non communicant in Africa, si in Transmarinis ad communicandum obrepserint, jacturam Clericatûs excipiant.

Ut pergentes ad Comitatum, causam suam, vel Carthaginensi, vel Romano Pontifici insinuare procurent.

CAP. LXXIII.

Placuit, ut quicunque ad Comitatum ire voluerit, in formata, quæ ad urbis Romæ Ecclesiam mittitur, intimetur: ut inde etiam ad comitatum formatam accipiat. Quod si accipiens ad Romanam tantummodo formatam, & tacens necessitatem, quæ (*z*) ad comitatum pergere, à communione removeatur. Quod si ibi Romæ ei repentina necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Episcopum urbis Romæ ipsam necessitatem, & de hoc scripta ejusdem Romani Episcopi perferat. Formatæ autem, quæ à Primatibus, vel à quibuscunque Episcopis Clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. Quod si adhuc ejusdem anni Paschæ dies incertus est, ille præcedens adjungatur, quomodo solet post consulatum in publicis gestis adscribi. Placuit & illud, ut adversùs Donatistas & Paganos, vel eorum superstitiones Legati missi de hoc glorioso Concilio, quidquid utile perviderint, de gloriosissimis Principibus impetrent. Placuit etiam petitum (*a*) omnium Episcoporum, & epistolis omnibus de Concilio dandis Sanctitas tua sola subscribat. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Carthaginensis huic decreto

(*u*) *modestia* cod. 1. (*x*) *promiserunt* cod. 1. 3. (*y*) *Maurelius* cod. 1. 3.
(*z*) *est* cod. 3. (*a*) *petitu* cod. 1. 3.

creto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

Concilium contra Paganos & Hæreticos.

Basso, (*b*) & Philippo VV. CC. Conss. XVI. Kal. Julias. Carthagine, in Secretario Basilicæ Restitutæ, in hoc Concilio legationem iterum suscepit Fortunatianus Episcopus contra Paganos & hæreticos.

Item Concilium contra Paganos & Hæreticos.

Basso, & Philippo VV. CC. Conss. Tertio Idus Octobris. Carthagine susceperunt legationem Restitutus, & Florentius Episcopi, contra paganos & hæreticos eo tempore, quo Severus, & Macarius occisi sunt, & propter eorum causam Evodius, & Theasius, & Victor Episcopi cæsi sunt.

Concilium de cognitione Episcopi.

CAP. LXXIV.

Gloriosissimis Imperatoribus Honorio VIII. & Theodosio III. (*c*) Aug. Conss. XVIII. Kal. Julias Carthagine in Basilica Secunda. In hoc Concilio placuit, ut non sibi unus Episcopus vendicet cognitionem. Gesta hujus Concilii ideo non descripsi, quoniam provinciale, non universale celebratum est.

Concilium contra Donatistas.

CAP. LXXV.

Post consulatum (*d*) Gloriosissimis Imperatoribus Honorio VIII. & Theodosio III. Augg. XVIII. Kal. Julias Carthagine in Basilica Regionis secundæ, in hoc Concilio legationem susceperunt contra Donatistas Florentius, Possidius, Præsidius, & Benenatus Episcopi eo tempore, quo lex data est, ut libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet.

Concilium contra hæresim Pelagii & Cælestini. Quod Adam non sit factus à Deo mortalis. CAP. LXXVI.

Gloriosissimis Imperatoribus Honorio XII. & Theodosio VIII. (*e*) Augg. Conss. Kal. Majas, Carthagine in Secretario Basilicæ Fausti, cùm Aurelius Episcopus in universali Concilio consedisset, adstantibus Diaconibus, placuit omnibus Episcopis, quorum nomina, & subscriptiones inditæ sunt, in Sancta Synodo Carthaginensis Ecclesiæ constitutis, ut quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ità, ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

Quòd parvuli in peccatorum remissionem baptizentur. CAP. LXXVII.

Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur: unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per unum* (*f*) *hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam Fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur: ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.

Quòd gratia Dei non solùm remissionem tribuit peccatorum, sed etiam præstat adjutorium, ne peccetur.

CAP. LXXVIII.

Item placuit, ut quicunque dixerit gratiam Dei, quâ justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema sit,

Quòd gratia Christi non solùm scientiam tribuit, quod agamus, sed etiam dilectionem nobis inspirat, ut quod scimus, implere valeamus. CAP. LXXIX.

Item quisquis dixerit, eundem gratiam

Ff

(*b*) Anicius Bassus & Fl. Philippus coss. erant anno 408.

(*c*) Honorius Aug. VIII. & Theodosius Aug. III. coss. erant anno 409.

(*d*) Annus sequens 410. erat post Consulatum Honorii VIII. & Theodosii III.

(*e*) Annus 418. habuit coss. Honorium Aug. XII. & Theodosii Aug. VIII. (*f*) Rom. V, 12.

tiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum: quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debemus, etiam facere diligamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum agnoverimus, agere valeamus, anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, charitas verò ædificat*, (e) valde impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi; ad eam, quæ ædificat, non habere, cùm sit utrumque donum Dei, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante charitate scientia nos non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, *Qui docet hominem scientiam*, ita etiam scriptum est, *Charitas ex Deo est.*

Quòd sine Dei gratia nihil boni possumus implere. CAP. LXXX.

Item placuit, ut quicunque dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quid facere libero jubemur arbitrio, faciliùs possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere Divina mandata; anathema sit. De fructibus etiam (f) mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: sinè me difficiliùs potestis facere, sed ait: *Sinè* (g) *me nihil potestis facere.*

Quòd non solùm humilis, sed verax Sanctorum vox ista est: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. CAP. LXXXI.

Item placuit, quod ait Sanctus Joannes Apostolus: *Si dixerimus,*(h) *quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*; Quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat: propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non, quia verè ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit, *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi satis apparet, hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est, sed cùm ait: *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*, satis ostendit, eum, qui dixerit, se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

Quòd in oratione Dominica Sancti pro se dicant: Dimitte nobis debita nostra.

CAP. LXXXII.

Item placuit, ut quicunque dixerit, in oratione Dominicâ ideo dicere Sanctos, *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere unumquemque Sanctorum: Dimitte nobis (i) debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potiùs, quàm pro se justus petere intelligatur; anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus Jacobus, cùm dicebat; *In multis enim offendimus.* (k) Nam quare additum est, *omnes*: nisi ut ista sententia conveniret & psalmo, ubi legitur: *Ne intres* (l) *in judicio cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: & in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo, qui non peccavit*, & in libro Sancti Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam*? Unde etiam Daniel Sanctus, & justus, cùm in oratione pluraliter diceret: *Peccavimus, iniquitatem fecimus*, & cætera. Quæ ubi veraciter & humiliter confitetur: ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hoc non de suis, sed de populi sui potiùs dixisse peccatis, postea dixit: *Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo.* Noluit dicere, peccata nostra, sed peccata populi sui dixit, & sua; quoniam futuros istos, qui tam malè intelligerent, tanquam Propheta, prævidit.

Quòd veraciter à Sanctis dicatur: Dimitte nobis debita nostra. CAP. LXXXIII.

Item placuit, ut quicunque ipsa verba Dominicæ orationis, ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ità volunt à Sanctis dici: ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere.

De plebibus conversis à Donatistis.

CAP. LXXXIV.

Item placuit, quoniam quidem ante aliquot annos in Ecclesia plenario Concilio

[e] I. Cor. VIII. (f) *enim* cod. 1. 3.
(i) *mihi* cod. 1. (k) *omnes* cod. 1. 3.
(g) Joan. XV, 5. (h) I. Joan. I, 8, 9.
(l) Jacobi III, 2, 1.

cilio constitutum est, ut quæcunque Ecclesiæ in Diœcesi constitutæ ante leges de Donatistis latas Catholicæ (i) lectæ sunt, ad eas Cathedras pertineant, per quarum Episcopos factum est, ut Catholicæ unitati communicarent: post leges autem, quæcunque communicaverint, illuc pertineant, quò pertinebant, cùm essent in parte Donati. Sed quia multæ controversiæ postea inter Episcopos de Diœcesibus ortæ sunt, & oriuntur, quibus tunc minus videtur esse prospectum; nunc isto Concilio Sancto placuit, ut ubicunque Catholica fuit, & pars Donati, & ad diversas Cathedras pertinebant, quocunque tempore illic unitas facta est, vel facta fuerit, sive ante leges sive post leges, ad eam Cathedram pertineant ad quam Catholica, quæ jam ibi fuerat, pertinebat.

De Diœcesibus, qualiter eas dividant inter se Episcopi tam Catholici, quàm qui ex Donati parte conversi sunt.

CAP. LXXXV.

Ita sanè, ut si Episcopus ex Donatistis ad Catholicam unitatem conversus est, æqualiter inter se dividant eas, quæ sic fuerint inventæ, ubi ambæ partes fuerunt, id est, ut alia loca ad illum, alia ad illum pertineant, ità ut ille dividat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat. Quod si fortè unus fuerit locus, ad eum pertineat, cui vicinior invenitur. Quod si ambabus Cathedris æqualiter vicinus est, ad eum pertineat, quem plebs elegerit. Quod si fortè antiqui Catholici suum Episcopum voluerint, & illi suum, qui ex Donati parte conversi sunt: plurimorum voluntas paucioribus præferatur. Si autem partes æquales sunt, majoris temporis Episcopo deputetur. Si autem ità plurima loca inveniuntur, in quibus ambæ partes fuerunt, ut non possit æqualiter dividi, velut si impari numero fuerint; distributis eis locis, qui parem habent numerum, quicunque locus remanserit, hoc in eo servetur, quod superiùs dictum est, cùm de uno tractaretur loco,

Ut, siquam Diœcesim Episcopus ab Hæresi liberans triennio possederit, nullus eam repetat.

CAP. LXXXVI.

Item placuit, ut etiam, si quisquam post leges aliquem locum ad Catholicam unitatem converterit: si eum per triennium, nemine repetente, retinuit, ulteriùs ab eo non repetatur. Si tamen per ipsum triennium fuit Episcopus, qui potuit repetere, & tacuit, præjudicium patietur: si autem non fuit, non præjudicetur matrici, sed liceat, cùm locus acceperit Episcopum, quem (k) non habebat, ex ipso die intra triennium repetere. Itemque si fuerit Episcopus ad Catholicam ex Donati parte conversus, non ei præjudicet præfinitum tempus, sed ex quo die conversus est, habeat per triennium potestatem repetendi loca, quæ ad ipsam pertinebant Cathedram.

De his, qui in plebes, quas ad se putant pertinere, inconventis his, à quibus tenentur, irruerint.

CAP. LXXXVII.

Item placuit, ut quicunque Episcopi plebes, quas ad suam Cathedram æstimant pertinere, non ità repetant, ut causas suas Episcopis judicantibus agant, sed alio retinente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus; causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicunque jam hoc fecerunt, si nondum est inter Episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt: ille inde discedat, quem constiterit, prætermissis Judiciis Ecclesiasticis irruisse. (l) Hoc sibi quisque blandiatur, si à primate, ut retineat, literas impetraverit: sed sive habeat literas, sive non habeat, conveniat eum, qui tenet, & ejus literas accipiat, ut eum appareat pacificè tenuisse Ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices causa finiatur, sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu elegerint.

De his, qui plebes ad se pertinentes negligunt.

CAP. LXXXVIII.

Item placuit, ut quicunque negligunt, loca ad suam Cathedram pertinentia in Catholicam unitatem lucrari, conveniantur à diligentibus vicinis Episcopis, ut id (m) agere non morentur. Quod si intra sex menses à die conventionis non effecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipsum pertineant. Ità sanè, ut

(i) *factæ sunt* cod. 1. 3. (k) *qui* pro *quem* cod. 1. 3. (l) *nec* pro *hoc* cod. 1. 3.
(m) *dare* pro *agere* cod. 1. 3.

ut si ille, ad quem pertinuisse videbantur, probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hæreticis, ut impune ibi sint, & suam diligentiam fuisse præventam; ut eo modo ejus cura sollicitior vetaretur; cùm hoc Judices Episcopi cognoverint, suæ Cathedræ loca restituantur. (q) Sanè si Episcopi, inter quos causa versatur, diversarum sunt Provinciarum, ille Primas det Judices, in cujus Provincia est locus, de quo contenditur. Si autem ex communi placito vicinos judices elegerint, aut unus eligatur, aut tres, ut si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum.

Quod Electorum Judicum sententia sperni non debeat. CAP. LXXXIX.

A Judicibus autem, quos communis consensus intellexerit (r) non liceat provocare. Et quisquis provocatus repertus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus, cùm hoc primæ sedis Episcopo fuerit prolatum, det literas: ut nullus ei communicet Episcopo (s) donec obtemperet.

Ut si Episcopus negligat suam Diœcesim, communione privetur.

CAP. XC.

Si in matricibus Cathedris Episcopus negligens fuerit adversùs hæreticos, conveniatur à vicinis Episcopis diligentibus, & ei sua negligentia demonstretur, ut se excusare non possit. Quod si ex die, quo convenitur, intra sex menses, si in ejus Provincia executio fuerit, & non eos ad unitatem Catholicam convertendos curaverit, non ei communicetur, donec adimpleat. Si autem executor ad loca non venerit, non adscribatur Episcopo.

De Episcopis, qui Donatistas communicâsse mentiti fuerint.

CAP. XCI.

Si autem probatum fuerit, eum de communione illorum fuisse mentitum, dicendo eos communicâsse, quos, eo sciente, non communicâsse constiterit, etiam Episcopatum amittat.

De Presbyteris & Clericis, ut non appellent, nisi ad Aphricana Concilia.

CAP. XCII.

Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de Judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Aphricana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum; ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Aphricam in communionem suscipiatur.

De Virginibus, etiam minoribus velandis.

CAP. XCIII.

Item placuit, ut quicunque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur: vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet; velaverit virginem, seu velavit intra viginti & quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.

Ne diutiùs Episcopi teneantur in Concilio, ternos ex se singularum Provinciarum Judices eligant.

CAP. XCIV.

Item placuit, ne diutiùs universi Episcopi, qui ad Concilium congregati sunt, tenerentur ab universo Concilio, judices ternos de singulis provinciis eligi: & electi sunt de provincia Carthaginensi Vincentius, Fortunatianus, & Clarus: de Provincia Numidiæ Alypius, Augustinus, & Restitutus: de Provincia, (t) Bycancena cum Sancto sene Donatiano Primate Cresconius, Jocundus, & Aemilianus: de Mauritania Sitifensi Severinus, Asiaticus, & Donatus: de Provincia Tripolitana Plautius, qui ex more Legatus unus est missus: qui omnes cum Sancto sene Aurelio universa cognoscant, à quo petiit universum Concilium, ut cunctis, sive gestis, quæ confecta jam sunt, seu Epistolis ipse subscribat. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

Item

(q) *restituant* cod. 3. (r) *elegerit* cod. 1. 3. (s) *Episcoporum* cod. 1. 3.
(t) *Bizacena* cod. 1. 3.

Item huic Concilio interfuit Ecclesiæ Romanæ Legatio.

Post Consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodosii VIII. (*u*) Augg. III. Kal. Junias Carthagine in Secretario Basilicæ Restitutæ, cùm Aurelius Episcopus unà cum Faustino Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Italiæ Piceni, Legato Romanæ Ecclesiæ: Vincentio (*x*) Calusitano, Fortunatiano Neapolitano, Mariano Uzipparensi, Adeodato Simidico, Pentadio Carpetano, Rufiniano (*y*) Muzucensi, Prætextato (*z*) Sicilensi, Quod-vult-Deo Verensi, Candido Abbiritano, Galloniano Utinensi, (*b*) Legatis Provinciæ Proc: Alypio Thag. Augustino Hipponensium Reg. & Posidio Calamensi Legg. Provinciæ Numidiæ: Maximiano Aquensi, (*c*) Jocundo Suffetulensi, (*d*) & Hilarino Horreocellorum, Legatis Provinciæ Byzancenæ: Novato (*e*) Sitifensi, & Leone Moctensi, Legatis Provinciæ Mauritaniæ Sitifensis: Nicello Rusurrensi, Laurentio Icositano, & Numeriano Rusgunienfi, Legatis Provinciæ Mauritaniæ Cæsariensis, ab universali Concilio judicibus delectis, adstantibus Diaconibus, consedisset, & quibusdam peractis, multi Episcopi cæterorum peragendorum memoratsse conquererentur sustinere non posse, & ad proprias Ecclesias festinarent; placuit universo Concilio, ut ab omnibus eligerentur de singulis quibusque Provinciis, qui propter alia peragenda residerent. Et factum est, ut hi adessent, quorum subscriptiones eos affuisse testantur.

Quòd excommunicati ad accusationem admitti non debeant. CAP. XCV.

Placuitque omnibus, quoniam superioribus Conciliorum decretis de personis, quæ (*f*) admittendæ sunt ad accusationem Clericorum, jam constitutum est, & quæ personæ non admittantur, non expressum est; idcircò definimus, eum ritè ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit Clericus, sive Laicus, accusare voluerit.

Quòd servi & liberti, omnésque infames personæ non debeant accusare.

CAP. XCVI.

Item placuit, ut omnes servi, vel liberti proprii ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiam, sive Pagani, sive Judæi: sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda.

Ut, qui unum crimen non probaverit, ad alterum admitti non debeat.

CAP. XCVII.

Item placuit, quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo priùs egerit, probare non valuerit: ad cætera jam non admittatur.

Qui ad Testimonium admittendi sint?

CAP. XCVIII.

Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt: vel etiam, quos ipse accusator de sua domo perduxerit. Ad testimonium autem intra annos XIV. ætatis suæ non admittantur.

De Episcopo, qui excommunicat eum, qui sibi soli crimen dicit esse confessum.

CAP. XCIX.

Item placuit, ut si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, (*g*) & pœnitere noluerit: non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur. Et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit, neganti nolle communicare, secretè (*h*) tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet.

Ut non temere quenquam communione privet Episcopus. CAP. C.

Quamdiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis,

[*u*] Annus Christi 418. habuit hos Consules. [*x*] *Calusitano* cod. 1. 3.
(*y*) *Muzuensi* cod. 1. 3. (*z*) *Siculibbensi* cod. 1. 3.
(*b*) *Vicensi* cod. 3. [*c*] *Aquisregensi* cod. 1. 3.
[*d*] *Maximiano Suffetelensi* cod. 1. & 3. interponunt. (*e*) *Notavo* cod. 1. 3.
(*f*) *non* cod. 1. 3. (*g*) *& pœnitere noluerit* abest à cod. 1. 3.
(*h*) *Secretè tamen* usque ad finem Canonis abest à cod. 1, 3.

pis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis convincere non potest. Aurelius Episcopus dixit, juxta statuta totius Concilii congregati, & meæ mediocritatis sententiam placet facere rerum omnium conclusionem. Universi tituli designati, & digesti hujus diei tractatum Ecclesiæ gesta suscipiant, quæ verò adhuc expressa non sunt, die sequenti per Fratres nostros Faustinum Episcopum, Philippum, & Asellum Presbyteros venerabili Fratri, & Coepiscopo nostro Bonifacio rescribemus.

ET SUBSCRIPSERUNT.

Aurelius Episcopus his gestis Statutorum apud nos habitis, subscripsi.

Faustinus Episcopus Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Piceni Legatus Ecclesiæ Romanæ, his gestis subscripsi.

Alypius Episcopus Tagastensis, Legatus Provinciæ Numidiæ, his gestis subscripsi.

Augustinus Episcopus Hipponensis, Legatus Provinciæ Numidiæ, his gestis subscripsi.

Posidius Episcopus Calamensis, Legatus Provinciæ Numidiæ, his gestis subscripsi.

Vincentius Calusitanus, his gestis subscripsi.

Fortunatianus Neapolitanus, his gestis subscripsi.

Pentadius Carpetanus, his gestis subscripsi.

Rufianus Maxensis, his gestis subscripsi.

Prætextatus Siciliensis, his gestis subscripsi.

Quod-vult-Deus Verensis, his gestis subscripsi.

Candidus Germaniæ, his gestis subscripsi.

Callonius Uticensis, his gestis subscripsi.

Maximianus Aquensis, his gestis subscripsi.

Jocundus Suffenilensis, (i) Legatus Provinciæ Byzancenæ, his gestis subscripsi.

Maximus (k) Legatus Provinciæ Byzancenæ, his gestis subscripsi.

Hilarius (l) Horreocellensis, Legatus Provinciæ Byzancenæ, his gestis subscripsi.

Novatus Sitifensis, Legatus Provinciæ ejusdem, his gestis subscripsi.

Ninellus Rusurianensis, Legatus Provinciæ Cæsariensis, his gestis subscripsi.

Numerianus Rusguriensis, Legatus Provinciæ Cæsariensis, his gestis subscripsi.

Leo Moctensis, Legatus Provinciæ Cæsariensis, his gestis subscripsi.

Alius Leo, Legatus Provinciæ Sitifensis, his gestis subscripsi.

Et cæteri Episcopi ducenti decem & septem subscripserunt.

Philippus Presbyter Ecclesiæ Romanæ, his gestis à nobis recollectis subscripsi.

Asellus Presbyter, Legatus Ecclesiæ Romanæ, his gestis subscripsi, quæ per nos directa sunt.

Incipit Epistola ab omni Concilio Aphricano ad Bonifacium, urbis Romæ Episcopum, per Faustinum Episcopum, Philippum, & Asellum Presbyteros, Legatos Ecclesiæ Romanæ directa.

CAP. CI.

Domino Beatissimo, & honorabili fratri Bonifacio Aurelius Valentinus primæ sedis Provinciæ Numidiæ, & cæteri, qui præsentes adfuimus numero CCXVII. ex omni Concilio Aphricæ. Quoniam Domino placuit, ut de his, quæ nobiscum egerunt Sancti fratres nostri, Faustinus, & conpresbyteri Philippus, & Asellus, nunc Beatæ memoriæ Episcopo Zosimo, à quo ad nos mandata & literas attulerunt, sed tuæ venerationi, qui in ejus locum es divinitus constitutus, humilitas nostra subscriberet, ea breviter insinuare debemus quæ utrorumq; concordiâ terminata sunt, nec ea, quæ prolixis gestorum voluminibus continentur, in quibus, salvâ quidem charitate, non tamen sine parvo altercationis labore demorati sumus, ea gestis deliberantes (m) quæ nunc ad causam pertinent. Quanquam & ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius, quod videret pacatiùs terminatum Domine frater. Apiarius presbyter, de cujus & ordinatione, & excommunicatione fuerat exortum non solum Siccensi, verumetiam totius Aphricanæ Ecclesiæ non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens communioni est restitutus. Prior autem coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione cor-

(i) *Suffetulensis* cod. 1. 3. (k) *Maximinus* cod. 3. (l) *Hilarinus* cod. 3.
(m) *delibantes* cod. 1. 3.

correxit. Quia verò paci, & quieti Ecclesiæ non tantùm ad præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserant, ut vel similia, vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret, placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradûs sui, Presbyter removeretur Apiarius, & accepto Epistolio, ubicunque alibi vellet, & posset, Presbyterii munere fungeretur. Quod eidem ipsi per literas proprias postulanti sioè difficultate concessimus. Sanè priusquam hæc causa isto termino claudcretur, inter alia, quæ diuturnis disceptationibus versabamus, quia rogatio ipsa poscebat, ut apud acta Ecclesiastica, à fratribus nostris Faustino coepiscopo, & Philippo atque Asello conpresbyteris quæreremus, ut promerent, quidquid eis nobiscum agendum fuisset injunctum. Noonulla quidem sine ullo scripto prosecuti sunt verbis, sed cùm id potiùs flagitaremus, quod in literis ferrent, communitorium protulerunt. Quod recitatum nobis, etiam gestis, quæ secum ad vos deserunt, est allegatum. In quo eis quatuor quædam nobiscum agenda mandata sunt, unum de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem: alterum, oe ad Comitatum Episcopi importunè navigent: tertium de tractandis Presbyterorum, & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si à suis excommunicati perperam fueriot: quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium de primo, & tertio, id est, ut Romam liceat Episcopis provocare, & ut Clericorum causæ apud suarum Provinciarum Episcopos finiantur; jam priori anno etiam literis nostris ad eundem veoerabilis memoriæ Zosimum Episcopum datis, insinuari curavimus, ut ea servare sine ulla ejus (*n*) paulisper sineremus, usque ad inquisitiorem statutorum Concilii Nicæni. Et nunc de tua poscimus Sanctitate, ut, quemadmodum ea apud Nicæam à Patribus acta vel constituta sunt, sic ea à nobis facias custodiri, & ibi apud vos ista, quæ in communitorio attulerunt, faciant exerceri, id est, si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, (*o*) & de gradu suo dejecerit eum, & appellasse videatur, & confugerit ad Beatissimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & voluerit audiri, & justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatiooe suâ moverit Episcopum Romaoum, ut è latere suo (*p*) Presbyteros mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & quid æstimet, & si decreverit, mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes authoritatem ejus, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit, sufficere Episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo suo consilio judicaverit. Item de Presbyteris, & Diaconibus. Si Episcopus quis iracundus (quod esse non debet) citò, aut asperè commoveatur adversùs Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem: habeat potestatem ejectus, ut finitimos ioterpellet, & causa ejus audiatur, & diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti, & ille Episcopus, qui aut justè, aut injustè eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut aut probetur ejus, aut emendetur sententia. Hæc utique ad adventum verissimorum Exemplariorum Niceni Concilii inserta gestis sunt, quæ si ibi, quemadmodum ipso, quod apud nos fratres, ex Apostolica Sede directi allegaverunt communitorio continentur. Eo (*q*) quod ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, vel tolerare cogeremur, sed credimus, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quod tua Sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente oon sumus jam istum typum passuri. Et servabuntur erga nos, quæ nobis etiam non dissentibus, custodiri debent. Cum frater charitate, quæ secundùm sapientiam, atque justitiam, quam tibi donavit Altissimus,

[*n*] *injuria* addit cod. 3. (*o*) *et* pro & cod. 1. (*p*) *Presbyterum* cod. 1. 3.
(*q*) *eoque* cod. 1. 3.

mus, etiam ipse prospicis esse servanda, si fortè aliter se habent canones Concilii Nicæni. Quamvis enim plurimos codices legeremus, sed nusquam in Nicæno Concilio, in latinis codicibus legimus, quemadmodum in supradicto commonitorio, inde directa sunt. Tum (r) quia hic in nullo codice græco ea potuimus invenire ex Orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur, eadem decreta posse etiam authentica reperiri: magis nobis desideremus afferri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris ad illarum partium Sacerdotes, hoc est, Ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Constantinopolitanæ. Et si aliis etiam tuæ placuerit Sanctitati, ut inde ad nos iidem canones apud Nicæam civitatem à Patribus constituti veniant. Te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus Ecclesiis in Domini adjutorio conferente. Quis enim dubitet, exemplaria esse verissima Concilii in Græcia Nicæni Synodi congregati, quæ de tam diversis locis, & de nobilibus græcis Ecclesiis allata, & comparata concordant? Quod donec fiat, hæc quæ in communitorio supradicto nobis allegata sunt, de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & de Clericorum causis apud suarum Provinciarum Episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profitemur, & beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam, in Dei voluntate confidimus. Cætera verò, quæ in nostra Synodo gesta, vel firmata sunt, quoniam supradicti fratres nostri, Faustinus coepiscopus, Philippus & Asellus conpresbyteri secum ferunt, si dignatus fueris, tuæ nota facient Sanctitati: & alia manu. Dominus noster te nobis annis plurimis custodiat beatissime Frater. Subscripserunt quoque Alypius, Augustinus, Posidius, Marinus, & cæteri Episcopi.

Incipiunt Rescripta ad Concilium Aphricanum Cyrilli Alexandrini Episcopi, Authentica Concilii Nicæni translata de Græco per Innocentium Presbyterum. Transmiserunt etiam Epistolam cum eodem Concilio Nicæno per memoratum Presbyterum Innocentium, & Marcellum Subdiaconum Ecclesiæ Carthaginensis, Sancto Bonifacio Episcopo Ecclesiæ Romanæ: sub d. VI. Kal. Decembris sunt directa.

CAP. CII.

Dominis honorabilibus, Sanctis fratribus Coepiscopis, Aurelio, Valentino, sed & omni sanctæ congregationi in Carthaginensi Synodo congregatæ, Cyrillus salutans in Deo charitatem vestram. Scripta venerationis vestræ, multam habentia querimoniam, in omni lætitia per filium (s) vestrum Innocentium presbyterum suscepi, quibus à nobis speratis, ut de scrinio (t) vestræ Ecclesiæ verissima exemplaria ex authentica Synodo apud Nicenam civitatem, Metropolim Bithyniæ, à Sanctis Patribus constitutis (u) atque formata, sub nostræ fidei professione vestræ dilectioni porrigamus. Unde etiam (x) honorabiles fratres, salute præeunte, necesse habui per horum latorem filium nostrum Innocentium presbyterum, fidelissima exemplaria ex authentica Synodo, in Nicena civitate Bithyniæ habita, vestræ charitati dirigere. Quod & in Ecclesiastica historia requirentes, invenietis. De Pascha verò, ut scripsistis; nunciamus vobis, XVII. Kal. Majas nos futura indictione celebrare: & alia manu. Deus & Dominus noster Sanctam vestram Congregationem custodiat, quod optamus, charissimi Fratres.

Incipit Epistola Attici Episcopi Constantinopolitani ad eosdem.

CAP. CIII.

Dominis Sanctis, merito Beatissimis fratribus, Coepiscopis, Aurelio, Valentino, vel cæteris charissimis in Synodo apud Carthaginensem habita, constitutis, Atticus Episcopus, per filium nostrum Marcellum Subdiaconum vestrum scripta vestræ delectionis cum omni gratiarum actione suscepi, Domino gratias agens, quòd merui tantorum fratrum benedictione perfrui. Domini, bea-

(r) *Tamen* cod. 1. 3. (s) *nostrum* cod. 1. 3. (t) *nostra* cod. 1. 3.
(u) *constituta* cod. 1. 3. (x) *Domini* cod. 1. 3.

Beatissimi fratres, (*y*) scribitis sanè, ut verissimos Canones apud Nicæam civitatem, Metropolim Bithyniæ, à Patribus constitutos sub fidei adstipulatione dirigam. Et quis est, qui communem fidem, vel statuta à Patribus firmata suis fratribus denegat? Qua de re per eundem filium meum Marcellum, Subdiaconum vestrum, nimiùm festinantem, sicut statuti sunt in Nicena civitate à Patribus Canones in integro, ut jussistis, direxi, petens, ut pro me plurimum vestra Sancta Congregatio orare jubeat. Et aliâ manu: Deus noster Sanctitatem vestram custodiat, quod optamus, Sancti fratres.

Incipiunt Exemplaria Concilii Nicæni, directa sub die VI. Kal. Decembris, post Consulatum Gloriosissimorum Imperatorum Honorii XII. & Theodosii IX (*z*) *Augg. Bonifacio urbis Romæ Episcopo.*

CAP. CIV.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, visibilium, nec non invisibilium creatorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: natum non creatum, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, cœlestia, & terrena. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus, passus est. Et resurrexit tertiâ die, ascendit in cœlum, venturus inde judicare vivos, & mortuos: & in Spiritum Sanctum. Eos verò, qui dicunt, erat tempus, quando non erat, & qui ex nihilo factum, vel ex alia substantia, vel essentia esse, aut mutabilem, aut convertibilem Filium Dei dicunt, anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.

Symbolo fidei etiam exemplaria statutorum ejusdem Concilii Niceni à memoratis Pontificibus annexa sunt, sicut superiùs per omnia continentur. Quæ nos hic iterum conscribi necessarium non esse credimus.

Incipit Epistola Concilii Aphricani ad Papam Cælestinum, urbis (*a*) *Romæ Episcopum.*

CAP. CV.

Domino Dilectissimo, & honorabili fratri Cælestino, Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celesticus (*b*) Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus & cæteri, qui in universali Aphricano Concilio Carthaginis affuimus. Si quemadmodum Sanctitas tua de adventu APIARII lætatos vos fuisse, missis per conpresbyterum nostrum Leonem literis, intimavit: ità nos quoque de ejus purgatione hæc scripta cum lætitia mitteremus; esset profectò & nostra, & vestra modò alacritas certior, nec præpropera videretur, quæ adhuc de audiendo, quàm de audito præcesserat. Adveniente sanè ad nos Sancto fratre, & Coepiscopo nostro Faustino, Concilium congregavimus, & credidimus ideo cum illo missum: quoniam sicut per ejus operam Presbyterio ante redditus fuerat, ità nunc posset de tantis criminibus à Tabracenis objectis eo laborante purgari. Cujus tanta, ac tam immania flagitia decursum nostri Concilii examen invenit, ut & memorati Patrocinium potiùs, quàm Judicium, ac defensoris magis operam, quàm disceptatoris justitiam superarent. Nam primùm, quantùm (*c*) obtinuerit omni Congregationi diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum à nobis in communione suscipi, quem tua Sanctitas credens appellâsse, quod probare non potuit, communioni reddiderat, quod minimè tamen licuit, quod etiam gestorum meliùs lectione cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, cùm diversa eidem objecta afflictissimi quæreremus, vel moras Coepiscopi nostri Faustini, vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus Judex justus, fortis, & longanimis, magno (*d*) impendio resecavit.

(*y*) *scripsistis* cod. 1. 3.

(*z*) *VIII.* cod. 3. & rectè: nam anno 419. advenerunt Exemplaria Concilii Nicæni per Cyrillum Alexandrinum, & Atticum Constantinopolitanum Episcopos directa Bonifacio Urbis Romæ Episcopo ad petitionem Episcoporum Africanorum specialem in Concilio Africano anni 418. *Pagi in Breviario.*

(*a*) Cum S. Bonifacius Papa obiisset anno 422. 4. Septembris, & successisset S. Cælestinus eodem anno, 10. Septembris: ad hunc fuit missa hæc Epistola.

(*b*) *Celsicius* cod. 1. (*c*) *obstiterit* cod. 1. 3. (*d*) *compendio* cod. 1. 3.

ſecavit. Tetriore quippe, ac putidiore obſtinatione compreſſâ, quâ tantum libidinum cœnum impudentiâ negationis volebat obruere, Deo noſtro ejus conſcientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde tanquam in volutabro criminum jam damnabat, (*f*) etiam hominibus publicante, repentè in confeſſionem cunctorum objectorum flagitiorum doloſus negator erupit. Et tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus ſe ipſe convicit, atque ipſam quoque noſtram ſpem, quâ eum & credebamus, & optabamus de tam pudendis maculis poſſe purgari, convertit in gemitus, niſi quoniam iſtam noſtram mæſtitiam uno tantùm ſolatio mitigavit, quòd & nos labore diuturnioris quæſtionis abſolvit, & ſuis vulneribus qualemcunque medelam, etſi invitâ, ac ſuæ conſcientiæ reluctante confeſſione providit. Domine frater, (*g*) præfatio itaque (*h*) devitato ſalutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Niceno Concilio definitum facilè advertet venerabilitas tua. Nam & ſi de inferioribus Clericis, vel laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Epiſcopis voluit obſervari; ne in ſua provincia communione ſuſpenſi à tua Sanctitate præproperè, vel indebitè videantur communioni reſtitui. Presbyterorum quoque & ſequentium Clericorum improba refugia, ſicut te dignum eſt, (*i*) repellet Sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Aphricanæ, & decreta Nicena ſive inferioris gradus Clericos, ſive ipſos Epiſcopos ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim, juſtiſſiméque viderunt, quæcunque negotia, in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda, ac (*k*) unicuique providentiæ gratiam Sancti Spiritûs defuturam, quâ æquitas à Chriſti Sacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur: maximè, quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad Concilia ſuæ provinciæ, vel etiam univerſale provocare. Niſi fortè quiſquam eſt, qui credat, unicuilibet poſſe Deum noſtrum examinis inſpirare juſtitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare? Aut (*l*) quàm ipſum transmarinum judicium ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexûs, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui, tanquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo conſtitutum. Quia illud, quod pridem per eundem Coepiſcopum noſtrum Fauſtinum, tamquam ex parte Niceni Concilii exinde tranſmiſiſtis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Niceni, à Sancto Cyrillo Coepiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano antiſtite, ex authentico miſſis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa ſunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Epiſcopo deceſſori veſtro à nobis tranſmiſſa ſunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos veſtros quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumoſum typum ſæculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de fratre noſtro Fauſtino (amoto jam pro ſuis nefandis nequitiis, de Chriſti Eccleſia, dolendo Apiario) ſecuri ſumus, quod eum probitate, ac moderatione tuæ Sanctitatis, ſalvâ fraternâ charitate ulterius in Aphrica minimè patiatur. Et alia manu. Dominus noſter Sanctitatem veſtram ævo longiore orantem pro nobis cuſtodiat, Domine frater.

EXPLICIT APHRICANUM CONCILIUM.

(*f*) Apiarius Presbyter Siccenſis, qui bis ex Africa Romam appellaverat, tandem ſuómet ore ſcelera, ob quæ in Africa depoſitus fuerat, confeſſus eſt: & depoſitioni ſuæ acquievit.
(*g*) *præfato* cod. 3. (*h*) *debita* cod. 1. 3. (*i*) *repellas* cod. 1. 3.
(*k*) *nec* pro *ac* cod. 1. 3. (*l*) *quomodo* cod. 1. 3.

Hic finis codicis Canonum veteris Eccleſiæ, in Conciliis vetuſtiſſimis editorum, ex Archæo Romanæ Eccleſiæ per Hadrianum Pontificem Carolo M. donati ad uſum Eccleſiarum occidentalium: ſeu Eccleſiarum in Regno Caroli exiſtentium, adeóque Eccleſiarum Germaniæ, Bavariæ, Norici, Belgii,

Belgii, Galliæ. Sequebantur in eodem codice Wendelstini, & nostris, Carolini ævi MSS. Epistolæ Summorum Pontificum à Siricio ad Gregorium. Verùm cùm eæ, in Conciliis editæ non fuerint, reservantur codici Epistolarum Pontificiarum ad Germanicas Ecclesias destinatarum.

SYNODUS IN VILLA DURIA.

Anno Christi DCCLXXIV. Hadriani Papæ II. Caroli Regis VI.

Acta Ecclesiastica in Duria hoc anno, indicat gemina donatio facta Folrado Abbati S. Dionysii.

CArolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, vir inluster. Quidquid enim ad loca Sanctorum venerabilium congruenter ob amorem Dei concedimus, vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem, Domino protegente, pertinere confidimus. Ideóque cognoscat magnitudo, seu utilitas vestra, qualiter venerabilis vir *Foleradus Abba* clementiæ regni nostri suggessit, eò quod in amore & reverentia beatissimi & S. Dionysii, Rustici & Helutherii in sua proprietate in pago *Alsacense*, in loco, qui dicitur *Fulradovilare*, infra fines Audoldovilare, cellam ædificâsset, vel à novo suo opere construxisset, & in antea auxiliante Domino & bonorum hominum ædificare velle, ut ubi beatissimus & martyr Hypolitus corpore requiescit humatus. Propterea nos propter nomen Domini, & animæ salutem, eò quod mercis nostra in æternum permaneat, ut etiam ad petitionem fideli nostro Fulrado, ad ipso loco superiùs conscripto, aliqua loca silvestria pro oportunitate & stipendia Servorum Dei ibidem degentium, in pago Alsacense ex Marca fisco nostro Quuingirheim, in amore beatorum Sanctorum Dionysii & Privati, nec non & *S. Hypoliti*, donamus, donatúmque in perpetuum esse volumus, hoc est, sylva & foreste nostra superiùs denominata de una parte Laimaha, ubi dicitur Bobolino cella, & inde pervenitur, ubi stet Simisbach venit in Laima: deinde verò per Hessimisbach, ubi ipse surgit, inde etiam Nanneft. Deinde autem de monte usque ad Rumbach, deinde Fludimisberch, deinde in Aliarumbach, deinde in Bureberch, exinde in Tertiarumbach, deinde autem pergit in Ackivis Ragni, deinde in foreste perducias & confinia, inde per Laimaha fluvio in valle de Ambaripas per marca Gasmaringa & Odeldinga usque Ophampol, & inde per Laimaha fluvio Aliaripa usque ubi Audenbach in Laimaha confluit, & pergit per ipso fluvio usque radices Stophanberch per valle, sub integritate ipsius monte usque in Stagorbach, inde per Rivadmarca, Odeldinga, & Gasinaringa, & inde per confinia usque inde Ophampol. Ista omnia per loca denominata, marcas & confinia, totum & ad integrum infra ipsos fines, cum piscatione quacumque avis capiendo, & ad ipso sancto loco concedimus, atque pro oportunitate Ecclesiæ inductum esse volumus: & jubemus, ut per tota illa foreste nostra foras ipsos fines denominatas pastura ad eorum peculia ex nostra indulgentia concessum habeat. Præcipientes enim jubemus, ut nullus quislibet de fidelibus nostris, neque de judiciaria potestate, qui ipsa casa Dei vel Rectores ejus de ipsa loca denominata inquietare, nec condemnare, nec contra rationis ordine facere non præsumatis, nec vos, neque juniores, seu successorésque vestri, sed pro mercedis nostræ augmentum, vel stabilitatem Regni nostri, in luminaribus ipsius Ecclesiæ, vel ad stipendia servorum Dei ibidem existentium, futuris temporibus proficiat in augmentis, qualiter delectet ipsa congregatione pro nos & uxore nostra, etiam & prolis, Domini misericordiam attentiùs exorare. Et hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & de annulo nostro sigillare jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Wigbaldus ad vicem Hitherii recognovit. Datum octavo decimo Kalend. Octobris, anno sexto regnante

nante Domino nostro Carolo Gloriosissimo Rege. Actum Dura Palatio publico.

Doublet in Historia Abbatiæ S. Dionysii L. III. pag. 707. & seqq.

Ex quo Mabillonius, & Eckhartus L. XXIV. Historiæ rerum Franciæ pag. 635.

In eodem Palatio Regio Duriensi eodem anno Regis Caroli VI. & die dedit Diploma Carolus, quo Monasterium Lebraha in Elisatia situm subjicit Dionysiano cœnobio.

Indicat Mabillon. de re diplomatica L. IV. §. LIV. p. 281. ex Doublet. Historia Abbatiæ S. Dionysii.

SYNODUS IN VILLA DURIA.

Anno Christi DCCLXXV. Adriani I. Papæ III. Caroli Regis VII.

Caroli M. placitum, quo adversùs Herchenradum Seniorem Episcopum Parisiensem, Placitium Monasterium in pago Pinciacense Monasterio San-Dionysiano Judicio Crucis adscribitur.

CArolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, vir inluster. Tunc regalis celsitudo suis culminis sublimatur, quando cunctorum jurgia juxta præpositionis vel responsionis eloquia inter alterutrum salubre deliberat sententia: quatenus sub Deo in Rege manet potestas, quomodo cuncta terribilia debeant ordonare (igitur) cùm nos in Dei nomine DURA VILLA IN PALACIO NOSTRO ad universorum causas audiendum, vel recta Judicia termenandum resederimus; ibique veniens Apostolicus in Christo Pater HERCHENRADUS Episcopus Urbis Parisius civitate Pontifex (*a*) FOLRADO Abbate interpellabat; repetibat ei, eò quod ipsi PLACICIO (*b*) Monasthirio, qui est constructus in honore Sanctæ Mariæ & Sancti Petri in Pago Pinciacense, quem Francus homo, nomine ADERALDUS, ad casa Sancti Mariæ, & Sancti Stephani, & Sti Germani per suum strumentum condonavit, ipse Folradus Abba ad parte Sancti Dionisii post se teniat malo ordine injustè: sed ipse Folradus Abba de præsente adstabat, & taliter dedit in respunsis, quod ipso Placicio Monasthirio post se ad parte Sancti Dionysii nunquam reteniat malo ordine injustè: pro eo, quod dixit: quod Francus homo nomine HAGADEUS ipso Monasthirio Placicio à Monasthirio Sancti Dionysii manus potestativas per suum strumentum condonâsset; & per ipsa traditione plus obtingit ipsæ Monasthirius Placicius ad casa Sancti Dionysii adhærere, quam ipsius Herchenrado Episcopo à parte Sanctæ Mariæ & Sancti Stephani & Sancti Germani adreddere. Unde & ipsa strumenta præ manibus se habere adfirmant, & ipsas in præsentia nostra protulerunt recensendas. Etiam & de hac causa ad utrasque partes ibi certa eognovimus, & ad Divina Mysteria, Christi misericordia conspirante (sicut longa consuetudo exposcit, & ipse volumptariè consenserunt) jobemus emanare judicium, ut dum per ipsis strumentis de utrasque partis certamen non declaratur, ut recto thramite ad Dei (*c*) Judicium, ad crucem eorum homenes, his nominibus Aderamno de parte Sancti Dionysii, vel Folrado Abbate, & Corello de parte Sanctæ Mariæ, vel Sancti Stephani, & Sancti Germani, vel Herchenrado Episcopo, exire atque stare deberint. Quod ita & in capella nostra recensendâ Missa Harnaldo presbytero visi fuerunt stetisse: & ea hora, protegente Divinâ dextrâ Dei, Deus omnipotens suum justum judicium declaravit, ut homo memorato Herch-

(*a*) Fulradus Monachus & Abbas S. Dionysii, Archi-Capellanus Regius sub Pippino & Carolo Magno, tantæ tunc dignitatis, ut locum primum ubique supra Archi-Episcopos & Episcopos, etiam io Synodis, teneret. Obiit anno 784. *Eckhart. Tomo I. Histor. Franc. L. 24. §. 219.*

(*b*) Placicium. PLAISIR. Vicus haud procul à *S. Germani oppido in sylva Ledia.*

(*c*) *Judicium* crucis. *Vide in fine.*

Herchenrado Episcopo, nomine Corellus, ad ipso Dei judicium ad ipsa crucem trephidus & convictus aparuit: & tunc ipse Herchenradus Episcopus in præsentia nostra, vel procerum nostrorum sibi recognovit vel resededit, quod nec ipse nec pars Ecclesiæ suæ Sanctæ Mariæ, Sancti Stephani, seu Sancti Germani nullum drictum habebant, per quod ipso Placicio Monasthirio habere potuissent. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, id sunt GHÆRARDO, BERNARDO, RADULFO, HILDERADO, ERMENALDO, HEBROINO, THEUDOALDO, AGMONE, Comitibus; HALTBERTO, LAUMBERTO, HÆRTERIO, & ANSELMO Comite, Palatio nostro, vel reliquis quàm pluris visi fuimus judicâsse, ut dum ipse memoratus homo Sancti Dionysii, vel Folrado Abbate, nomine Adelramnus, jam dicto homine Sanctæ Mariæ, vel Sancti Stephani, seu Sancti Germani, nec non & Herchenrado Episcopo, nomine Corello, ad ipso Dei Judicio ad crucem ibidem convicuit; & ipse Corellus ibidem ad ipso Dei Judicio trepidus & convictus aparuit: propterea jobemus, ut dum hæc causa sic acta, vel perpetrata esse cognovimus, ut memoratus Fulradus Abba memorato Placicio Monasthyrio, unà cum suis apendiciis, vel quicquid ibidem pertinere videtur, in contra sæpe dicto Herchenrado Episcopo vel Ecclesiæ suæ Sancti Mariæ, vel Sancti Stephani, & Sancti Germani suisque successoribus ad parte Sancti Dionysii Monasthyriæ suæ jure firmissimum habeat evindicatum, atque elidiatum, & sit inter ipsis in postmodum absque ulla repeticione Herchenrado Episcopo vel successoribus suis, omniq; tempore subita atq; definita seu & indulta causatio.

THEUDEGARIUS recognovit & subscripsit.

Datum quinto Kalendas Augustas, in anno septimo Regni nostri, Duria villa in Palatio publico, in Dei nomine feliciter: amen.

Eckhartus hoc diploma adnotavit. Sumptum ex Mabillonii L. VI. de re diplomatica N. LI. ex Autographo Archai S. Dionysiani.

Rhegino in Chronico ad h. a. Rex habuit Synodum in villa, quæ dicitur Duria. *Adelmus* ad h. a. *Monachus Egolismensis. Annales Reuberiani.* Ex quibus Baronius, Binius, & Synodographi colligunt Concilium habitum in Duria hoc anno.

Judicium Crucis, hoc Sæculo VIII. ætæ Christianæ usitatum, in eo situm erat. Controversiæ dubiæ terminandæ partes litigantes constituebant hominem unum aut plures, qui tempore Missæ, aut dum Psalmi, & oratio Dominica recitabatur, stabant ad Crucem brachiis expansis. Qui prior lassus brachia demisisset, aut titubantia ostendisset, ejus pars victa censebatur. Vide *Cangii Glossarium. verbo crux.*

Herchenradus Episcopus Parisinus. Duo hujus nominis fuerunt: unus senior sub Carolo Magno, hoc Diplomate memoratus. Alter junior sub Carolo Calvo, ante Æneam Episcopum. *Vide Galliam Christianam fusiorem.*

Annus septimus Regni Caroli Magni coincidit anno Christi 775. Nam anno 768. 24. Septembris obiit Pippinus Caroli Pater. BINIUS reliqua acta hujus Concilii, & cæterorum Sæculo octavo Duriæ à Carolo gestorum, ait extare in *collectionis* Ansegisi Abbatis Capitularium libris quatuor, à Baluzio emendatissimè editis. *Binius Tom. III. Concil P. I. pag. 475.*

VORMATIÆ SYNODUS.

Anno Christi DCCLXXVI. Hadriani Papæ IV. Caroli Regis VIII.

Cùm pervenisset Dominus Carolus Rex Vormatiam omnes istas causas (*Saxonum Rebellium*) audiens, conjunxit Synodum ad eandem civitatem, & ibi placitum publicum tenens, consilio facto cum Dei adjutorio, sub celeritate, & nimia festinatione Saxonum casas, seu firmitates subitò introivit.

Annales Francor. ex MS. Loiselii apud Duchesne Tomo II.
Vita Caroli M. ab Egolismense Monacho.
Adelmus ad h. a. *Annales Reuberiani.*
Poeta Saxo. *Regino in Chronico.*
Ex his Binius Tomo III. Concil. Part. I. pag. 475.

CONCILIUM PADERBORNENSE (*a*)

Anno Christi DCCLXXVII. Hadriani V. Caroli Regis IX.

Saxones post multas cædes & varia bella afflicti, tandem Christiani effecti, Francorum ditioni subduntur, & Conventus in Saxonia habetur in loco, qui vocatur Padrabrunno, ubi Stinalarabi Saracenus, Præfectus Cæsar-Augustæ, venit ad Regem; Ibi Saxones baptizati ingenuitatem, & omnem proprietatem suam secundùm morem gentis abdicantes, Regi tradiderunt, si à die illa, & deinceps, Christianitatem, & Regi, & Filiis ejus fidelitatem abnegâssent. Annales Pithoeani ad hunc annum.

Carolus confirmat Folrado Privilegium Salonæ contra Episc. Metensem.

CArolus gratiâ Dei Rex Francorum & Langobardorum, atque Patricius Romanorum. Oportet Serenitas nostra, ut ea, quæ à fidelibus nostris postulata fuerint justè & rationabiliter, pro servitio & fidelitate, quæ circa genitorem meum PIPPINUM Regem, & circa me habere videntur, eis impertire debeamus. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam & præsentibus, quàm & futuris, qualiter veniens FOLRADUS Cappellanus Palatii nostri, & Abba Sancti Dionysii, nobis retulit Privilegium à partibus Sancti Dionysii, quàm *Senodalis Consilius* (b) *anno IX. ad PATRISBRUNNA* ex promisso (*c*) ANGALRAMNO Episcopo & WILHARIO (*d*) Archiepiscopo constituerunt de res proprietatis suæ in loco, qui dicitur Salona, quæ est constructus, in honore Sanctæ Dei Genitricis & Beatorum Martyrum, & Confessorum, & Virginum, ubi Sanctus Privatus Martyr, & Sanctus Illarius Confessor requiescere videntur, & meo in privilegio insertum invenimus, ut neque Angalramnns Episcopus, neque Successores sui, neque Archidiaconus, neque missus Ecclesiæ suæ Mediomatricus ibi in ipso Cœnobio Pontificium habere non debeant, nisi Abbas S. Dionysii expetierit ordinationes faciendi, Chrismætandi, & tabulas benedicendi. Interrogavimus Angalramnum Episcopum, si ipsum Privilegium consentire debuisset. Et ipse nullatenus denegavit, nisi sicut & *Cbnenodale consilio* constituerunt Coepiscopi sui, sic consentivit, sicut ipse privelegius clariter innotuit. Propterea talem præceptum & confirmationem permanere præcipimus ad partibus Sancti Dionysii, ut post hunc diem nullus quilibet Episcoporum, neque Angalramnus, aut successores sui ipso Cœnobio non contingat, nisi sit sub emunitate & privilegio Sancti Dionysii regulariter, sicut cæteras Ecclesias, quas de ipsa casas Sancti Dionysii aspicere videntur, & terrolas, quas Angalramnus & Folradus infra ipso agro Salona & sine commutaverunt..... Simile modo ex nostrum permissum & confirmationem absque Episcoporum Mettensis Ecclesiæ impedimentum pars Sancti Dionysii una cum cœnobio Salona sub nostram tuitionem & defensionem, procerúmque nostrorum partibus Sancti Dionysii debeant respicere, & quidquid per commutationes Regum aut donationem, aut collata ibidem populi additum, aut censatum, & Folradus de suas res ipso Cœnobio ditavit sub emmunitate & defensione Sancti Dionysii omnique tempore permanere debeant, ex nostra auctoritate confirmatum, ut meliùs delectet ipsam congregationem Sancti Dionysii, & Sancti Privati, & Sancti Illarii pro nobis & pro eis, uxoréque nostra Domini misericordiam attentiùs deprecare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora meliùs conser-

(*a*) Schateno primum Paderbornense, in quo Carolus in Comitatu Sacrorum Præsulum ædificavit Ecclesiam ad Pattisbrunna (*ex Chronico S. Galli, & Divionensi*) & ingens hominum multitudo baptismatis fonte abluta fuit. Sacerdotes revocati & distributi. *Annal. Paderbornens. L. I. ad h. a.*

(*b*) Mentio duplex Synodi Paterbrunnensis h. a. celebrati.

(*c*) Angalramnus Mettensis Episcopus.

(*d*) Willihatius Archi-Episcopus Senonensis.

ſervetur: manu noſtrâ propriâ ſubter eam firmavimus, & de anulo noſtro ſigillavimus.

SIGNUM CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS.

Nomen & Signum Cancellarii omiſſum.

Datum, quod fuit Decembris dies - - Anno X. regnante Domno noſtro Carolo Rege. Actum Aquis Palatio publico in Dei nomine feliciter. Amen.

Mabillon. de re diplomatica L. VI. N. LII. *Manſi Supplementi Tom. I. pag.* 726.

Regino in Chronico ad h. a. Omnes Saxones convenerunt, ait, excepto Widichindo, qui cum paucis Saxonibus in partibus Normanniæ, nunc *Dania*, confugit.

Annales Francorum Maſciacenſes apud Labbé Tom. II. MS.

Egolismenſis Monachus ait, fuiſſe tres Reges Saracenos de Hiſpania, qui convenerunt, Carolum in Synodo Paderbrunnenſi ſalutaturi. *Ex his Binius Tomo III. Concilior. parte I.*

Hoc eodem anno 777. actum fuiſſe de Epiſcopatibus, per Saxoniam inſtituendis, & ſpeciatim Oſnabrugenſis Eccleſiæ initia refert *Schatenus L. VII. Hiſtoria Weſtphaliæ ex vita S. Ægilis & Gobelinus Perſona in Coſmodromio ætate VI. pag. mihi* 188. 189.

SYNODUS DURIENSIS (a)

Anno Chriſti DCCLXXIX. Hadriani Papæ VII. Caroli Regis XI.

Cum MS. KRUFFTIO collata.

ANno feliciter undecimo Regni Domini noſtri Caroli Glorioſiſſimi Regis in menſe Maij, factum Capitulare, qualiter congregatis in unum (b) Synodali Concilio Epiſcopis, Abbatibus, Viriſque illuſtribus Comitibus, unà cum piiſſimo Domino noſtro ſecundùm Dei voluntatem de cauſis opportunis conſenſerunt decretum.

De Metropolitanis.

CAP. I. Ut Suffraganei Epiſcopi ſecundùm Canones ſubjecti ſint, & ea, quæ erga miniſterium illorum emendanda cognoſcunt, (c) libenti animo emendent, & corrigant.

De Epiſcopis.

CAP. II. Ubi præſentes Epiſcopi ordinati non ſunt, ſine tarditate ordinentur.

De Monaſteriis.

CAP. III. Ut ubi Regulares fuerunt, ſecundùm Regulas vivant, nec non & Monaſteria puellarum ordinem ſanctum cuſtodiant: & unaquæque Abbatiſſa in ſuo Monaſterio ſine intermiſſione reſideat.

CAP. IV. Ut Epiſcopi de Presbyteris & Clericis infra illorum Parochia poteſtatem habeant ſecundùm Canones.

CAP. V. Ut Epiſcopi, de inceſtuoſis hominibus emendandi licentiam habeant, ſeu & de viduis infra ſua Parochia, poteſtatem habeant corrigendi.

CAP. VI. Ut nulli liceat alterius Clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu.

De Decimis.

CAP. VII. Ut unuſquiſque ſuam decimam (d) donet, atque per juſſionem Pontificis diſpenſetur.

De Homicidis.

CAP. VIII. Ut homicidæ, aut cæteri rei, qui legibus mori debent, ſi ad Eccleſiam confugerint, non excuſentur, neque eis ibidem victus detur.

De Latronibus.

CAP. IX. 1. Ut Latrones de infra emunitate, Judices ad Comitis placita præſentent, &, qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat.

2. Similiter & Vaſſus noſter, ſi hoc non

(a) Eckhartus & Schatenus indubitanter primos Canones 24. adſcribunt Synodo Durienſi hujus anni 779. Baluzius T. I. Capitularium, Amerspachius, Lindenbruch, Goldaſtus primos XXIV. Canones ad h. a. referunt: ſed locum Concilii non addunt.

(b) *Synodoſiali. Confero codicem Krufftii MS. ſimili titulo & exordio.*

(c) *libenter.*

(d) Primam mentionem decimarum hoc & 13. Capp. fieri obſervat *Eckhartus hiſtor. Francor. Lib.* 24. *p.* 661. Et Carolum Regem primùm ſua authoritate eas decimas introduxiſſe, univerſales feciſſe aſſerit.

non impleverit, beneficium & honorem perdat, & qui beneficium non habuerit, bannum ſolvat.

De Perjuris.

Cap. X. 1. De eo, qui perjurium fecerit, ſe ſciente, nullam redemptionem habeat; niſi manum perdat.

2. Quodſi accuſator contendere voluerit de ipſo perjurio, ſtent ante crucem. Et ſi jurator vicerit, lege ſua accuſator emendetur.

3. Hoc verò de minoribus cauſis obſervandum. De Majoribus verò rebus, aut de ſtatu ingenuitatis ſecundùm (e) legum cuſtodiant.

De Latronibus juſtè peremptis, & hominibus injuſtè punitis.

Cap. XI. De vindictâ ex juſto Judicio in Latronibus facto, teſtimonio Epiſcoporum abſque peccato Comites eſſe dicuntur; ſic tamen, ut abſque invidia, aut occaſione mala, & nihil aliud interponatur, niſi vera Juſtitia ad perficiendum, & pacem confirmandam; & ſi quis per odium, aut malum ingenium, niſi per Juſtitiam faciendam, hominem diffecerit, honorem ſuum perdat, & legibus, contra quem injuſtè fecit, ſecundùm pœnam, quam intulit, emendet.

De ſtatutis Pippini Regis.

Cap. XII. Quæ bonæ memoriæ genitor noſter in ſua placita conſtituit, ſic & nos conſervare volumus.

De nonis & decimis, vel cenſu Eccleſiarum.

Cap. XIII. De rebus verò Eccleſiarum, unde nunc penſiones exeunt, decimæ & nonæ ſint ſolutæ. Unde antea non exiérunt, ſimiliter nona (f) & decima dentur, ac de caſatis quinquaginta Solid. 1. & de caſatis triginta, medio ſolido: & de viginti, tremiſſe uno. Et precariæ, ubi modò ſunt, renoventur, ubi non ſunt, ſcribantur: & ſit diſcretio inter (g) præſtarias de verbo noſtro factas, & inter eas, quæ ſpontanea voluntate de ipſis rebus Eccleſiarum faciunt.

De Truſte (h)

Cap. XIV. De Truſte facienda nemo præſumat.

De Tributariis Eccleſiarum.

XV. De cerariis (*) & tabulariis, atque Cartulariis, ſicut de longo tempore fuit, obſervetur.

Ut Sacramentorum pro Gildonia (i) *non fiat.*

XVI. De Sacramentis per Gildonia invicem conjurantibus, ut nemo facere præſumat. Alio verò modo, de illorum Eleëmoſinis, aut de incendio, aut de naufragio, quamvis convenientiam faciant, nemo in hoc jurare præſumat.

Ut iterantibus nullus impedimentum faciat.

XVII. De iterantibus, qui ad Palatium aut aliubi pergunt, ut eos cum collecta nemo ſit auſus (k) ſalire.

De Herba non tollenda.

XVIII. Ut nemo alterius herbam defenſionis tempore tollere præſumat, niſi in hoſtem pergendo, aut miſſus noſter ſit: qui aliter facere præſumit, emendetur.

De Thæloneis (l) *forbannitis.*

XIX. De Thæloneis, qui jam antea forbanniti fuerunt, ut nemo tollat, nec novas, niſi ubi antiquo tempore conſuetudo fuit, præſumat.

Ut mancipia non ſine teſtibus vendantur.

Cap. XX. De mancipiis, tot qui vendentur, ut fiat in præſentia Epiſcopi, vel Comitis, aut in præſentia Archidiaconi & centenarii, ſive voce Domini, aut Judicis, aut Comitis, ante bene nota

(e) *legem.*

(f) *Nona* pars frugum, vel *decima*, vel cenſus pecuniarius de domibus, ſeu caſatis, pro diverſitate temporum & regionum diverſæ erant; & Sacerdotibus alendis à Regibus donabantur.

(g) *Inter preſtarias, & de verbo noſtro factas, & inter ſpontaneas.* Variis enim modis hæ ſiebant donationes, vel à privatis, vel ſub Regis aut Epiſcopi ratificatione.

(h) *Truſtis*, ſignificat fidelitatis ſignum, quo quis alii ab Rege ſe ſervum vel clientem dedit, addixit.

[*] *Cerarii:* qui tenentur ad ceram dandam. * *Tabularii* manu miſſi per tabulam ſcriptam.

(i) *Gildonia*, ſignificat cœtum, contubernium, confratriam, quibus ſe variè invicem obligabant ad varia.

(k) Adſalire, invadere ſpolii cauſâ.

(l) *Forbannitis*, id eſt, abrogatis, abolitis.

ta testimonia. Et foras marcha nemo mancipium vendat. Qui hoc fecerit, tantas vices bannum solvat, quanta mancipia vendit; & si non habet precium, in Wadium pro servo semetipsum donet Comiti, usque dum ipsos bannos solvat.

De Bruniis, (m) *non exportandis.*

Cap. XXI. De Bruniis, ut nullus foras nostro Regno vendere præsumat.

De Comitibus, vel Wassis Dominicis, Justitias non facientibus.

Cap. XXII. Si Comes in suo Ministerio Justitias non fecerit, missum nostrum de sua sonniare faciat, usque ad dum Justitiæ ibidem factæ fuerint. (n)

De his, qui pretium pro faida (o) *recipere, & Justitiam facere nolunt.*

Cap. XXIII. Si quis pro faida pretium recipere non vult, tunc ad nos sit transmissus, & nos eum dirigamus, ubi damnum minimè facere possit. Simili modo, & qui pro faida pretium solvere noluerit, nec Justitiam exinde facere, in tali loco eum mittere volumus, ut per eum majus damnum non crescat.

De Latronibus bis per membra & 3tiò per vitam puniendis.

Cap. XXIV. De Latronibus ità præcipimus observandum, ut per primam vicem non moriantur, sed oculum perdant.

De secunda verò culpa, nasus ipsius Latronis abscindatur.

De tertia verò culpa, si non emendaverit, moriatur.

Hactenus Baluzius & alii citati.

(m) *Brunia* pro lorica. Thorax militaris.

(n) *Etsi Vasso nostro justitiam non fecerit, tunc eis comes & missus ad ipsius casas redeant, & de suo vibant, quousque justitiam faciant.* Hæc addit Kruffiius codex Capitulo XXI, nobis XXII.

(o) *Faida* pretium, Læso, vel ejus amicis pro injuria condonanda. *Freda*, multa Regi pendenda ob injuriam 3tio illatam.

Codex Kruffiius MS. Sæculi decimi, Coloniæ extans apud Familiam DD. DE KRUFFT, addit his XXIV. Capitulis, alia LXVIII. universim XCII. sed nos ex iis ea duntaxat, suo loco & anno referemus, quæ ad rem Ecclesiasticam spectant: Nam hæc Capitula XCII. non omnia anno XI. Caroli Regis edita fuisse aliunde constat. *Cl. Eckhartus* ac *Baluzius* ea ad suum locum & annum retulerunt. Spectant etiam ad hunc annum & Conventum Duriensem verosimiliter:

II. *Conventus Episcoporum de Precibus faciendis.*

III. *Donatio Carolina de Villa Folrado Abbati donata.*

ACTIO SECUNDA.

CONVENTûS DURIENSIS

VEROSIMILITER.

DECRETALE PRECUM QUORUNDAM

EPISCOPORUM.

Qualiter pro Rege & Exercitu ejus, hac instanti tribulatione, à Fidelibus in orationibus, & eleëmosynis Deo supplicandum est.

CApitulare, qualiter institutum est in hoc Episcoporum CONVENTU, id est: ut unusquisque Episcopus tres Missas & Psalteria cantet, unum pro Domino Rege, alterum pro exercitu Francorum, tertium pro præsenti tribulatione. Presbyteri verò unusquisque tres Missas. Monachi & Monachæ, & Canonici unusquisque Psalteria tria. Et biduanam omnes faciant, tam Episcopi, Monachi & Monachæ, atque Canonici, atque eorum infra casati homines, vel qui potentes sunt. Et unusquisque Episcopus, aut Abbas, vel Abbatissa, qui hoc facere potest, libram donet de argento, aut valentem in eleëmosynam, mediocres verò mediam libram, minores verò solidos quinque. Episcopi, Abbates, atque Abbatissæ pauperes famelicos quatuor pro ista stricitate nutrire debent

bent usque tempore messium, & qui tantum non possunt, juxta quod possibilitas est, aut tres, aut duos, aut unum: Comites fortiores libram unam de argento, aut valentem donent in eleëmosynam, mediocres mediam libram. Vassus Dominicus de casatis ducentis mediam libram, de casatis centum solidos quinque, de casatis quinquaginta, aut triginta, unciam unam. Et faciant biduanas, atque eorum homines in eorum casatis, vel qui hoc facere possunt. Et qui redimere ipsas biduanas voluerit, fortiores comites uncias tres, mediocres unciam, & dimidiam, minores solidum unum. Et de pauperibus famelicis, sicut suprascriptum est, & ipsi faciant. Hæc omnia, si Deo placuerit, pro Domino Rege, & pro exercitu Francorum, & præsente tribulatione Missa S. Johannis sint completa.

In Conventu Duriensi verosimiliter hoc decretum fuit conceptum, & acceptatum ab Episcopis in comitatu Regis existentibus.

Mabillon de re diplomatica L. IV. §. LIV. Pag. 18.

Doubletus diploma expansum refert.

DONATIO SACRA,

FACTA HOC ANNO IN CONVENTU DURIENSI VEROSIMILITER.

CAROLUS, gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum vir inluster. Si enim ex his, quæ Divina pietas nobis affluentur tribuit, locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Pro quo donamus villam nostram Hairibertingas ad Sacro-Sanctam Ecclesiam Beatissimi Martyris Dionysii, ubi Sanctus VARANUS corpore requiescit in loco, qui dicitur Hairibertingas, & vir venerabilis FOLRADUS Abba præesse videtur, quam ipse in sua proprietate infra fine Hairbertingas super fluvium Brailia, in ducato Alamanorum in Comitato Hurma novo construxit opere, hoc est, fisco nostro Hairebertingas: quantumcumque in ipsa curte Hairebertingas habere visi sumus, & ibidem aspicere videntur, unà cum villa nuncupante, Bolamen, cum omnibus appendiciis suis, id est, cum terris, domibus, ædificiis, mansis, mancipiis, accolabus, litis, libertis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, farinariis, gregis cum pastoribus, peculium, utriusque sexus tam majora, quàm & minora, totum & ad integrum à die presente ad ipsa casa Dei, vel partibus Sancti Varani plenissima voluntate concessimus, atque indulsimus pro luminaribus & stipendiis Monachorum. Propterea hanc præceptionem auctoritatis nostræ conscribere fecimus. Per quam omnino jubemus, ut ab hac die tam ipse Folradus Abba, quàm & sui successores, prædictam rem ad partem jam dictæ Ecclesiæ Sancti Varani habeant, teneant, atque possideant, & quicquid exinde ad profectum ejusdem Ecclesiæ facere eligerint, in omnibus (Christo propitio) licentiam habeant, & potestatem faciendi: & nullus ex judiciaria potestate, aut qualibet persona prædicto Folrado Abbate, vel Sancto Varano, neque juniores, aut successores sui de memorata re inquietare, nec contra rationis ordine vel calumniam. Generare quoque tempore Pontificium non habeat, sed hoc nostræ confirmationis donum jure, Domino adjuvante, ad ipsa casa Dei valeat possidere firmissimum: ut ipsa congregatio ibi ansistentium pro me valeant Domini misericordiam attenciùs exorare, uxoréque nostra, prolis, & leudis, ut per intercessionem Sancti Varani, illiúsque congregatione mereamur adipisci vitam æternam. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel nostris & futuris temporibus meliùs conservetur, manu propriâ decrevimus roborare, & de anulo nostro jussimus sigillare. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Ego Wigbaldus ad vicem Hitherii recognovi. Data septimo

Idus

Idus Septembris, anno undecimo & septimo regni nostri. Actum Duria palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. Cum effigie ejusdem Regis sana & integra in Sigillo cereo.

Doublet in Historia Abbatiæ S. Dionysii L. III. pag. 715. & seqq. Mabillon. de re diplomatica L. IV. §. LIV. idem refert.

CONCILIUM II. APUD PATERBRUNNAM, ALII APUD LUPPIAM, VEL LUPPIÆ FONTES.

Anno Christi DCCLXXX. Hadriani Papæ IX. Caroli Regis XII.

ACTA IN HAC SYNODO.

I. Controversia de proprietate cellæ S. Goaris inter WEOMADUM *Archi-Episcopum Trevericum, &* ASSUERUM *Abbatem Prumiensem definita fuit, Carolo pro Abbate pronuntiante.*

Regnante post obitum Patris magno Carolo, orta est inter Trevirorum Pontificem tunc Weomadum, & Abbatem Assuerum pro eadem cella, nempe Sanctis Goaris ad lævam Rheni Ripam contentio; asserente Episcopo, eam ad suæ Ecclesiæ jus pertinere: Abbate contra dicente, esse illam Regis, lege hæreditariâ possessionem, neque in ea posse sibi aliquid Ecclesia vendicare, quæ & sibi à Rege Pippino commissa (*in conventu Attiniaci Anno 765. ut videtur*) & in Dominium Clarissimi Caroli successionis jure transmissa. Ità eis diu multúmque certantibus, & re ad controversiam sæpe deductâ, directi sunt ex latere Regis & semel, & iterum, ac tertiò Legati fidissimi & veraces, qui causam diligenter inquirerent, litémque congruè terminarent: quique rem examinantes non aliud, quàm quod Abba protestatus fuerat, invenerunt, Regii scilicet, quàm Ecclesiastici juris possessionem loci sæpe dicti existere.

Sed cùm Episcopo hæc nequaquam sufficerent, famosissimus Princeps habito in Saxonia super fontem (qui Lippia dicitur) generali *Conventu*, sub præsentia totius prope Regni Primatum, & utriusque ordinis Clarissimorum Virorum, rem per se examinandam suscepit, omniumque, qui tum adfuêre, judicio jurisjurandi conditio causidico Monasterii, tunc *Raberto* nomine, est constituta, quâ ille postea cum aliis duodecim firmavit, possessionem sæpedictam non Ecclesiæ Trevirorum, sed Dominio Regio tantum competere. Hoc ergo modo re definita, & Episcopo tandem adquiescente, famosissimus Rex cum suorum consensu cellam Sancti Viri Monasterio Prumiæ tradidit, edito traditionis ejusdem privilegio, quo firmavit, testatusq; est, se pro amore Christi & Eleemosyna Parentum suorum, Pippini videlicet Regis & Reginæ Bertradæ, cellam ipsam hac lege jam dicto Monasterio subdere, ut omni deinceps tempore Rectores Monasterii ejusdem eam tenere, & rebus ejus liberâ conditione in usus suorum, Deóque servientium fratrum necessarios uti, ac finè ulla cujusquam contradictione, quæ utilitati communi competerent, de ea facere & ordinare deberent: neque rebus solummodo, quas tempore eodem cellæ Dominium retineret, sed & illis, quæ futuris Successoribus adquisisset, jure firmissimo uterentur.

Hæc Wandelbertus Diaconus & Monachus Prumiensis, in vita S. Goaris.

ACTIO II. Wigtrudis è prima è Saxonum nobilitate Matrona injuriam sibi illatam conquesta, suscipitur in tutelam cum filio Meinulpho, quem in baptismo suscepit ipsemet Carolus, futurum subin Episcopum Paderbornensem.

ACTIO III. Ad firmandam Christi Reli-

Religionem inter Saxones variæ Ecclesiæ vel designatæ, vel institutæ fuêre à Carolo, nempe, Mindensis, Halberstadiensis, Verdensis, & Paderbornensis, & Monasteriensis initia jacta fuisse, docet

Schatenus Libro VII. Historiæ Westphaliæ ad annum 780.

Ex autore vitæ Caroli magni, ex Reginone, ex Gobelino in Cosmodromio, ex Dithmaro, ex Adamo Bremensi, ex Abbate Stadensi, aliisque: quorum nonnulli ad Concilium III. Paderbornense anni 785. referunt hæc exordia.

ACTIO IV. Willehaldus mittitur (*b*) ad partes Saxoniæ ad Pagum, qui dicitur Wigmodia.

Ad Eginharti & Francorum scriptorum silentium de his Actis Ecclesiasticis in conventibus Paterbornensibus objectum, appositè respondet Schatenus: Biographi Sanctorum apud Surium & Mabillonium, item Cœnobiorum Historiographi sexcenta facta Ecclesiastica in Synodis recensent, de quibus silent Annales Franci, Politicis enarrandis intenti.

Ad Lippiæ fontes Synodum anni 780. *celebratam referunt Annalista, Loiselianus, Bertinianus, Metensis, Pagi in Critica ad h. a. Lippiensem vocat Binius.*

Regino, ait; *ad locum, ubi Lippa consurgit*, Chronicon vetus Moissiacense in eodem loco ad h. ann.

[*b*] Anscharius in vita S. Willehadi, post Archi-Episcopi Bremensis, editâ *à Philippo Cæsare.*

Annales Francorum ex codice MS. Tilii apud DUCHESNE T. II. referunt, Synodum habitam Duriæ anno DCCLXXX. exiguo discrimine, nempe annus hic est proximus anno 779. quo Conventum Duriæ celebratum ferè unanimi aliorum Annalistarum consensu retulimus.



WORMATIÆ CONVENTUS.

Anno Christi DCCLXXXI. Hadriani Papæ X. Caroli Regis XIII.

Acta Conventûs hujus: I. Reconciliatio Tassilonis Ducis cum Carolo Rege. II. Missio à militia Episcopis concessa.

POst secundum iter Italicum Romæ, Papiæ, Mediolani susceptum Carolus in Germaniam revertit, & quot Româ secum duxerat Pontificios legatos, Formosum & Damasum Episcopos, suósque Riculfum & Eberhardum Magistrum Pincernarum ad Tassilonem, Bajoariæ Ducem, rebellionis suspectum, mittit, qui ipsi ex authoritate Apostolica suggererent, ut recordaretur priorum Sacramentorum (anno 770.) & non aliter faceret, nisi sicut jurejurando jam dudum promiserat Pippino & filiis ejus. His admonitionibus consensit Tassilo, & sumptis obsidibus ad Regem venit Wormatiam, ubi renovavit Sacramenta, & dedit duodecim obsides; sed non diu promissa servavit.

Annales Nazariani.

Vetus Chronicon Moissiacensis Cœnobii.

Annales Pithœani addunt, honorificè remissum Tassilonem ad sua.

Rhegino h. a.

Alteram actionem hujus conventûs, spectantem ad Ecclesiam, collegit *Eckhartus ex Lib. VI. Capitularium Benedicti Levitæ Cap.* 285. nempe Regi à populo supplicatum fuisse Wormatiæ, ut Episcopi deinceps ad militiam proficisci ne cogerentur, exceptis duobus, aut tribus doctis, ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam: sed alii omnes in suis Parochiis resideant, ibidem Deo fideliter famulaturi, & Sacrosáncta Mysteria Canonicè peracturi, atque pro Rege, ejúsque exercitu, unà cum sibi subjectis, orationes, Missas, Litanias, & Eleemosynas persoluturi. Hoc autem à se non peti, *inquiunt*, quo supplementum ad bellicos sumptus ex rebus Ecclesiasticis usurpent; quos contra potiùs augeri cupiunt; sed quòd Episcopos, si apud se remanserint, cùm suæ, tum Regis saluti utiliores fore persuasum habeant. Rex piæ populorum supplicationi consensit, eámque proximo generali conventu confirmatum iri promisit.

Eckhart. Historia Franciæ L. XXIV. N. CCIII.

SYNO-

SYNODUS COLONIENSIS.

Anno Christi DCCLXXXII. Adriani Papæ XI. Caroli Regis XIV.

Synodum Coloniæ à Carolo M. habitam, & Legatos variarum gentium illuc exceptos fuisse, indicat

Baronius h. a.

Sequenti anno Dominus Rex Carolus Rhenum transiit, & in Colonia Synodum tenuit. Ibi omnes Saxones venerunt, excepto rebelli Widochindo: & illuc convenerunt Normandi, Nuntii Regis Sigefridi. Similiter Avari convenerunt illic, missi à Cagano & Vigurio. Ibi peracto placito reversus est Domnus Rex Carolus in Franciam.

Hæc Egolismensis Biographus Caroli à Pithoeo editus: ex quo Baronius ad h. a. Synodum Coloniensem habitam, à Carolo M. scribit.

At Annales *Reuberiani*, *Newenariani*, & *Pithoeani* dicunt, tres hos Legatos ad Carolum venisse in loco, ubi *Lippia* oritur, postquam apud Coloniam Carolus Rhenum transisset.

SYNODUS PADERBORNENSIS III.

EODEM ANNO.

SCHATENUS asserit, In Conventu generali anni hujus 782. ad Lippiæ fontes habito, venisse ad Carolum Regem, Romà reversum, Proceres Westphaliæ, Angariæ, Ostphaliæ, cum Episcopis: & ea, quæ Carolus Romæ egerat cum Hadriano Pontifice, de Episcopatibus per Saxoniam instituendis, dividendis, dotandis, intellexisse, cœpisséque ordinari Rempublicam sacram & civilem. Sed Acta hujus Synodi interiisse dolet SCHATENUS

Annal. Paderbornensium Lib. I. ad h. a. 782.

SYNODUS PADERBORNENSIS IV.

Anno Christi DCCLXXXV. Hadriani Papæ XIV. Caroli M. XVII.

CAROLUS Eresburgo digressus est Paderbornam, advectóque ex Francia commeatu, & omnium rerum annonâ, celebrem Mense Majo ad fontes Paderæ Synodum denuo habuit: jussique non modò adesse Præsules & Sacerdotes, qui aulam sectabantur, sed & militiæ Duces, Comites, Consiliarii periti legum, omnísque Westfaliæ Senatus & populus; prætereáque novi Episcopi, quos Saxoniæ præstitueret. Acta hujus Synodi licet cum aliis intercidérint, nihil tamen verisimiliùs à probatis auctoribus assertum, quàm in ea totius Westphaliæ & Angariæ consensione ejuratam esse omnem cum Witechindo ac rebellium capitibus societatem belli, transisseque Westfalos & Angarios, novo fidei Sacramento dicto, in potestatem & Imperium Francorum: interque decreta, sancita primùm libertas Christianæ Religionis, proscripto Idolorum cultu, cœptáque Saxonia in Provinciæ formam redigi: impositi Duces militiæ, Comites & Præfecti; ordinatáque Respublica haud secùs, quàm devicto DESIDERIO, Longobardorum Rege, in Italiâ fecerat Carolus ad formam legésque Imperii Francici: arces & castella præmunita præsidiis: descriptæ Ducum regiones, quas militia tenerent, Marchiarum limites, quos *Marchas* dixêre: Comitum pagi, per quos jus dicerent: data pro meritis feuda in militare obsequium: præ-

præſcriptæ ſacræ profanæque leges; multáq; ejusmodi ſalubriter conſtituta, ad rebellem toties populum in fide regni Francici continendum. Ejus rei gratiâ, ut quidam volunt, in hac Synodo Paderbornenſi occultum illud, ſecretúmque Judicium, quod *Vemium* paſſim vocant, ſeveris illis legibus eſt præſcriptum, cœptumque comprimis per Weſtphaliam exerceri. Sed rem nullam majori cura & ſollicitudine complexus Rex, quàm Religionem. Hinc quod ante quinquennium cœperat, hoc anno & hac Synodo Paderbornenſi confecit: Saxoniámque inter Epiſcopos diviſam, certis ſimul limitibus deſcripſit; quibus Epiſcoporum Diœceſes continerentur: ſimul ex hac Synodo Paderbornenſi, qui aderant, Epiſcopos ſuis ſedibus aut reddidit, aut impoſuit. Inde Wiho Oſnabrugenſi, Willehadus Bremenſi, Hercumbertus Mindenſi: Hildegrimus, D. Ludgeri frater, Halberſtadienſi, Suibertus Verdenſi, Bernardus Abbas Mimigardevordenſi, Albertus Schidrenſi Eccleſiæ eſt præſtitutus. Burchardo Paderbornenſis Eccleſia manſit, Vicario adhuc munere gubernanda, quam ſenio prope confectus, ut ſaſti Herbipolenſes nos docent, Megingaudo & Bernulpho, alii poſt alium adminiſtrandam commiſit.

Schatenus Lib. VIII. Hiſtoriæ Weſtfalicæ pag. 495. 496.

Secutus Autorem Translationis S. Liborii Helmoldum, Albertum Stadenſem, Dithmarum, Gobelinum, Crantzium.

In hoc Conventu Paderbornenſi Procerum Francorum ac Saxonum, aut alibi per hæc tempora, vetuſtas illas Saxonum Leges à Carolo ſancitas [emendatas] eſſe, quas Heroldus primum in lucem produxit, & Lindenbrochius in Volumen aliarum gentium, quæ Francico Imperio continebantur, bona fide retulit & *Baluzius* Tomo I. Capitularium p: 249. 256. rurſum p. 275. 280. de annis 788. circiter 789. 797. V. Kal. Novembris, perſuadet ſibi *Schatenus loco citato.*

ATTINIACENSIS CONVENTUS IN AUSTRASIA, HODIE IN CAMPANIA.

Anno Chriſti DCCLXXXV. Hadriani Papæ XIV. Caroli Magni XVII.

CAROLUS Rex Natalem Domini Attiniaci (*a*) celebrat: ibi poſt conventionem de Pace initam, Witichindus Saxonum Dux, & Albio Transalbinorum Princeps, cum ſuis Comitibus, ſacris undis abluuntur. Carolus Rex Witechindum de ſacro fonte levavit, magnificis donis auxit, Ducatûs Titulum in Saxones reliquit. GEVAM Sigefridi Danorum Regis Filiam, Faſtradâ Reginâ ſpondente, & levante baptizatam, & Liberos ejusdem pari beneficio affectos fuiſſe, Scriptores coævi indicant. Viciſſim Witechindi egregia fides & liberalitas in Eccleſiam deinceps prædicatur poſt *Crantzium & Biographum S. Ludgeri, à Schateno L. VIII. Hiſtoriæ Weſtphaliæ ad h. a. Et Eginharto.*

Miniſter Baptiſmi, quis fuerit, coævi non prodiderunt. Alii Lullo Moguntino Archi-Epiſcopo: Alii Hercumberto Mindenſi: Alii Hildegrimo Halberſtadienſium Epiſcopo hoc munus tribuunt.

Ex hoc anno Saxonia ſatis pacata & Francis ſubjugata fuit: Eccleſiarum augmentum & corroborata fides illuxit Bardewici, Selingenſtadii; Aulicæ, ſive Elzæ ad Salam, vel inchoatæ, vel ſaltem prædinatæ Eccleſiæ fuerunt. Huc ſpectat Gratulatoria Hadriani Papæ ad Carolum Regem de Saxonia Chriſto ſubjecta, & inſtructio de relapſis Saxonibus, quas ſubjicio poſt hunc annum.

(*a*) In Conventum hunc Attiniacenſem ad h. a. uti & baptiſmum Witechindi omnes Annaliſtæ Francorum & Biographi Caroli conſentiunt. Annales Francorum Pithoeani, Newenariani, Reuberiani. Schatenus ad annum 786. refert Baptiſmum.

Exem-

Exemplar Epistolæ Hadriani Papæ ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de gente dudum perfida, scilicet Saxonum, qualiter Dominus ac Redemptor noster per præfati Regis laboriosa certamina, ad Dei cultum, suæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem Fidei, seu ad Sacrum Baptismatis Fontem usque perduxisset, & de Letaniis, & de Jejuniis & Orationibus pro hujuscemodi re.

Domino Excellentissimo Filio, nostróque spiritali compatri, CAROLO Regi Francorum, & Longobardorum, atque Patricio Romanorum, Hadrianus Papa.

PRæstolatos, nimísque nobis optabiles regales vestros suscepimus affatus per fidelissimum vestrum latorem atque missum, videlicet *Andream* religiosum Abbatem: quos referantes reperimus in eis de vestræ præcelsæ regalis potentiæ, & comparis, sobolisque vestræ, seu cunctorum præcipuorum vestrorum, nostrorúmque fidelium sospitate, & incolumi, ac serenissimâ prosperitate: in quibus Redemptori mundi consuetas retulimus grates. Magis autem inibi de vestris à Deo præsidiatis regalibus triumphis comperientes, qualiter sævas, adversásque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum, & suæ Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem fidei perduxeritis, atque Domino auxiliante, & Petri, Paulique Apostolorum Principum interventione suffragante, sub vestra eorum colla redacta sunt potestate, ac ditione: eorúmque Optimates subjugantes, Divinâ inspiratione, regali annisu, universam illam Gentem Saxonum ad Sacrum deduxisti Baptismatis fontem. Unde nimis amplius Divinæ Clementiæ retulimus laudes, quia nostris, vestrisque temporibus gentes paganorum in veram, & magnam deductæ religionem atque perfectam fidem, vestris regalibus substernuntur ditionibus. In hoc quippe freta vestra à Deo fundata existat potentia, quia si, ùt pollicita est, fautori suo Beato Petro Apostolo, & nobis, puro corde, atque libentissimo animo adimpleverit, maximas robustiores illarum gentium suis præcipuis suffragiis vestris substernet pedibus, ut nemine eos persequente, vestris regalibus subjiciantur potentiis, & maximum fructum in die Judicii ante tribunal Christi de eorum animarum salute offerre mereamini dignissimum munus, & pro amore animarum lucra infinita mereamini adipisci in Regno cælesti. Illud autem, quod vestra intimavit regalis excellentia, ut in uno mense, vel in una die, pro hujusmodi operibus, scilicet stabilitatis vestræ victoria, laudes Deo gerentes caneremus, & unâ, vel duabus feriis Litanias perageremus; valde hoc nobis delectabile existit. Quatenus Apostolica exarantes censurâ, decrevimus in omnibus nostris partibus, quæ sub ditione Spiritalis Matris vestræ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ existunt, illicò celebrari easdem unà nobiscum, disponentes emisimus, Domino protegente; videlicet vicesimâ tertiâ die, & vicesimâ sexta, atque vicesimâ octavâ hujus advenientis Junii mensis, quæ sunt in primis Vigiliæ Beati Joannis Baptistæ, & Natalis Sanctorum Joannis, & Pauli, nec non & Vigiliæ Beati Petri Apostoli. Similiter & vestra Regalis potentia in suis dirigat universis finibus, seu transmarinis partibus, ubi Christiana moratur gens, similiter perficiendas triduanas litanias. Et ideo tale protelatum emisimus spatium propter tam longinquas Christianas nationes, ultra vestrum regale morantes regnum. Nos quippe non solùm unam, vel duas, ut nobis insinuàstis, celebrandas Litanias prævidimus; sed etiam pro vestra, ut soliti sumus, indesinenter orare excellentiâ cupientes, decrevimus perficere, & Redemptori mundi canere laudes, ut ipsæ gentes, quæ per vestrum Regale

gale certamen ad Christianam perductæ sunt fidem, usque in ævum per vestrum maneant adminiculum, & nostris vestrisque finibus omnes repelli faciat ægritudinis morbos, & procul ejiciat pestilentiam, ut nostris, vestrisque diebus populus nobis à Deo commissus in magna degentes ubertatis affluentiâ, simulque sincerissimæ sospitatis lætitiâ, longiori ævo unà cum Domina Regina, vestrâque nobilissima prole, mereamini Regni gubernacula perfrui, & in ætheris arcibus sinè fine regnare, ut per vestra laboriosa certamina magis, magisque Spiritalis Mater vestra Sancta Romana Ecclesia maneat exaltata. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Extat hæc Epistola N. XCI. in codice Carolino à Gretsero S. J. Theologo anno 1613. primùm integro vulgato è codice membranaceo, Cæsareæ Viennensis Bibliothecæ descripto, quem Carolus Rex anno XXIII. Regni sui, Christi DCCXCI. scribi decrevit, & fecit. Extat in postremæ editionis Gretserianæ anni 1735. *Tomo sexto p. 775.* Centuriatores Magdeburgenses similem viderant, & fœdis glossis maculaverant. Panvinius Epitomen ediderat: Gretserus primùm vulgavit hactenus amplissimum textum Epistolæ Pontificiæ.

RESPONSORIA

HADRIANI PAPÆ

AD CAROLUM MAGNUM,

DE MODO, SAXONES AD PAGANISMUM RELAPSOS, RECONCILIANDI DEO ET ECCLESIÆ.

Carolus Rex, cùm indicâsset Adriano Papæ per Itherium & Manegarium Abbates, Legatos suos, Saxones quosdam (inter annos 777. & 785.) in Paganismum relapsos esse, déque iis, quid agendum esset, interrogâsset: respondit Pontifex, post longam pœnitentiam eos ad consortium Ecclesiæ posse recipi.

Domno Excellentissimo Filio, nostróque spiritali Compatri CAROLO, Regi Francorum & Longobardorum, atque Patritio Romanorum, Adrianus Papa

VEstræ à DEO protectæ regalis Excellentiæ suscipientes Missos, scilicet Itherium & Magenarium, religiosos Abbates, sciscitati sunt nos, interrogantes de Saxonibus, qui Christiani fuerunt, & ad Paganismum reversi sunt, qualem pœnitentiam eis Sacerdotes indicare debeant? Hoc Prædecessorum nostrorum Sanctorum Pontificum dudum decretum est, quòd, qui resipiscentes, & ruinas suas cogitantes redire maluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt, & iterum pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione pensanda sunt; & ideo Excellentissime, & à Deo protecte Fili, oportet Sacerdotem partibus illis pastoralem circumdare solertiam, atque Episcopalem induere vigilantiam, & in eorum arbitrio indicere pœnitentiam, considerantes piaculum tam voluntatis, quámque extra voluntatem coacti ad suum revertentes vomitum; & tunc canonica promere sententia, quatenus, si veraciter reversi in fide orthodoxa maluerint perseverare, promissuros, se omnem adimplere Episcopalem prædicationem, indiculum orthodoxæ fidei exarantes, secundùm olitanam Patrum traditionem, unum confitentes Baptismum, sub jusjurandum pollicentes, fidem Christianitatis servaturos: in gremio suscipiantur orthodoxæ fidei Ecclesiæ, ut copiosa merces vobis adscribatur in cœlis. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

In Codice Carolino N. LXXX. editionis Gretseriana Typo ultimo Tomo VI. pag. 765. Baronius & Centuriatores ejusdem Epistola meminerunt.

HA-

HADRIANI PAPÆ
CAPITULA,

Quæ ex Græcis & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque Decretis Præsulum ac Principum Romanorum sparsim collecta sunt, & Ingilramno, Mediomatricæ urbis Episcopo, Romæ à Beato Hadriano Papa tradita, sub die XIII. Kalendas Octobres, Indictione IX. quando pro sui negotii causâ agebatur.

TITULI CANONUM.

1. *Quòd qui Episcopum accusat, Dei ordinationem accusat.*
2. *Qui negotium habet cum Episcopo, priùs ad illum privatim recurrat.*
3. *De primatu sedis Apostolicæ, & de legitimâ Episcopi vocatione.*
4. *De discutienda accusatoris personâ.*
5. *Qualiter Episcopus ad Synodum convocetur, & qualiter in ea de illo agatur.*
6. *Ut si quis Metropolitanum suspectum habuerit, apud Primatem audiatur.*
7. *De Canonicæ accusationis ordine.*
8. *Ut accusatio Clericorum intra Provinciam fiat, & ut pulsatis appellare liceat.*
9. *Salvo sedis Apostolicæ primatu, res Provinciæ cujusque Synodus Provinciæ dispenset.*
10. *Omnis accusatio intra Provinciam audienda.*
11. *Quæ sæculi leges non admittunt, à Clericorum causis repellenda.*
12 *Causæ, ubi ortæ sunt, finiendæ, salvâ appellatione.*
13. *Episcopi ejecti & spoliati ante accusationem redintegrandi.*
14. *Ut Metropolitanus Episcopi causam sine Comprovincialibus, & Episcopus Presbyteri causam sine Clericis suis non audiat.*
15. *Accusantium personam ante omnia discutiendam.*
16. *Ut hi, quorum libertas nescitur, nequaquam accusent Sacerdotes.*
17. *Ut Criminosus accusandi vocem non habeat.*
18. *Nullus Episcopus alterius Parochianum retineat, ordinet, vel judicet.*
19. *De peregrinis Judiciis non recipiendis.*
20. *Ut Episcopus extra Provinciam ad Judicium non vocetur, eique provocare liceat, si judices suspectos habeat.*
21. *Quales personæ ad accusationem non admittantur.*
22. *Ut accusatores præsentes adsint, & accusatis spatium detur ad abluenda crimina.*
23. *De Episcopis, qui ad Romanum appellant Pontificem.*
24. *Qui Clericum accusat, si probare non potest, infamiæ jacturam subeat.*
25. *De Primatum & Metropolitanorum differentia.*
26. *Judici omnia patienter audienda, quæ proponentur, priusquam sententiam ferat.*
27. *De iis, qui indiscussos potestate tyrannica damnant: & quòd Episcopi, vel Presbyteri non debeant ab aliis judicari, nisi & à quibus ordinari.*
28. *Ubi judicari debeant, qui adversus Episcopum, vel Metropolitanum causam habent.*
29. *Ut Episcopus accusatus ab omnibus Comprovincialibus audiatur.*
30. *De Episcopo, qui alterius Parochianum ordinat, vel judicat.*
31. *Ut eorum in accusatione, vel testimonio vox obstruatur, qui Divinis vocibus mortui sunt.*
32. *De non neganda appellatione accusato.*
33. *Quod reis, qui de se confessi sunt, super alios non sit credendum.*
34. *Ut qui judices suspectos habuerint, vocem appellationis exhibeant.*
35. *Quod omnibus, qui lite pulsati sunt,* non

Capitula vel articuli collecti ex diversis Conciliis & Decretis Pontificum per Angilramnum Episcopum Metensem, oblati Papæ Hadriano. Sic habent alii codices MSS. teste Dupinio *Nova Bibliotheca Autorum Ecclesiasticorum Tomo VI. Pag.* 114. & *Calmeto, Historia Ecclesiastica & Civilis Tomo I. L. XI. pag.* 529. Qui judicant hunc titulum verosimiliorem esse eo, quem Sirmondus ex aliis MSS. secutus est: duplex enim titulus hujus collectionis reperitur, alius in aliis MSS. *Vide Dissertat. ad Seculum VIII.*

non alibi, quàm in proprio foro jurgandum sit.

36. *Ut appellantes nulla arceantur detentione.*

37. *Quòd etiam in causis criminalibus appellare liceat.*

38. *In causis capitalibus absens accusare non potest, nec accusatus per alium defendi.*

39. *De constitutionibus contra Canones & decreta, vel contra bonos mores conditis.*

40. *Ut non constringat Clericum sententia, non à suo judice dicta.*

41. *De his, qui falsa aliis irrogant.*

42. *De Provinciali Synodo retractanda per Vicarios Urbis Romæ Episcopi.*

43. *De iis, qui majores natu accusant.*

44. *Quòd in causa Capitali, vel in causa statûs non per Advocatos, sed per ipsos agendum sit.*

45. *Ut liceat majores judices appellare, quoties necessitas ingruerit.*

46. *Ut Metropolitani Episcoporum causas, nisi præsentes omnes fuerint Episcopi comprovinciales, audire non præsumant.*

47. *Quæ in laicis arguuntur, à Clericis respuantur.*

48. *De contemptoribus Canonum, laicis vel Clericis.*

49. *Delatores qui sint, & quâ pœnâ multandi.*

50. *De iis, qui in alterius famam Scripturam, aut verba contumeliosa confinxerint.*

51. *De eo, qui iratus crimen objecit, & postea retractat.*

52. *Qui crimen objicit, probare debet: & ut causa ibi agatur, ubi crimen admissum est.*

53. *Ne judices causam absentis personæ sua sententia præsumant.*

54. *De eo, qui frequenter litigat, ut non suscipiatur absque examine.*

55. *Quòd Episcopi inter se corrigere, si quid ortum fuerit, debent.*

56. *Summus Præsul à nemine judicatur.*

57. *Ut judex non antè reum condemnet, quàm ipse confiteatur, aut per testes revincatur.*

58. *Injusta Episcoporum damnatio à Synodo retractanda.*

59. *Quòd Ecclesiam suam relinquere nullus debeat.*

60. *Ante Judicem non suum pulsatus taceat, si velit: & ut appellanti induciæ dentur.*

61. *De eo, qui contra suam subscriptionem venit.*

62. *Falsum crimen adversùs Episcopum, Presbyterum, Diaconem objicienti nec in fine danda communio.*

63. *De libellis famosis.*

64. *Ut diebus Dominicis causæ ab Episcopo non audiantur.*

65. *De potente, si quem expoliaverit, ut ab Episcopo excommunicetur.*

66. *Ut nullus Clericus à suo recedat Episcopo.*

67. *Ut criminibus implicati ad accusationem aut testimonium non admittantur.*

68. *Criminosi accusatio periculosa est, & admitti non debet.*

69. *Miserorum ruinis qui succurrit, Dei à se removet vindictam.*

70. *De periculo judicantium, & providentia eorum.*

71. *De accusatione adversùs Doctorem submovenda.*

72. *De Presbyteris, Diaconibus, & reliquis Clericis, ex decreto Sancti Sylvestri & LXXXIV. Episcoporum.*

73. *Laici Testimonium adversùs Clericum suscipi non debet.*

74. *Clericus in Publico examinandus non est, sed in Ecclesiâ.*

75. *De Episcopis damnare volentibus eum, à quo sunt consecrati.*

76. *Ut nullus contra Religionem faciat.*

77. *De Apostolicis & Canonicis decretis minimè violandis.*

78. *De injusto Judicio Principis metu, vel jussu terminato cassando.*

79. *Quod hi, qui contra patres armantur, Deo existant odiosi.*

80. *Ut nullus regum hujus Canonis censuram in aliquo violare præsumat.*

I. *Quòd qui Episcopum accusat, Dei ordinationem accusat.*

DEI Ordinationem accusat, in qua constituuntur, qui Episcopos accusat vel condemnat, dum minùs spiritualia, quàm terrena sectantur. Unde & Propheta ait: *Nolite* (a) *tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.*

II. *Qui cum Episcopo negotium habet, priùs ad illum privatim recurrat.*

Placuit, ut quæcunque persona contra Episcopum, vel Actores Ecclesiæ, se proprium crediderit habere negotium, priùs ad eum recurrat caritatis studio; ut familiari colloquio commonitus, ea sanare debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem, si differre voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis.

(a) I. Paralip. XVI, 22. Psalmo CIV, 15.

III.

III. *De Primatu Sedis Apostolicæ, & de legitimâ Episcopi vocatione.*

Nullus Episcopus, nisi canonicè vocatus, & in legitimâ Synodo suo tempore Apostolicâ auctoritate convocatâ (cui jussione Domini, & meritis B. Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & Sanctorum Canonum ac venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas) super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel impetatur. Si aliter præsumptum à quibuslibet fuerit, in vanum deducatur, quod egerint. Nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec ullas habebit vires, quicquid ei obviaverit. Quoniam eadem sedes testante veritatis voce Primatum obtinuit; nec prima diceretur, si aliam super se haberet. Quæ etiam Caput est omnium Ecclesiarum, à qua omnes sumpsêre originem. Primatum enim non Synodalibus, aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait: *Tu es Petrus*, (b) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et reliqua talia, & his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverat præceptionibus, non exeat impunitus, sed gradûs sui periculo subjacebit.

IV. *De discutienda accusatoris personâ.*

Placuit, ut semper primò in accusatione Clericorum fides & vita blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis debet præcedere, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino esse credendum, qui veritatis fidem ignorant, aut non rectæ conversationis vitam ducunt: quoniam tales facilè & indifferenter lacerant, & criminantur rectè & piè viventes, & credentes. Ideo suspicio eorum discutienda est primò, & corrigenda.

V. *Qualiter Episcopus ad Synodum convocetur, & qualiter in eâ de illo agatur.*

Sancta Synodus Romana dixit. Hæc sunt, quæ deinceps, propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & Ecclesiasticos indifferenter sæviunt viros, conservari firmissimè volumus in Sæcula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis caritativè conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos Primates causa ejus canonicè deferatur. Qui congruo in loco, infra ipsam Provinciam, tempore à Canonibus præfixo Nicænis, Concilium canonicè convocare debebunt, ità ut ab omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis in eo audiatur. In quo & ipse canonicè convocatus, si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit: quia ultra Provinciæ terminos accusandi antè licentia non est, quàm audientia rogetur. Nam si suis fuerit rebus exspoliatus, aut quod absit, quod alienum ab omnibus debet esse fidelibus, à sede propriè ejectus, aut in detentione aliqua à suis ovibus fuerit sequestratus; tunc Canonicè, antequam in pristinum restituatur honorem, & sua omnia, quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerant, redintegrentur; nec convocari, nec judicari poterit, nisi ipse pro suâ necessitate, minimè tamen judicandus, advenire sponte elegerit. Nec omnino à quoquam respondere cogatur, antequam omnia integerrimè, quæ per suggestiones inimicorum suornm amiserat, potestati ejus ab honorabili Concilio redintegrentur, & Præsul priùs statui pristino restituatur: & ipse dispositis ordinatisque libere ac securè suis, tunc Canonicè convocatus, ad tempus Synodo in legitima & Canonicâ veniat ad causam, & si ità justè videtur, accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere providendum est, ne antequam hæc omnia fiant, coactus respondeat: quia contentio semper vitanda est. Adimi namque Episcopo Episcopatum, antequam causæ ejus exitus appareat, nulli Christiano videri jure potest. Quod si ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se Legatum ad Synodum mittat: nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum Judicum die statutâ litteris evocatus, minimè occurrerit: hoc est, nisi alia præoccupaverit necessitas, infra duorum, vel trium mensium spatium, & eo amplius, pro ut causa dictaverit. Quòd si ex utraque parte ad causam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in Judicio, cujus sint conversationis,

(b) Matthæi XVI, 18.

ſationis, & fidei, atque ſuſpicionis accuſatores, aut quâ intentione hoc faciant: quia ad hoc admitti non debent, niſi bonæ converſationis, & rectæ fidei viri, & ii, qui omni ſuſpicione careant, & bonâ vitâ clareant, neque infames exiſtant. Quòd ſi accuſatorum perſonæ in Judicio Epiſcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, niſi proprias habuerint cauſas, non tamen criminales, vel Eccleſiaſticas. Infamis enim perſona, nec Procurator poteſt eſſe, nec cognitor. Abſente verò adverſario non audiatur accuſator; nec ſententia, abſente parte alia, à Judice dicta, ullam obtinebit firmitatem. Neque abſens per alium accuſare, aut accuſari poteſt. Nec affinis teſtis admittatur. Neminem ergò exhiberi de Provincia ad Provinciam, vel ad Comitatum oportet, niſi ad relationem Judicis, ad quem fuerit appellatum; id eſt, ut actor ſemper rei forum ſequatur. Si quis autem Judicem adverſum ſibi ſenſerit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari.

VI. *Ut ſi quis Metropolitanum ſuſpectum habuerit, apud Primatem audiatur.*

Si quis autem putaverit ſe à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceſeos, aut apud Conſtantinopolitanæ civitatis ſedem, agat Judicium & reliqua.

VII. *De Canonicæ accuſationis ordine.*

Accuſationis ordinem, dudum Canonicis inſtitutum decretis, ſervari jubemus. Ut ſi quis Clericorum in accuſatione pulſatus fuerit, non ſtatim reus æſtimetur, qui accuſari potuit, ne ſubjectam innocentiam faciamus. Sed quisque ille eſt, qui crimen intendit, in Judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem, habitâ tamen dignitatis æſtimatione, patiatur: nec ſibi fore noverit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.

VIII. *Ut accuſatio Clericorum intra Provinciam fiat, & ut pulſatis liceat appellare.*

Si quis Clericus ſuper quibuslibet criminibus pulſatus fuerit; in Provincia, in qua conſiſtit ille, qui pulſatur, ſuas exerat actiones: nec æſtimet eum accuſator ſuus alibi, aut longiùs pertrahendum ad Judicium. Illi verò, qui pulſatus fuerit, ſi judicem ſuſpectum habuerit, liceat appellare.

IX. *Salvo Sedis Apoſtolicæ Primatu, res Provinciæ cujuſque Synodus Provinciæ diſpenſat.*

Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus primatu, manifeſtum eſt, quòd illa, quæ ſunt per unamquamque Provinciam, ipſius Provinciæ Synodus diſpenſet, ſicut in Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio.

X. *Omnis accuſatio intra Provinciam audienda.*

Ultra Provinciæ terminos accuſandi licentia non progrediatur. Omnis accuſatio intra Provinciam audiatur, & à Comprovincialibus terminetur.

XI. *Quæ ſæculi leges non admittunt, à Clericorum cauſis repellenda.*

Accuſationes & accuſatores, atque ea negotia, quæ ſæculares non adſciſcunt leges, Divinâ ac Synodicâ funditùs à Clericis repelli auctoritate cenſemus: quia indignum eſt ſuperiores pati ab inferioribus, quæ inferiores ab eis pati deſpiciunt.

XII. *Cauſæ ubi ortæ ſunt finiendæ, ſalvâ appellatione.*

Prudentiſſimè, juſtiſſiméque Nicæna, ſive Africana decreta definierunt, quæcumque negotia in ſuis locis, ubi orta fuerint, finienda: maximè quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad Concilium ſuæ Provinciæ, vel etiam univerſale provocare.

XIII. *Epiſcopi ejecti & ſpoliati, ante accuſationem redintegrandi.*

Placuit, Epiſcopos ejectos, atque ſuis rebus exſpoliatos, Eccleſias proprias primò recipere, & ſua omnia eis reddi; & poſtea, ſi quis eos accuſare vellet, æquo periculo facere. Judices eſſe decernentes, Epiſcopos recta ſapientes, in Eccleſiam convenientes, ubi teſtes eſſent ſingulorum, qui oppreſſi videbantur.

XIV. *Ut Metropolitanus Epiſcopi cauſam ſine Comprovincialibus, & Epiſcopus Presbyteri cauſam ſine Clericis ſuis non audiat.*

Nullus Metropolitanus Epiſcopus, abſque cæterorum omnium Comprovincialium

cialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irrita erunt, immò etiam causam in Synodo pro facto dabit. Nec reliquorum aliquis Episcoporum, suorum Sacerdotum causas audiat, absque præsentia Clericorum suorum: quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia Clericorum confirmetur.

XV. *Accusantium personam ante omnia discutiendam.*

Primò semper vita & persona accusantium diligenter inquiratur, & postea, quæ objiciuntur, fideliter pertractentur: quia nihil aliter fieri debet, nisi impetitorum priùs vita discutiatur.

XVI. *Ut hi, quorum libertas nescitur, nequaquam accusent Sacerdotes.*

Ii, qui non sunt bonæ conversationis, vel quorum fides, & vitæ libertas nescitur, non possunt Sacerdotes accusare: nec viles personæ in accusationen eorum admittantur.

XVII. *Ut Criminosus accusandi vocem non habeat.*

Ii, qui in aliquibus criminibus irretiti sunt, vel qui sunt suspiciosi, vocem adversùs majores natu non habeant accusandi, sed ii, qui omni suspicione careant.

XVIII. *Nullus Episcopus alterius Parochianum retineat, ordinet vel judicet.*

Nullus Episcopus alterius Parochianum præsumat retinere, aut ordinare, absque ejus voluntate, vel judicare: quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ità & judicatio: quoniam censemus nullum alterius judicis, nisi sui, sententiâ teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit

XIX. *De peregrinis judiciis non recipiendis.*

Peregrina judicia generali sanctione prohibemus: quia indignum est, ut ab externis judicetur, qui Provinciales & à se electos debet habere judices.

XX. *Ut Episcopus extra Provinciam ad judicium non vocetur, eique provocare liceat, si judices suspectos habeat.*

Nullus Episcopus extra suam Provinciam ad judicium devocetur; sed vocato eo Canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali, ab omnibus Comprovincialibus Episcopis audiatur; qui concordem super eum, Canonicámque proferre debent sententiam. Quia si hoc minoribus tam Clericis, quàm laicis concessum est, quanto magis de Episcopis servari convenit? Nam si ipse Metropolitanum, aut judices suspectos habuerit, aut infestos senserit; apud Primatem Diœceseos, aut apud Romanæ sedis Pontificem judicetur.

XXI. *Quales personæ ad accusationem non admittantur.*

Placuit, ut nullus servus, nullus libertus, nulla infamis persona Sacerdotem accuset. Omnes verò infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant, & omnes, qui culpis exigentibus, ad Sacerdotium non possunt provehi. Indignum est enim, ut illi eos accusent, qui esse non possunt, quod ipsi sunt: quoniam sicut majores à minoribus non judicantur, ità nec criminari possunt.

XXII. *Ut accusatores præsentes adsint, & accusatis spatium detur ad abluenda crimina.*

Placuit, ut nullus Episcopus quemquam Clericorum judicare, aut damnare præsumat, nisi accusatus legitimos accusatores præsentes habeat, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

XXIII. *De Episcopis, qui ad Romanum appellant Pontificem.*

Placuit, si Episcopus accusatus appellaverit Romanum Pontificem, id statuendum, quod ipse censuerit.

XXIV. *Qui Clericum accusat, si probare non potest, infamiæ jacturam subeat.*

Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici, apud Episcopos, quia alibi non oportet, à qualibet personâ fuerint accusati, quicumque fuerit ille, sive sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit, docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis verò circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus Sanctionis intelligat, se jacturam infamiæ propriæ sustinere; ut damno pudoris, existimationis dispendio, discat, sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari, saltem de cætero non licere: sed qualem fratri

fratri paraverat damnationem, talem in se suscipiat.

XXV. *De Primatum & Metropolitanorum differentia.*

Nullus Archi Episcoporum, nisi qui primas Sedes tenent, appelletur Primas, aut Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdotum, vel aliquid hujusmodi: sed tantùm ille, qui in Metropoli sedet, aut Metropolitanus, aut Archi-Episcopus vocetur, & suum in Canonibus præfixum non excedens teneat cum humilitate modum. Et ille, qui primam sedem retinet, tantummodo primæ sedis appelletur Episcopus: salvâ semper in omnibus auctoritate Beati Petri Apostoli.

XXVI. *Judici omnia patienter audienda, quæ proponentur, priusquam sententiam ferat.*

Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi, adjiciendíque patientia præbita ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter, nec priùs litigantibus sua velit* sententia obviare, nisi quando ipsi peractis omnibus jam nihil habuerint in quæstione, quod proponant: & tam diu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur. Frequenter ergò interrogari oportet, ne aliquid fortè prætermissum remaneat, quod annecti conveniat.

XXVII. *De iis, qui indiscussos potestate tyrannicâ damnant: & quod Episcopi, vel Presbyteri non debeant ab aliis judicari, nisi & à quibus ordinari.*

Sunt nonnulli, qui indiscussos potestate tyrannicâ non canonicâ auctoritate damnant; & sicut nonnullos gratia favoris sublimant, itâ quosdam, odio invidiáque permoti humiliant, & levi opinionis aurâ condemnant, quorum crimina non adprobant. Ideóque communi decreto censemus, ut quandocunque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus ejúsdem Provinciæ Episcopis causa ejus audiatur, ut non occultè judicetur vel condemnetur: qui ab aliis priùs judicari non potest, nisi ab iis, à quibus ordinari potuit. Quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.

XXVIII. *Ubi judicari debeant, qui adversùs Episcopum, vel Metropolitanum causam habent.*

Si Clericus, vel Laicus, habuerit causam adversùs Episcopum proprium, vel adversùs alterum, aut Episcopus adversùs quemquam, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quòd si adversùs ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem Diœceseos, ut apud ipsum judicetur, aut apud Sedem Apostolicam.

XXIX. *Ut Episcopus accusatus, ab omnibus Comprovincialibus audiatur.*

Si quis Episcopus super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur, vel judicetur, qui sunt in Provincia, Episcopis.

XXX. *De Episcopo, qui alterius Parochiarum ordinat, vel judicat.*

Si quis Episcopus judicaverit, vel ordinaverit alterius Parochianum sinè consilio & voluntate Episcopi sui, oportet eum non sinè increpatione in communi Concilio admitti, itá ut Ecclesiasticum ultra non solvat Canonem.

XXXI. *Ut eorum in accusatione, vel testimonio vox obstruatur, qui Divinis vocibus mortui sunt.*

Placuit, eorum accusandi Sacerdotes, & testificandi in eos, vocem obstruere, quos non humanis, sed Divinis vocibus mortuos esse scimus: quia vocem funestam potiùs intercidi, quam audiri oportet.

XXXII. *De non neganda appellatione accusato.*

Placuit, ut accusato, si Judicem suspectum habuerit, liceat appellare; quia non oportet negare audientiam roganti.

XXXIII. *Quòd reis, qui de se confessi sunt, *super alios non sit credendum.*

Non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi se priùs probaverint innocentes: quia periculosa est, & admitti non debet rei adversùs quemcunque confessio.

XXXIV. *Ut qui Judices suspectos habuerint, vocem appellationis exhibeant.*

Si quis Judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat: ut cùm ei concessum fuerit, integro negotio apud alium Judicem amotis dilationibus possit audiri.

XXXV.

XXXV. *Quòd omnibus, qui lite pulsati sunt, non alibi, quàm in proprio foro jurgandum sit.*

Clericus, sive Laicus, si crimine; aut lite pulsatus fuerit, non aliubi, quàm in foro suo provocatus audiatur.

XXXVI. *Ut appellantes nulla arceantur detentione.*

Appellantem non debet afflictio ulla, aut carceris, aut detentionis injuriae custodia; si liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare.

XXXVII. *Quòd etiam in causis criminalibus appellare liceat.*

Liceat etiam in causis criminalibus appellare: nec appellandi vox denegetur ei, quem in supplicium sententia destinarit.

XXXVIII. *In causis capitalibus absens accusare non potest, nec accusatus per alium defendi.*

In criminalibus causis, nec accusator, nisi per se, aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defensare permittitur.

XXXIX. *De Constitutionibus contra Canones & Decreta, vel contra bonos mores conditis.*

Constitutiones, contra Canones & Decreta Præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti.

XL. *Ut non constringat Clericum sententia non à suo Judice dicta.*

In Clericorum causa hujusmodi forma servetur, ut ne quemquam eorum sententia non à suo Judice dicta constringat.

XLI. *De his, qui falsa aliis inrogant.*

Omnis, qui falsa aliis intulerit, puniatur, & pro falsitate ferat infamiam.

XLII. *De provinciali Synodo retractanda per Vicarios urbis Romæ Episcopi.*

Ut provincialis Synodus retractetur per Vicarios Romani Pontificis, si ipse decreverit.

XLIII. *De iis, qui majores natu accusant.*

De iis, qui in accusationem majoris natu veniunt: & ut Episcopum nulli criminoso liceat accusare.

XLIV. *Quòd in causâ capitali, vel in causâ status, non per Advocatos, sed per ipsos agendum sit.*

Si quando in causa capitali, vel in causa status, interpellatum fuerit, non per Procuratores, sed per ipsos est agendum.

XLV. *Ut liceat majores Judices appellare, quoties necessitas ingruerit.*

Placuit, ut à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi major est auctoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur.

XLVI. *Ut Metropolitani Episcoporum causas, nisi præsentes omnes fuerint Episcopi Comprovinciales, audire non præsumant.*

Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam pertinet propriam solummodo Parochiam, sinè consilio & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradûs sui periculo subjacebit, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum: sed quicquid de Provincialium Coepiscoporum causis, suarúmque Ecclesiarum & Clericorum, atque Sæcularium necessitatibus, agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu Comprovincialium agatur Pontificum; non aliquo Dominationis fastu, sed humillima & concordi omnium administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Et alibi: *Qui major est vestrûm, erit Minister vester*, & reliqua. Similiter & ipsi Comprovinciales Episcopi cum ejus consilio, nisi quantum ad proprias pertinet Parochias, agant, juxta Sanctorum constituta Patrum: ut uno animo, uno ore concorditer Sancta glorificetur TRINITAS in Sæcula.

XLVII. *Quæ in laicis arguuntur, à Clericis respuantur.*

Quod in laicis reprehenditur id multò magìs debet in Clericis prædamnari.

XLVIII. *De Contemptoribus Canonum, laicis, vel Clericis.*

Ut laici contemptores Canonum excommunicentur; Clerici verò honore priventur.

XLIX.

XLIX. *Delatores qui sint, & quâ pœnâ multandi.*

Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Delatores autem sunt, qui invidiâ produnt alios.

L. *De iis, qui in alterius famam, Scripturam aut verba contumeliosa confinxerint.*

Qui in alterius famam in publico Scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur: & qui ea priùs invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.

LI. *De eo, qui iratus crimen objecit, & postea retractat.*

Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temerè objecerit, convitium non est pro accusatione habendum: sed permisso tractandi studio, id quod iratus dixit, per Scripturam se probaturum esse fateatur: aut si fortè resipiscens post iracundiam, quæ dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis habeatur.

LII. *Qui crimen objicit, probare debet: & ut causa ibi agatur, ubi crimen admissum est.*

Qui crimen objicit, scribat se probaturum revera: & ibi causa agatur, ubi crimen admittitur: ut qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.

LIII. *Ne judices causam absentis personæ sua sententia præsumant.*

Caveant judices Ecclesiæ, ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant: quia irrita erit, immò causam in Synodo pro facto dabunt.

LIV. *De eo, qui frequenter litigat, ut non suscipiatur absque examine.*

Ejus, qui frequenter litigat, & ad accusandum est facilis, accusationem nemo absque grandi examine recipiat.

LV. *Quòd Episcopi inter se corrigere, si quid ortum fuerit, debent.*

De accusationibus Episcoporum Constantinus Imperator inter cætera, sic ait: vestræ, inquit, accusationes tempus habebunt proprium, id est, diem magni judicii: judicem verò illum, qui tunc futurus est omnibus judicare. Mihi ergo homini constituto de hujusmodi rebus non licet habere auditorium, Sacerdotum scilicet, accusantium simul, & accusatorum. Quos minimè convenit tales debere monstrari, qui judicentur ab aliis, cùm ab ipso Domino magis sint ipsi judicandi: de quibus ait Propheta: *Deus stetit in Synagoga Deorum:* (a) *in medio autem Deos discernit.* Neque possunt humano condemnari examine, quos Deus suo reservavit judicio. Et reliqua talia, & his similia.

LVI. *Summus Præsul à nemine judicatur.*

Neque Præsul summus à quoquam judicabitur: quia dicente Domino, *Non est discipulus super Magistrum.* (b)

LVII. *Ut Judex non antè reum condemnet, quàm ipse confiteatur, aut per testes revincatur.*

Judex criminosum discutiens, non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur.

LVIII. *Injusta Episcoporum damnatio à Synodo retractanda.*

Irritam esse injustam Episcoporum damnationem: idcirco à Synodo retractandam.

LIX. *Quòd Ecclesiam suam relinquere nullus debeat.*

Ut ne quis, dum in ea durare poterit, qualibet necessitate suam relinquat Ecclesiam.

LX. *Ante judicem, non suum, pulsatus taceat, si velit: & ut appellanti induciæ dentur.*

Pulsatus ante suum judicem causam dicat; & non ante suum judicem pulsatus, si voluerit taceat: & ut pulsatis, quoties appellaverint, induciæ dentur.

LXI. *De eo, qui contra suam subscriptionem venit.*

Si quis contra suam professionem, vel conscriptionem venerit, si Clericus fuerit, deponatur, si laicus anathematizetur.

LXII. *Falsum crimen adversus Episcopum, Presbyterum, Diaconem objicienti, nec in fine danda communio.*

Si quis Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconem falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit; nec in fine dandam ei esse communionem.

LXIII.

(a) Psalmo LXXXI, 1. (b) Lucæ VI, 40.

LXIII. *De libellis famosis.*

Si qui inventi fuerint libros famosos legere, vel cantare, excommunicentur.

LXIV. *Ut diebus Dominicis causæ ab Episcopo non audiantur.*

Ut nullus Episcopus, vel infra positus, die Dominico causas judicare præsumat.

LXV. *De potente, si quem expoliaverit, ut ab Episcopo excommunicetur.*

Ut si quis potentûm quemlibet exspoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur.

LXVI. *Ut nullus Clericus à suo recedat Episcopo.*

Ut nullus Clericus ab Episcopo suo recedat, & ad alium se transferat.

LXVII. *Ut criminibus implicati ad accusationem aut testimonium non admittantur.*

Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magósque cucurrerint, nullatenus ad accusationem vel testimonium erunt admittendi.

LXVIII. *Criminosi accusatio periculosa est, & admitti non debet.*

Qui crimen intendit, agnoscendum est, si ipse antè non fuit criminosus: quia periculosa est, & admitti non debet rei adversus quemcumque professio.

LXIX. *Miserorum ruinis qui succurrit, Dei à se removet vindictam.*

Occurrere quisque fidelium ruinis miserorum debet subsidio quo valet, & ex relevatione alienæ vindictæ à se Dei removere vindictam. Libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa.

LXX. *De periculo judicantium, & providentia eorum.*

Majus periculum est judicantis, quàm ejus qui judicatur. Unde unicuique providendum est, ne aliquem injustè judicet, aut puniat.

LXXI. *De accusatione adversùs Doctorem submovenda.*

Accusationes adversùs Doctorem nemo suscipiat: quia non potest humano condemnari examine, quem Deus suo Judicio reservavit.

LXXII. *De Presbyteris, Diaconibus & reliquis Clericis, ex decreto Sylvestri, & LXXXIV. Episcoporum.*

Presbyter non adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, aut Subdiaconus adversus Diaconum, non acolytus adversus Subdiaconum, non exorcista adversus acolytum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur Præsul, nisi in LXXII. testibus. Neque Præsul summus à quoquam judicabitur: quoniam scriptum est: *Non est discipulus super Magistrum.* Presbyter autem in cardine constitutus, non nisi in XLIV. testibus damnabitur. Diaconus Cardinarius constitutus urbis Romæ, nisi in XXVI. non condemnabitur. Subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, nisi sicut scriptum est in VII. testibus, non condemnabitur. Testes autem sinè aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes.

LXXIII. *Laici Testimonium adversus Clericum suscipi non debet.*

Testimonium Laici adversus Clericum nemo suscipiat.

LXXIV. *Clericus in publico examinandus non est, sed in Ecclesiâ.*

Nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia, & reliqua.

LXXV. *De Episcopis damnare volentibus eum, à quo sunt consecrati.*

Episcopi Pontifici, à quo consecrati probantur, præjudicium inferre nullum possunt. Quòd si præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica ullo modo statuta censeri.

LXXVI. *Ut nullus contra Religionem faciat.*

Non licet Imperatori, vel cuipiam pietatem custodienti, aliquid contra mandata Divina præsumere.

LXXVII. *De Apostolicis & Canonicis decretis minimè violandis.*

Providendum est, ne in aliquo Aposto-

Apoſtolica, aut Canonica decreta violentur.

LXXVIII. *De injuſto Judicio, Principis metu vel juſſu terminato, caſſando.*

Injuſtum Judicium, & definitio injuſta, regio metu vel juſſu à Judicibus ordinata, non valeat.

LXXIX. *Quod hi, qui contra Patres armantur, Deo exiſtant odioſi.*

Sic odit Deus eos, qui adverſus Patres armantur, ut Patrum invaſores, qui in omni mundo infamia notantur.

XXC. *Ut nullus regum hujus Canonis cenſuram in aliquo violare præſumat.*

Item generali decreto conſtituimus, ut execrandum anathema, & velut prævaricator Catholicæ fidei, apud Deum reus exiſtat, quicumque Regum, vel potentûm, deinceps Canonum cenſuram in quocunque crediderit, vel permiſerit violandam.

BINIUS, SIRMONDUS.

SYNODUS WORMATIÆ.

Anno Chriſti DCCLXXXVI. Hadriani Papæ XIV. Caroli Magni XVIII.

Actio una. Exercitum Rex Carolus miſit contra Rebelles in Britanniam, 2dò in Orientalem Franciam.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVI. Carolus miſit exercitum ſuum partibus Britanniæ unà cum miſſo ſuo Odulfo Principe Cacorum (*a*), ubi multa Caſtella acquiſierunt Franci, & eorum Primates repræſentaverunt Wormatiam Regi in publico conventu.

Regino L. II. Chron. Autor vitæ Caroli Magni. Ex his, Harduinus Tom. III. Concil.

Fragmentum Annalium ex veteri cod. MS. Alexand. Petavii apud And. du Cheſne Tom. II. Script. Franc.: Hanc alteram actionem Conventûs Wormatienſis refert.

Anno DCCLXXXVI. Rebellari conati ſunt quidam Comites, nonnulli etiam nobilium in partibus Auſtriæ, (*b*) & conjurantes invicem, quos poterant coegerunt, ut contra Carolum Regem inſurgerent: quod factum multos exterruit, cúmque proſpicerent, quod opus nefandum implere non poſſent, neque opportunum tempus adeſſet, ſubito exterriti, latebras undique quæſiere. Quo comperto Carolus Rex ſolitâ clementiâ omnia conſilio regens juſſit eos ad ſe venire.

Procedente autem tempore *in menſe Auguſto* apud Wormatiam Synodum Epiſcoporum, ac Conventum magnificum coire fecit. Ubi decernens, quod hi, qui potiſſimè in hac conjuratione devicti ſunt, honore ſimul ac luminibus privarentur, atque exitio damnarentur: eos verò, qui innoxii in hâc conjuratione ſeducti ſunt, clementer abſolvit.

Iisdem ferè verbis hoc deductum Concilium in *veteri Chron. Cœnobii Moiſſiacenſis:* excepto, quod menſe Aprili, non verò Auguſto factum aſſerat. *Procedente tempore menſe Aprili in Wormatia Synodum Epiſcoporum, ac Conventum magnificum coire fecit.*

Huic Wormatienſi Conventui Lullum Archi-Epiſcopum Moguntinum, Albuinum ſeu Wittam Epiſcopum Buraburgenſem, aliàs Frideslarienſem, Bernwelfum Wurceburgenſem interfuiſſe non dubitat *Eckhartus Tom. I. pag. 714. 715. Hiſtoria Franciæ.*

(*a*) Lego Cocorum ſeu Seneſcalco, Præfecto menſæ Regiæ & coquinæ Andulfo.

(*b*) Orientalis Franciæ Hartradus Princeps conjurationis contra Carolum Regem. *Annales Renberiani. Eginhartus. Sigebertus apud Eckhartum Tomo I. pag. 712.*

CON-



CONVENTUS WORMATIENSIS.

Anno Christi DCCLXXXVII. Hadriani Papæ XV. Caroli Magni XIX.

CAROLUS in civitate Wormatia positus servum Dei WILLEHADUM consecrari fecit Episcopum tertio Idus Julii, constituítque eum Pastorem atque Rectorem super Wigmodiam, & Laras, & Riustri, & Asterga, nec non Nordendi, & Wanga, ut inibi auctoritate Episcopali & præesset populis, & uti cœperat, doctrinâ salutari, operibúsque eximiis speculator desuper intentus prodesse studeret.... Septem annis priùs in eadem Presbyter est demoratus Parochia, (*a*) vocatus tamen Episcopus, & secundùm quod poterat, cuncta potestate præsidentis ordinans.

Vita Willehadi C. VIII. apud Mabillon. Sæculi III. Benedictini parte II. p. 409. *Chronicon Moissiacense.*

Diploma Caroli Magni Spiræ Nemetum datur anno 788. Indict. XII. aliàs XI. *apud Adamum Bremensem L. I.* Historiæ Capite X. annos verò Incarnationis fortè Adamus, aut alius addidit Diplomati Carolino. *Schatenus* L. VIII. Historiæ Westphaliæ pag. 514. refert Diploma Ecclesiæ Bremensi concessum Spiræ Nemetum anno 788. quod mox subjicienius, quale invenimus.

Actio secunda hujus Conventus Wormatiæ. Legatio ad Tassilonem: Exercitûs in Bavariam missio: Tassilonis apud Lechfeld subjectio & deditio Tassilonis cum Carolo à tertio Romano itinere reverso.

CAROLUS autem à Roma veniens, Synodum apud Wormaciam congregavit, & manifestavit Sacerdotibus, & Optimatibus Regni, qualiter versutia Tassilonis coram Summo Pontifice esset deprehensa: misit itaque cum consultu fidelium ad eundem Ducem monens, ut Apostolicis adhortationibus obediret, qui cùm nollet, Rex exercitum partibus Bavariæ movit, & venit in locum, qui dicitur Lechfeld super Augustam civitatem cum valida manu. Tunc videns Tassilo se ex omni parte circumdatum, venit ad Carolum, tradens se manibus ejus ad servitium, & reddidit Ducatum sibi commissum à Pippino, & se in omnibus peccâsse, & malè egisse confessus est, & denuò renovans Sacramenta dedit XII. obsides, & filium suum I. Theodonem decimum tertium obsidem.

Chronicon Reicherspergense ad h. annum. Regino in Chronico. Annales Reuberiani.

(*a*) Hinc patet Wihonem, Guntherum, Ludgerum, aliósque Sæculo hoc octavo nondum consecratos, vocatos fuisse Episcopos, quia munia Episcopalia prædicando, baptizando, & Presbyteros in variis locis instituendo obierunt, ceterè Willehadus ab anno 780. Episcopus vocatur, licet non nisi hoc anno 787. consecratus fuerit Wormatiæ. *Nota Eckharti p.* 721. *loc. citato.*

CAROLI MAGNI DIPLOMA,

DE BREMENSI ECCLESIA,

Cum præsentium Episcoporum CONSILIO commissa Willehado, ejúsque Consecratione; de hujus Ecclesiæ dote, limitibus, à Carolo præstitutis.

IN nomine Domini, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, Carolus Divinâ ordinante providentiâ Rex. Si Domino Deo exercituum succurrente in bel-

lis victoriâ potiti sumus, in illo, & non in nobis gloriamur, & in hoc sæculo pacem, & prosperitatem, & in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter noverint omnes Christi fideles, quod Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciam perfidiæ semper indomabiles, ipsique Deo, & nobis tamdiu rebelles, quousque illius, non nostrâ virtute ipsos, & bellis vicimus, & ad Baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristinæ libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios, & subjugales devotè addiximus, videlicet, ut qui nostræ potestatis jugum hactenus ferre detractaverunt, victi jam (Deo gratias) & armis, & fide Domino, & Salvatori nostro Jesu Christo, & Sacerdotibus ejus, omnium suorum jumentorum, & fructuum, totiusque culturæ decimas, ac nutrituræ, divites, & pauperes legaliter constricti persolvant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in Provinciam redigentes, & inter Episcopos certo limite disterminantes, Septentrionatem illius dartem, quæ est piscium ubertate ditissima, & pecoribus alendis habetur aptissima, pio Christo, & Apostolorum suorum Principi Petro pro gratiarum actione devotè obtulimus: ibique in Wigmodia in loco *Bremon* vocato, super flumen Wirraham Ecclesiam, & Episcopalem statuimus cathedram. Huic Parochiæ decem Pagos subjecimus, quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis, & divisionibus, in duas redegimus Provincias, his appellantes nominibus, Wigmodiam, & Lorgoë. Insuper ad præfatæ constructionem Ecclesiæ in supra dictis Pagis LXX. mansos cum suis Colonis offerentes totius hujus Parochiæ incolas decimas suas Ecclesiæ, suóque Provisori fideliter persolvere, hoc nostræ Majestatis præcepto, jubemus, donamus, & confirmamus. Adhuc etiam summi Pontificis, & universalis Papæ Adriani præcepto, nec non & Moguntiacensis Episcopi Lullonis (*a*) omniúmq;, qui affuere Pontificum *CONSILIO*, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis Willehado probabilis vitæ viro, coram Deo, & Sanctis ejus commisimus. Quem etiam primum ejusdem Ecclesiæ III. Idus julii consecrari fecimus Episcopum, ut populis Divini semina verbi secundùm datam sibi sapientiam fideliter dispensando, & novellam hanc Ecclesiam Canonico ordine, & monasteriali competentia utiliter instruendo, interim plantet, & riget, quoúsque precibus Sanctorum suorum exoratus, incrementum det Omnipotens Deus. Innotuit etiam idem venerabilis vir serenitati nostræ, eam, quam diximus, Parochiam propter barbarorum infestantium pericula, seu varios eventus, qui in ea contingere solent, ad sustentacula, sive stipendia Dei servorum inibi militantium Deo, minimè sufficere posse. Quamobrem quia Deus omnipotens in gente Fresonum, sicut & Saxonum, ostium fidei apperuit, partem prænominatæ Regionis, videlicet Fresiæ, quæ contigua huic Parochiæ esse dignoscitur, eidem *Bremensi* Ecclesiæ, suóque provisori Willehado Episcopo, ejúsque successoribus, perpetualiter delegavimus retinendam. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, ne quis, quod non optamus, aliquam sibi in eadem Diœcesi usurpet potestatem, certo eam limite fecimus terminari, eique hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluvium, Liam, Steinbach, Hasalam, Wimarcham, Schneidbach, Ostam, Mulinbach, Motam paludem, quæ dicitur Sigefridesmor, Quistinam, Chesenmar, Aschbroch, Wisebroch, Bivernam, Uternam, iterúmque Ostam, ab Hosta usque quo perveniatur ad paludem, quæ dicitur Caldenbach. Deinde ipsam paludem usque in Wempnam fluvium. A Wempnâ verò Bicinam, Farstrinam, usque in Wirraham fluvium. De hinc ab Orientali parte ejusdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Hessweg, Sturmegœ, & Lorgœ disterminantem Sechbasam, Alapam, Caldowa, iterúmque Wirrham: ex Occidentali autem parte viam publicam, quæ dicitur Foloweg, Derve, & Lorgoe dividentem, usque in Huntam flumen. Deinde ipsum flumen, & Amrivum lucum Sylvestrem, quem incolæ loci Wildloch nominant, Finolam, Waldesmoer, Berepol, Eddenri ad paludem, Emisgœ, & Ostergœ disterminantem, Brustlacho, Biberlach, ite-

(*a*) Insinuatur Concilium Wormatiense III. Idus Julii anni 787.

iterúmque mare, firmos, & intransgressibiles circumscribi jussimus. Et ut hujus donationis, ac circumscriptionis auctoritas nostris, futurísque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

(✝) SIGNUM DOMINI CAROLI REGIS INVICTISSIMI.

Hildebaldus Archi-Episcopus Coloniensis, & sacri Palatii Capellanus recognovi. Data II. Idus Julii, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. Anno autem Regni Domini Caroli XXI. Actum in Palatio Nemetensi feliciter. Amen.

Adamus Bremensis *Historia Ecclesiastica Cap. X.* testatur se hoc præceptum Carolinum ex Ecclesia Bremensi hausisse & descripsisse: editum à Lindenbruchio anno 1595. Mabillon. recudit *in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Sæculi III. Parte II. pag.* 403. In subscriptione legit annum 789. pro 788. sic congruit Indict. XII. & annus 21. Carolini Regni. ADDIT, annum Incarnationis fortè ab Adamo, alióve Librario adjectum fuisse huic Diplomati.

Schatenus L. VIII. Historia Westphalia authentiam Diplomatis tuetur non spernendis argumentis.

2*dò.* Etsi hoc Diploma anno 789. datum fuerit, refert se tamen ad Synodum Wormatiensem antecedentem anno 787. celebratam, cujus mentionem disertam facit.

CONSTITUTIO DE SCHOLIS (*a*) PER SINGULA EPISCOPIA ET MONASTERIA INSTITUENDIS.

ADMONITIO.

Laborâsse Carolum Magnum, ut instaurentur in Galliis studia litterarum, & Scholæ publicæ instituerentur, testantur, ut de aliis nihil dicam, Concilium Cabilonense II. Cap. 3. *& Parisiense sub Ludovico pio Libro III. Cap.* 12. *Qui ejus vitam scripsit*, Monachus Engolismensis, *Autor est, in eam maximè curam incubuisse post tertium iter Romanum, cùm ab urbe grammaticos adduxisset, anno* septingentesimo octogesimo septimo. *Nec dubium, quin multæ Caroli hac de re fuerint Leges atque Capitula. Epistola hæc de numero est illarum, quæ generales dicebantur, quod uno exemplo, paucis mutatis, ad diversos mitterentur Metropolitanos, Episcopos, Abbates, & alios, ut res postulabat. Sed in hac nostra, quæ ad* Baugulfum (b) *Fuldæ Abbatem missa est, scriniarii oscitantia obrepsit, ut nonnulla sub finem hæserint, quæ mutari oportebat, ut, quæ Metropolitano conveniant, non Abbati. Sic enim habet in codice Sancti Arnulfi Metensis, ex quo deprompta est.*

Hæc Admonitio est Jacobi Sirmondi Soc. JEsu.

CAROLUS gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, BAUGULFO Abbati, & omni Congregationi, tibi etiam fidelibus commissis oratoribus nostris, in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem. Notum igitur sit Deo placitæ devotioni vestræ, quia nos unà cum Fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut Episcopia (*c*) & Monasteria nobis Christo propitio ad gubernandum commissa, præter regularis vitæ ordinem, atque Sanctæ Religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus, eis, qui donante Domino discere possunt, secundùm uniuscujusque expa-

(*a*) Scholæ trium generûm erant Sæculo VIII. Palatinæ in Regis Palatio sub Archi-Capellano. Episcopales apud Ecclesiam Cathedralem sub Episcopis. Monachales sub Abbatibus. In Monasteriis Scholæ internæ & externæ.

(*b*) Baugulfus, secundus Fuldensis Abbas à morte Sturmii electus anno 780. renuntiat anno 802. *Ex Schannati Historia Fuldensis Parte III.*

(*c*) Igitur similis formæ Encyclica Epistola ad omnes Episcopos intra Regnum Carolinum habitantes scripta fuit, uti ad Abbatem Fuldensem, & reliquos Abbates Præsides studiorum Monasticorum.

capacitatem, docendi studium, debeant impendere; qualiter sicut regularis norma honestatem morum, ità quoque docendi & discendi instantia ordinet, & ornet seriem verborum; ut, qui Deo placere appetunt rectè vivendo, ei etiam placere non negligant rectè loquendo. Scriptum est enim: *Aut ex verbis tuis* (d) *justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis.* Quamvis enim melius sit benè facere, quàm nôsse; prius tamen est nôsse, quàm facere. Debet ergo quisque discere, quod optat implere; ut tanto uberius quid agere debeat, intelligat anima, quanto in omnipotentis Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua. Nam cum omnibus hominibus vitanda sint mendacia, quantò magis illi secundùm possibilitatem declinare debent, qui ad hoc solummodo probantur electi, ut servire specialiter debeant veritati: nam cùm nobis in his annis à nonnullis Monasteriis sæpiùs scripta dirigerentur, in quibus, quod pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris & piis orationibus decertarent, significaretur, cognovimus in plerísque præfatis conscriptionibus eorundem & sensus rectos, & sermones *incultos*: quia quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exteriùs, propter negligentiam discendi, lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne fortè, sicut minor erat in scribendo prudentia, ità quoque & multo minor esset, quàm rectè esse debuisset, in Sanctarum Scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene novimus omnes, quia quamvis periculosi sint errores verborum, multò periculosiores sunt errores sensuum. Quamobrem hortamur vos, litterarum studia non solùm non negligere, verùm etiam humilimâ & Deo placitâ intentione ad hoc certatim discere, ut facilius & rectiùs Divinarum Scripturarum Mysteria valeatis penetrare. Cùm autem in sacris paginis schemata, tropi, & cætera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est, quod ea unusquisque legens tanto citius spiritualiter intelligat, quanto prius in litterarum magisterio pleniùs instructus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & possibilitatem discendi, & desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantùm eâ intentione agatur, quâ devotione à nobis præcipitur. Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiæ milites, & interius devotos, & exterius doctos, castósque bene vivendo, & scholasticos bene loquendo, ut quicunque vos propter nomen Domini & Sanctæ conversationis nobilitatem ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro ædificatur visus; ità quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit instructus, omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. Hujus itaque Epistolæ Exemplaria ad omnes Suffragaueos, tuosque Coëpiscopos, & per universa Monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis. Nullus Monachus foris Monasterio judiciaria teneat, nec per mallos, & publica placita pergat. Legens valeat.

Baluzius Tomo I. Capitularium pag. 201.

(d) Matthæi XII, 37.



SYNODUS IN INGELHEIM,

DIOECESIS MOGUNTINÆ.

Anno Christi DCCLXXXVIII. Hadriani Papæ XVI. Caroli Magni XX.

ACTIO. Finalis Sententia Caroli in Tassilonem Monasterio includendum.

IN Suburbano Moguntino, in Villa, quæ vocatur Ingelheim, quia ibi hyemaverat, & Natalem Domini & Pascha celebravit, cùm in eadem villa generalem populi sui Rex decrevisset fieri Conventum, ac Tassilonem Ducem, sicut & cæ-

cæteros vassos suos in eodem adesse jussisset, atque ille, ut ei fuerat imperatum, ad Regis præsentiam pervenisset, crimine læsæ Majestatis à Bajoariis accusatus est. Objiciebant ei, quod, postquam filium suum obsidem Regi dederat (*anno superiore*) suadente conjuge sua Luiburgâ, quæ filia Desiderii Regis Longobardorum fuit, & post Patris exilium (*a*) Francis inimicissima semper extitit, in adversitatem Regis, & ut bellum contra Francos susciperent, Hunnorum gentem concitaret. Quod verum fuisse rerum in eodem anno gestarum probavit eventus. Objiciebantur ei & alia complura, & dicta, & facta, quæ nonnisi ab inimico & irato, vel fieri, vel proferri poterant, quorum ne unum quidem inficiari cœpit. Sed noxæ convictus uno omnium assensu, læsæ Majestatis reus capitali sententiâ damnatus est. Sed clementia Regis, licet morti addictum, liberare curavit detrusione in Monasterium. Postulavit autem Tassilo (*b*) magnis precibus, ut non ibidem in Palatio tonderetur, propter confusionem videlicet atque opprobrium, quod à Francis habere videbatur. Rex ejus precibus adquiescens, ad S. Goarem transmisit, & ibidem Clericus factus est pridie Nonas Julias, & exinde exiliatus est ad Cœnobium, quod vocatur *Gemmeticum*.

Filius ejus Theodo (& alter filius Theotbertus) ad B. Maximinum comam capitis sui deposuit, & ipsius uxor Luitburga velamen sibi imposuit, & filias ejus unam ex illis transmisit ad *Cala* Monasterio, & aliam ad *Lauduno* Monasterio.

Hæc ex Annalibus Reuberianis, Nazarianis apud Duchesne Tomo II. Scriptorum Franc. item ex Fragmento Petuviano apud eundem Duchesne in unam seriem collegimus, & digessimus.

(*a*) Desiderium Regem Longobardorum, & Ansam Conjugem anno 774. captos, & in Franciam missos fuisse certum est.

[*b*] Tassilonem apud S. Goaris tonsum, deinde Fuldensi Monasterio, demum Laureshamensi Monasterio creditum, & in hoc sepultum censet *Eckhart. Histor. Franciæ L. XXV. §. XXIV.* Filios autem ex S. Maximino Gemeticum forte cum Patre translatos fuisse, idem autumat.

Mabillonii Nota. Tassilo Nepos Caroli Martelli, & consobrinus Caroli Magni, tam religiosè vixit in Monasterio, quàm libens intravit, teste *Eginharto*: Signum veræ pœnitentiæ hujus viri fuit humilis deprecatio culpæ, facta in Concilio Francofurtensi anno 794, ut ex ejus actis Cap. III. constat: Hinc licet non inter Sanctos, attamen pios, & religioso fine vitæ coronatos, refertur: & Gemmetici verò similiter defunctus est vitâ. *Seculo III. Actorum Ord. S. Benedicti Parte II. pag.* 443.

Simili felici exitu in Monasterio Corbejæ Franciæ Desiderium Longobardorum Regem, Socerum Tassilonis, anno 774. captâ papiâ Carolo deditum, vitam absolvisse adnotat *Mabillon. Loco citato ex Hepidanno San-Gallensi Scriptore.*

CAROLI MAGNI
REGIS
CAPITULARE
AQUISGRANENSE, SIVE EDICTUM LEGATIONIS, QUOD IN AQUISGRANI PALATIO DATUM EST DIE X. KALENDAS APRILES, ANNO CHRISTI DCCXXCIX. INDICTIONE XII. ANNO HADRIANI PAPÆ XVIII. CAROLI EJUSDEM REGIS XXI.

Nunc primùm (a) in Lucem editum ex MS. Codice Aquitanico.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De his, qui ab Episcopo proprio excommunicantur.*

2. *De*

(*a*) Primus edidit hoc Capitulare Vitus Amerpachius anno 1545. Ingolstadii in 8vo. Recudit in

2. *De his, qui ad ordinandum veniunt.*
3. *De Clericis fugitivis & peregrinis.*
4. *De Presbyteris, Diaconis, vel his, qui in Clero sunt.*
5. *De usuris.*
6. *De Presbyteris missas cantantibus, & & non communicantibus.*
7. *De his, qui à Synodo, vel à suo Episcopo damnati sunt.*
8. *De suffraganeis Episcopi.*
9. *De Chorepiscopis.*
10 *De Episcopis, vel quibuslibet ex Clero.*
11. *De ordinationibus, vel quibuslibet negotiis.*
12. *De cura Episcoporum.*
13. *De Provincialibus Episcopis.*
14. *De Monachis & Clericis.*
15. *De die Dominica, qualiter servanda est.*
16. *De ignotis Angelorum nominibus.*
17. *De mulieribus, ne ad altare accedant.*
18. *De maleficis vel incantatoribus.*
19. *De Episcopis, ubi non oporteat eos constitui.*
20. *De libris Canonicis.*
21. *De Episcopis ordinandis, vel quibuslibet ex Clero.*
22. *De Monachis, & Clericis, & Presbyteris.*
23. *De servis alterius non sollicitandis.*
24. *De stabilitate Episcoporum vel Clericorum.*
25. *De Presbyteris non absolutè ordinandis.*
26. *De proposito Monachorum & Clericorum.*
27. *De Monachis, qui ad Clericatum provehuntur.*
28. *De negotio Clericorum inter se.*
29. *De conspiratione Clericorum vel Monachorum.*
30. *De accusatione Laicorum contra Episcopos.*
31. *De Monasteriis Deo dicatis.*
32. *De fide Sanctæ Trinitatis prædicanda.*
33. *De avaritia.*
34. *De his, qui se convertunt ad Deum.*
35. *De his, qui non sunt bonæ conversationis.*
36. *De his, qui excommunicato communicaverint.*
37. *De subjectione Presbyterorum.*
38. *De Clericis Ecclesiastici ordinis.*
39. *Ut Clerici non sint Usurarii.*
40. *De Virginibus Deo dicatis.*
41. *De Principali Cathedra Episcoporum.*
42. *De falsis nominibus Sanctorum.*
43. *De uxore à viro dimissa.*
44. *De judicibus à Metropolitano probatis.*
45. *De accusatione vilium personarum.*
46. *De virginibus velandis.*
47. *De oblatis pauperum.*
48. *De Jejuniis à Sacerdotibus constitutis.*
49. *De his, qui contra naturam peccant.*
50. *De Presbyteris, quo tempore ordinentur.*
51. *De sponsa alterius.*
52. *De Monachis & Virginibus propositum non servantibus.*
53. *De pace danda.*
54. *De nominibus recitandis.*
55. *De Canonum institutis à Presbyteris non ignorandis.*
56. *De Clericis alterius Episcopi.*
57. *De servis alterius.*
58. *De Sacerdotibus contra decretalia agentibus.*
59. *De Viduis, ne velentur.*

ITEM ALIA CAPITULA.

60. *De fide Catholica, & primo præcepto legis.*
61. *De pace & concordia servanda.*
62. *De judicibus.*
63. *De perjuriis.*
64. *De Auguriis, vel aliis maleficiis.*
65. *De odio, vel invidia.*
66. *De avaritia vel concupiscentia.*
67. *De homicidiis.*
68. *De furtis, & injustis connubiis, & falsis testimoniis.*
69. *De honore parentum.*

70. *De*

4to Joannes Busæus Soc. JEsu Moguntiæ anno 1602. in 4to. Recudit tertiò Melchior Goldastus Haiminsfeldius, Francofurti in Folio anno 1613. *in Collectione Consuetudinum & Legum Imperialium pag.* 104. Eadem Capitula Ansegisus Lib. I. suæ collectionis ab initio ad N. 82. inseruit: quos Ansegisi Libros IV. edidit Francofurti Petrus Lindenbrogius 1613. præter Ansegisi Abbatis Libros, Baluzius edidit hoc Capitulare anni 1689. unà cum fontibus Canonicis, ex quibus singula Capita desumpta sunt: secutus *SIRMONDUM*, qui anno 1629. primùm è codice MS. Aquitanico hoc Capitulare unà cum fontibus, ex quibus singula Capitula desumpta fuere. *Tomo II. Conciliorum Galliæ pag.* 129. *& seqq. vulgavit.* Idem extat in Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ indicante Cl. Schannato.

PRÆFATIO.

REgnante Domino nostro JESU CHRISTO in perpetuum. Ego Karolus gratiâ Dei, ejúsque misericordiâ donante, Rex & Rector Regni Francorum, & devotus Sanctæ Dei Ecclesiæ Defensor, humilisque Adjutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu sæcularis potentiæ dignitatibus, in Christo Domino, Deo æterno, perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans pacifico piæ mentis intuitu, unà cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris, abundantem in nos, nostrúmque populum Christi Regis clementiam, & quàm necessarium est, non solùm toto corde & ore ejus pietati agere gratias incessanter; sed etiam continua bonorum operum exercitatione ejus insistere laudibus: quatenus, qui nostro Regno tantos contulit honores, suâ protectione nos, nostrúmque Regnum in æternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis, vestram rogare solertiam, ô Pastores Ecclesiarum Christi, & Ductores gregis ejus, & clarissima mundi luminaria, ut vigili curâ, & sedulâ admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oves bonorum operum exemplo, seu adhortatione, humeris intra Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis; ne lupus insidians aliquem, Canonicas Sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium Conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideò magnæ devotionis studio admonendi & adhortandi sunt, immò compellendi, ut firmâ fide, & infatigabili perseverantiâ, intra paternas Sanctiones se contineant. In quo operis studio sciat certissimè Sanctitas vestra, nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis auctoritate unà vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua capitula ex Canonicis Institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptiosam judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coartare studuimus: sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo Sanctus Josias regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me ejus Sanctitati æquiparabilem faciam, sed quòd nobis sint ubique Sanctorum semper exempla sequenda, & quoscumque poterimus, ad studium bonæ vitæ, in laudem, & in gloriam Domini nostri JESU CHRISTI, congregare necesse est. Quapropter, ut prædiximus, aliqua Capitula notare jussimus, ut simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcumque vobis alia necessaria esse scitis: ut & ista, & illa æquali intentione prædicetis; nec aliquid, quod vestræ Sanctitati, populóque Dei utile videtur, omittatis, ut pio studio nos admoneatis: quatenus, ut & vestra solertia, & subjectorum obedientia æternâ felicitate ab Omnipotente Deo remuneretur,

I. De his, qui ab Episcopo proprio excommunicantur. OMNIBUS.

SUnt enim aliqui, qui culpis exigentibus ab Episcopo proprio excommunicantur, & ab aliis Ecclesiasticis vel Laicis præsumptiosè in communionem accipiuntur: quod omnino sanctum Nicænum Concilium, simul & Chalche-

Chalchedonense, nec non & Antiochenum, atque Sardicense fieri prohibent.

De his, qui excommunicantur, (a) sive Clerici, sive laici, ab Episcopis per suas quasq; Parochias, servetur ista sententia, ut ii, qui ab aliis excommunicantur, ab aliis non recipiantur. Requiratur sanè, ne fortè pro aliqua indignatione animi, aut contentione, aut qualibet tali commotione stomachantis Episcopi, abjecti sint. Ut ergo hæc dignâ possint examinatione perquiri, rectum esse visum est, per singulos annos in singulis quibusque Provinciis bis in anno Episcoporum Concilia fieri: ut simul omnes in unum convenientes ex universa Provincia, ejusmodi examinent quæstiones: ut ità demum, qui ob culpas suas Episcoporum suorum offensam meritò contraxerunt, dignè etiam à cæteris excommunicati similiter habeantur; usque quo vel in commune omnibus, vel ipsi Episcopo suo fuerit visum, humaniorem circa eos tenere sententiam. Agantur autem Concilia, semel quidem ante dies Quadragesimæ; ut omnibus, si quæ sunt, simultatibus amputatis, mundum Deo solemne munus possit offerri. Secundò verò agatur circa Autumni tempus.

Non (b) autem liceat communicare excommunicatis: neque per domos ingredi, & cum eis orare, qui Ecclesiæ non participant: nec in alteram Ecclesiam recipi, qui ab aliâ segregantur. Quòd si visus fuerit quilibet Episcoporum, vel presbyterorum, aut Diaconorum, vel etiam, qui in Canone detentus, excommunicatis communicare; & hunc oportet communione privari, tanquam Ecclesiæ regulas confundentem.

Si quis (c) à proprio Episcopo excommunicatus est, non eum priùs ab aliis debere suscipi, nisi à suo fuerit receptus Episcopo, aut Concilio facto occurrat & respondeat: & si Synodo satisfecerit, & statuerit, sub alia sententia recipi oportere. Quod etiam circa Laicos & presbyteros & Diaconos, & omnes, qui in Clero sunt, convenit observari.

Hosius (d) Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, ut sive presbyter, sive Diaconus, sive quis Clericorum, ab Episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterum Episcopum perrexerit, & scierit is, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abjectum, non oportet, ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt: Hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet.

II. *De his, qui ad ordinandum veniunt.* AD SACERDOTES.

Item habetur in eodem Concilio, ut eorum, qui ad ordinandum veniunt, fides & vita priùs ab Episcopo diligenter discutiatur, & sic ordinentur.

Si qui (e) sine examinatione provecti sunt presbyteri, & examinati confessi sunt peccata sua, & cùm confessi sunt, contra regulam venientes homines manus eis temerè imposuerunt, hos Ecclesiasticus ordo non recipit. In omnibus enim, quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

III. *De Clericis fugitivis & peregrinis.* OMNIBUS.

Item in eodem Concilio, nec non & in Antiocheno, simul & Chalchedonense, ut fugitivi Clerici & peregrini à nullo recipiantur, nec ordinentur sine commendatitiis literis, & sui Episcopi, vel Abbatis licentia.

Si qui (f) sine respectu agentes, & timorem Dei ante oculos non habentes, neque Ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab Ecclesiâ suâ, sive presbyteri, sive Diaconi, sive in quocunque ordine Ecclesiastico positi fuerint, hi nusquam suscipi debent in alia Ecclesiâ, sed cum omni necessitate cogantur, ut

[a] Concilium Nicænum c. 5.
(b) Concil. Antiochenum can. 2.
(c) Concil. Antioch. can. 6.
(d) Conc. Sardic. can. 16.
[e] Conc. Nicæn. can. 9.
(f) Conc. Nicæn. c. 16.

ut redeant ad Ecclesias suas: aut si permanserint, excommunicatos eos esse oportet. Si quis autem ausus fuerit, aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in suam Ecclesiam, cùm non habeat consensum Episcopi illius, à quo recessit Clericus suus, irrita sit hujusmodi ordinatio.

Si quis (g) Presbyter, vel Diaconus, vel quilibet Clericus, desertâ suâ Ecclesiâ, ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tentat, quò migravit, perpetuò permanere, ulteriùs ministrare non debet: præsertim, si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quòd si & post evocationem sui Episcopi non obaudiat, sed perseveraverit, omnibus modis ab officio deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere. Si quem verò post hanc culpam depositus alius Episcopus susceperit, & ipse à communi Synodo pœnam merebitur increpationis, tamquam Ecclesiastica Jura dissolvens.

Peregrinos (h) Clericos & Lectores in aliena civitate, sine Synodicis litteris Episcopi sui, penitùs nusquam ministrare posse.

IV. De Presbyteris, Diaconibus, vel his, qui in Clero sunt.

AD SOLOS SACERDOTES.

Item in eadem Synodo interdictum est Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus, qui in Clero sunt, mulierem non habere in domo suâ, propter suspicionem, nisi matrem, aut sororem, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt.

De (i) suspectis verò, omnimodis interdicit Sancta Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque omnino ulli Clericorum, habere secum mulierem extraneam: nisi fortè mater sit, aut soror, aut avia. In his namque personis, & harum similibus, omnis suspicio declinatur. Qui autem præter hæc agit, periclitabitur de Clero suo.

V. De Usuris. OMNIBUS.

Item in eodem Concilio, seu in decretis Papæ Leonis, nec non & in Canonibus, qui dicuntur Apostolorum, sicut & in lege ipse Dominus præcepit, omnino omnibus interdictum est, ad usuram aliquid dare.

Quoniam multi Cleri (k) avaritiæ causâ turpia lucra sectantes, oblitique Divini præcepti, quod dicit: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, fœnerantes centesimas exigunt; statuit hoc Sanctum Concilium, ut si quis inventus fuerit, post hanc definitionem usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam species frugum ad sexcuplum dare, omnis, qui tale aliquid commentus fuerit ad quæstum, abscindatur ex Clero, & alienus ab Ecclesiastico habeatur gradu.

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus usuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certè damnetur.

VI. De Presbyteris Missas cantantibus, & non communicantibus. AD SACERDOTES.

Auditum est, aliquos Presbyteros Missam celebrare & non communicare, quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur: vel quomodo dicere rectè potest, si non communicaverit: Sumpsimus Domine Sacramenta? Hæc verò per singula capita in Statutis Nicæni Concilii legere potestis, seu & in aliis Sanctorum Patrum Synodalibus institutis, vel edictis.

Si quis Episcopus, (l) aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali Catalogo, factâ oblatione non communicaverit; aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur; aut si non dixerit, communione privetur, tamquam qui populo causa læsionis extiterit, dans suspicionem de eo, qui sacrificavit, quòd rectè non obtulerit.

(g) Conc. Antioch. can. 3.
(h) Conc. Chalcedon. can. 13.
(i) Conc. Nicæn. can. 3.
(k) Conc. Nicæn. can. 17.
(l) Canon. Apostol. 9.

VII. De his, qui à Synodo, vel à suo Episcopo damnati sunt.

OMNIBUS.

In Antiocheno Concilio, quòd his, qui damnati sunt à Synodo, vel à suo Episcopo, & postea ministrare præsumunt, præcipitur, ut nullus audeat communicare: si quis verò eis communicaverit, simili sententiæ subjaceat, sicut & damnatus.

Si quis Episcopus à Synodo, (*m*) vel Presbyter, vel Diaconus à proprio Episcopo fuerit exauctoratus, & præsumpserit ministerii quippiam; non ei amplius liceat, neque in aliâ Synodo spem restitutionis habere, neque assertionis alicujus locum: sed & communicantes ei, omnes abjiciantur ab Ecclesiâ: & maximè, si postquam cognoverunt sententiam adversùs eum prolatam, contumaciter communicaverint.

VIII. De Suffraganeis Episcopis.

EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, ut ad Metropolitanum Episcopum Suffraganei respiciant, & nihil novi audeant facere in suis Parochiis sinè conscientia & consilio sui Metropolitani, nec Metropolitanus sinè eorum consilio.

Per singulas (*n*) Provincias Episcopos constitutos scire oportet, Episcopum Metropolitanum, qui præest, curam & sollicitudinem totius Provinciæ suscepisse. Propter quod ad Metropolitanam civitatem ab his, qui causas habent, sine dubio concurratur. Quapropter placuit, cum & honore præire, & nihil ultra sinè ipso reliquos Episcopos agere, secundùm antiquam Patrum nostrorum, quæ obtinuit, regulam; nisi hæc tantum, quæ uniuscujusque Ecclesiæ per suam Diœcesim competunt. Unumquemque enim Episcopum oportet potestatem habere suæ Diœcesis ad hanc gubernandam secundùm competentem sibi reverentiam, ad providendum regioni, quæ subest ipsius civitati. Ita, ut etiam ordinare ei Presbyteros, & Diaconos probabili judicio liceat; & de singulis moderatione & pondere disceptare · ultrà autem nihil agendum permittitur citra Metropolitani Episcopi conscientiam.

IX. De Chor-Episcopis.

SACERDOTIBUS.

Item in eodem Concilio, simul & in Ancyronensi, ut Chor-Episcopi cognoscant modum suum, & nihil faciant absque licentiâ Episcopi, in cujus Parochiâ habitant.

Qui in fundis (*o*) & villis constituti sunt Chor-Episcopi, tametsi manûs impositiones ab Episcopis susceperunt, & ut Episcopi consecrati sunt, placuit Sanctæ Synodo, scire eos oportere, modum proprium retinere, & gubernare adjacentes Ecclesias sibi commissas, & esse contentos propriâ sollicitudine & gubernatione, quam susceperunt. Constituere autem his permittitur Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas: quibus sufficiat istorum tantùm graduum licentiam accepisse. Non autem Presbyterum, non Diaconum audeat ordinare, præter conscientiam Episcopi civitatis, vel Ecclesiæ, cui adjacens invenitur seu ipse, seu regio, in quâ præesse dinoscitur. Quod si prævaricari ausus fuerit constituta, deponi eum, & dignitate, quâ præditus est, debere privari. Chorepiscopus autem ab Episcopo civitatis vel loci, cui adjacet, ordinandus est.

Vicariis (*p*) Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt, non licere presbyteros, vel Diaconos ordinare: sed nec presbyteris civitatis, sinè Episcopi præcepto, amplius aliquid jubere; vel sinè auctoritate litterarum ejus, in unaquaque parochia aliquid agere.

X. De Episcopis, vel quibuslibet ex Clero.

OMNI CLERO.

Item in eodem Concilio, ut Episcopus, vel quilibet ex Clero sine consilio vel litteris Episcoporum, vel Metropolitani, non audeant ad Regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in com-

(*m*) Concil. Antioch. can. 4.
(*n*) Concil. Antioch. can. 9.
(*o*) Conc. Antioch. can. 10.
(*p*) Concil. Ancyr. can. 13.

communi Episcoporum Concilio causa examinetur.

Si quis Episcopus, (*q*) presbyter, vel omnis omnino, qui est sub Ecclesiasticâ regulâ constitutus, præter consilium & litteras eorum Episcoporum, qui sunt intra provinciam, & maximè Metropolitani, ad Imperatorem perrexerit, hunc abdicari & ejici non solùm communione debere, sed à propriâ dignitate privari, tamquam molestum & importunum Imperialibus auribus, contra Ecclesiastica constituta. Si autem necessitas cogat ad Imperatorem excurrere, cum deliberatione & consilio Metropolitani ipsius provinciæ Episcopi, & cæterorum conscientiâ, qui in eadem provinciâ sunt, & litteris ire debebit.

XI. *De ordinationibus, vel quibuslibet negotiis.* EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, simul & in Sardicensi, nec non & in decretalibus Innocentii Papæ, ut nullus Episcopus in alterius Parochiâ ordinationes aliquas audeat facere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent.

Nullum (*r*) Episcoporum debere ex alia provincia ad aliam transitum facere, & ordinare aliquos in Ecclesiis, aut provehere ad sacrum ministerium: nec alios illuc secum abstrahat Episcopos, nisi fortè rogatus per litteras abierit, non solùm à Metropolitano, sed ab his, qui cum eo sunt, provinciæ Episcopis. Quod si nullo invitante, inordinatè superveniat, & aliquos vel ordinare præsumpserit, vel quoslibet actus illi Ecclesiæ competentes, ad se minùs pertinentes, usurpare tentaverit, vacua quidem & inania erunt omnia, quæ gesserit; ipse verò hujus indisciplinati ausûs, & irrationabilis cœpti dignas causas, expendat, tamquam depositus à Sancta Synodo, & per hujusmodi præsumptionem jam prædamnatus.

Januarius (*s*) Episcopus dixit: Illud quoque statuat Sanctitas vestra, ut nulli liceat Episcopo alterius Episcopi civitatis ministrum Ecclesiasticum sollicitare, & in suis Parochiis ordinare. Universi dixerunt: quia ex his intentionibus solet nasci discordia. Et ideò prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

Innocentius (*t*) Florentino Episcopo Tiburtiensi. Non semel, sed aliquotiens clamat Scriptura Divina, transferri non oportere (*u*) terminos à Patribus constitutos: quia nefas est, si, quod alter semper possederit, alter invadat. Quod tuam bonitatem frater, & Coepiscopus noster Ursus asserit perpetrâsse. Nam Nomentanam, sive Filiciensem Parochiam, ad suam Diœcesim à majoribus pertinentem, invasisse te, atque illic Divina celebrâsse mysteria inconsulto eodem, ac nesciente, non sine dolore conquestus est. Quod si verum est, non leviter te culpam incurrisse cognoscas. Unde si declinare cupis tantæ usurpationis invidiam, nostris litteris admonitum te convenit abstinere. Certè si aliquid tibi credis justitiæ suffragari, integris omnibus, & in pristino statu manentibus, post dies venerabiles Paschæ adesse debebis, ut memoratis possis intentionibus respondere, partibúsque in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat, inquiramus.

XII. *De Curâ Episcoporum.* EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, ut Episcopus ejus Ecclesiæ curam habeat, ad quam ordinatus est.

Episcopum (*x*) de Diœcesi ad alteram Diœcesim non debere transire, neque si se ipsum ingesserit, neque si à populis fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab Episcopis suadetur. Manere autem eum debere in Ecclesiâ Dei, quam ab initio sortitus est, & non ab ea aliò demigrare, secundùm regulam super hoc olim à Patribus constitutam.

(*q*) Concil. Antioch. can. 11. (*r*) Concil. Antiochen. can. 13.
(*s*) Concil. Sardic. can. 18. (*t*) Innocentius Ep. 7.
(*u*) Deuteronom. 19. Proverb. XXII, 28. (*x*) Concil. Antioch. can. 21.

XIII. De Provincialibus Episcopis. EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, nec non & in Chalchedonensi, ut Provinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno propter causas Ecclesiæ Concilia celebrent.

Propter (y) Ecclesiasticas curas, & quæ existunt, controversias solvendas, sufficere visum est, bis in anno per Provincias singulas Episcoporum Concilium fieri. Primò quidem post tertiam hebdomadam Paschalis Festivitatis: ità ut in quarta hebdomada, quæ consequitur, id est, mediæ Pentecostes, Concilium compleatur: admoneant autem Provinciales Episcopos hi, qui in amplioribus, id est, qui in Metropolitanis civitatibus degunt. Secundum verò Concilium Idibus Octobribus habeatur, qui dies apud Græcos Hyperberetæi Mensis decimus quintus invenitur. In ipsis autem Conciliis, & Presbyteros, & Diaconos præsentes esse oportet, & omnes quotquot se læsos existimant, & synodicam exspectare sententiam. Nec liceat aliquibus apud semetipsos, sinè Metropolitanorum Episcoporum conscientia, Synodos facere, quibus de omnibus causis constat permissum esse judicium.

Ad aures (z) nostras pervenit, quoniam in Provinciis non fiunt Episcoporum Synodi secundùm Canonum constituta; & hinc multa rerum Ecclesiasticarum, quæ emendanda sunt, negligi. Sancta igitur Synodus constituit, secundùm Canones Patrum, bis in anno Episcopos in id ipsum in unaquaque Provinciâ convenire, quò Metropolitanus constituerit, & omnia, quæcumque emerserint, corrigere. Episcopi verò, qui non convenerint, in propriis positi civitatibus, & non per profectionem absentes, maximè suppeditante salute, & à necessariis & excusabilibus occupationibus liberi, fraternitatis intuitu corripiantur.

XIV. De Monachis & Clericis. EPISCOPIS.

In Concilio Laodicensi, nec non & in Africano, præcipitur, ut Monachi & Clerici tabernas non ingrediantur edendi & bibendi causâ.

Quoniam (a) non oportet Altario servientes, à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps Ordinis Ecclesiastici omnes, usque ad Ministros, aut Lectores, aut Psaltas, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut etiam eos, qui in proposito sunt continentiæ, tabernas introire.

Ut Clerici (b) edendi, vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

XV. De die Dominica, qualiter servanda est. AD OMNES.

Item in eodem Concilio præcipitur, ut à vespera usque ad vesperam dies Dominica servetur.

Non (c) oportet Christianos judaizare, & in Sabbato vacare, sed operari eos in eadem die. Dominica verò, præponendo eamdem diem, si hoc eis placet, vacent tamquam Christiani. Quod si inventi fuerint judaizare, anathema sint.

XVI. De ignotis Angelorum nominibus. OMNIBUS.

Item in eodem Concilio præcipitur, ut ignota Angelorum nomina neç fingantur, nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in auctoritate. Hi sunt Michael, Gabriel, Raphael.

Quòd non (d) oportet Christianos derelictâ Ecclesiâ Dei abire, & Angelos nominare, & congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inventus fuerit occultè huic idololatriæ vacans, anathema sit: quoniam derelinquens Dominum nostrum JEsum Christum Filium Dei, accessit ad idola.

XVII.

[y] Concil. Antiochen. can. 20.
[z] Concil. Chalcedon. can. 19.
(a) Concil. Laodic. can. 24.
(b) Concil. Afric. can. 7.
(c) Concil. Laodic. can. 29.
(d) Concil. Laodicen. can. 35.

XVII. De Mulieribus, ne ad Altare accedant.

CLERICIS ET NONNANIS.

Item in eodem Concilio, quòd non oporteat mulieres ingredi ad Altare.

Non oportet (e) mulieres ingredi ad Altare.

XVIII. De maleficis, vel incantatoribus. AD SACERDOTES.

In eodem Concilio, ut cauclearii, malefici, incantatores, & incantatrices fieri non finantur.

Quoniam non (f) oportet Miniſtros Altaris, vel Clericos, magos aut incantatores eſſe, aut facere, quæ dicuntur phylacteria, quæ ſunt magna obligamenta animarum: hos autem, qui talibus rebus utuntur, projici ab Eccleſiâ juſſimus.

XIX. De Epiſcopis, ubi non oporteat eos conſtitui.

OMNIBUS.

Item in eodem Concilio, nec non & in Sardicenſi, quod non oporteat in villulis, vel in agris Epiſcopos conſtituere.

Non (g) oportet in vicis & in villis Epiſcopum ordinari, ſed eos, qui circumeant, conſtitui. Hos autem, qui hinc ordinati ſunt, nihil agere ſine conſcientia Epiſcopi civitatis. Similiter etiam Presbyter nihil ſine præcepto Epiſcopi & conſilio agat. Si enim ſubitò, aut vicus aliquis, aut modica civitas, cui ſatis eſt unus Presbyter, voluerit ſibi Epiſcopum ordinari, ut vileſcat nomen Epiſcopi & auctoritas, non debent illi ex aliâ Provinciâ invitati facere Epiſcopum, niſi aut in his civitatibus, quæ Epiſcopos habuerint, aut ſi qua talis, aut tam populoſa eſt, quæ mereatur habere Epiſcopum. Hoc omnibus placet? Synodus reſpondit: Placet.

XX. De Libris Canonicis.

SACERDOTIBUS.

Item in eodem Concilio, ut Canonici Libri tantùm legantur in Eccleſiâ.

Non oportet (h) ab Idiotis Pſalmos compoſitos, & vulgares, dici in Eccleſiis: neque libros, qui ſunt extra Canonem, legere, niſi ſolos canonicos novi & veteris teſtamenti. Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc ſunt: Geneſis mundi, Exodus Ægypti, Leviticum, Numeri, Deuteronomium. Jeſu Nave, Judices, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Eſdræ libri duo, liber Pſalmorum CL, Proverbia Salomonis, Cantica Canticorum, Eccleſiaſtes, Job, Eſther, Duodecim Prophetæ, id eſt, Oſee, Amos, Joel, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Item Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Novi Teſtamenti Evangelia quatuor, ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, ſecundùm Joannem. Actus Apoſtolorum. Catholicæ Epiſtolæ, Petri II. Jacobi I. Joannis III. Judæ I. Epiſtolæ Pauli XIV. ad Romanos, ad Corinthios prima & ſecunda, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippinenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes prima & ſecunda, ad Timotheum II. ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.

XXI. De Epiſcopis ordinandis, vel quibuslibet ex Clero.

CLERICIS ET MONACHIS.

Item in Concilio Chalcedonenſi, nec non & in Canonibus Apoſtolorum, ut non oporteat Epiſcopum, aut quemlibet ex Clero, per pecunias ordinari: quia utrique deponendi ſunt, & qui ordinat, & qui ordinatur: nec non, & qui mediator eſt inter eos.

Si quis (i) Epiſcopus ordinationem pro pecuniâ fecerit, & vendiderit rem, quæ niſi gratiâ non adquiritur; & ſub pecunia ordinaverit Epiſcopus Provincialem Epiſcopum, ſive Presbyterum, vel Diaconum, aut eorum quemquam, qui in numero Clericorum continentur, aut acceptâ pecuniâ fecerit œconomum, vel defen-

(e) Concil. Laodicæn. can. 44.
(f) Concil. Laodicæn. can. 36.
(g) Concil. Sardic. can. 6.
(h) Concil. Laodic. can. 59.
(i) Concil. Chalcedon. can. 2.

defenſorem, vel oſtiarium, vel quemcumque hujuſcemodi, pro turpitudine lucri; qui hoc feciſſe probatur, ſui gradûs periculum ſuſtinebit. Sed & is, qui ordinatur, nihil ex ordinatione, quæ pro negotiatione proceſſit, utilitatis adquirat; ſed fiat dignitatis, vel rei, quæ ipſi pro pecunia commiſſa eſt, alienus. Si quis autem his tam turpibus, & nefariis lucris medius interfuiſſe videtur, & is, ſi quidem Clericus fuerit, degradetur; ſi verò Laicus, aut Monachus, anathematizetur.

Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipſe, & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abſcidatur, ſicut Simon Magus à Petro.

XXII. *De Monachis, & Clericis, & Presbyteris.* OMNIBUS.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, nec non & in decretis Leonis Papæ, ut nec Monachi, nec Clerici, nec Presbyteri in ſæcularia negotia abeant.

XXIII. *De ſervis alterius non ſollicitandis.*

Et ut ſervum alterius nullus ſollicitet ad Clericatum, vel monachalem ordinem, ſine voluntate & licentia Domini ſui.

Item (*k*) qui revera & manifeſtè ſolitariam vitam ſectantur, honore competenti fungantur. Quoniam verò quidam, ſub prætextu habitûs monachalis, Eccleſias, & conventus, & res communes diſturbant, civitates indiscretè circumeuntes, & Monaſteria ſibi conſtituere ſtudentes; placuit, nuſquam ullum ædificare debere, neque monaſterium conſtituere, neque oratorium, abſque civitatis Epiſcopi voluntate. Monachos verò, qui ſunt per ſingulas civitates & Provincias, Epiſcopis ſubditos eſſe, & quietem diligere, & jejuniis eſſe intentos & orationibus, & in illis locis obſervare, in quibus ſæculo renuntiâſſe videntur. Nequaquam autem Eccleſiaſticis vel ſæcularibus rebus communicare, nec importunitatem inferre, deſertis propriis Monaſteriis, niſi fortè quæſiti fuerint propter cauſam neceſſariam à civitatis Epiſcopo. Sanè in Monaſteriis non eſſe ſuſcipiendum ſervum, ad Monachum faciendum, præter proprii Domini voluntatem. Qui verò hoc conſtitutum noſtrum exceſſerit, eum à communione ſuſpendi decrevimus, ne nomen Dei blaſphemetur. Civitatis autem Epiſcopos oportet competentem providentiam Monaſteriis impendere.

Admittuntur (*l*) paſſim ad ordinem ſacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur. Et qui à Dominis ſuis libertatem conſequi minimè potuerunt, ad faſtigium Sacerdotii, tamquam ſervilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur: & probari Deo poſſe creditur, qui Domino ſuo necdum probare ſe potuit. Duplex itaque in hac parte reatus eſt: quod & ſacrum Miniſterium talis conſortii vilitate polluitur, & Dominorum, quantum ad inlicitæ uſurpationis temeritatem pertinet, jura ſolvuntur. Ab his itaque, fratres chariſſimi, omnes veſtræ Provinciæ abſtineant Sacerdotes, & non tantùm ab his, ſed ab aliis etiam, qui originali, aut alicui conditioni obligati ſunt, volumus temperari. Niſi fortè eorum petitio, aut voluntas acceſſerit, qui, aliquid ſibi in eos vendicant poteſtatis. Debet enim eſſe immunis ab aliis, qui Divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut à caſtris Dominicis, quibus nomen ejus adſcribatur, nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur.

XXIV. *De ſtabilitate Epiſcoporum, vel Clericorum.* SACERDOTIBUS.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, nec non & in Sardicenſi, ut nec Epiſcopus, nec Clerici tranſmigrent de civitate in civitatem.

De Epiſcopis (*m*) vel Clericis, qui ſe

(*k*) Concil. Chalcedon. can. 4.
(*l*) Leo PP. cap. I.
(*m*) Concil. Chalcedon. can. 5.

se de civitate in civitatem transferunt, placuit ut Canones, qui à Sanctis Patribus de his ipsis constituti sunt, suam habeant firmitatem.

Hosius (*n*) Episcopus dixit: Ut de civitate in civitatem quisquam si migraverit aut Episcopus, aut Clericus, excommunicatus remaneat.

XXV. *De Presbyteris non absolutè ordinandis.* OMNIBUS.

Item in eadem Synodo, ut nullus absolutè ordinetur, & sine pronuntiatione & stabilitate loci, ad quem ordinatur.

Nullum (*o*) absolutè ordinari, neque Presbyterum, neque Diaconum, neque penitus quemquam eorum, qui sunt in Ecclesiastico ordine, nisi specialiter Ecclesiæ civitatis, vel vici, vel Martyrii, qui ordinandus est, fuerit declaratus. Horum autem ordinationem hujusmodi, qui absolutè ordinantur, constituit Sancta Synodus inefficacem esse, & nusquam posse ad ordinantis injuriam prævalere.

XXVI. *De proposito Monachorum & Clericorum.* SACERDOTIBUS.

Item in eodem Concilio, ut Clerici & Monachi in suo proposito & voto, quod Deo promiserunt, permaneant.

Qui semel (*p*) sunt ordinati, aut qui Monachi facti sunt, constituimus neque ad militiam, neque ad sæcularem dignitatem venire. Cùm verò hoc arripuerint, nisi pœnitentes ad hoc revertantur, quod propter Deum elegerant, anathematizentur.

XXVII. *De Monachis, qui ad Clericatum provehuntur.* OMNIBUS.

Item in Decretis Innocentii Papæ de eadem re, ut Monachus, si ad Clericatum provehatur, propositum Monachicæ professionis non amittat.

De Monachis, (*q*) qui diu morantes in monasteriis, postea ad Clericatûs ordinem perveniunt, non debere eos à priori proposito deviare. Aut enim sicut in monasterio fuit, & quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, postea baptizatus, in monasterio sedens, ad Clericatûs ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit: quia nec benedici cum sponsa potest jam corruptus. Quæ forma servatur in Clericis maximè, cùm vetus regula hoc habeat, ut quisque corruptus baptizatus Clericus esse voluisset, sponderet, se uxorem omnino non ducere.

XXVIII. *De negotio Clericorum inter se.* OMNIBUS.

Item in eodem Concilio, ut si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo dijudicentur, non à sæcularibus.

Si quis (*r*) Clericus cum Clerico causam habeat, Episcopum suum non deserat, & ad judicia sæcularia currat: sed priùs apud Episcopum suum examinet causam, aut certè eum voluntate ipsius Episcopi, causa dicatur, apud quos partes utræque voluerint. Si quis autem contra hæc venire tentaverit, canonicis interdictis subjaceat. Si verò Clericus habeat causam cum extraneo Episcopo, vel cum suo; apud Synodum Provinciæ causam dicat. Si autem Episcopus, vel Clericus, disceptationem habeat cum Metropolitano Episcopo, aut ad Diœceseos primam sedem recurrat, aut ad sedem Constantinopolitanam, apud quam causa dicatur.

XXIX. *De conspiratione Clericorum vel Monachorum.* OMNIBUS.

Item in eodem Concilio, ut nec Clerici, nec Monachi conspirationem, vel insidias contra pastorem suum faciant.

Conjurationis (*s*) vel conspirationis crimen etiam apud extrinsecas leges peni-

(*n*) Concil. Sardic. can. 1.
(*o*) Conc. Chalcedon. can. 5.
(*p*) Conc. Chalcedon. can. 7.
(*q*) Innocentius PP. cap. 17.
(*r*) Conc. Chalcedon. can. 9.
(*s*) Conc. Chalcedon. can. 18.

penitùs amputatur: multò magis in Ecclesiâ Dei hoc ne fiat, oportet prohiberi. Igitur Clerici, aut Monachi, si inventi fuerint conjurati, aut per conjurationem calumniam machinantes Episcopis, vel Clericis; proprium amittant gradum.

XXX. *De accusatione laicorum contra Episcopos.*

AD OMNES.

Item in eodem Concilio, ut laici Episcopos, aut Clericos non accusent, nisi priùs eorum discutiatur existimationis opinio.

Clericos, (t) vel laicos, qui accusant Episcopos, vel Clericos, quomodocumque & sine Judicio non suscipi ad accusandum debere, nisi priùs eorum existimatio fuerit discussa.

XXXI. *De Monasteriis Deo dicatis.*

OMNIBUS.

Item in eodem, ut loca, quæ semel Deo dedicata sunt, ut Monasteria sint, maneant perpetuò Monasteria, nec possint ultrà fieri sæcularia habitacula.

Quæ Deo semel sacrata sunt Monasteria secundùm Episcoporum consensum, oportet in perpetuum Monasteria nuncupari, & eorum res Monasteriis reservari, & non posse ulteriùs cœnacula sæcularia fieri. Si qui verò hæc fieri permiserint, Canonicis interdictis subjaceant.

XXXII. *De fide Sanctæ Trinitatis prædicanda.*

OMNIBUS.

In Concilio Carthaginense, primò omnium necesse est, ut fides Sanctæ TRINITATIS, & INCARNATIONIS CHRISTI, PASSIONIS, RESURRECTIONIS, ASCENSIONIS IN COELO diligenter omnibus prædicetur.

Anno (u) ab Alexandro MXXXVI. Mense Junio, XIV. Kalendas Julii, à magna Synodo dictum est: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, FILIUM DEI, natum de Patre unigenitum, hoc est, de substantia Patris. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non creatum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in Cœlo, & quæ in terris. Qui propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus, passus est, & resurrexit tertiâ die, & ascendit in Cœlos. Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, & quia ex nullis extantibus factus est, aut ex alia subsistenda vel substantia dicunt esse, aut convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

XXXIII. *De avaritia.* OMNIBUS.

Item in eodem, de prohibenda avaritia, ut nullus alienos fines usurpet, vel terminos Patrum transcendat.

Aurelius (x) Episcopus dixit: Avaritiæ cupiditas, quam omnium malorum matrem esse, nemo, qui dubitet, proinde inhibenda est, ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos Patrum statutos transcendat: nec omnino cuiquam Clericorum liceat de qualibet re fœnus accipere. Quamquam novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ à nobis formam accipient: cæterùm, de quibus apertissimè Scriptura Divina sanxit, non ferenda sententia est, sed potiùs exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multò magis debet in Clericis prædamnari.

XXXIV. *De his, qui se convertunt ad Deum.* OMNIBUS.

Item in eodem, de his, qui in periculo constituti sunt, & convertunt se ad Deum, ut Canonicè inquirantur de reconciliatione, & Canonicè reconcilientur.

Aure-

(t) Concil. Chalcedon. can. 21.
[x] Concil. Carthagin. can. 5.
(u) Concil. Carthagin. in Professione Fidei.

Aurelius (y) Episcopus dixit: si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari Divinis Altaribus petierit, etsi Episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab universis Episcopis dictum est. Placet, quod Sanctitas vestra necessariò nos instruere dignata est.

XXXV. De his, qui non sunt bonæ conversationis.

OMNIBUS.

Item in eodem, ut illi, qui non sunt bonæ conversationis, & eorum vita est accusabilis, non audeant Episcopos, vel majores natu accusare.

Aurelius (z) Episcopus dixit: Placet igitur caritati vestræ, ut is, qui aliquibus sceleribus inretitus est, vocem adversùs majorem natu non habeat accusandi? Ab universis Episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur. Placet.

XXXVI. De his, qui ex communicato communicaverint. OMNIBUS.

Item in eodem, ut qui ex communicato præsumptuosè communicaverit, excommunicetur & ipse.

Augustinus (a) Episcopus, legatus Provinciæ Numidiæ, dixit: Hoc statuere dignamini, ut si qui fortè merito facinorum suorum ab Ecclesiâ pulsi sunt, & sive ab aliquo Episcopo, vel Presbytero, fuerint in Communionem suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugiens sui Episcopi regulare judicium. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet.

XXXVII. De subjectione Presbyterorum. SACERDOTIBUS.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, nec non & in Canonibus Apostolorum, ut nullus Presbyter contra suum Episcopum superbire audeat.

Alypius (b) Episcopus, legatus Provinciæ Numidiæ, dixit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis fortè Presbyter ab Episcopo suo correptus, tumore vel superbiâ inflatus, putaverit separatim sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare, contra Ecclesiasticam fidem, vel disciplinam crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primæ sedis Provinciæ Numidiæ dixit: Necessariò disciplinæ Ecclesiasticæ & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alypius prosecutus est. Proinde quid videatur vestræ dilectioni, edicite. Ab universis Episcopis dictum est: Si quis Presbyter à præposito suo correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbiâ, quod absit, inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat: ac si queremoniam justam adversùs Episcopum non habuerit, inquirendum erit.

Si quis (c) Presbyter, contemnens Episcopum suum, seorsum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil habens, quo reprehendat Episcopum in causâ Pietatis, & justitiæ; deponatur, quasi principatûs amator existens, est enim tyrannus. Et cæteri Clerici, quicumque tali consentiunt, deponantur: laici verò segregentur. Hæc autem post unam, & secundam, & tertiam Episcopi obsecrationem fieri conveniat.

XXXVIII. De Clericis Ecclesiastici ordinis. OMNIBUS.

Item in eodem, ut Clerici Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos judicentur, non apud sæculares.

Item (d) placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diacono.

(y) Concil. Carthagin. can. 8.
(z) Concil. Carthagin. can. 9.
(b) Concil. Carthagin. can. 10. 11.
(c) Canon. Apostolor. 32.
(d) Concil. Carthagin. can. 15.

conorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota; si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia; locum suum amittat, & hoc in criminali actione: in civili verò perdat, quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. Hoc autem placuit, ut à quibuscumque judicibus Ecclesiasticis ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicâsse, vel aliqua cupiditate, aut gratiâ depravati. Sanè si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam à pauciori numero, quàm constitutum est, non liceat provocare. Et ut Filii Sacerdotum spectacula sæcularia non exhibeant, sed nec exspectent: licet hoc semper Christianis omnibus interdictum sit, ut ubi blasphemiæ sunt, non accedant.

XXXIX. *Ut Clerici non sint usurarii.* OMNIBUS.

Item in eodem, ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: Si speciem aliam, eandem speciem, quam dederit, accipiat.

Item (e) placuit, ut Clericus, si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eamdem speciem, quantam dederit, accipiat. Et ut ante XXV. annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur: & ut Lectores populum non salutent.

XL. *De Virginibus Deo dicatis.* OMNIBUS.

In Concilio Africano præcipitur, ut Virgines Deo Sacratæ, à gravioribus personis diligenti custodiâ serventur.

Ut Virgines sacræ, (f) cum parentibus, à quibus custodiebantur, privatæ fuerint, ab Episcopo custodiantur. Ubi autem Episcopus absens est, providentia gravioribus feminis commendetur: ut simul habitantes invicem se custodiant; ne passim vagando Ecclesiæ lædant existimationem.

XLI. *De principali Cathedra Episcoporum.* EPISCOPIS.

Item in eodem, ut non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ Parochiæ negligere, & aliquam Ecclesiam in suâ Diœcesi magis frequentare.

Rursum placuit, (g) ut nemini sit facultas, relicta principali cathedrâ, ad aliquam Ecclesiam in Diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutiùs, quàm oportet, constitutum, curam & frequentationem propriæ Cathedræ negligere.

XLII. *De falsis Nominibus Sanctorum.* EPISCOPIS.

Item in eodem, ut falsa nomina Martyrum, & incertæ Sanctorum memoriæ non venerentur.

Item placuit, (h) ut altaria, quæ passim per agros & per vias, tamquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis, fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum, ubicumque constituuntur altaria, omnimodo reprobentur.

XLIII. *De uxore à viro demissa.* OMNIBUS.

Item in eodem, ut nec uxor à viro demissa, alium accipiat virum, vivente viro suo: nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore.

Pla-

(e) Concil. Carthagin. can. 16.
(f) Concil. African. can. XI.
(g) Concil. African. can. 38.
(h) Concil. African. can. 50.

Placuit, (*i*) ut secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungatur; sed ità maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur: in quâ causâ legem imperialem petendam promulgari.

XLIV. De Judicibus à Metropolitano probatis. EPISCOPIS.

Item in eodem, ut probati à Metropolitano Judices non spernantur.

A Judicibus (*k*) autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare: & quisquis probatus fuerit, per contumaciam nolle obtemperare judicibus; cùm hoc primæ sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet.

XLV. De accusatione vilium personarum. OMNIBUS.

Item in eodem infra duo Capitula, ut viles personæ non habeant potestatem accusandi: & si in primo crimine victi sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi.

Item (*l*) placuit, ut omnes servi, vel proprii liberti, ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt: omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiam, sive Pagani, sive Judæi. Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentiam non negandam.

Item (*m*) placuit, quotiescumque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo priùs egerit, probare non valuerit, ad cætera jam non admittatur.

XLVI. De Virginibus velandis. OMNIBUS.

Item in eodem, ut virgines non velentur ante XXV. annos, nisi rationabili necessitate cogente.

Item (*n*) placuit, ut quicunque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit intra XXV. annos ætatis; non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.

XLVII. De oblatis pauperum. OMNIBUS.

In Concilio Gangrensi, ut nulli liceat oblata, quæ ad pauperes pertinent, rapere vel fraudare.

Si quis (*o*) oblationes fructuum, Ecclesiæ debitas, voluerit extra Ecclesiam accipere, vel dare, præter conscientiam Episcopi, & non magis cum consilio ejus, cui hæc credita sunt, de his agendum putaverit, anathema sit.

XLVIII. De jejuniis à Sacerdotibus constitutis. OMNIBUS.

Item in eodem, ut Ecclesiastica à Sacerdotibus jejunia constituta sine necessitate rationabili non solvantur.

Si quis eorum, (*p*) qui in proposito sunt continentiæ, præter necessitatem corporalem superbiat, & jejunia communia, quæ totius Ecclesiæ traditio celebrat, putaverit dissolvenda, perfectam scientiam esse apud se judicans, anathema sit.

XLIX. De his, qui contra naturam peccant. SACERDOTIBUS.

In Concilio Ancyronensi invectum est in eos, qui cum quadrupedibus, vel mascu-

(*i*) Concil. African. can. 69.
(*k*) Concil. African. can. 89.
(*l*) Concil. African. can. 69.
(*m*) Concil. African. can. 97.
(*n*) Concil. African. can. 93.
(*o*) Concil. Gangrense can. 7.
(*p*) Concil. Gangrens. can. 19.

maſculis, contra naturam peccant; dura & diſtricta pœnitentia. Quapropter Epiſcopi, & Presbyteri, à quibus judicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnimodis hoc malum à conſuetudine prohibere vel abſcindere.

In titulo (*q*) Græca verba hæc ſunt: περὶ τῶν ἀλογευσαμένων ἢ ϑε ἀλογευομένων: quæ nos latinè poſſumus dicere, de his, qui irrationabiliter verſati ſunt, ſive verſantur. Senſus autem in hac ſententia triplex eſſe poteſt, qui ex ſubjectis conjicitur: aut de his, qui cum pecoribus coitu mixti ſunt, aut more pecudum inceſta cum conſanguineis commiſerunt, aut cum maſculis concubuerunt. Quotquot igitur ante viceſimum ætatis ſuæ annum tale crimen admiſerunt, XV. annis in pœnitentiâ exactis, orationi tantùm incipiant participari; & quinquennio altero in communione ſimplici perdurantes, poſt viceſimum cum oblatione ad communionem ſuſcipiantur. Diſcutiatur autem & vita eorum, quæ fuerit tempore pœnitentiæ, & ità hanc humanitatem conſequantur. Quod ſi, qui perſeverantiùs abuſi ſunt hoc crimine, prolixius tempus habeant ſubmiſſioni. Quotquot verò exacta viginti annorum ætate, & uxores habentes, in hoc crimen inciderunt; viginti quinque annis pœnitentiâ actâ, ad communionem orationum tantùm admittantur: in qua communione orationis altero quinquennio perdurantes, plenam communionem cum oblatione recipiant. Quod ſi aliqui & uxores habentes, & excedentes quinquageſimum ætatis ſuæ annum, in hoc prolapſi ſunt, ad exitum vitæ tantùm communionem mereantur.

L. *De Presbyteris, quo tempore ordinentur.* EPISCOPIS.

In Concilio Neocæſarienſi, ut nullatenus Presbyter ordinetur ante XXX. ætatis ſuæ annum: quia Dominus JESUS CHRISTUS non prædicavit ante XXX. annum.

Presbyter (*r*) ante XXX. annorum ætatem, quamvis ſit dignus, non ordinetur: ſed obſervet uſque ad præfinitum tempus. Dominus enim XXX. anno baptizatus eſt, & tunc prædicavit.

LI. *De ſponſa alterius.*

OMNIBUS.

In decretalibus Siricii Papæ, ut alterius ſponſam nemo accipiat.

De (*s*) Conjugali autem violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam, alter matrimonio poſſit accipere? Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nuptæ Sacerdos imponit apud fideles, cujuſdam Sacrilegii inſtar eſt, ſi ulla transgreſſione violetur.

LII. *De Monachis & Virginibus, Propoſitum non ſervantibus.*

EPISCOPIS, MONACHIS & VIRGINIBUS.

Item ejuſdem, ut Monachi & Virgines ſuum propoſitum omnimodis obſervent.

Præterea (*t*) Monachorum quoſdam, atque Monacharum, abjecto propoſito Sanctitatis, in tantam protervitaris demerſos eſſe laſciviam, ut priùs clanculo, velut ſub Monaſteriorum prætextu, inlicitâ ac ſacrilegâ ſe contagione miſcuerint: poſtea verò in abruptum conſcientiæ deſperatione perducti, de inlicitis complexibus liberè filios procrearint: quod & publicæ leges, & Eccleſiaſtica jura condemnant. Has igitur impudicas, deteſtabiléſque perſonas à Monaſteriorum cœtu, Eccleſiarúmque conventibus eliminandas eſſe mandamus: quatenus retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantum facinus continuâ lamentatione deflentes, purificatorio poſſint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem ſaltem, ſolius miſericordiæ intuitu, per communionis gratiam poſſit indulgentia ſubvenire.

LIII. *De pace danda.*

OMNIBUS.

In decretalibus Innocentii Papæ, ut pax

(*q*) Concil. Ancyran. can. 15. (*r*) Concil. Neocæſarienſ. can. 11.
(*s*) Siricius PP. cap. 4. (*t*) Siricius cap. 6.

pax detur omnibus, confectis Christi Sacramentis.

Pacem (*u*) igitur asseris, ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cùm post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda: per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur.

LIV. De nominibus recitandis. SACERDOTIBUS.

Item ejusdem, ut nomina publicè non recitentur ante preces Sacerdotales.

De (*x*) nominibus verò recitandis, antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, suâ oratione commendet, quàm superfluum sit, & ipse pro tuâ prudentia recognoscis: ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus nomen antè insinues, quamvis incognitum illi nihil sit. Priùs ergo oblationes sunt commendandæ: ac tunc eorum nomina, quorum oblationes sunt, edicenda: ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ antè præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

LV. De Canonum institutis, à Presbyteris non ignorandis. EPISCOPIS & SACERDOTIBUS.

In (*y*) Decretis Cælestini Papæ, ut nulli Sacerdoti liceat ignorare Sanctorum Canonum instituta.

Nulli Sacerdotum suos liceat canones ignorare; nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim à nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentiâ populis permissâ, frangatur?

LVI. De Clericis alterius Episcopis. EPISCOPIS.

In decretis Leonis Papæ sancitum est, & in Sardicense Concilio, ut Episcopus alterius Clericum ad se non sollicitet, nec ordinet.

Alienum (*z*) Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nisi fortè ex placito caritatis id inter dantem accipientémque conveniat. Nam gravis injuriæ reus est, qui de fratris Ecclesiâ, id, quod est utilius, aut pretiosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam Clericum ad Ecclesiam suam Metropolitanus redire compellat. Si autem longiùs recessit, tui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

LVII. De servis alterius. EPISCOPIS.

Item ejusdem, ut nullus Episcopus servum alterius ad Clericatûs officium sine Domini sui voluntate promovere præsumat. Et hoc Gangrense Concilium prohibet.

Si quis servum (*a*) occasione religionis doceat Dominum suum contemnere, & ejus ministerium deserere, ac non potiùs docuerit eum suo domino bonâ fide, & cum omni honorificentia deservire, anathema sit.

LVIII. De Sacerdotibus contra decretalia agentibus. EPISCOPIS.

Item ejusdem, ut si quis Sacerdotum contra constituta decretalia præsumptiosè agat, & corrigi nolens, ab officio suo submoveatur.

Hoc (*b*) itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se noverit officio submovendum; nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse non voluit disciplinæ. Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium

(*u*) Innocentius PP. cap. 1.
(*x*) Innocentius PP. cap. 2.
(*y*) Cælestinus PP. cap. 20.
(*z*) Leo PP. cap. 39.
(*a*) Concil. Gangrense can. 3.
(*b*) Leo PP. cap. 5.

nium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ità à vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.

LIX. *De viduis, ne velentur.* EPISCOPIS.

In Decretis Gelasii Papæ, ut nullus Episcopus viduas velare præsumat.

Viduas (c) autem velare Pontificum nullus attentet; quod nec auctoritas Divina delegat, nec Canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisque sic Ecclesiastica sunt inferenda præsidia, ut nihil committatur inlicitum.

ITEM ALIA CAPITULA.

Hæc enim Dilectissimi, pio studio, & magnâ dilectionis intentione, vestram unanimitatem admonere studuimus, quæ magis necessaria videbantur; ut Sanctorum Patrum canonicis institutis inhærentes, præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quàm terribili anathematis censurâ feriantur, qui præsumptiosè contra statuta universalium Conciliorum venire audent. Quapropter & vos diligentiùs admonemus, ut omni intentione illud horribile execrationis judicium vobis cavere studeatis; magis canonica instituta sequentes, & pacificâ unitate nitentes, ad æterna pacis gaudia venire digni efficiamini. Sunt quoque alia Capitula, quæ vobis utilia huic præcedenti admonitioni subjungere visa sunt.

LX. *De Fide Catholica, & primo Præcepto legis.* OMNIBUS.

Primò omnium admonemus, ut Fides Catholica ab Episcopis & Presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur: quia hoc primum præceptum est Domini Dei omnipotentis in lege: *Audi* (d) *Israël, quia Dominus Deus tuus, Deus unus est*: & ut ille diligatur ex toto corde, & ex totâ mente, & ex tota anima, & ex tota virtute nostra.

LXI. *De pace & concordia servanda.* OMNIBUS.

Ut pax sit, & concordia, & unanimitas cum omni populo Christiano, inter Episcopos, Abbates, Comites, Judices, & omnes ubique, seu majores, seu minores personas: quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in Evangelio, ipso Domino præcipiente, legimus: quia & illud secundum mandatum est in lege: *Diliges* (e) *proximum tuum, sicut te ipsum.* Item in Evangelio: *Beati pacifici,* (f) *quoniam Filii Dei vocabuntur.* Et iterum: *In hoc* (g) *cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* In hoc enim præcepto discernuntur filii Dei, & filii Diaboli: quia filii Diaboli semper dissensiones & discordias movere satagunt; filii Dei semper paci, & dilectioni studen

LXII. *De Judicibus.* OMNIBUS.

Ut quibus data est potestas judicandi justè judicent, sicut scriptum est: *Justè* (h) *judicate filii hominum.* Non in muneribus, quia munera excæcant corda prudentium, & subvertunt verba justorum. Non in adulatione, nec in consideratione personæ, sicut in Deuteronomio (i) dictum est, *Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla sit distantia personarum, quia Dei judicium est.* Primùm namque judici diligenter discenda est lex, à sapientibus populo composita; ne per ignorantiam à via veritatis erret: & dum ille rectum intelligit judicium, caveat ne declinet aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cujuslibet amici, aut per timorem alicujus potentis, aut propter præmium, à recto judicio. Rectum autem & honestum videtur, ut judices jejuni causas audiant, & discernant.

LXIII. *De perjuriis.* OMNIBUS.

Habemus in lege, Domino præcipiente, *Non* (k) *perjurabis in nomine meo, nec polluens nomen Dei tui, neque assumens nomen Domini Dei tui in vanum.* Ideo omnino

(c) Gelasius PP. cap. 13. (d) Deuteronom. VI, 4. (e) Matth. V. Levit. XIX. (f) Matthæi V, 9. (g) Joannis XIII, 35. (h) Psalmo LVII, 2. (i) Deuteronom. I, 17. (k) Exodi XX. Levitici XIX, 12.

nino admonendi sunt omnes diligenter, ut caveant perjurium, non solùm in Sancto Evangelio, vel in altari, seu in Sanctorum Reliquiis, sed & in communi loquela: quia sunt aliqui, qui per caritatem & veritatem jurant, & cavent se à juramento nominis Dei, & nesciunt, quòd idem est Deus, quod caritas & veritas, dicente Joanne Apostolo: *Quia* (l) *Deus caritas est.* Item ipse Dominus in Evangelio: *Ego sum* (m) *via & veritas*, ideò, qui in veritate & caritate jurat, in Deo jurat. Item cavendum est, ne Pharisaicâ superstitione aliquis plus aurum honoret, quàm altare: ne dicat ei Dominus: *Stulte,* (n) *& quid est majus, aurum, an Altare, quod sanctificat aurum?* Sed & nobis honestum videtur, ut qui in Sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat, cum omni honore & timore Dei. Et sciat, se rationem redditurum Deo, unusquisque vestrûm, ubicumque sit, sive intra Ecclesiam, sive extra Ecclesiam. Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt. Et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit posthæc, nec ad Sacramentum accedat, nec in suâ causâ, vel alterius jurator existat.

LXIV. De Auguriis, vel aliis maleficiis. OMNIBUS.

Habemus in lege Domini mandatum, non auguramini, & in Deuteronomio: *Nemo* (o) *sit, qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel ad auguria intendat.* Item: *Nemo* (p) *sit maleficus, nec incantator, nec Pythonis consultor.* Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, & incantatores, nec tempestarii, vel obligatores non fiant; & ubicumque sunt, emendentur, vel damnentur. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria, vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut ipse pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicumque invenitur, tollatur & destruatur.

LXV. De odio, vel invidia. OMNIBUS.

Prædicare necesse est, quantum malum sit odium, vel invidia: quia in lege scriptum est: *Non* (q) *oderis fratrem in corde tuo, sed publicè argue eum.* Item Joannes Evangelista: *Qui* (r) *odit fratrem suum, homicida est.* Item in Evangelio: *Si* (s) *peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Et cætera, quæ ibi leguntur.

LXVI. De avaritia, vel concupiscentia. OMNIBUS.

De avaritia autem Apostolum legimus dicentem: *Avaritia, quæ* (t) *est idolorum servitus, cavenda est.* De concupiscentia verò legitur, quòd radix sit omnium malorum: & in lege: *Non concupisces* (u) *rem proximi tui.*

LXVII. De Homicidiis. OMNIBUS.

Item ut homicidia infra Patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi, non fiant; & ubicumque inventa fuerint, à judicibus nostris secundùm legem ex nostro mandato vindicentur: & non occidatur homo, nisi lege jubente.

LXVIII. De furtis, & injustis connubiis, & falsis testimoniis. OMNIBUS.

Item & furta, & injusta connubia, nec non & falsa testimonia, sicut sæpe rogavimus, prohibere diligenter, sicut & lex Domini prohibet.

LXIX. De honore Parentum. OMNIBUS.

Et hoc cum magno studio admonendum est, ut filii honorent parentes suos: quia ipse Dominus dicit: *Honora* (x) *Patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

LXX. De Fide Presbyterorum ab Episcopis discutienda. SACERDOTIBUS.

Ut Episcopi diligenter discutiant per suas Parochias Presbyterorum fidem, Baptisma Catholicum, & Missarum celebrationes: ut fidem rectam teneant, & Baptisma Catholicum observent, & Missarum

Nn

(l) I. Joannis IV. (m) Joannis XIV, 6. (n) Matthæi XXIII, 19.
(o) Levitici XIX, 31. (p) Deuteronom. XVIII, 10, 11. (q) Levitici XIX, 17.
(r) I. Joannis III, 15. (s) Matthæi XVIII, 15. (t) Coloss. III, 5.
(u) Exodi XX, 16. (x) Exodi XX, 12.

ſarum preces bene intelligant. Et ut Pſalmi dignè ſecundùm diviſiones verſuum modulentur: & Dominicam orationem ipſi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quiſque ſciat, quid petat à Deo: & ut *Gloria Patri* cum omni honore apud omnes cantetur, & ipſe Sacerdos cum Sanctis Angelis, & populo Dei, communi voce *Sanctus, Sanctus, Sanctus* decantet. Et omnimodis dicendum eſt Presbyteris & Diaconibus, ut arma non portent, ſed magis confidant in defenſione Dei, quàm in armis.

LXXI. *De honore Eccleſiæ Dei.* ALIQUID SACERDOTIBUS. ALIQUID OMNIBUS.

Placuit nobis, admonere reverentiam veſtram, ut unuſquiſque veſtrûm videat per ſuam Parochiam, ut Eccleſia Dei ſuum habeat honorem: ſimul & Altaria ſecundùm ſuam dignitatem venerentur: & non ſit Domus Dei, & Altaria pervia canibus: & ut vaſa ſacrata Deo cum magna veneratione habeantur: & ut ſacrificia ſanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur, qui digni ſunt, vel cum honore ſerventur: & ut ſæcularia negotia, vel vaniloquia in Eccleſiis non agantur, quia *Domus* (y) *Dei domus Orationis* debet eſſe, non ſpelunca latronum: & ut intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad Miſſarum ſolemnia: & ut non exeant ante completionem benedictionis ſacerdotalis.

LXXII. *De Miniſtris Altaris Dei, & de ſchola.* SACERDOTIBUS.

Sed & hoc flagitamus veſtram almitatem, ut miniſtri Altaris Dei ſuum miniſterium bonis moribus ornent: ſeu & alii Canonici obſervantia ordinis, vel Monachi propoſito conſecrationis, obſecramus: ut bonam & probabilem vitam & converſationem habeant, ſicut ipſe Dominus in Evangelio præcipit: *Sic* (z) *luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Ut eorum bonâ converſatione multi attrahantur ad ſervitium Dei. Et non ſolùm ſervilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregent, ſibique ſocient. Et ut ſcholæ legentium puerorum fiant, Pſalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant: ſed & libros Catholicos bene emendatos habeant: quia ſæpe, dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros malè rogant. Et pueros veſtros non ſinite eos vel legendo, vel ſcribendo, corrumpere. Et ſi opus eſt Evangelium, vel Pſalterium, & Miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant cum omni diligentiâ.

LXXIII. *De voto Monachorum, & de Clericatu.* SACERDOTIBUS.

Simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicumque, qui ſe voto Monachicæ vitæ conſtrinxerunt, Monachicè & regulariter omnimodis ſecundùm votum ſuum vivant, ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Vota* (a) *veſtra reddite Domino Deo veſtro.* Et iterum: *Melius eſt non vovere, quàm vovere, & non reddere.* Et ut ad Monaſteria viventes, ſecundùm ordinem, primò in pulſatorio probentur, & ſic recipiantur. Et qui ex ſæculari habitu in Monaſteria veniunt, non ſtatim foras ad miniſteria Monaſterii mittantur, antequam intus bene erudiantur. Et ut Monachi ad ſæcularia placita non vadant. Similiter qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, volumus, ut illi Canonicè ſecundùm ſuam regulam omnimodis vivant: Et Epiſcopus eorum regat vitam, ſicut Abba Monachorum.

LXXIV. *De menſuris & ponderibus.* OMNIBUS.

Ut æquales menſuras, & rectas, & pondera juſta & æqualia omnes habeant, ſive in civitatibus, ſive in Monaſteriis, ſive ad dandum in illis, ſive ad accipiendum, ſicut in lege Domini præceptum habemus. Item in Salomone, Domino dicente: *Pondus* (b) *& pondus, menſuram & menſuram odit anima mea.*

LXXV. *De ſuſceptione hoſpitum.* OMNIBUS.

Et hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hoſpites, peregrini, & pauperes, ſuſceptiones regulares & Canonicas per loca diverſa habeant: quia ipſe

(y) Lucæ XIX, 46. (z) Matthæi V, 16. (a) Eccleſ. V, 3, 4.
(b) Levitici XIX, 36.

ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei: *Hospes* (c) *eram*, & *suscepistis me*. Et Apostolus, hospitalitatem laudans, dixit: *Per hanc* (d) *quidam placuerunt Deo, Angelis hospitio susceptis*.

LXXVI. De *Abbatissis contra morem Ecclesiæ facientibus*.
EPISCOPIS & ABBATIBUS.

Auditum est, aliquas Abbatissas, contra morem Sanctæ Dei Ecclesiæ, benedictiones cum manûs impositione, & signaculo sanctæ Crucis, super capita virorum dare, nec non & velare virgines cum Benedictione Sacerdotali: quod omnino à vobis, Sanctissimi Patres, in vestris Parochiis illis interdicendum esse scitote.

LXXVII. De *Clericis, qui se fingunt esse Monachos*. CLERICIS.

Ut illi Clerici, qui se fingunt habitu, vel nomine Monachos esse, & non sunt, omnimodis videntur esse corrigendi atque emendandi, ut vel veri Monachi sint, vel veri Canonici.

LXXVIII. De *pseudographiis*, & *dubiis narrationibus*.
OMNIBUS.

Pseudographiæ, & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem Catholicam sunt, ût epistola pessima & falsissima, quam transacto (e) anno dicebant aliqui errantes, & in errorem alios mittentes, quòd de Cœlo cecidisset, nec credantur, nec legantur, sed comburantur; ne in errorem per talia scripta populus mittatur. Sed soli Canonici libri, & Catholici tractatus, & Sanctorum auctorum dicta legantur & tradantur.

LXXIX. De *mangonibus & nudis cum ferro*.
ALIQUID SACERDOTIBUS.
ALIQUID OMNIBUS.

Item ut isti mangones & cotiones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per istam terram non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se datâ sibi pœnitentiâ ire vagantes. Melius videtur, ut si aliquid inconsuetum & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes, & servientes, & pœnitentiam agentes, secundùm quod sibi canonicè impositum sit.

XXC. De *Cantu Romano à Monachis peragendo*.
OMNIBUS CLERICIS.

Monachi, ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant, secundùm quod beatæ memoriæ genitor noster Pippinus Rex decertavit, ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apostolicæ Sedis, & Sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.

XXCI. De *operibus servilibus, quæ diebus Dominicis non sunt agenda*. OMNIBUS.

Statuimus quoque, secundùm quod & in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut & bonæ memoriæ Genitor meus in suis Synodalibus Edictis mandavit, quòd nec viri ruralia opera exerceant, id est, nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo: nec in sylvis stirpare, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos construere: nec in horto laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria carraria opera licet fieri in die Dominico, id est, hostilia carra, vel victualia, vel, si fortè necesse erit, corpus cujuslibet duci ad sepulchrum. Item fœminæ opera textrilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acupictile faciant: nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec berbices tondere habeant licitum: ut omnimodis honor & requies diei Dominici servetur. Sed & ad Missarum solemnia ad Ecclesias undique conveniant, & laudent Deum in omnibus bonis, quæ nobis in illo die fecit.

XXCII. De *prædicatione Episcoporum & Presbyterorum*.
OMNIBUS.

Sed & unicuique vestrûm videndum

(c) Matth. XXV, 35. (d) Hebr. XIII, 2.
(e) Vide paginam 68. Tomi hujus primi, ubi refertur hæc Epistola ad A.C. 745.

dum eſt, dilectiſſimi & venerabiles Paſtores & rectores Eccleſiarum Dei, ut Presbyteri, quos mittitis per Parochias veſtras, ad regendum, & ad prædicandum per Eccleſias populum Deo ſervientem, rectè & honeſtè prædicent, & non ſinatis nova, & non canonica, aliquos ex ſuo ſenſu, & non ſecundùm Scripturas Sacras, fingere & prædicare populo. Sed & voſmetipſi utilia honeſtè, & rectè, & quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate, aliósque inſtruite, ut hæc eadem prædicent. Primò omnium prædicandum eſt omnibus generaliter, ut credant, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unum eſſe Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, qui creavit Cœlum & Terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt: & unam eſſe Deitatem, ſubſtantiam, & Majeſtatem in tribus perſonis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Item prædicandum eſt, quomodo Filius Dei incarnatus eſt de Spiritu Sancto, & ex Maria ſemper Virgine, pro ſalute & reparatione humani generis, paſſus, ſepultus, & tertiâ die reſurrexit, & aſcendit in Cœlos: & quomodo iterum venturus ſit in Majeſtate Divina, judicare omnes homines ſecundùm merita propria; & quomodo impii propter ſcelera ſua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & juſti cum Chriſto, & cum Sanctis Angelis ſuis in vitam æternam. Item diligenter prædicandum eſt de reſurrectione mortuorum, ut ſciant, & credant, in iiſdem corporibus præmia meritorum accepturos. Item cum omni diligentia cunctis prædicandum eſt, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum ſupplicium. Legimus enim, Apoſtolo dicente: *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, iræ, rixæ, diſſenſiones, hæreſes, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Ideo hæc eadem, quæ magnus prædicator Eccleſiæ Dei ſingillatim nominavit, cum omni ſtudio prohibeantur, intelligentes, quàm ſit terribile illud, quod dixit: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Sed & omni inſtantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & ſpe in Deo, de humilitate & patientia, de caſtitate & continentia, de benignitate & miſericordia, de Eleëmoſynis & confeſſione peccatorum ſuorum: & ut debitoribus ſuis ſecundùm Dominicam orationem ſua debita dimittant. Scientes certiſſimè, quod qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt. Et hoc ideo diligentiùs injungimus veſtræ caritati, quia ſcimus, temporibus noviſſimis pſeudo-doctores eſſe venturos, ſicut ipſe Dominus in Evangelio prædixit, & Apoſtolus Paulus ad Timotheum teſtatur. Ideo, Dilectiſſimi, toto corde præparemus nos in ſcientia veritatis, ut poſſimus contradicentibus veritati reſiſtere, & Divinâ donante gratiâ verbum Dei creſcat, & currat, & multiplicetur in profectum Sanctæ Dei Eccleſiæ, & ſalutem animarum veſtrarum, & laudem, & gloriam nominis Domini noſtri JESU CHRISTI. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino noſtro JESU CHRISTO.

Anno Dominicæ Incarnationis (f) DCCLXXXIX. Indictione XII. Anno XXI. Regni noſtri actum eſt hujus Legationis Edictum, in Aquiſgrani Palatio publico. Data eſt hæc charta die X. Kalendas Apriles.

CARO-

(f) Hæc eadem temporis notatio in codice Palatino-Vaticanæ Bibliothecæ ſequentibus duobus Capitulis Caroli M. tituli loco præſcribitur. *Nota P. Labbé.* Baluzius Tomo I. Capitularium hoc ſecundum & tertium Capitulare refert ad annum hunc DCCLXXXIX.

CAROLI MAGNI
REGIS
CAPITULA,

Quæ ad Monachos (g) propriè spectant: eidémque loco & anno, quibus superiora, in nonnullis Codicibus adscribuntur.

I.

DE Monachis gyrovagis, vel sarabaitis.

II.

De Anachoretis, melius est, ut hortentur in congregatione permanere, quàm animus eorum alicubi ambulare tentet.

III.

Ut non parvipendentes sint Pastores animarum sibi commissarum; nec majorem curam habeant de lucris terrenis, quàm de animabus sibi commissis.

IV.

De obedientia, quæ Abbati debet exhiberi, & ut absque murmuratione fit.

V.

De Decanis, & Præpositis, ut eorum mutatio secundùm Regulam fiat.

VI.

De Cellariis Monasterii, ut non avari, sed tales mittantur, quales Regula præcipit.

VII.

Ut ubi corpora Sanctorum requiescunt, aliud Oratorium habeatur, ubi fratres secretè possint orare.

VIII.

De Eulogiis.

IX.

De susceptione hospitum, sicuti regula continet.

X.

De vestimentis Monachorum, ubi superfluum est abscidatur; & ubi minus, augeatur.

XI.

De noviter venientibus ad conversionem, ut secundùm regulam probentur, & non antea recipiantur, nisi sicut regula jubet. Et nullus cogatur invitus promittere: & de obedientia, & de stabilitate permanendi, sicut regula jubet.

XII.

De filiis nobilium, qui offeruntur.

XIII.

De ordinando Abbate.

XIV.

De Fratribus in viam directis.

XV.

Ut nullus Abbas pro susceptione Monachi præmium (h) quærat.

XVI.

Ut disciplina Monachis regularis imponatur, non sæcularis: id est, non orbentur, nec mancationes alias habeant, nisi ex auctoritate regulæ.

Item alia Capitula (i) de diversis rebus, partim Ecclesiasticis, partim Politicis.

I.

UT Comites Pupillorum & Orphanorum causas primùm audiant: & in venationem non vadant in illo die, quando placitum debent custodire, nec ad pastum.

II.

De Sacramento fidelitatis, quod nobis & filiis nostris jurare debent, quod his verbis contestari debet: *Sic promitto ego ille, partibus Domini mei Caroli Regis, & Filiorum ejus, quia fidelis sum, & ero diebus vitæ meæ, sine fraude vel malo ingenio.*

(g) Hoc Capitulare, & sequens tertium anni hujus in codice Sancti Vincentii conjunguntur cum præcedente eodem titulo & anno. Idem fit in editione Bavarica: Igitur omnia tria ad hunc annum & locum pertinent. *Sirmondus.*

(h) Præmium non quærat *Baluzius.*

(i) Capitulare tertium anni 789. dicitur *Baluzio.*

III.

De Monasteriis minutis, ubi Nonnanes sine regula sedent, volumus, ut in uno loco congregatio fiat regularis, & Episcopi prævideant, ubi fieri possit: & nulla Abbatissa foras Monasterium exire præsumat sine nostra jussione, nec sibi subditas facere permittat: & earum claustra sint bene firmata, & nullatenus Winileodos scribere vel mittere præsumat: & de pallore earum propter sanguinis minutionem.

IV.

De codicibus, vel tabulis requirendum. Et ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas observare.

V.

Ut nullus glorietur, per injustitiæ rationem aut conquirere aliquid, aut continere.

VI.

Ut illæ disciplinæ, quæ propter legem conservandam sunt constitutæ, propter præmium non dimittantur.

VII.

Ut audiant Episcopi baptisterium Presbyterorum, ut secundùm morem Romanum baptizent.

VIII.

De calceamentis secundùm Romanum usum.

IX.

Ut in diebus Festis, vel Dominicis omnes ad Ecclesiam veniant. Et non invitent Presbyteros ad domos suas, ad missam faciendam.

X.

Omninò prohibendum est omnibus ebrietatis malum: & istas conjurationes, quas faciunt per Sanctum Stephanum, aut per nos, aut per filios nostros prohibemus: & præcipimus, ut Episcopi, vel Abbates non vadant per casam miscendo.

XI.

De eo, quòd Missi nostri providere debent, ne fortè aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu per qualemcunque gradum sit, & nobis renuntiare.

XII.

De injustis teloneis.

XIII.

De manu leprosi.

XIV.

Ut Monachi, & qui in gradu Sacerdotali constituti sunt, ad sæcularia negotia non transeant. De reliquis tonsuratis detur spatium usque in Synodum nostram.

XV.

Ut Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ culpas (k) canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec jaculatores.

XVI.

De pauperibus in plateis, vel quadruviis jacentibus, ut ad Ecclesiam veniant, & illorum confessiones donentur.

XVII.

Ut supra altaria (l) tecuaria fiant, vel laquearia.

XVIII.

Ut Cloccæ non baptizentur, nec chartæ per perticas pendeant propter grandinem.

XIX.

Ut Missi nostri provideant beneficia, quomodo sint condirecta, & nobis renuntiare sciant.

XX.

De leprosis, ut se non intermisceant alii populo.

XXI.

Et omnino Missis nostris præcipimus, ut bona, quæ aliis per verbum nostrum docent facere, factis in se ipsis ostendant

Baluz. Tomo I. Capitularum à pag. 241. *ad* 244.
Labbé Tomo IV. Conciliorum pag. 844. 845. 846.

(k) cupplas. (l) teguria *Baluzius.*

CON-

CONVENTUS WORMATIÆ.

Anno Chrifti DCCXC. Hadriani XVIII. Caroli Magni XXII.

MAgnum Conventum cum Francis habuit Rex Carolus ad Vangionem, (*a*) quod eft Wormatia.

Venit ibidem Legatio (*b*) Hunnorum, quos audivit, & fuos viciffim ad eorum Principes mifit. Agebatur de confiniis Regnorum fuorum, quibus in locis effe deberent. Hæc contentio,atque altercatio belli, quod poftea anno 791. cum Hunnis geftum eft, feminarium & origo fuit.

Rex difpofuit (*c*) ea, quæ utilia videbantur effe in Regno fuo. Cæterùm annus hic à bellorum motibus (*d*) quietus fuit. Nulla expeditio à Rege facta.

(a) *Annales Francorum S. Martini Mafciacenfis apud Labbé Tomo II. MSS. Bibliothec.*
(b) *Fragmentum Annal. Petavii apud Duchefne Tomo II. Scriptor. Franciæ. Annales Reuberiani, Newenaariani.*
(c) *Chronicon S. Arnulphi.*
(d) *Annal. Newenaariani, & Reuberiani.* *Ex his Synodographi Sirmondus & Harduinus.*

CONCILIUM RATISBONENSE.

Anno Chrifti DCCXCII. Hadriani XX. Caroli Magni XXIV.

De hærefi Felicis Orgellitani Epifcopi.

ORgellis eft civitas in Pyrenæi montis jugo fita, cujus Epifcopus, nomine Felix, natione Hifpanus, ab Elipando, Toleti Epifcopo, per literas confultus, quid de Humanitate Salvatoris Dei, & Domini noftri JESU CHRISTI fentire deberet, utrùm fecundùm id, quod homo eft, proprius, an adoptivus Dei Filius credendus effet, ac dicendus? valde incautè atque inconfideratè, & contra antiquam Catholicæ Ecclefiæ doctrinam, adoptivum non folùm pronuntiavit, fed etiam fcriptis ad memoratum Epifcopum libris, pertinaciffimè pravitatem opinionis fuæ defendere curavit. Hujus rei causâ ductus (*a*) ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum, Bajoariæ civitatem, in qua & hiemaverat, refidebat. Ubi congregato Epifcoporum Concilio (*b*) auditus eft, & erràffe convictus. (*c*)

Ad Præfentiam Adriani Pontificis (*d*) Romam miffus, ubi etiam coram ipfo in Bafilica Beati Petri Apoftoli hærefim confeffus eft, atque abdicavit.

Quo facto ad civitatem fuam reverfus eft.

Annales Francorum à Newenaario editi 1521, *Quibus confentiunt Petaviani, & Reuberiani, Loifeliani, Laurisbamenfes, Bertiniani, Metenfes.*

(*a*) Præfectus Urgellæ civitatis, tunc ad regnum Aquitaniæ, adeóque ad Francos pertinentis, videtur tumultuantem Felicem Carolo Regi mififfe Ratisbonam.

[*b*] Epifcopi Bavariæ Arno Salisburgenfis, Waldericus Patavienfis, Paulinus Aquilegienfis, & finitimi videntur huic Synodo interfuiffe. *Hanfiz. Germania Sacra Tomo I. pag.* 145.

(*c*) Hæc prima Synodus coacta ad errorem Felicis damnandum, altera Romana hoc eodem anno fub Hadriano: Tertia Francofordienfis anni 794. Quarta Aquisgranenfis anno 799. Quinta Urgellitana anni 798. cui Benedictus Aniani, & S. Cornelii ad Indam Abbas interfuit: Ultima Aquisgranenfis anni 803.

(*d*) Hadrianus Papa jam anno 785. hujus erroris fparfi notitiam habuerat, & de eo Ep. *XCVII. Codicis Carolini editionis novæ Tomo VI. Gretferiano*, fcriptâ *ad omnes Hifpaniæ Epifcopos*, meminit,

nir, ubi de hæresi blasphema Elipandi Toletani Episcopi, olim discipuli Felicis, & Ascarici Ep. Bracarensis, jam à Felice seductorum, veluti Nestorii hæretici posterorum: quos doctissimè confutat testimoniis densis S. Scripturæ & SS. Patrum. Angelbertus Abbas Felicem, jussu Caroli, Pontifici Romano dedit in manus, qui errantem oviculam ad erroris abjurationem adegit hoc anno. *Nota hæc est Clmi Eckharti rerum Franciæ L. XXV. §. L.*

Eodem anno, & in eadem urbe Regino, Pippinus Filius major Caroli Regis conjurationem iniit cum quibusdam Francis in Regis Patris sui necem, qui Franci crudelitatem Reginæ Fastradæ se ferre non posse, asseverabant.

Hæc conjuratio ab Ardulfo Longobardo detecta fuit; qui ob meritum fidei servatæ, Monasterio S. Dionysii donatus est. Autores verò conjurationis, ut rei læsæ Majestatis, partim gladio cæsi, partim patibulis suspensi, ob meditatum scelus tali morte multati sunt.

Annales *Newenariani*, *Renberiani*, *Petaviani*. Quorum alii in Conventu Episcoporum Ratisbonensi, alii post Conventum, hanc conjuratorum condemnationem institutam narrant.

Chronicon vetus Cœnobii Moissiacensis refert hanc detectam Pippini & Procerum conjurationem ad annum sequentem 793: & Conventum ad Ragenesburch in ipsa hyeme anni ejusdem celebratum, in quo Carolus fideles suos Episcopos, Abbates, & Comites, qui cum Pippino in ipso consilio pessimo non fuissent, multipliciter honoravit auro, argento, & serico, & donis plurimis: verosimilius autem est, hæc omnia anno 792. post Synodum actitata fuisse.

CONCILIUM FRANCOFORDIENSE,

In quo hæresis Feliciana ab Episcopis universi Regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, præsente Carolo Magno Rege, atque Hadriani Papæ Legatis, Theophylacto & Stephano Episcopis, tertiò damnata est,

Anno Christi DCCXCIV. Hadriani ejusdem Papæ XXIII. Caroli Magni XXVI.

Index eorum, quæ in hoc Concilio (*) continentur.

EPISTOLA HADRIANI PAPÆ AD EPISCOPOS HISPANIÆ, CONTRA ELIPANDUM EPISCOPUM TOLETANUM.

HAdrianus Papa Sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ, primæq; Pontifex Sedis, Dilectissimis Fratribus, & Consacerdotibus nostris, Galliciis, Spaniisq; Eccle-

(*) Desunt & intereiunt literæ Elipandi Episcopi Toletani, ad Carolum Regem: alteræ ejusdem ad Hadrianum Papam: Tertiæ ejusdem ad Episcopos Galliarum; sed ex Responsoriis Hadriani, Caroli, & Episcoporum colligitur argumentum earundem literarum, nempe pertinax & dolosa

Ecclesiis præsidentibus, in roseo Christi sanguine salutem. Si tamen licet de omnibus Fratribus & Consacerdotibus dici. Non enim caritatis vinculo fraterna ansula perstringente nostris illigare amplexibus amoris connivemus modò, qui non sunt fidei nostræ communioni sinceris sensibus sociati, ac per hoc à gremio Sanctæ Matris ecclesiæ lacrymabili divisione exstant exortes. Igitur dilectissimus Filius noster, & spiritalis Compater, Domnus Carolus Magnus, & venerabilis Princeps, Rex Francorum ac Longobardorum, seu Patricius Romanorum, sæpe nos styli ferculo, Catholicæ fidei epulas offerendo, multa refectionis dulcedine satiare consuevit, & confluente ad vallem mentis ex aliis quibuscumque rebus amaritudinis unda, mellitis quinimmo rivulis, lætitiæ de fonte manantibus summa nihilominus suavitate temperare non cessat. Sed quoniam ferventi succensus Fidei zelo, ea, quæ contraria orthodoxæ fidei, Spaniarum de confiniis allata sibi persensit, nostris curavit summa pernicitate obtutibus præsentari, Beati Petri amore feliciter obstrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, & sedis ejus Præsulem dignum duxit sacris syllabis consulendum; Regiam videlicet vel Canonicam placuit ei consuetudinem renovare. Cúmque perlectus, & sagaciùs exploratus fuisset Epistolæ (*a*) textus, reperta sunt in eodem pseudosyllabo perquam plurima cum Autore suo Elipando, Toletanæ sedis Archiepiscopo, redarguenda, ac per hoc redargutionis vindictâ modis omnibus ulciscenda. Unde non mediocri dolore mente nostrâ sauciatâ, medium se in animum nostrum tristitiæ angor immersit. Quâ de re nimio satis zelo compulsi, ex auctoritate sedis Apostolicæ, pro causâ siquidem orthodoxæ fidei, æquum ratúmque per sacros apices prospeximus respondendum.

Materia autem causalis perfidiæ inter cætera rejicienda, de adoptione JESU CHRISTI, FILII DEI, secundùm carnem falsis argumentationibus digesta; perfidorum verborum ibi stramina incomposito calamo legebantur. Hoc Catholica Ecclesia numquam credidit; numquam docuit, numquam malè credentibus assensum præbuit. Multa siquidem sparsim in sacris foliis Divinarum Scripturarum testimonia super hoc negotio inserta reperiri possunt. Sed si in unum plura coacervatim colligere non vitamus, mensuram prorsus Epistolæ ultra modum excedere nihilominus judicamur. Sufficiant ergo pauca de multis, ne morosa legendi prolixitas desidiosis fastidium inferat, non abstergat. Cujus namq; meliùs, quàm ipsius Domini verba primùm ponenda sunt? Ipsius nimirum veritatis testimonia inferenda. Ipse enim de se innotuit, cujus filius esset, cùm Patris nomen, se asserat hominibus nuntiâsse. Ait enim: *Manifestavi* (b) *nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Nomen paternum tunc manifestavit hominibus, cùm se Patris filium verum, & non putativum: proprium innotuit, & non adoptivum. Sed notandum, quod dicitur: *Hominibus, quos dedisti mihi.* Non enim sunt isti ex illis hominibus, quos ei Pater dederat, & immo, quos ille cum Patre ante mundi constitutionem elegerat, qui eum adoptivum, & non proprium filium confitentur: quasi alienus aliquando à Patre fuerit, aut per carnis extraneus ab eo factus esset assumptionem; cùm, ut Verbum caro fieret, una exstiterit Patris Filiíque voluntas, sicut scriptum est: *Ut facerem voluntatem* (c) *tuam, Deus meus volui.* Hinc aliàs ait: *Ascendo* (d) *ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Distinctè enim dixit: *Meum & vestrum.* Ejus videlicet, non per gratiam, sed per naturam: noster verò, per gratiam adoptionis. Porrò numquam non fuit filius, quia numquam non fuit Pater. Semper enim & ubi-

defensio erroris Feliciani. Sed Elipandi Epistolæ responsoriæ ad Alcuinum supersunt inter opera *Alcuini edita Parisiis 1617. pag. 910.* Et Alcuini ad Elipandum prima cohortatoria Ep. tum libelli duo confutatorii Elipandi *in eadem Editione:* demum Epistola Elipandi ad Felicem, nuper conversum.

(*a*) Epistola hæc vel à Felice Urgellitano, vel ab Elipando Toletano, vel ab alio erroris socio Hispano Episcopo, scripta fuit ad Hadrianum PP. nisi fors hi Episcopi Concilium coegerint pro suo errore tuendo, ut opinatur *Mansi Supplementi Tomo I.* Ut ut sit, ea Epistola non extat. Hæc Hadriani Epistola eandem confutat clarissimis SS. Scripturæ testimoniis.

(*b*) Joannis XVII, 6. (*c*) Psalm. XXXIX, 9. (*d*) Joann. XX, 17.

ubique distinctè Patrem suum appellat. *Pater*, (e) inquit, *meus usque modò operatur, & ego operor.* Et rursus: *Pater clarifica* (f) *filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Et: *Pater meus* (g) *quod dedit mihi, majus omnibus est.* Quòd si secundùm eorum callidam tergiversationem cuncta, quæ protulimus, ad Divinitatem tantummodo Filii Dei referenda opinantur, dicant, ubi umquam communi affectu dixerit nobiscum, Pater noster? *Scit* enim, inquit, *Pater vester*, (i) *quid vobis opus sit.* Non ait, noster, quasi nobiscum adoptatus per gratiam. Et alibi: *Estote ergo* (k) *& vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Cur non dixit, noster? Quia aliter noster, & aliter suus. Hinc rursus ait: *Si vos, cùm sitis mali*, (l) *nôstis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* &c. Hinc Paulus, Electionis vas, ait: *Proprio filio* (m) *suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Scimus enim, quia non est traditus secundùm Divinitatem; sed secundùm id, quod homo verus erat. Illum nimirum qui traditus est, id est, hominem, ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur.

Quid enim præstabilius, quídve clarius, & omni religione devotius, quàm beati Petri, primi Pastoris Ecclesiæ, felici confessione prolatæ fidei tenere fundamentum? *Fundamentum*, (n) inquit Magister gentium, *aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est CHRISTUS JESUS.* Hujus nimirum fundamenti immobilis soliditatem B. Petrus, non carne & sanguine, sed Patre revelante de cœlo, contitendam declaravit. Cùm refutatis quorundam opinionibus, quid in discipulorum animis fides operaretur, cunctorum cognitor exploraret; solus pro se, & pro omnibus, & pro unitate unus, testimonium fidei perhibuit, dicens: *Tu es* (o) *Christus, Filius Dei vivi.* Qui mox confessionis præmium, nullâ interveniente morâ adeptus, ut cœli janitor, & ligandi, solvendique arbiter factus est animarum. Statimque Dominus: *Et ego dico* (p) *tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Super hanc, inquit, petram, quam confessus es, & à quâ vocabuli fortitus es dignitatem: super hanc soliditatem fidei Ecclesiam meam ædificabo. Et idcirco portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, per quas aditus mortis panditur, ut ad inferni claustra eorum errores sequendo descendant, qui se à B. Petri fidei communione dissociant. Relictâ, heu miseri! inviolabilis petræ inconcussâ firmitate, super lubrica & arenosa ruralia perfidiæ domum ædificare festinant. Inundatione autem juxta Dei beatificam vocem facta, illisum est limen domûs, *& cecidit*, (q) *quia non erat fundata super Petram.* O quàm bene fidei ejus immobiliter persistente muro, omnium hæreticorum fluxa sunt machinamenta destructa! Numquidnam dixit Petrus: Tu es Christus, qui propter nos factus es Filius hominis, & per adoptionem factus es Filius Dei? Absit. Hoc nec Petrus confessus est, nec Sancta Ecclesia, super firmam fundata petram, id est, Fidei fundamentum, quod Christus est, confitetur; quam Christus protegit & defendit, & Petrus, Christi auxilio fultus, gubernat. Sed unâ voce cum Petro Christum Dei Filium confitetur, quia unus est Christus, Dei, hominísque Filius, non per gratiam adoptionis, sed propriâ filii dignitate.

Sufficeret quinimmo, in his duobus, vel tribus testibus stare omne verbum: sed propter controversias litigantium, qui falsis objectionibus, conjecturalium quæstionum molimine, veritatis refragari nituntur adsertionibus, adhibeamus quin etiam alios veritatis testes, Sanctos scilicet Prædicatores nostros, qui in gremio Catholicæ Ecclesiæ lacte fidei sunt nutriti, & ad tantam perfectionis maturitatem pertingere meruerunt, quatenus & solidi cibi capaciores fierent, & minutiùs turbis frangendi peritiam retinerent. Beatus igitur Athanasius, Alexandrinæ Sedis Antistes, sancto afflatus spiritu, hoc modo fidei suæ exorsus principium dedit: Confitemur Filium Dei, ante sæcula sempiternum, ex Patre genitum, novissimis verò temporibus propter nostram salutem de MARIA Virgine natum, sicut scriptum est: *Quando* (r) *venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum*

(e) Joannis V, 17. [f] Joannis XVII, 1. [g] Joan. X, 29.
(i) Matth. VI, 18. [k] Matth. V, 48. (l) Lucæ XI, 13.
(m) Roman. VIII, 32. (n) I. Corinth. III, 11. (o) Matth. XVI, 16.
(p) Ibidem. (q) Matth. VII, 25. (r) Galat. IV, 4.

factum ex muliere. Ac deinceps: Si quis verò adversùs Divinas Scripturas alium dicens Filium Dei, & alium, qui ex Maria Virgine, hominem secundùm gratiam adoptatum, sicut nos, quasi essent duo filii, unus secundùm naturam, qui ex Deo, & unus secundùm gratiam, qui ex MARIA: & si quis Domini nostri carnem desursum dicit, & non ex Virgine MARIA; aut mutatam Deitatem in carnem, & confusam, aut alienatam, aut passibilem Deitatem, aut inadorandam Domini nostri carnem, sicut hominis, & non adorandam Domini & Dei carnem; hunc anathematizat Sancta & Apostolica Ecclesia, juxta Pauli vocem dicentis: *Si quis* (s) *aliter evangelizaverit vobis præter quod accepistis, anathema sit.* Eloquentissimus vir, S. Gregorius Nazianzenus, ad Clidonium ità scribit: Si quis introducit duos filios, unum quidem, qui ex Deo, & Patre, secundum verò, qui ex matre, & non eumdem, ut adoptionis excedat gratiam, quæ promissa est his, qui rectè credunt, alienum eum à nostro consortio judicamus. Naturæ verò duæ, Deus & homo, nam & anima, & corpus. Filii verò non duo, neque Dii, neque duo homines, quamvis Paulus *interiorem* (t) *& exteriorem* hominem appellaverit. Sed hujus expositio Capituli tempore reservatur opportuno.

Venerabilis verò Pater Augustinus, & admirabilis Doctor, in quodam sermone super Evangelio Joannis, inter cætera, sic ait: Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit Unigenitus solvere peccata. Advertat tandem aliquando obstinata dementia vestra, & abjicientes opera tenebrarum, induti arma lucis, relictâque nocte perfidiæ, in die sinceræ fidei honestè ambulate. Pensate, quid Doctor iste dixerit, adoptatos nos esse per gratiam ipsius, qui peccata solvere venit. Quomodo per illius gratiam nos sumus adoptati, si ipse consors nobis in adoptionis gratiâ fuit? Credatur ergò, quod dici nefas est, particeps etiam nobis in causâ peccati. Nam sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet: ità adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati, necessarium eguerit, ut gratiam adoptionis acciperet. Animadvertite, quid Dilectus Joannes Baptista, & Præcursor dixit: *Joannes*, inquit, *testimonium perhibuit*, (u) *quia ipse est Filius Dei*: Ipse est, inquit, unus idémque. Oportebat, ait Beatus Augustinus, cum Capituli hujus mysterium exponendo revelaret, ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptivus. Adoptati Filii, ministri sunt unici: unicus autem habet potestatem, adoptare ministrum. Scriptum est enim: *Pater* (x) *diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Adoptivis verò filiis non dedit omnia, sed quædam dona charismatum. Pater diligit Filium: sed quomodo Pater Filium? Non quomodo Dominus servum: quomodo unicum, non quomodo adoptatum.

Jam nunc videamus, quid de hac re sentiat prædecessor noster, Beatus Gregorius, egregius Doctor, sagacissimus Verbi Dei indagator, & venerabilis Pater. Denique in libris moralibus, Sancto repletus Spiritu, inter cætera de eo, quod scriptum est: *Erátque* (y) *vir ille magnus inter omnes Orientales.* Omnes, inquit, qui in hunc Orientem fide consistunt, rectè Orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines, ipse autem Oriens Deus & homo; rectè dicitur: *Erat magnus inter omnes Orientales*, ac si apertè diceretur, omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat: quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum Divinitatis exaltat. Et rursus alibi idem ipse: Quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus & homo, in terrâ ei similis non est: quia etsi adoptivus quisque filius ad percipiendum Divinitatem proficit; nequaquam tamen, ut Deus naturaliter esset, accepit. Item ipse in eodem libro B. Job, de eo, quod scriptum est: *Ecce Deus* (z) *excelsus in fortitudine, & nullus ei similis in legislatoribus.* Ac si diceret, Qui humilis videbatur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine. Et post paululum: Legislator Moyses, Legislatores etiam Prophetas, vel cunctos Legislatores dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus: sed huic mediatori in legislatoribus similis nullus est: quia isti gratuitò vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt; Redemptor autem noster homo sine peccato

(s) Galat. I, 9. (t) Roman. VII. (u) Joan. I, 34.
(x) Joan. III, 35. (y) Jobi I, 3. (z) Jobi XXXVI, 22.

cato eſt, filius ſine adoptione. Nam etſi homo quidem, ſed extra menſuram hominum credendus eſt. Unde bene dicitur: *Nullus ei ſimilis in legiſlatoribus.* Ecce de quo ſcriptura dicit, *Deus excelſus in fortitudine, & nemo ei ſimilis in legiſlatoribus.* Et de quo alia Scriptura dicit: *Quis in nubibus* (a) *æquabitur Domino? aut quis erit ſimilis Deo inter filios Dei?*

Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, ut æquare eum nubibus & legiſlatoribus non erubeſcatis: adoptivum eum filium, quaſi purum hominem, calamitati humanæ ſubjectum, & quod pudet dicere, ſervum eum impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenosâ fauce ſuſurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum ſervum nuncupare, qui vos de ſervitute diaboli liberavit; cui ſervituti vos iterum nitimini perfidiæ ſponte colla ſubmittere? Porrò cum eſſetis ſervi peccati, ipſe vos liberavit gratuito munere per adoptionis gratiam in ſortem filiorum Dei. Numquid non ſonat de vobis vox illa Domini dicentis: *Ego* (b) *honorifico Patrem meum, & vos inhonorâſtis me?* Tales gratiarum actiones infelices ei refertis, ut, qui vos honorificè liberos pretio ſanguinis fecit, eum vos injurioſè adoptivum & ſervum caninis non confundamini linguis latrare? nam etſi in umbrâ Prophetiæ dictus eſt ſervus, propter ſervilis formæ conditionem, quam ſumpſit ex Virgine, ſicut ſcriptum eſt: *Conſideràſti ſervum meum Job,* (c) *quòd non ſit ei ſimilis in terrâ?* Hoc nos unà cum Beato Gregorio intelligimus, & ſecundùm hiſtoriam de S. Job, & allegoricè de Chriſto dictum. Numquid propterea ſervi ei nomen imponere debemus, quia ſub perſonâ Job ſcriptura eum typicè deſignabat? Hinc etiam alius Propheta, membrum ſcilicet ſacri corporis, ex perſonâ ſummi capitis, tropica clamat involvente vaticinia nube: *O Domine,* (d) *ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & Filius ancillæ tuæ.* Et rurſus: *Da imperium* (e) *puero tuo, & ſalvum fac Filium ancillæ tuæ.* Et illud: *Noli timere ſerve* (f) *meus Jacob, & rectiſſime, quem elegi.*

Quæ cuncta & juxta litteram Propheticè & myſticè revelata, noſtri mediatoris deſignant perſonam: quod quilibet Catholicorum virorum, hujus Prophetiæ myſterio uſus, quemadmodum in quodam libro de Incarnatione Domini B. Ambroſius, ſimile quid dixerit: propter eos videlicet hæreticos, qui phantaſticum, aut etiam ſemiplenum Dominicum corpus ſacrilego ore ſuſurrant. Numquid docuerunt, eum ſervum, & adoptivum filium prædicare, cùm univerſalis Eccleſia, Evangelicis atque Apoſtolicis imbuta lucidiſſimis documentis, Deum ac Dominum ſuum, totis medullis cordis, tota animi devotione, in dextera eum Patris profitetur ſedentem? Poſtquam autem ceſſavit umbra veritatis, & ipſa in promptu manifeſtata eſt veritas, quæ ſub allegorica ſilva latebat, nuſquam eum à parte ſervum vocatum legimus, ſed filium, & dilectum, & ſuum; nec filium Dominum eum ſuum appellâſſe, ſed Patrem. Nam Deus & homo erat, qui ſecundùm Deum dicebat: *Ego & (g) Pater unum ſumus;* & ſecundùm hominem: *Pater* (h) *major me eſt:* & tamen non ait: Pater Dominus meus eſt, ſed major. Enim verò etiam in ipſo articulo paſſionis, in quo ſervilis forma pati parata erat, ubi omnis humanæ conditionis infirmitas monſtrabatur, non eum Dominum appellavit, ſed Patrem. *Pater,* (i) inquit, *ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Quoniam magnum pietatis Sacramentum, quod apparuit in mundo, juxta Pauli vocem, aſſumptum eſt in gloria. Nullus unquam Evangeliſtarum, nemo Apoſtolorum, ſervum eum commemorat, ſed Dominum & Salvatorem. Nam Thomas cum exploraret veſtigia vulnerum, quæ clavi & lancea intulerunt, exclamavit dicens: *Dominus* (k) *meus, & Deus meus.* Petrus ait: *Domine,* (l) *tu mihi lavas pedes?* Diſcipuli omnes, *Domine* (m) *adauge nobis fidem.* Paulus, Clariſſima mundi tuba, ſemper eum Dominum & ipſe confitetur, & omnium linguam confiteri perdocet.

Jam

(a) Pſalmo LXXXVIII, 7. (b) Joan. VIII, 49. (c) Jobi I, 8.
(d) Pſalmo 115, 16. (e) Pſalm. 85, 16. (f) Iſaiæ 44, 2.
(g) Joan. X, 30. (h) Joan. XIV, 28. (i) Matth. XXVI, 42.
(k) Joan. XX. (l) Joan. XIII. (m) Lucæ XVII.

Jam revelata & impleta erat omnis figuratæ locutionis obumbratio : ipse enim de cruce testimonium perhibuit. Nam cùm accepisset acetum, dixit: *Consummatum* (n) *est*. Cùm autem in Altari crucis Hostiam se pro nobis exhibuisset Deo & Patri in odorem suavitatis, & aceti poculum mixta gustâsset fellis amaritudine, tunc consummata sunt omnia, quæ longè ante Propheticis fuerant oraculis pronunciata. Hierusalem autem per figuram significabat Ecclesiam: sed in re corporea civitas est. Et his similia, quàm plurima, & innumerabilia mysteriorum Sacramenta, figuratæ locutionis modo edita, & ænigmatibus sensim foliis involuta, per sacras paginas inveniuntur inserta; quæ longè aliter sunt habenda in specie rerum, aliter in mysticis veneranda figuris. Dictus quippe est in mysterio Redemptor noster *lapis* (o) *angularis*, propter duos parietes utriusque populi, ut faceret utraque unum. Dictus etiam & petra, propter firmitatem. Dictus est namque & agnus, propter innocentiam & mansuetudinem, & sacrificium, quod in Altari crucis pro nobis obtulit Deo & Patri. Num quidnam lapis, & petra est insensibilis creatura? aut agnus est irrationale animal? aut vitulus lascivum pecus? Nam si propter servi formam, & injuriam passionis, paulò minùs ab Angelis est minoratus, propter triumphum tamen victoriæ, & gaudium resurrectionis, gloriâ & honore est coronatus. *Constituisti* (p) *eum*, ait Psalmista, *super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Omnia namque post gloriam resurrectionis subjecta sunt ei: haud dubio Angeli, & omnis creatura. Dominum igitur Angelorum, omnisque creaturæ, cujus sub pedibus cuncta subjecta sunt, vos dicitis servum & adoptivum.

Paulus namque, mundi lilium, & Ecclesiæ pulcherrima rosa, templum scilicet Spiritûs Sancti, & prædicabilis Doctor, in universo ore suo Dominum eum, & non servum appellat. Ait namque: *In nomine* (q) *JESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria Dei Patris est.* Unde & aliàs dicit: *Etsi* (r) *novimus Christum secundùm carnem, sed jam nunc non novimus illum.* Ac si patenter diceret: Etsi novimus eum mortalem, passibilem, vulneri deditum: sed jam in Gloria Patris scimus eum ab omni humanæ conditionis debito alienum. Paulus electionis vas, docet, ut omnis lingua, confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris; cur surdâ aure, & erroris obvoluto tenebris corde hunc locum scripturæ legendo transilitis? Paulus, omnem linguam Dominum JESUM eum confiteri, hortatur, & docet: & vestra lingua non confunditur, servum eum & adoptivum latrare? Hæc namque stultiloqua lingua in frusta est præcidenda, & per mille, ut ità dixerim, partes minutiùs detruncanda.

Cur vos non revocant ad viam veritatis & lucis, cæci, scelesti, immites, & incompositi, tam salubria scripturarum documenta? qui cadentes sicut Balaam, apertos habetis oculos, nihil videntes: & quia in foveam erroris corruistis, ideò lumine veritatis privati, ignorantiæ vestræ tenebras non videtis. Apertos vos dicitis habere oculos: sed quia à statu rectitudinis recidistis, idcirco Patrem mendacii, qui Adæ in peccati nocte aperuit oculos ad malum, & clausit in bonum, intuemini: & Patrem luminis non aspicitis, qui discussâ nocte peccati, justitiæ nobis diem veritatis radio illuminavit. Numquid non legistis: *Quia omne datum optimum* (s) *& omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum?* Cur vos de deorsum à Patre mendacii, & rectore tenebrarum harum nummum exposcitis peccatorum? cur cum antiquo serpente renovare vultis delicti chirographum, quod dulcis clementiæ bonitas, unica ac singularis pietas, cruci affixit in arce, & roseo pretiosi sanguinis abluit ostro? An nescitis, quia ab origine mundi usque ad mediatoris adventum, hujus emptionis debitum, veneni gutta, calamo scribentis infusa, mendaciique fraude deceptionis falsitas exarata, omne humanum genus in ventrem malitiæ suæ trahens, quasi fluvium ingurgitantem absorbuit? Sicut de eo scriptum est: *Absorbebit* (t) *fluvium, & non mirabitur. & habet fiduciam, quod influit Jordanis in os ejus.*

 Cur

(n) Joannis XIX. (o) Psalm. 117, 22. (p) Psal. VIII, 7.
(q) Philipp. II, 10. (r) II. Corinth. V, 16. (s) Jacobi I, 17.
(t) Job. XL, 18.

Cur non præcavetis, miseri, ne fortè propter perfidiam vestram elevet se Jordanis in undam tumescentem, glomeratisque fluctibus extra ripas, vos in locis palustribus evomat, statimque serpens ille vos inveniat, in cœno erroris defixos, apertóque crudelitatis ore, summâ vos rapacitate degluttiat? Intelligite, quæ dico. Per Jordanem, Ecclesiam, vel baptizatorum advertite multitudinem: per tumescentem undam, censuram disciplinæ, & anathematis jacturam: extra ripas enim Jordanis, extra gremium Ecclesiæ: per cœnum, hæresiam pollutionem. In serpente diabolus debet intelligi: qui ideò hæreticorum corda perfidiæ veneno sauciare inhianter desiderat, ut eos, quasi ebrios, fauce devoret impietatis.

Cur beati Petri parvi penditis gloriosæ confessionis inviolabilem fidem? Cur Sacratissimi Pauli Apostoli plena Sacramentorum Mysteriis despicitis perspicua documenta? Cur non per Evangelicas paginas planam & directam, Catholica luce perfusam viam repetitis veritatis? Cur non tot testium Christi veridicas simpliciter, sacratiúsque prolatas suscipitis Sanctiones; sed magis his crudelitatis præbetis assensum, quæ vestris auribus diabolica sibilat lingua? Patris testimonio, de filio perhibentis, non creditis, qui dixit, *Hic est filius meus dilectus?* Spiritûs Sancti ostensionem in specie columbæ, quia ipse esset dilectus filius, nihil penditis? Super quem putatis Spiritum Sanctum in specie Columbæ descendisse? super Deum? An super hominem? An propter unam personam Christi, super Dei hominísque filium? Spiritus namque Sanctus, cùm sit inseparabiliter amborum, Patris scilicet & filii, & ex Patre filióque essentialiter procedat, quo pacto credi potest super Deum descendisse, à quo nunquam recesserat; & à quo ineffabiliter semper procedit? Dei enim filius, secundùm id, quod Deus est, Sanctum Spiritum, cum Patre numquam à se recedente, inenarrabili modo mittit: & secundùm id, quod homo est, super se venientem suscepit. De eo ergo, id est, de hominis filio, super quem Spiritus Sanctus descendit, licet unus sit Dei hominísque filius, vox Patris intonuit, dicens: *Hic est filius* (u) *meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Si secundùm Divinitatem dixisset, nequaquam diceret, *In quo mihi bene complacui.* Sed tantummodo, in quo mihi bene placuit. Sed dum dicit, complacuit, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas. Animadvertite, quia nihil vobis restat, ut secundùm Divinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem, *Hic est filius meus*: sed potiùs secundùm humanitatem, super quam Spiritus Sanctus dicitur descendisse. Joannes clamat dicens: *Ego nesciebam* (x) *eum, sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, ipse est.* Ipse utique unicus, proprius & dilectus, & non servus & adoptivus. Ipsius igitur filii testimonium abnuetis, qui distinctè semper eum suum Patrem & nostrum appellat? Cui ergo vultis credere? aut cui vultis adæquare eum? Dicit enim ipse per Prophetam: *Cui* (y) *adsimilâstis & adæquâstis me?* Cui alius Propheta dicit: *Non est similis* (z) *tibi in Diis Domine, & non est secundùm opera tua?* Non est secundùm opera ejus, quia sicut singulariter est homo ultra homines, ità singulare est opus ei, & excellens omnia opera Sanctorum, qui Dii non essentialiter propter gloriam divinitatis, sed nuncupativè pro meriti appellantur dignitate. Opus namque ejus est, ut sit unicus, proprius & dilectus Filius Dei. Nostrum opus est, ut simus servi per conditionem, & filii per gratiam adoptionis.

Jam nunc tempus est, ut à labore operis styli requiescat mucro: non torpescat, sed requiescat, & otio reparatus, semper sit ad omne opus bonum paratus. Series enim prolixæ orationis jam jamque suspensum exposcit versiculi punctum. Attamen priusquam libelli imponatur terminus finalis, adhibenda est litigatorum optio sententialis. Eligant namque quæ volunt, vitam aut mortem, benedictionem aut maledictionem. Optamus namque, & infinitam boni Pastoris Domini precamur benignitatis clementiam, ut qui *ovem perditam* (a) *ad ovile* propriis humeris reportavit, ut relictis erroris anfractibus, in quibus malæ bestiæ, id est, maligni spiritus commorantur,

(u) Matth. III, & XVII, 5. (x) Joan. I, 3, 33. (y) Isaiæ XL, 25. (z) Psalm. 85, 8. (a) Lucæ XV, 4.

rantur, & ad viam, quæ ducit ad vitam æternam, fidei paſſibus Chriſto redeant pertrahente: quatenus in ſinu matris Eccleſiæ ſuſcepti, per lamentum pœnitentiæ ſordes abluant peccatorum, & infamata eorum modeſtia, bonæ famæ recipiant priſtinam dignitatem. Nec honoris periclitentur naufragio, & à noſtro non disjungantur conſortio: ac per hoc reconciliati Communioni Catholicæ Fidei, Divina illos pietas cœleſtium faciat eſſe participes gaudiorum. Quod ſi exigentibus indignis meritis, tam inſolubili eos malignus Spiritus perfidiæ laqueo, juſto Dei Judicio, ſtrangulavit, ut reſolvi nequeant; ex auctoritate prorſus ſedis Apoſtolicæ, ac Beati Petri Apoſtolorum Principis, & per eam, quam illi Magiſter & Dominus tradidit poteſtatem, & ſolvendi, ligandique licentiam tribuit, quod ſine gravi mœrore non poſſumus dicere, perpetuo eos anathematis vinculo religatos, ultrici cum ſequacibus ſuis vindicta plectendos, ac per hoc & à gremio Eccleſiæ, & à noſtro conſortio definio alienos. Si quis autem fidelium, Deúmque timentium, caritatem eis benignitatis impartiendo, & Chriſti amore, pro eis precis oblationem Domino offerre voluerit, non ſolùm non inhibemus, ſed ut faciat, Apoſtolicâ admonitione & optamus, & ſalubri incitamus exhortatione: ut Deus omnipotens, qui neminem vult perire, & omnes homines propter nimiam bonitatem ſuam vult ſalvos fieri, revocet eos ad viam veritatis, & ad agnitionem pertingere, ſicut dignum eſt, rectæ fidei, quæ eſt in CHRISTO JESU, Domino noſtro, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in Trinitate perfecta, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Surius Tomo III. Conciliorum.
Binius Tomo III. Concilior. Part. I. p. 141.
Sirmondus edidit denuo collatam hanc Epiſtolam cum Codice MS. Remenſi, ex quo nos eam recudimus.

Aliam Epiſtolam Hadriani Papæ, *directam omnibus Epiſcopis, per univerſam Spaniam commorantibus, maximè tamen Elipando, vel Aſcarico, cum eorum conſentaneis, pro hæreſi vel blaſphemia, quòd Filium Dei adoptivum nominant, &c.* refert volumen Epiſtolarum Pontificiarum ad Carolum Martellum, Pippinum, & Carolum M., editum primò à Gretſero, *noviſſima Editionis Tomo VI. N. XCVII. pag.* 782. Sed quia eadem Epiſtola multos alios errores hæreticorum confutat, in eadem Hiſpania graſſantes, hinc Concilii Francofordienſis Actis non additur.

LIBELLUS EPISCOPORUM ITALIÆ
CONTRA ELIPANDUM, CONCILII DECRETO MISSUS AD PROVINCIAS HISPANIÆ.

Incipit Libellus ſacroſyllabus, Catholico ſalubriter editus ſtylo in Concilio, Divino nutu habito in Suburbanis Moguntiæ, Metropolitanæ civitatis, Regione Germaniæ, in loco celebri, qui dicitur Franconofurd, ſub præſentiâ Clementiſſimi Principis Domini Caroli, glorioſíque Regis, anno feliciſſimo Regni ejus XXVI. Placuit igitur Sancto Venerandóque Concilio, quatenus hic Libellus pro causâ fidei ad Provincias Galliciæ, ac Spaniarum mitti deberet, obnoxios reſecandos errores: ſpecialiter autem ad Elipandum, Toletanæ Sedis Epiſcopum: in quo omnis hujus negotii conſtat materia quæſtionum.

SAncto incitante Spiritu, ac zelo Fidei Catholicæ, ſcintillatim ſub pectore ferveſcente Clementiſſimi & tranquilliſſimi, glorioſíque CAROLI Regis, Domini terræ, Imperii ejus decreto, per diverſas Provincias Regni ejus ditioni ſubjectas, ſummâ celeritate præcurrente, multitudo Antiſtitum, ſacris obtemperando præceptis, in uno Collegio aggregata convenit. Quadam die reſidentibus cunctis in Aulâ ſacri Palatii, adſiſtentibus in modum coronæ Presbyteris, Diaconibus, cunctóque Clero, ſub præſentiâ prædicti Principis, allata eſt Epiſtola (*a*) miſſa

[*a*] Epiſtola hæc non ſupereſt.

missa ab Elipando, auctore noxii sceleris, Toletanæ Sedis Pseudo-Episcopo, Hispalensi (*b*) termino circumseptæ. Cúmque jubente Rege, publicâ voce recitata fuisset, statim surgens venerabilis Princeps de sellâ regiâ, stetit supra gradum suum, ac locutus est de causâ fidei prolixo sermone, & adjecit: Quid vobis videtur? Ab anno prorsus præterito, & ex quo cœpit hujus pestis insaniâ tumescente, perfidiæ ulcus diffusiùs ebullire; non parvus in his regionibus, licet in extremis finibus Regni nostri, error inolevit, quem censurâ fidei necesse est modis omnibus resecare. Cúmque imprecata & concessa esset morosa dilatio per dies aliquot, placuit ejus mansuetudini, ut unusquisque, quicquid ingenii captu rectiùs sentire potuisset, per sacras syllabas die statuto, ejus Clementiæ oblatum sui cor pectoris, fidei munus styli ferculo mentis vivacitate deferret. Sed sicut mos est hæreticis, tristia lætis, dulcia permiscere amaris, veneni poculum mellis sapore temperare; quædam in eadem epistola plena blasphemiis, & Catholicæ Fidei reperta sunt modis omnibus inimica: quædam verò, si dici liceat, inveniri poterant non rejicienda. Sed in eodem poculo, in quo gutta veneni infusa turgescit, mellis nihilominus amarescit dulcedo.

Quapropter ego (*c*) Paulinus, licet indignus peccator, omniúmque Servorum Domini ultimus servus, Aquilegiensis Sedis, Hesperiis oris accinctæ, cui Deo auctore deservio, nomine, non merito Prælul, unà cum Reverendissimo, & omni honore digno, Petro Mediolanensis Sedis Archi-Episcopo, cunctisque cum Collegis, Fratribus, & Consacerdotibus nostris, Liguriæ, (*d*) Austriæ, Hesperiæ, Æmiliæ Catholicarum Ecclesiarum Venerandis Præsulibus, juxta exilem intelligentiæ nostræ tenuitatem, Sancto perdocente Spiritu, corde, linguâ, stylo, contra eorum vesanias, qui rectæ fidei sunt adversarii, respondere non formido: cùm sit sancta & universalis Ecclesia super firmam nihilominus immobiliter fundata petram, & portæ inferi nequeant prævalere adversùs eam. Verumtamen, quia in mari hujus sæculi constituta persistit, adversis hæreticorum flatibus, violentis perfidorum procellis, fumantibúsque maledicorum undis illisa concutitur: licet quassari possit, & mergi nequeat, Christi firmata dextera, & Apostolico gubernaculo moderata: necessarium tamen existimo omnibus Christianis, cunctisque Fidelibus, maximè Apostolicis Viris, contra hostes ejus, fidei armis dimicare. Non enim Christi miles impetum irruentis belli debet enerviter expavescere, nec effugii latibula inermis palando appetere: sed armis militiæ suæ præcinctus, irrumpentium hostium pectora, spiritalibus jaculis ex arcu intorquens scripturarum, intrepidè perforare: quatenus & semetipsum, fidei clypeo munitus, illæsum custodiat, & inimicorum latera spiculis cruentet acutis. Nam ante certaminis trophæum, tironis non plectitur circa verticem triumphalis corona. Cujus rei ratio Apostolicis evidentiùs adprobatur documentis. *Oportet*, (e) inquit egregius Prædicator, & de castris Dominicis probatissimus miles, *hæreses esse, ut hi, qui probati sunt, manifesti fiant.* Altâ etenim nonnunquam dispensatione agitur, ut unde cadere ad ruinam timetur vacillantibus plantis, inde valentiùs roborata firmiter inconcussa persistat: & antiquus hostis, unde se vicisse superbè gloriatur, inde Divinâ superatus potentiâ, se succubuisse doleat prostratus. Nam quia super Fidei fundamentum omnium virtutum fabricam persistere non ignorat, ipsam fidei malitiæ suæ manu eradicare soliditatem festinat, quemadmodum de ejus satellitibus, id est, malignis spiritibus, per Psalmistam dicitur: *Qui dicunt, exinanite,* (f) *exinanite usque ad fundamentum.* Usque ad fundamentum quippe maligni spiritus animam inaniter se exinanisse gloriantur, si ab ipso fundo mentis fidei firmitatem, tentationum jacula exaggerando, eradicare valebunt. Sciunt utique, nihil esse boni omne, quod videtur bonum, nisi fuerit super fidei fundamen-

(*b*) Finitimæ ruri, *legit Binius.*

(*c*) Idem Paulinus, præter hanc Synodicam Concilii Francofordiensis, scripsit ad Carolum Magnum Libros tres contra Felicem Urgellitanum Episcopum, qui Dominum JESUM nuncupativum Deum, & Filium Dei adoptivum pestilenti errore asserebat. Editi suot hi tres Libri post opera Alcuini anno 1617.

(*d*) Austriæ hesperiæ, *legit Labbeus sinè distinctione.*

[*e*] I. Corinth. XI, 19. (*f*) Psalm. 136, 7.

damentum firmiter radicatum. *Sine fide* (g) *enim impossibile est Deo placere.* Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: *Novit Dominus*, (h) *qui sunt ejus.* Licet ille sæviat, ac mille modis fraude calliditatis serpendo extra septa sanctæ Ecclesiæ, hinc inde squamas nequitiæ suæ syrtis scopulis illisus exspoliet; ac per hoc circumquaque discurrens, modò in orbe circulato latenter se circa viam objiciens, ut pedem simpliciter calcantis mordeat; modò in summa sese suspendens falsitatis cauda, hæreticorum pectora veneno perfidiæ inficiendo tumida reddat, ut sauciata ea vitalia fastidiendo Spiritalia alimenta evomant. Sed quia super firmam petram fundata est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Hujus nimirum pestiferi serpentis instinctu, fellisque poculo debriati quidam, quorum non sunt nomina in calculo candido agni scripta, hæresim veternosam, illustrium, fortium scilicet virorum calcibus mirabiliter inculcatam, Catholicâque falce olim funditus detruncatam, spinoso moliuntur rediviva radice suscitare de stirpe. Adstruunt igitur, sed falsis adsertionibus, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, adoptivum Dei Filium de Virgine natum, quod Divinis nequeunt adprobare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in utero Virginis eum suspicantur adoptatum; quod dici nefas est, quia de Beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem: aut certè purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitare impium est, necesse est fateantur; ac per hoc postea, quasi eguerit adoptionem, à Patre in Filium sit adoptatus: cùm nihil Deus eguerit, qui erat in eo non per gratiam, quemadmodum in cæteris sanctis, purisque hominibus, sed essentialiter per naturam. *Deus*, (i) inquit Apostolus, *erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Quo igitur pacto nobis adoptionem tribuit filiorum, si ipse necessarium eguit, ut sibi haberet? Nam quia peccatum non habuit, ideo nobis peccata donavit: quia non accepit ut vita esset, sed ipse essentialiter vita est, idcirco nobis vitam æternam indulsit.

Videamus nunc, quid de ejus incarnatione Gabriel, cui creditum fuerat secretæ dispensationis Sacramentum, ad MARIAM Virginem dicat, *Ave* (k) inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Cumque turbata esset in sermone, subjunxit Angelus: *Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam apud Deum; Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & vocabitur Altissimi filius.* Jámque credula Angelicis dictis, cùm ordinem tantæ novitatis inquireret, quomodo sine viro fieri posset, mox Angelus addidit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Non enim ait, adoptivus vocabitur Filius Dei, sed absolutè, Filius Dei, & Filius Altissimi. Denique non de solâ excellentia Majestatis ejus tunc loquebatur Angelus, sed potiùs de incarnatâ Divinitate. Porro, *Quod* pronomen neutri generis est. Ait enim: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et rursus Matthæus narrat Angelum dixisse: *Quod enim* (l) *in eâ natum est, de Spiritu Sancto est.* Ut non dubites de corpore dixisse, quod de inviolatâ Virgine sumpsit, more sacri eloquii partem pro toto; ut per solum corpus, totum intelligas hominem in anima rationali ex eâ natum. Sed ne quilibet scrupulus ambiguitatis remaneret, quia de incarnationis ejus mysterio dixerit, statim post pauca subinfert: *Dabit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus.* Secundùm carnem videlicet David filius dictus est, non secundùm Divinitatem. Habes igitur, quoniam, de quo supra dixerat: *Quod enim ex te nascetur Sanctum; vocabitur Filius Dei*, non adoptivus, sed verus; non alienus, sed proprius; de eo subjecit, *Dabit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus.* Nam quis eum adoptâsse in filium credatur, cùm tota Sancta Trinitas hominem Christum in utero Virginis operata sit? sicut scriptum est, & juxta historiam de primo Adam, & de secundo, id est, Christo, in Prophetiæ Sacramento: *Faciamus* (m) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Vel certè quemadmodum in hac eadem Evangelica lectione angelica voce declaratur: Ait enim: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Habes Spiritûs Sancti tertiam de Trinitate personam. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* In

Pp

(g) Hebr. XI, 6.
(h) II. Timoth. II.
(k) Lucæ I.
(l) Matth. I, 20.
(i) II. Corinth. V, 19.
(m) Genes. I, 26.

In virtute namque Altissimi, Filii persona demonstratur: quia ipse est Dei virtus, Deique sapientia. In Altissimi nomine, Patris nihilominus persona accipienda est. Dicant ergo, si valent, hæretici: quod si nequeunt, Catholicis se humiliter salubribus subdant documentis; quis de his tribus personis eum adoptaverit, cum tota eum Trinitas in utero immaculatæ operata sit Virginis.

Porrò adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus: & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur; sicut nos aliquando, cùm essemus peccando filii iræ, alieni eramus à Deo: per proprium & verum filium ejus, qui non eguit adoptionem; adoptio nobis filiorum donata est: Paulo adtestante, qui ait: *Cùm ergo venit* (n) *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus per ipsum.* Proprius filius factus est ex muliere, non adoptivus. Hinc aliàs idem ipse egregius prædicator dixit. *Proprio* (o) *filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Igitur cùm ad Jordanis alveum Joanne comite, qui Christus à populis existimabatur, adpropinquaret, & ut sanctificaretur aquarum natura, mediis sese Jordanicis intinxisset in undis, ut manifestiùs inter adoptivum & proprium filium discerneret, statim vox Patris intonuit dicens: *Hic est Filius* (p) *meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et rursus, cùm esset in monte Sancto cum discipulis, quos voluit, & visi essent cum eo Moyses & Elias loquentes, mox paterna vox fulgida per nubem discurrens intonuit, discrevitque, qui essent servi per gratiam, & per adoptionem filii, & qui verus ac proprius filius: *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus*, (p) *in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* In Adam quippe sibi Deus Pater displicuisse innotuit, qui peccando filii dignitatem amisit. *Pœnitet*, (q) inquit, *me fecisse hominem super terram.* In unigenito sibi filio complacuit, quia propria non habuit, sed aliena peccata tulit: qui numquam à paternâ voluntate discordans: *Factus* (r) *pro nobis est Patri obediens usque ad mortem, mortem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Si igitur juxta hæreticos adoptivo nomine censetur, ut nos puri & ingrati homines; quo ergo pacto Apostolus eum nomen perhibet super omne nomen habere? Adoptivi etenim non est super omne nomen, sed commune, & infra nominum tenetur mensuram.

Videamus jam nunc, qualiter primus Pastor Ecclesiæ fidei posuerit fundamentum. Nam cùm Magister & Dominus discipulos sagaciùs exploraret, quid de se homines dicerent, & illi singulorum opiniones diverso sermone retexuissent, qui, eum unum quemlibet de adoptivis filiis existimabant, quorum adoptio nondum in re, quam per mediatoris perceperunt adventum, sed adhuc in spei servabatur occulto: Illico Dominus, quid illi de se fixiùs corde retinerent, adjunxit: *Vos*, (s) inquit, *quem me esse dicitis?* Mòxque Beatus Petrus, cui non caro & sanguis, sed Pater cœlestis revelavit, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Ecce fidem Beati Petri Apostoli, quam hæretici surdâ aure transiliunt, perfunctoriè legere non pertimescunt. Petrus confessus est Christum verum Filium Dei vivi; & tu hæretice dicis, Christus adoptivus Filius est? Enimverò fortassis erigeres perfidiæ aurem, si absolutè dixisset, Tu es Filius Dei vivi. Fingeres forsitan more tuo, falsâ argumentatione ut diceres, secundùm Divinitatem eum Filium Dei confessus est. Sed quoniam cum additamento dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, omnium hæreticorum ora fidei suæ pugno attrivit: Christi namque nomen ab homine, quem assumpsit, accepit, quia unctus in homine fuit. Nihil tibi restat, quid dicas, nisi solito more faciens, sumas de officinâ mendacii veneno illita spicula, quibus simplicium corda jaculando falsis adsertionibus perforare non erubescas. Frons enim meretricis facta est tibi, erubescere noluisti. Defraudare etenim sacram non veremini scripturam, parvipendentes Magistri gentium prohibitionem dicentis: *Nolite* (t) *adulterare verbum Dei.*

Sed

(n) Galat. IV, 4. (o) Roman. VIII, 32. (p) Matth. III. XVII.
(q) Genes. VI, 6. (r) Philipp. II, 9, 10. (s) Matth. XVI, 15.
(t) II. Corinth. IV, 2.

Sed quid mirum, si stulti in his erratis, quæ allegorica sunt silva condensa, & umbrosis phalerarum ænigmatibus obvoluta, & carpere nescitis docta manu de sub foliis literarum pendentia spiritualium fructuum poma, cùm in propatulo per Sanctos Prædicatores eductam, malè intelligentes orthodoxam depravatis doctrinam ? Cujus temeritatis, & audaciæ estis, ô infelices! inflati superbiæ fastu, ut ipsa Joannis Evangelistæ mirabilia documenta, perversis non erubescatis fabulis depravare, juxta vestram vecordiam, & non secundùm sanam doctrinam, intelligentes mystica Sacramenta? Dicitis enim, quòd Joannes scribat in Epistola sua: *Habemus* (u) *Advocatum apud Patrem JESUM CHRISTUM*, & hoc sit Advocatus, quod & adoptatus: cum longè aliud sit advocatus, & aliud adoptatus. Nam advocatus ille mihi est, qui pro me judicem interpellat, & causam necessitatis meæ propriâ tuitione defendit. Convenientiùs quippe propitiatus dici potest, quàm adoptatus, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Cum enim naturam nostram, quam in se adsumpsit, in dextera Patris collocatam ostendendo Patri, incessabiliter manifestat, propitium eum nobis advocatus noster, quasi interpellando efficit, & benignum. Adoptivus verò dicitur, cui nihil à Patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur. Abusivè namque & non essentialiter, adoptivus est filius dictus, sicut Moyses in filium adoptatus est filiæ Pharaonis, alienus ab ea, & generatione, & sanguinis adfinitate. Hoc ideo posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum priùs fuerat proprius filius adoptantis. Unde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus Filius, semper Dominus, ac per hoc, & post assumptum hominem veri filii vocabulum non amisit, qui numquam verus desiit esse Filius. Quod si juxta vestram vesaniam hoc putatis advocatum esse, quod & adoptatum: confitemini ergo, quod est deterius, & omni blasphemiâ plenum, duos adoptivos, Filium scilicet, & Spiritum Sanctum. Non enim negare valetis, Spiritum Sanctum paraclетum esse: quod enim Græcè παράκλητος, hoc latinè dicitur advocatus. Fatemini quin etiam, quod est super omne malum deterius, super omnem impietatem scelestius, duos adoptivos filios, Verbum scilicet, & Spiritum Sanctum, ut sitis deteriores Arrio & Eunomio, & Maranatha anathemate Macedonio digni. Adoptivus enim nonnisi adfectatæ locutionis alienus dicitur filius. Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, quamquam Etymologiæ suæ non videatur trahere similitudinis sonum. Habet namque ex utraque parte utinam adverbium eleganter insitum, ut si dicas, utinam sis mihi in Filium adoptivum; & econtrà, utinam merear à te in Filium adoptari. Ex affectu quidem dilectionis pars subrepit parti, ut in utrâque conveniat dilectionis effectus. Sed videant hæretici, qui portæ sunt inferi, quid dixerint; quinimò perverso garriant ore. Obdurata nempe illorum corda, mendacii latibula per abrupta perfidiæ debacchantes, semper inquirunt: & ne veritatis luce perfundantur, in speleæo se falsitatis occulere festinant. Cecidit, heu prô dolor! super eos invidiæ ignis, & ideo justitiæ solem non meruerunt videre.

Sancta autem Catholica, atque Apostolica Ecclesia, quæ licet in toto sit orbe terrarum diffusa, una tamen est amica sponsi, proxima, & columba, quæ pennis deargentatis sacri eloquii refulget pulchritudine, & in pallore auri posteriora ejus perfectæ fidei puritate clarescunt, confitetur Sanctam & ineffabilem Trinitatem in Unitate: salvâ scilicet inconfusibiliter proprietate personarum, inseparabilem substantiam confitetur. Ità sanè, ut alius credatur Pater, quia Pater est, qui genuit coæternum sibi sine tempore, & omni initio Filium: & alius credatur Filius, quia Filius est, qui genitus est sine initio à Patre, non putativè, sed verè: & alius credatur Spiritus Sanctus, quia Spiritus Sanctus, & à Patre, Filióque procedit. Et non est aliud Pater, & aliud Filius, & aliud Spiritus Sanctus; sed unum sunt inseparabiliter Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: non unus, sed unum: quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti: sed una, & æqualis, & consubstantialis, & coæterna est Patris, Filiique, & Spiritûs Sancti inenarrabilis Divinitatis Majestas, quia unus est Deus. Unionem námque

Pp 2

(u) Imæ Joannis II.

námque in essentiâ confitemur, Trinitatem verò in Personarum discretione prædicamus. Dominum igitur nostrum JESUM CHRISTUM, Dei Filium, verum Deum, semper in Patre, semper cum Patre, semper credimus apud Patrem. In ultimis námque tempotibus, propter nos, & propter nostram salutem, secundùm secretæ dispensationis arbitrium, descendit de cœlo, unde numquam recesserat: venit nimirum in propriâ, ubi numquam deerat: natus est de Spiritu Sancto, & MARIA Virgine, dicente Angelo: *Quod enim* (x) *in eâ natum est, de Spiritu Sancto est.* Factus verus homo, juxta id, quod scriptum est: *Et verbum caro factum* (y) *est, & habitavit in nobis*: permansit verus & omnipotens Deus in utraque naturâ, unus Dei Filius, idémque hominis Filius. Nihil enim humana nativitas Divinæ præjudicavit nativitati: adsumpsit, quod non erat, permansit in id essentialiter, quod erat. Non commixtionem passus, neque divisionem: sed in unâ personâ Christi Deus verus, & homo permanet verus: non duo filii Deus & homo, sed unus filius Deus & homo: non alius filius hominis, & alius Dei, sed unus idémque Dei, hominísque filius. Unde & eos valde execramur, qui eum adoptivum impio grunniunt ore. Quia sicut præfati sumus, adoptivus dici non potest, nisi is, qui priùs alienus est ab eo, à quo adoptari desiderat. Dei ergo filius, quâ ratione credi potest adoptivus, qui inseparabiliter adsumpto homine in unâ personâ coeunte utraque naturâ, non duo filii, alius Dei, & alius hominis, ut, sicut illi errando æstimant, adoptivus sit hominis filius, & sine adoptione Dei filius: sed in unâ personâ unus idémque Dei & hominis filius, qui nunquam hominem, quem adsumpsit, deseruit, etiam nec in cruce, quando inclinato capite tradidit spiritum, Paulo attestante, qui ait: *Si enim cognovissent, numquam Dominum Gloriæ crucifixissent*; Dominus Gloriæ dicitur crucifixus, cùm sola caro sit crucifixa. Sed quia Dominus Gloriæ idem ipse erat, qui & hominis filius, qui crucifigebatur, & numquam hominem deseruit, sicut dictum est, quem adsumpsit, ideo dicitur Dominus gloriæ crucifixus.

Sunt etiam plerique, qui adstruunt ex tribus substantiis unam mediatoris personam, Verbi, carnis, & animæ, cùm in causa fidei non videatur necessarium, Sophisticâ disputatione sæcularium litterarum calculos syllogisticâ spargere manu. Sufficeret enim, juxta præcedentium, Catholicorum Patrum saluberrimæ promulgationis doctrinam, sincera simplicitatis voce ex utraque natura unam personam confiteri, veri Dei, verique hominis Christi, Divina scilicet & humana: sed propter eos utique, qui semiplenam sine animâ rationali, & ad vicem animæ Divinam naturam in carnis dispensatione adsumptam suspicantur, cùm Psalmista alacri pectore dicat: *Ecce* (z) *enim Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.* Pro hac igitur re, & hujuscemodi erroris nubilo, styli flabello ex aëre mentis ventosas nubium umbras dispergere festinamus: quatenus æterni solis perfusa radio, micantes stellas per cælos valeat puris obtutibus inspicere scripturarum. Non enim ignoramus ex duabus substantiis humanam subsistere naturam, ex anima nimirum & carne: sed unum sine altero perfectum non efficere hominem. Quid enim caro sine anima, nisi terra? & quid anima sine carne? nónne spiritus? Homo enim ex utroque, & non ex uno. Unde quia Redemptor noster perfectum hominem adsumpsit in Deum, idcirco ex duabus naturis Deum & hominem confitemur. Non enim caro sine anima perfecta humana potest dici integráque natura. Nam cùm ex limo terræ finxisset Deus hominem, protinus insufflavit in eum spiraculum vitæ, sicut scriptum est: *Et factus est homo in animam viventem.* Non igitur alter, qui formatus est, & alter, qui insufflatus, sed unus idémque. Ex flatu namque animata est terra, tam incomprehensibili arte, mirabilíque modo, summi artificis manu configulata, ut investigari pleniùs nequeat, qualiter & unum fit anima & caro, quæ perfectum efficiunt hominem; & tamen diversa sit substantia carnis & spiritûs. Nam cùm scriprum sit: *Ad te* (a) *omnis caro veniet*: Et rursus: *Non timebo*, (b) *quid faciat mihi caro.* Et iterum: *Et videbit* (c) *omnis caro salutare Dei nostri*: nullo namque pacto sine anima vide-

(x) Joannis I, 14. (y) I. Corinth. II, 8. (z) Psal. LIII, 6.
(a) Psal. LXIV, 3. (b) Psalmo LV, 5. (c) Isaiæ XL. ex Græco.

videre poteſt, ut videat Salutare Dei; nec venire valet, ut veniat ad eum omnis caro.

Ponamus igitur, exempli causâ, ſecundùm humanæ rationis affectum, neceſſitate per omnia compellente, materialia themata diſputandi. Nam ſicut in planis & ſolidis figuris linea, & in quadrangulis punctus, licet ſint indiſſecabiles & dividi nequeant, & idcircò egregiè depingant dimenſionum figuras; omnium tamen numerorum multitudinis ſummam in ſe ſociatam retinent, & ex ſe uſque ad infinitam numeroſitatem procedentes, & rurſus in ſe uſque ad unum recurrentes, individuam retinere probantur unionis cenſuram. Fingamus igitur animam in forma corporis, quaſi lineam vel punctum in planis, ſolidis, atque quadrangulatis figuris cunctas membrorum partium in ſe individuè continentes poſitiones, unumquodque in juncturâ ſuâ inſertum, ita ut & unum & diverſum. Nam ſi ſubtrahas lineam & punctum æqualitatis, nobilitas degeneratur figuræ. Inſtante autem lineæ jacentis primordio, punctíque circumfuſa numeri quadratura, quique ſegregari, vel non ſegregari poſſunt, reſolvi inſolubili ſectione in lineæ punctíque privilegio demonſtrantur. Ita ſanè vis animæ, cùm ſit incorporea & inviſibilis, nec dividi poteſt, nec recipit ſectionum ſciſſuras: totam tamen corporis molem, quæ dividi, vel ſegregari poteſt, in ſe continentem mirabiliter regit, & per totum diffuſa animando vivificat, & quaſi punctus in medio ſuam individuè retinet dignitatem, & in alienam non reſolvitur qualitatem. Nam ſicut dictum eſt, cùm ſit incorporea, corporaliter cuncta per corpus diſponit; & cùm ſit ſubſtantia carnis corporea, per incorpoream creaturam, id eſt, animam, corporeas perficit actiones. Tantâ enim ſocietatis convenientiâ ſibimet ſunt junctæ, ut unum ſine altero nihil poſſit, & alterum ſine altero plenam non poſſit humanam monſtrare naturam: & idcirco placuit ex utraque humanam definire naturam. Nam anima incorporea per corporeos oculos videt, audit, ſentit: & corporei oculi per incorpoream animam videre probantur. Nam ſi recedat anima, oculi aperti remanentes, & aures patentes nec videre poſſunt, nec audire. Per linguam loquitur anima, & lingua loquitur per animam. In qualibet enim parte corporis inciſâ carne anima dolet: ſine anima verò in fruſta ſecata caro, nec dolere, nec ſentire poteſt. Per carnem nempe anima, & per animam caro eſurit, ſitit, triſtatur. Numquid poteſt dici caro ſine anima, humana natura, cùm nihil ſit aliud, niſi terra? animata verò terra humana profectò poteſt dici integra perfectáque natura. Omne enim imperfectum amittit nominis proprietatem, niſi perfectionis ei commodiùs adjiciatur ſupplementum. Ex quatuor igitur diverſis elementis humana ſubſiſtere fertur natura; calido, frigido, humido, ſicco, id eſt, igne, aëre, terra & aquâ. Cum ergo ex his quatuor variis homo ſubſiſtat naturis, numquid debemus in uno homine quatuor ſubſtantias profiteri? Si hoc placet, addatur quin etiam quinta, id eſt, anima, ut conſtet homo ex quinque, & Verbi Omnipotentis ſit ſexta: & tunc, quod eſt omni fatuitate dementius, omníque vecordiâ ſtultius, fateantur ſex in una Dei, Hominíſque Chriſti perſona ſubſtantiæ.

Tu forſitan ſuſpicaris, quicumque es noſtræ refragator adſertionis: de memoria nobis avolâſſe, quia dixerit beatus Apoſtolus, *in interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris.* Hæc nos tota devotione mentis, totâque ſimplicitate veraciter retinemus cordis: & adjicimus ea, quæ te forſitan ſomniante latent. Idem vas electionis Paulum dixiſſe reminiſcimur: *Ipſe autem Deus* (d) *Pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventum Domini noſtri JESU CHRISTI ſervetur.* Tria, inquam, dixit, ſpiritus, & anima, & corpus. Numquid aliud eſt ſpiritus, & aliud anima? Non divifit ſubſtantias, ſed dignitatem diſtinxit. Spiritalis quippe anima, & ſpiritale corpus, vult, ut in adventum Domini noſtri JESU CHRISTI ſervetur. In hoc ſpiritali homine, qui & interior dicitur, profitetur idem mirabilis Doctor, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Nam eſt homo animalis, & eſt ſpiritalis, non per ſubſtantiam, ſed per meriti qualitatem. Animalis quippe ab anima, ſpiritalis verò à ſpiritu nuncupatur: quemadmodum idem, veridicus videlicet Doctor

(d) I. Theſſalon. V.

ctor, alterum ab altero discrevit: *Animalis*, (e) inquit, *homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei:* hic est exterior, qui foras se ad exteriora appetenda effundit. *Spiritalis autem dijudicat omnia*, id est, discernit, & *ipse à nemine judicatur.* Hic est, inquam, interior, in quo Christus creditur habitare, qui introrsus se per contemplationis gratiam retinet, & internæ refectionis dulcedine depastus in amore sui Conditoris suaviter requiescit.

His ità prælibatis, ad ea, quæ reliquimus, revertamur. Quæro igitur, ut dicas mihi, in quâ natura ipse mediator Dei, & hominum, homo CHRISTUS JESUS, dignatus est esurire, sitire, passionum sentire dolores. Quid moraris? Non vales negare, meliùs est, ut profitearis, quia secundùm humanam. Divina enim natura impassibilis, inviolabilis, & semper permanet immutabilis. Verum est, omnino verum, quia in humana. Volo ergo, ut liquidiùs definias, quid sit humana natura: sola caro, an sola anima, an utraque anima, & caro? Non enim possumus, nec fas est, veritati contradicere, ex utraque nihilominus humana constat natura, ex anima siquidem & carne. Dicito ergo mihi, in solâ carne, an in solâ animâ, an, quod verius est, in utraque pertulit vulnera passionum? Caro enim sine anima nihil sentit: anima enim sine carne non esurit, neque sitit, nec potest crucifigi: & tamen crucifixa est per carnem. In summis etenim palmis, & in extremis crucifixa est plantis. Quod si non est crucifixa cum carne, cur sensit dolorem? Caro enim, sicut dictum est, sine animâ nihil sentit. Quòd si per carnis cognationem sentit dolorem, & caro per animam dolet incisa; nec caro ergo sine anima, nec anima sine carne, plena potest humana dici natura. Ex utraque námque connexione, carnis scilicet, & animæ, perfecta constat humana natura. Unde & majores nostri hâc definitione sancitâ, quorum sagacissima capacitatis peritia longè valde à nostræ tarditatis distat ignavia, placuit eis, Sancto adnuente Spiritu, duas in unâ Christi personâ indubitanter profiteri naturas, Divinam scilicet, & humanam: quia anima & caro non sunt duo, sed unus homo. Deum enim, & hominem Dei Filium confitetur. *Mediator*, (f) inquit Apostolus, *Dei & hominum, homo CHRISTUS JESUS*, qui ex anima & carne non duo, sed unus est dictus homo.

Cessent ergo jam nunc omnes superfluæ mussitantium adinventiones: cessent calumniatrices querularum quæstionum objectiones, quæ ad rem non pertinent, sed magìs ad simplicium subversionem. *Doctrinis variis, & peregrinis non abducamur*: sed confiteamur cum Sanctis Patribus nostris, Catholicis, orthodoxísque Viris, qui rectam fidem & corde perceperunt, & inviolabili ore Ecclesiæ filios salubriter docuerunt, duas in Christo naturas, Divinam nimirum & humanam, verum Deum, verúmque hominem: in utroque proprium Dei Filium, non adoptivum: sempiternum ex Patre, temporaliter natum ex Virgine Matre: consubstantialem in sua Deo Patri, Sanctóque Spiritui: consubstantialem etiam nobis in nostra. Nostra dicimus in carnis conditione, non in peccati vel miseriæ communione. Peccatum enim non fecit, sed alienum tulit: nec dolus inventus est in ore ejus, sed dolores nostros ipse portavit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnium autem hæreticorum perversa dogmata, cum auctoribus, & sequacibus suis, æterno anathemate percelli judicamus. Elipandum námque, & Felicem, novos hostes Ecclesiæ, sed veternosâ fæce perfidiæ pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per rectæ fidei satisfactionem lamentis se abluant pœnitentiæ, indignos & ingratos eos à consortio Catholicorum perpetuâ animadversione eliminare decernimus, & à gremio Orthodoxæ Ecclesiæ censemus alienos. Optamus tamen, & omni adnisu mentis, immensæ Pietatis boni Pastoris, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & neminem vult perire, Clementiam imprecamur; ut perfidiæ relicto errore, ad viam veritatis, quæ est Christus, & ipso redeant perducente: quatenus in sinum Matris Ecclesiæ, dilectionis suscepti amplexu, tranquilla suaviter fidei pace quiescentes, largissima sugant ubera bonitatis Dei, ac per hoc perpetuæ felicitatis gaudia, gratiâ Dei, qui pro omnibus mortem gustavit, largiente, sine fine valeant

(e) I. Corinth. II, 14. (f) I. Timoth. II, 5.

leant adipisci. Eos etiam, qui post hanc tam saluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus, Sancto afflata Spiritu concorditer subtili sinceritate terminavit, falsissimis eorum assertionibus, sive clàm, sive in publicâ voce, præbuerint assensum, simili eos sententiæ vindictâ sancimus esse plectendos; *reservato* (g) *per omnia juris privilegio summi Pontificis, Domini & Patris nostri Hadriani, primæ Sedis Beatissimi Papæ.*

Nos autem, Domini, & Carissimi fratres, sequentes præcedentium Patrum sanam Doctrinam, respuentes per omnia deliramenta nugacium hominum, corde credamus ad justitiam, ore autem confiteamur ad salutem, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM verum Dei Filium, non putativum: proprium in utraque naturâ, non adoptivum: æqualem & coæternum Patri, Sanctóque Spiritui; qui Ecclesiam suam proprio sanguine adquisitam, sine macula & rugâ immaculatam custodiat, & corda nostra in rectæ fidei puritate immurilato jure conservet. Catholicum atque Clementissimum, sempérque inclytum domnum Carolum, Regem, per intercessiones Beatæ, Gloriosæ, sempérque VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIÆ, per quam meruimus auctorem suscipere vitæ, Beati Petri, primi Pastoris Ecclesiæ, omniumque Sanctorum, verùm etiam suffragantibus precibus vestris, omnipotens, & Sancta TRINITAS sua eum gratia circumcingat, suáque dextera semper protegat, & defendat, ut faciat, quæ illi sunt placita: quatenus cœlestibus fretus armis, inimicos nominis Christi, auxilio fultus de cœlo, ad terram prosternat. Barbaras etiam nationes infinitâ Deus omnipotens ditioni ejus potentiâ subdat: ut ex hac occasione ad agnitionem perveniant veritatis, & cognoscant verum & vivum Deum, creatorem suum. Regenerati siquidem undâ baptismatis, in gremio adgregentur matris Ecclesiæ, ut impleatur, quod bonus Pastor promiserat dicens, *Et alias* (h) *oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, ut fiat unum ovile, & unus Pastor.* Multiplicetur pax in diebus ejus, ut sit Sancta Ecclesia libera, & ab omni strepitu mundi secura, quâ libertate Christus eam liberavit: liceátque Domini Sacerdotes juxta Evangelicas & Apostolicas, canonicásque regulas simpliciter Domino deservire, militare in solis castris Dominicis: quia juxta ejusdem Domini vocem: *Nemo potest duobus* (i) *Dominis servire.* Et Paulus: *Nemo militans* (k) *Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat ei, cui se probavit.* Nemo sibi blandiatur, quòd utrumque possit, & Deo & mundo servire; quia veritas est, & mentiri non potest, qui hoc fieri non posse testatur. Unde supplicandus est tranquillissimus Princeps noster, ut ille pro nobis contra visibiles hostes, pro Christi amore, Domino opitulante, dimicet; & nos pro illo contra invisibiles hostes, Domini imprecantes potentiam, spiritualibus armis pugnemus, quatenus vicariam ei retributionem in illâ die pro Ecclesiâ suâ Dei Filius rependat: ut quemadmodum ille nunc eam inter tot mundanos tumultus constitutam reddit securam; ita eum illa cœlestis regni faciat esse participem. Indulgeat miseratus captivis, subveniat oppressis, dissolvat fasciculos deprimentes: sit consolatio viduarum, miserorum refrigerium: sit Dominus & Pater, sit Rex & Sacerdos, sit omnium Christianorum moderantissimus gubernator, auxiliante Domino nostro JESU CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in Trinitate perfecta, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Surius Tomo III.
Binius Tomo III. Concilior. Parte I. p. 144. *& seqq.*
Sirmondus cum Cod. MS. Remensi collatum edidit.

(g) Ecce reverentiam Patrum Concilii Francofurtensis erga summum Pontificem.
(h) Joannis X, 16. (i) Matth. VI, 24. (k) II. Timoth. II.

SYNO-

SYNODICA CONCILII AB EPISCOPIS GERMANIÆ ET GALLIÆ, AD PRÆSULES HISPANIÆ MISSA.

Sancta Synodus, & Venerabiles in Christo Patres, cum omnibus Episcopis Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ, & toto Catholicæ pacis Clero, Præsulibus Hispaniæ, & cæteris ibidem Christianitatis nomen habentibus, in Domino Deo, Dei Filio vero & proprio, JESU CHRISTO, æternæ beatitudinis Salutem.

IN Nomine Domini nostri JESU Christi, qui dixit: *Ubi sunt duo,* (a) *vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum*, congregatis nobis in unum caritatis conventu, præcipiente & præsidente Piissimo & Gloriosissimo Domino nostro, CAROLO Rege, ad renovandum cum consilio pacificæ unanimitatis Sanctæ Dei Ecclesiæ statum, & ad prædicandam orthodoxæ Fidei veritatem, in qua Divina operante gratiâ salutis nostræ initium extat & finis, cui nihil augeri potest vel minui, quæ una debet esse omnium Christianorum, dicente Beato Apostolo: *Unus* (b) *Dominus, una Fides, unum Baptisma: unus Deus, & Pater omnium, qui super omnia, & in omnibus nobis.* In hac omnis Sanctitas vitæ, omnis spes remunerationis æternæ, sine quâ nihil sanctum, nihil Deo acceptabile, nihil vivum. *Justus* enim (c) *ex fide vivit:* quam qui diabolo decipiente perdiderit, vivens mortuus est: quia sicut per fidem justitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna, dicente Domino Salvatore: *Hæc est autem vita* (d) *æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JESUM CHRISTUM.*

Inter cætera itaque, quæ pro hujus fidei firmitate tractavimus, Domini Regis nostri præcipuâ pietate, ac laudabili sapientia adsidente, & auxiliante nobis, præcepit subitò gloriosa illius excellentia fidei vestræ libellum adferri in medium: qui cùm à Notario, nobis diligentiùs attendentibus, sub distinctione sententiarum, & proprietate sensuum perlegeretur ad finem, audivimus in eo novas quasdam assertiones exaratas, non tam antiquis Sanctorum Doctorum traditionibus convenientes, quàm vestris nuper inventionibus utcumque confirmatas. Sed duæ difficiles res nostris in eo libello, quem direxistis, sensibus occurrerunt. Una, eur nobis non sufficiant, quæ in Sanctorum Patrum dictis inveniuntur, & universali Catholicæ Sanctionis consuetudine confirmantur, dicente Scriptura: *Terminos* (e) *Patrum tuorum ne transgrediaris.*

Numquid sagaciores sumus, ad inveniendam viam veritatis, quàm Apostolici Doctores? Et quare aliquid confirmare audemus, quod in illorum non invenìatur scriptis? Altera res est, quare generationem Filii Dei, vel æternam de Patre, vel temporalem de Matre, quisquam hominum audeat investigare, dicente Scripturâ: *Altiora* (f) *te ne quæsieris.* Unde & Sanctus Augustinus dicit in sermone de Nativitate Christi: Meritò, Dilectissimi, miranda est Salvatoris nostri nativitas, non solùm illa Divina, de quâ dictum est: *In principio* (g) *erat Verbum:* sed etiam illa humana, de qua idem dicit Evangelista: *Verbum caro factum est.* Unde & Propheta: *Generationem* (h) *ejus quis enarrabit?* Divina enim magis fide veneranda sunt, quam ratione investiganda.

Sed tempus est, ut ad discutiendos sensus libelli vestri veniamus, in quo Sanctorum Patrum per loca testimonia invenimus posita, sed malè perfidiæ veneno corrupta, & inter flores pulcherrimos Fidei Catholicæ anguinos erroris vestri dentes insertos. Tacuistis nomina librorum & numerum Capitulorum, ut difficiliùs error vester investigaretur: & ex hoc solo perspicuum est, erràsse, vos volun-

(a) Matth. XVIII. (b) Ephes. IV. (c) Roman. I. Habacuc. II.
(d) Joannis XVII. (e) Prov. XXII. 28. (f) Eccles. III. 22.
(g) Joann. I. (h) Isaiæ LIII. 8.

voluntariè, dum Sanctorum Patrum venerabiles sensus, per intermissiones aliquorum verborum maculare nitimini. Et miramur, vel magis lugemus, quare hoc facere velitis, quare purissimos Catholicæ Fidei fontes hæretico pede turbare non timeatis. Invenimus enim in libelli vestri principio scriptum, quod vos posuistis: " Confitemur, & credimus Deum Dei Filium, ante omnia " tempora, sine initio ex Patre genitum, " coæternum, & consubstantialem: non " adoptione, sed genere. Item post pauca eodem loco legebatur: " Confitemur, & credimus, eum factum ex " muliere, factum sub lege, non genere " esse Filium Dei, sed adoptione: non " naturâ, sed gratiâ." Ecce serpens inter pomifera Paradisi latitans ligna, ut incautos quosque & decipiat. Ex sermonibus Sancti Augustini hæc testimonia translata sunt, sed hæretica pravitate additum invenimus in sequenti periodo: Non genere esse Filium Dei, sed adoptione: quod etiam in sequentibus pleniùs, volente Deo, demonstrabimus. Nunc verò tantummodo ad ostendendos, & cavendos mortiferos veneni succos legentibus inservimus. Quod autem exempli gratiâ posuistis: *Pater major* (i) *me est*; non propter adoptionem, sed propter formam servi dixit, in quâ minor est Patre. Simili modo, & propter formam servi illud dictum est: *Puer* (k) *autem crescebat, & confortabatur spiritu.* Hoc verò, quod Joannes dixit: *Vidimus* (l) *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate;* contra adoptionem carnis facit. Si unigenitus, quomodo tunc adoptivus? Vel, si non est proprius filius, quomodo tunc plenus gratia & veritate?

Igitur quod sequitur in Epistolâ adsertionis vestræ, beatum dixisse Hilarium: " Nam & in ipso usu nostro est " adoptivus filius, & verus filius: adop- " tivum filium non dicimus naturâ esse, " qui verus est filius." Videtis, quomodo cæca mens contra suam ponit testimonia sententiam. Quis est, qui audet dicere, Christum non esse verè Filium Dei, Joanne Baptista attestante, dum vidit Spiritum Dei descendentem, & manentem super eum: *Et ego vidi,* (m) *& testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei?* De quo & Apostolus testatur: *Quorum Patres,* (n) *ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et si verus Deus, etiam & verus Filius: & si verus Filius, nequaquam adoptivus: quia adoptivus, sicut in testimonio Sancti Hilarii positum est, non verè naturâ est Filius.

Item de tractatu in Apocalypsim beati Hieronymi, ut dicunt, hoc modo positum testimonium in Epistolâ reperimus præfata: " Calculum candidum, " id est, gemma alba, adoptio carnis in " Filio Dei. " Quod longè aliter in eodem tractatu invenitur: Et dabo ei, inquit, calculum candidum, id est, adoptionem filiorum Dei. Nam calculus gemma pretiosa est. Et post pauca: sive calculum: corpus in baptismo candidatum: sive calculi appellatione sermo Divinus significatur. Epistola verò Beati Hieronymi, quam ad Cerasiam scriptam dicitis, hactenus, nec apud Romanos, nec apud nos inveniri potuit. Nec sibi ipsi eum umquam contraria scribere putamus: & veris credere meliùs est exemplaribus, quàm dubiis. Ecce pravitas omni tergiversatione deterior, quæ sic Sanctorum Patrum purissimis sensibus venena suæ infundit perfidiæ. Sequitur in Epistolâ:

Item in Homilia Sancti Augustini secundùm humanæ servitutis formam ità dicit: Homo adoptatur, cujus gloriam quæsivit, qui est ab illo unicus natus. Ecce quem Augustinus dicit adoptatum, hunc Joannes dixit: *Advocatum* (o) *habemus apud Patrem.* In hoc itaque loco ignoramus, quid priùs agendum sit, an pravitas repellenda, sive imperitia decidenda? In XXVI. Homilia, in expositione ejus sententiæ legitur, ubi Dominus dixit: *Qui à semetipso* (p) *loquitur, propriam gloriam quærit.* Ubi post congruam expositionem infert: Quid tu homo facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris: quando autem aliquid mali facis, Deo calumnias meditaris? Intende tibi. Creatura es, agnosce Creatorem; Servus es, ne contemnas Dominum. Adoptatus es, sed non meritus. Quære gloriam ejus, à quo habes hanc gratiam homo adoptatus,

Q q

(i) Joan. XIV.
(k) Lucæ II, 40.
(l) Joan. I, 14.
(m) Joan. I, 34.
(n) Rom. IX, 5.
(o) Imæ Joan. II, 1.
(p) Joan. VII, 18.

tatus, cujus gloriam quæsivit, qui est ab illo unico natus. De Christo enim dixit, unicus natus: de nobis verò, homo adoptatus. Quam adoptionem pravissimo sensu, qui scripsit Epistolam, ad Christi voluit transferre humanitatem. In quâ perversitate sensus utrumque, & imperitia scribentis patet, & mala voluntas non latet. Etiam & in sequenti mox sententia, & falsitas malæ voluntatis apparet, ubi dixit: Ecce quem Augustinus dicit adoptatum, Joannes Apostolus dicit advocatum. Certissimum est enim, Joannem Apostolum Christum Advocatum nominare, sicut ipse testatur: *Apud* (q) *Patrem habemus Advocatum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM.* Perspicuum quoque est, Sanctum Augustinum de homine quolibet per gratiam adoptato dicere, sicut ex sequentiâ lectionis certissimè cognosci potest.

Sequitur in eodem libello nostro: " Item prædecessores nostri Eugenius, " Hildefonsus, Julianus, Toletanæ sedis " Antistites, in suis dogmatibus ità dix- " erunt in Missâ de cœnâ Domini: Qui " per adoptivi hominis passionem dum " suo non indulsit corpori." Item in Missâ de Ascensione Domini: " Hodie sal- " vator noster post adoptionem carnis " sedem repetivit Deitatis." Et cætera, quæ ex parentum vestrorum dictis posuistis; ut manifestum sit quales habeatis parentes, & ut notum sit omnibus, unde vos traditi sitis in manus infidelium. Quia hominem Christum, verum Dei Patris Filium esse negâstis, vobis defensor esse noluit, sed tradidit vos in manus inimicorum suorum, ut dominentur vestri, qui eum recipere noluerunt; & cui illi publicè detrahunt, vos occultè illi derogatis. Nec illius Christi testimonio credere vultis de ipso dicentis: *Pater clarifica* (r) *filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Dum dixit, tuus, proprietatem ostendit, veluti & Pater in baptismo testimonio comprobavit: *Hic* (s) *est filius meus dilectus.* Meus dixit, addididit quoque, dilectus: ut intelligeretur proprius esse filius, sicut apostolus dixit, *Proprio* (t) *filio suo non pepercit.* Et melius est testimonio Dei Patris credere de suo filio, quàm Hildefonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales universalis & Sancta Dei non habet Ecclesia. Nec vos in illis exaudiri putamus. Et si Hildefonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster verò Gregorius, Pontifex Romanæ Sedis, & clarissimus toto orbe Doctor, in suis orationibus semper eum unigenitum nominare non dubitavit. In oratione enim, quæ est secundâ feriâ post palmas, ità posuit: Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente unigeniti Filii tui passione respiremus. Item quartâ feriâ ejusdem septimanæ: Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris excessibus incessanter affligimur, per unigeniti tui passionem liberemur. Item in Ascensione Domini: Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodiernâ die unigenitum tuum, redemptorem nostrum, ad cœlos ascendisse credimus. Item ad sanctam Crucem: DEUS, qui unigeniti tui, Domini nostri, JESU CHRISTI, pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es. Ecce eum Unigenitum nominavit, cujus sanguine redempti sumus.

Quod autem dicitis in Epistola fidei vestræ, " Ex Patre unigenitum sine ad- " optione, primogenitum verò in fine " temporis, verum hominem adsumen- " do de Virgine, carnis adoptione, uni- " genitum in naturâ, primogenitum in adoptione & gratiâ." Scimus enim Deum Dei Filium ex utraque natura, & unigenitum esse, & primogenitum: unigenitus, quia solus sine initio ex Deo Patre genitus, & solus ex initio temporis ex Matre Virgine genitus: ideóque in utraque naturâ unigenitus etiam, & primogenitus; quia omnis unigenitus primogenitus est: licet secundùm humanam generationem, non omnis primogenitus unigenitus sit. Idem ipse Dei Filius, primogenitus est Virginis, ùt dicitis; etiam & unigenitus, qui non habuit sequentes carnaliter fratres. Igitur & Deo Patri primogenitus, quia priùs ex Deo Patre genitus, quàm ulla esset creatura, vel aliquod esset tempus, Apostolo teste, qui ait, ad Colossenses scribens: *Gratias* (u) *agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in parte sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis claritatis suæ:*

(q) Imæ Joan. II, 1. (r) Joan. XVII, 1. (s) Matth. III, 17.
(t) Rom. VIII, 32. (u) Coloss. I, 12.

ſuæ : in quo habemus redemptionem, remiſſionem peccatorum : qui eſt Imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ : quia in ipſo condita ſunt univerſa in Cælis, & in terrâ, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive poteſtates : omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt : & ipſe eſt ante omnes ; & omnia in ipſo conſtant : & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens : quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare corporaliter. Item Salomon : *Dominus* (x) *poſſedit me initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret : necdum erant abyſſi, & ego jam concepta eram : necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole conſtiterant. Ante colles ego parturiebar, &c.* Item in libro Sapientiæ, ipsâ dicente Sapientiâ, id eſt, FILIO DEI : *Ego* (y) *ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego in cœlis feci, ut oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram. Ego in altis habitavi, & thronus meus in columnâ nubis.* Item, ubi dicit Apoſtolus : *Exſpectantes* (z) *beatam Spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, qui dedit ſeipſum pro nobis.* Ubi eſt, inquit, ſerpens Arius? ubi Eunomius coluber? MAGNUS DEUS, JESUS Chriſtus, Salvator dicitur, non Primogenitus omnis creaturæ: non Verbum Dei & Sapientia, quæ ſunt appellationes Divinæ generationis ; ſed JESUS & CHRISTUS, quæ vocabula adſumpti hominis ſunt. Neque verò alium, JESUM CHRISTUM, alium Verbum dicemus, ut nova hæreſis calumniatur : ſed eundem, & ante ſæcula, & ante mundum, & poſt MARIAM, immò ex MARIA, magnum Deum appellamus, Salvatorem noſtrum JESUM CHRISTUM, qui dedit ſemetipſum pro nobis.

Hæc teſtimonia ideo poſuimus, ut cognoſcatis Deum & Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, in utraque naturâ eſſe, & unigenitum, & primogenitum ; non adoptivum, ſed Magnum Deum : nec ex eo fratres nominari, ſicut Helvidius blaſphemat, quòd primogenitus eſt, ſed ex paternæ charitatis affectu. Nam quatuor modis in Scripturis Sanctis fratres appellari legimus, ſicut Beatus Hieronymus in libello contra eundem Helvidium teſtatur; naturâ, gente, cognatione, affectu. Naturâ, ut Eſau & Jacob, duodecim Patriarchæ, Andreas & Petrus, Jacobus & Joannes. Gente, quia omnes Judæi fratres inter ſe vocantur, ut in Deuteronomio : *Si autem* (a) *emeris fratrem tuum, qui eſt Hebræus, vel quæ eſt Hebræa ; ſerviet tibi ſex annis, & in ſeptimo anno dimittes eum liberum abs te.* Et in eodem : *Conſtituendo* (b) *conſtitues ſuper te Principem, quem elegerit Dominus Deus tuus, eum, qui ex fratribus tuis ſit,* & reliqua. Cognatione autem fratres vocantur, qui ſunt de unâ familiâ, ſicut Loth frater Abrahæ dicitur, cum ſit filius fratris ſui Aran, dicente Abraham: *Non ſit rixa* (c) *inter me, & te, & inter Paſtores meos, & Paſtores tuos, quia omnes fratres nos ſumus.* Qua lege, & in Evangelio fratres Domini dicuntur Jacobus, Judas, & Simon. Affectu quoque fratres dicuntur, qui in duo ſcinditur, in ſpiritale, & in commune. In ſpiritale, quia omnes Chriſtiani fratres vocantur : ut ibi: *Ecce* (d) *quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* Et Salvator : *Narrabo* (e) *nomen tuum fratribus meis.* Et alibi : *Vade*, (f) *dic fratribus meis.* Porrò in commune, quia omnes homines, ex uno Patre nati, pari germanitate conjungimur. Hinc Hieronymus dicit, affectu fratres eſſe Domini, non adoptione, ubi dicit : *Narrabo* (g) *nomen tuum fratribus meis.* Et item : *Ite, dicite fratribus meis.*

Sequitur in Epiſtolâ veſtrâ : " Cariſſimi, nunc Filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quia, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt. Similes utique in carnis adoptione, & non ſimiles ei in Divinitate." Hujus verò ſententiæ intellectum longè aliter Catholici Patres expoſuerunt. Dicit enim Sanctus Auguſtinus in Epiſtola ad Italicam Virginem : In tantum ergo videbimus, in quantum ſimiles erimus : quia & nunc in tantum non videmus, in quantum diſſimiles ſumus. Inde igitur videbimus,

(x) Prov. VIII, 22. (y) Eccleſ. XXIV, 5. (z) Tit. II, 13.
(a) Deut. XV, 12. (b) Deut. XVII, 15. (c) Gen. XIII, 8.
(d) Pſalm. CXXXII, 1. (e) Pſalm. XXI, 23. (f) Joan. XX, 17.
(g) Hebr. II, 12.

mus, ubi similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, qui renovatur in agnitione Dei, secundùm agnitionem ejus, qui creavit eum: & tanto efficimur similiores illi, quanto magis in ejus agnitione & caritate proficimus: quia etsi exterior homo noster corrumpitur, interior autem renovatur de die in diem: ità sanè, ut in hac vitâ, quantumcumque profectus sit, longè absit ab illâ perfectione similitudinis, quæ idonea erit ad videndum Deum. Quid verò David putatis dixisse de fratribus adoptivis: *Unxit te Deus,* (h) *Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis?* Non enim Beatus Hieronymus, & cæteri Sanctæ Scripturæ Tractatores, hanc participationem unctionis de adoptivis fratribus, sed de Regibus, qui Christi vocabantur, intelligi voluerunt, qui oleo humanæ compositionis uncti esse leguntur: sicut idem Beatus Hieronymus in tractatu ejusdem Psalmi exposuit: *Oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Alii Reges, qui typum illius prætulerunt, & regnando consortes dicti sunt, oleo corruptibili sunt inuncti: hic verò Filius Dei, à Deo Patre oleo exultationis, hoc est, resurrectionis, ascensionis, Dominationisque est delibutus: quia Christus naturâ unctus, nos per gratiam, quia in illo pleniter fuit Divinitas.

Item post multa testimonia, quæ omnia exequi longum est, novissimè in Micheæ Prophetæ sententiam offendistis, in quâ pœnitentis populi personam in se ipso Propheta assumpsit: in qua & vestræ blasphemiæ stultitiam aperuistis, dicendo: *Numquid* (i) *dabo Primogenitum meum pro scelere meo? Fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Quòd dixit primogenitum, secundùm humanitatem: quòd dixit fructum ventris mei, secundùm Divinitatem. Quæ aures Catholicæ hanc expositionem audire non abhorrent? Quis fidelis illam nare contractâ non respuit? Tam ridiculosa est, tam stulta hujus sententiæ expositio apud vos, ut propter Sanctitatem aurium magis taceamus, quid de vestrâ interpretatione sentimus, quàm exponamus: & lectoris arbitrio dimittimus de vobis in hoc loco judicare. Tantùm dicimus, quid Beatus Hieronymus de hac intellexit sententia. Dicit enim in Tractatu ejusdem Prophetæ: Deus populum ad judicium provocârat. Ille sciens peccatum suum, non vult contendere, sed rogare: nec tamen in ipsis precibus habet fiduciam. Nihil enim dignum est, quod pro peccato Deo possit offerri: & nulla humilitas potest maculas eluere delictorum: quia impossibile est, sanguinem taurorum, & vitulorum, & holocausta medullata, & cruorem arietum, & hircorum pinguium, sordes animæ lavare. *Numquid*, ait, *dabo Primogenitum meum pro scelere meo*, sicut Rex Moab fecisse describitur? *Aut fructum ventris mei pro peccato animæ meæ*, quod fecit Jephte, pro temeritate voti offerens filiam? Item secundùm LXX. allegoricam expositionem ità disseruit: Si dedero primogenita mea pro impietate; & fructum ventris mei pro peccato animæ meæ: dabo quidem, quicquid in me primum est, sed pro meo peccato, & impietate nihil dignum offeram Deo. Unde & David precatur, & dicit: *Magis, magisque* (k) *lava me ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me.*

Item mentionem Epistolæ B. Pauli ad Hebræos facientes, nec intelligentes omnia, quæ posuerunt, contra se esse, & semper ubique Christum Dominum, Filium Dei nominari; non servum, non adoptivum, sicut in illis testimoniis perspicuum est, quia ex principio Epistolæ illius ponere voluerunt: *Multifariè,* (l) *multisque modis olim Deus locutus est Patribus nostris in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Et iterum: Cùm introduceret Primogenitum in orbem terrarum, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Hæc itaque testimonia non servum, non adoptivum dicunt Dominum nostrum JESUM Christum, sed Filium & hæredem universorum:

(h) Psalm. XLIV, 8. (i) Mich. VI, 7. (k) Psalm. L, 3.
(l) Hebr. I, 1.

rum : ficut & in fequentibus ejufdem Epiftolæ legimus: Moyfes quidem, tanquam famulus fidelis, fuit in totâ domo ejus: Chriftus verò tamquam filius in domo fuâ. Et paulò ante : *Amplioris enim* (m) *gloriæ ifte præ Moyfe dignus habitus eft.* Quomodo amplioris gloriæ, fi fervus, ficut & Moyfes, vel ex fervo adoptivus? Quos & Beatus Auguftinus in Homilia III. Sancti Evangelii fecundùm Joannem mirabiliter diftinxit, dicens: Tenete ergò, Fratres, foliditatem iftam : Lex per Moyfem data eft, gratia & veritas per JESUM CHRISTUM facta eft. Per fervum lex data eft, & reos fecit: per Imperatorem indulgentia data eft, & reos liberavit. Lex per Moyfem data eft : non fibi aliquid ampliùs fervus adfignet , quàm quod per illum factus eft. Electus ad magnum Minifterium, tamquam fidelis in domo, fed tamen fervus, agere fecundùm legem poteft, folvere à reatu legis non poteft.

Quod autem in fequentibus Epiftolæ veftræ legitur: "His præmiffis Sanctorum Patrum fententiis, adfertionibus noftris roboratis, in commune decrevimus ab eorum decretis nullo modo deviare veftigiis." Optamus, dominúmque deprecamur , hoc omnino verum effe, quod dicitis. Sed necdum perfpeximus ità effe. Faciat quandoque mifericordia Divina fieri , ut terminos Sanctorum Patrum non transgrediamini.

Quod etiam & in fequentibus adjunxiftis: " In profeffione Nicæni Symboli non invenimus dictum , in Chrifto duas naturas , & tres fubftantias , & homo deificus , & Deus humanatus." Quid eft natura hominis, nifi anima & corpus? vel quid eft inter naturam & fubftantiam, ut tres fubftantias neceffe fit nobis dicere , & non magis fimpliciter, ficut Sancti Patres dixerunt , confiteri Dominum noftrum, JESUM CHRISTUM, Deum verum, & verum hominem in unâ perfonâ? Manfit verò perfona Filii in SANCTA TRINITATE , cui perfonæ humana acceffit natura, ut effet & una perfona, Deus & homo: non homo deificus, & humanatus Deus; fed Deus homo, & homo Deus: propter unitatem perfonæ unus Dei Filius, & idem hominis Filius : perfectus Deus , perfectus homo. Perfectus homo non eft , nifi animâ , & corpore , ficut & Sanctus Papa Leo in Homilia IV. de Natali Domini , eamdem nuncupat naturam , quam & fubftantiam , ità dicens: tanto fœdere naturam utramque conferuit, ut nec inferiorem confumeret glorificatio , nec fuperiorem minueret adfumptio. Salvâ igitur proprietate utriufque fubftantiæ , & in unam coëunte perfonam, nec negamus & nos, Chrifto hæc tria veraciter ineffe , Divinitatem fcilicet , animam, & corpus. Sed, quia verè Deus & homo dicitur , in Dei nomine totum , quod Dei eft, defignatur , in hominis verò , totum, quod hominis eft , intelligitur. Ideo fufficit, in eo unam perfectam Divinitatis , & alteram perfectam humanitatis confiteri fubftantiam. Aliud enim eft, contra hæreticos contendere: aliud verò , puram fideliter confiteri fidem. Ibi enim veritas animæ, & carnis in Chrifto oftendenda erat, hîc perfecta humanitas in eodem confitenda eft. Sic & Sanctus Auguftinus in libro, quem Enchiridion nominari placuit, evidentiffimè & Catholicè in undecimo Capitulo (n) expofuit, ità dicens de Deo Chrifto : Nempe ex quo homo effe cœpit , non aliud cœpit homo effe, quàm Dei Filius, & hoc unicus : & propter Deum Verbum, quod illo fufcepto Caro factum eft , utique Deus: ut quemadmodum eft una perfona quilibet homo , anima fcilicet rationalis & caro, ita fit Chriftus una perfona, Verbum & homo.

Confuetudo Ecclefiaftica folet in Chrifto duas fubftantias nominare, Dei videlicet & hominis , ficut Caffiodorus in fecundi Pfalmi tractatu cum fententiâ Sancti Auguftini roboravit : Et ne per hæreticas, inquit, contentiones Chriftiani animus fluctuetur , quem oportet omnia veraciter fixéque credere , nominis ipfius definitionem auctoritate Patrum brevi fatisfactione concludimus. Audiamus ergo Beatum & Doctiffimum Auguftinum in Evangeliftæ Joannis expofitione dicentem : Agnofcamus geminam fubftantiam Chrifti , Divinam fcilicet , qua æqualis eft Patri ; humanam , qua major eft Pater. Utrumque autem fimul , non duo , fed unus eft Chriftus, ne fit quaternitas , non Trinitas Deus: ac per hoc Chriftus eft Deus, anima rationa-

(m) Hebr. III, 3. (n) Cap. XXXV.

tionalis, & caro: qua veritate recognitâ, competenter mortiferos vitamus errores. Item Beatus Ambrosius in hymno quodam de Natali Domini ità dicit: Geminæ gigas substantiæ alacris, ut currat viam. Item Sanctus Augustinus in libro Enchiridion (o) Capitulo XIII. Proinde sicut confitemur, Dominus noster JESUS CHRISTUS, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, utraque Substantia, Divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis. Item in expositione Catholicæ Fidei: Non ergo duos Christos, neque duos Filios, sed Deum & hominem unum Filium: quem propterea Unigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis, sicut ei naturæ veritas contulit. Isidorus quoque in libro Etymologiarum: Sic autem, inquit, Dei Filio juncta est humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una Persona.

Item Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Paschasius, in libro secundo operis pulcherrimi, quod de Spiritu Sancto composuit, cujus opusculi Beatus Gregorius Papa Romanus, in libris Dialogorum mentionem fecit, in Capitulo IV. ità dicit: Itaque in Deo & homine gemina substantia; sed non gemina persona est: quia persona personam consumere potest, substantia verò substantiam non potest: siquidem persona res juris est, substantia res naturæ. Hoc loco necessarium videtur, ut in Christo, Domino pariter & homine, unam personam, & duas substantias testimoniis asseramus. Da unam Redemptoris Dei, hominisque personam. Apostolus dicit: *Si enim cognovissent Sapientiam* (p) *Dei, numquam Dominum Gloriæ crucifixissent.* Si requiras, quomodo potuerit inviolabilis pati, & incomprehensibilis crucifigi; Personæ unitas facit, ut quod homo pertulit, Deus pertulisse credatur. Item cùm Evangelista commemorat: *Nemo* (q) *ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo.* Quomodo hic Filium hominis ante Passionis & Resurrectionis, sive Ascensionis diem, & de cœlo asserit descendisse, & in cœlestibus permanere, nisi hoc per unitatem personæ ratio veritatis absolvat? Sicut alio loco capitis, & corporis sociatur persona, cùm legitur: *Esurivi enim*, (r) *& dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere.* Quid agit personæ unitas? Homo pascitur, & Deus reficitur: pes confovetur, & caput fomentum in se sentire testatur. Dicit ergo: *Numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, & è diverso: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo.* Vide, quomodo per unitatem personæ humana divinis, & humanis Divina miscentur. Deus crucifigitur, & homo de cœlo descendere, & in cœlo permanere memoratur. Item paulò post, in eodem Capitulo: Paulus Apostolus etiam duas substantias evidenter, remotâ Sacramenti obscuritate, digessit, ità dicens: *Patres nostri, ex quibus* (s) *Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Sed & inter lucidissimas & Catholicas Sancti Augustini sententias, quas sparsim, & inordinatè posuistis ad defensionem, ut vos dicitis, vestram; ut nos intelligimus, accusationem erroris vestri: non metuistis, intermiscere sensus adulterinos, fingentes eum dicere, quod in illius non invenimus dictis. Ex quo perspicuum est, vos vestræ non confidere causæ, quia in exemplis Sanctorum Patrum, non invenistis fidem vestram confirmari: ideóque adulterinos pravitatis sensus interposuistis, asserentes illos dicere, quod non dixerunt, sicut certissimè cognosci potest in Capitulo XI. de libro Sancti Augustini, quem Enchiridion, ut præfati sumus, nominavit: cujus Capituli textum ponimus, ut faciliùs vester patescat error, & malitiæ noscatur imperitia. Dicit enim præfatus Pater: Proinde (t) CHRISTUS JESUS Dei Filius est, Deus, & homo: DEUS ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo: DEUS, quia DEI Verbum, DEUS enim erat Verbum: homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro. Quocirca in quantum DEUS est, ipse, & Pater unum sunt: in quantum autem homo est, Pater major est illo. Cùm enim esset unicus DEI Filius, non gratiâ, sed naturâ; ut esset etiam plenus gratiâ, factus est & hominis Filius: idem ipse utrumque ex utroque unus Christus. Quia cùm in formâ

(o) Cap. XXXVIII.
(p) Imæ Cor. II, 8.
(q) Joan. III, 13.
(r) Matth. XXV, 35.
(s) Rom. IX, 5.
(t) Cap. XXXV.

formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, quod naturâ erat, id est, esse se æqualem Deo: exinanivit autem se, accipiens formam servi, non amittens vel minuens formam Dei. Ac per hoc, & minor est factus, & mansit æqualis, utrumque unus, sicut dictum, sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem: propter Verbum æqualis Patri, propter hominem minor: unus DEI FILIUS, idémque hominis Filius: unus hominis Filius, idemque, & DEI FILIUS: non duo FILII DEI, DEUS & homo, sed unus DEI FILIUS, DEUS sine initio, homo à certo initio, Dominus noster JESUS CHRISTUS.

Hisce igitur verissimis Catholicæ fidei adsertionibus, perfidiæ venena intermiscere non metuistis. Ubi ergo ille dixit, cùm enim esset unicus Dei filius, non gratiâ, sed naturâ; ut esset etiam plenus gratiâ, factus est & hominis Filius, idem ipse utrumque ex utroque unus Christus: ad confirmandum errorem vestrum, interposuistis, quod ille non dixit, hoc modo: cùm enim esset unicus Dei Filius, non adoptione, sed genere, neque gratiâ, sed naturâ: ut esset etiam plenus in formâ servi, adoptione & gratiâ, factus est hominis filius, idem ipse utrumque ex utraque unus Christus. Videat, qui legit, & intelligat, quanta est hæc pravitas, & quanta est hæc tergiversatio. Quare Sanctorum Patrum sensus commaculatis, & venenum erroris Catholico melli immiscetis? Quid est, quòd dicitis, Deum naturâ Dei Filium, genere esse Filium Dei? Quid est, quod adoptionem gratiæ conjungitis, dum in eodem Capitulo paulò post idem mirificus Doctor, eum, qui est hominis filius, unicum Dei Filium nominare non dubitaret, ità dicens, sicut, & antè exposuimus: Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit homo esse, quam Dei Filius, & hoc unicus: & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus; ut quemadmodum una persona est quilibet homo, anima scilicet rationalis, & caro, ità sit Christus una persona, Verbum, & homo. Igitur si unicus, quomodo adoptivus, dum multi sunt adoptivi filii? Unicus itaque de multis non potest dici. Item unitas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam. Si ergo Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum, vel adoptivum: etsi eum Propheta servum nominâsset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quâ factus est Patri obediens usque ad mortem, præfato Papa Leone dicente in Homilia II. de Nativitate Christi: Assumpta est de matre Domini natura, non culpa: creata est forma servi sine conditione servili. Item Sanctus Augustinus in Homilia XXXIX. dicit: Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in formâ etiam servi Dominus fuit. Nonne secundùm sæculi nobilitatem, Beata MARIA Virgo ex regali & libera prosapia processit? Huic ergo Virgini, Regiæ dignitatis, Spiritus Sanctus accessit, & Filium ex ea procreari fecit. Mirum, si Spiritus Sanctus hominem ex ea non potuit facere perfectum, & ingenuum.

Sed, & hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis Pater, qui de terra Virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodo tunc Imago Dei? Si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine? Meliore quidem terrâ, etiam animatâ, & immaculatâ, Spiritu Sancto operante, factus est homo, dicente Apostolo, *Factus est* (u) *primus homo de terra terrenus, secundus de Cælo cœlestis.* Si terrenum liberum conditum confitemur, quare non multò magis cœlestem liberum confitemur? Unde, Adam fuit servus factus, nisi ex peccato, Apostolo Petro attestante: *Qui enim* (x) *peccatum facit, servus est peccati?* Christus autem non fecit peccatum, ideò servus non est peccati; sed magis liberator & redemptor eorum, qui servi sunt peccati, eo ipso attestante. *Si Filius* (y) *vos liberaverit, verè liberi eritis.* Sed fortè servum hominis eum fuisse dicitis. Quid est, quod dicit Propheta, *Deus* (z) *judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei?* Item Apostolus. *Omnia* (a) *subjecit sub pedibus ejus.* Et hoc sæpiùs

(u) I. Cor. XV, 47. (x) II. Petr. II, 19. (y) Joan. VII, 36.
(z) Psalm. LXXI. 1. & 11. (a) Imæ Cor. XV, 26.

sæpiùs repetitur, quàm exemplis indigeat edoceri, quòd sit Dominus omnium, non alicujus servus. Anne Angelorum eum servum vultis dicere, quia dictum est: *Minuisti* (b) *eum paulò minùs ab Angelis?* Utique minoratus est propter mortalitatem carnis, non propter conditionis servitium: ideoque statim sequitur: *Gloriâ, & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Item Apostolus ad Hebræos, *Tanto* (c) *melior effectus Angelis, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* Et iterum, *Cùm* (d) *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in baptismo etiam, & in transfiguratione, quæ facta est in monte, filium nominavit, non servum: *Hic est filius* (e) *meus dilectus, in quo mihi bene placuit?* De quâ sententia Beatus Hilarius in libro VI. de fide, ità disseruit: Si proprium ac singulare est: *Hic est Filius meus*; quid calumnias Deo Patri professæ de filio proprietatis adferimus? Anne tibi videtur in eo, quod dicitur, hoc significari, alios quidem cognominatos habeo in filios, sed hic filius meus est? Donavi adoptionis nomen plurimis: sed iste mihi filius est. Ne quæras alium, ne non hunc esse credas. Hunc ergo tamquam digito indice, ac verbi significatione contingo, quia dico, & meus est, & filius est. Hæc quidem Paternæ vocis significatio ea fuit, non quòd, qui ad implendam omnem justitiam baptizandus erat, ignoraretur: sed, ut, qui ad Sacramentum salutis nostræ homo cernebatur, Dei voce Dei Filius nosceretur. Restat igitur, ut sit Rex, & Redemptor, Deus, & Dei Filius: de quo & Apostolus ad Romanos: *Qui proprio Filio suo* (f) *non pepercit.* Proprium nominavit, non adoptivum. De quâ sententiâ idem Beatus Hilarius in libro præfato ità dicit: Numquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietas est hoc nomen? Item post pauca: Quære virtutem dicti, ut magnitudinem caritatis intelligas. Quid sit proprium, expende, ne ignores veritatem. Nunc enim Apostolus proprium ait filium, cùm in multis, vel suum, vel ejus sæpe dixisset. Quamvis multi codices, per translatorum simplicem intelligentiam, in hoc loco, proprio filio, suo filio conscriptum habeant: tamen Græcitas, quâ lingua Apostolus est locutus, proprium nunc magis, quàm suum nuncupavit. Et licet communis intelligentiæ sensus non satis inter proprium, & suum differat, verùm Apostolus, cùm in cæteris aliis dictis suum filium commemorâsset, hìc tamen dicit: *Qui proprio Filio non pepercit.* Item libro VIII. Sentisne, quid tibi desit, Christo negando, quod suum est? Si per naturam Dei Christus tibi Dominus est; habes Spiritum Sanctum: si verò per adoptivum nomen hic Dominus est; Spiritu Sancto carens spiritu erroris animaris: quia nemo, nisi in Spiritu Sancto Dominum JESUM potest dicere. Item in dogmate Catholicæ Fidei. Ergo Dei Filius, hominis factus est Filius, natus secundùm veritatem naturæ ex Deo, Dei Filius; & secundùm veritatem naturæ ex homine, hominis Filius: ut veritas unigeniti non adoptione, neque appellatione, sed in utraque nativitate Filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus, & verus homo unus Filius. Item Sanctus Evangelista Joannes verùm eum Filium nos credere edocuit, dicens: *Et nos vidimus,* (g) *& testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam JESUS est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in eo.* Item post pauca: *Scimus, quoniam Filius Dei* (h) *venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Tu verò quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire: Ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchæ nescierunt, Prophetæ non dixerunt, Apostoli non prædicaverunt, Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores Fidei nostræ non docuerunt. Fortè in tertium cœlum raptus fuisti, & ibi audisti arcana verba, quæ hucusque Sanctæ Dei Ecclesiæ ignota essent, si tu in tertium cœlum raptus non esses? Aut super pectus Domini recubuisti, & ibi audisti, quæ Beatus Joannes audire non meruit? Aut te

[b] Psal. VIII, 6. (c) Hebr. I, 4. (d) Ibid. 6.
(e) Matth. III. & XVII. (f) Rom. VIII, 32. (g) Imæ Joan. IV, 14.
(h) Imæ Joan. V, 20.

te per Choros Angelorum agnus ducens, hoc tibi nomen ostendit? Aut tibi Leo de tribu Juda librum septem sigillis clausum aperuit, unde hæc mysteria intelligeres, & nomina proferres, quæ quatuor animalibus incognita manfissent, imò toti mundo inaudita, nisi tu novus Doctor ad declarandum tuum nomen venisses?

Dices enim, cur times adoptivum Christum Dominum nominare? Dico tibi, quia nec Apostoli eum sic nominarunt, nec Sancta Dei, & Catholica Ecclesia consuetudinem habuit, sic eum appellare, immò nec credere eum adoptivum esse, sed proprium filium, juxta præcedentia Apostolorum testimonia, & Sanctorum Doctorum dogmata. Plurimæ verò sunt in Sanctis Scripturis appellationes Domini nostri JESU CHRISTI: sicut leo, agnus, lapis, vermis, & multa talia, quæ omnia certas habent, & mysticas significationes, cur ità dicantur. Adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut JESUS CHRISTUS non sit proprius Filius Dei, nec ex Virgine ei in Filium genitus; sed nescio, ex quo servo adoptatus in filietatem, ut vos dicitis: quarum significationum allegoricas interpretationes diceremus, si huic præsenti rationi necessariæ viderentur, sicut Leo propter Regiam Dignitatem, agnus propter innocentiam, vermis propter humilitatem incarnationis. Quòd verò eum dicitis leprosum nominari, videtur, vos minùs intendisse, quomodo Propheta hoc nomen posuit: *Et nos*, inquit, *putavimus* (i) *eum, quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras.* Quasi leprosum dixit, non leprosum. Item, putavimus, dixit, id est, ut Beatus Hieronymus in Tractatu ejusdem Prophetæ exposuit: Nos putavimus, eum propria sustinere peccata: sed ut veriùs intelleximus, pro nostris vulneratus est iniquitatibus: Nullatenus morbo lepræ percussus est in corpore, nec leprâ peccati vulneratus est in anima. Lupum verò, & vulturem eum non legimus in Scripturis Sanctis, quantum nostræ occurrit memoriæ, nuncupari: nec etiam adoptivum.

Nónne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali Ecclesia refutata est, etiam & damnata? Quapropter fortè illum anathematizare noluistis, dum alios, Bonosum scilicet, Arium, & Sabellium, Manichæúmque, qui prava de Dei Filio senserunt, in Epistola vestra anathematizâstis. Numquid non ideo damnatus est, qui Beatam MARIAM semper Virginem, non Dei, sed hominis tantummodo credidit esse Genitricem? De cujus hæresi Sanctus Cyrillus Eulogio Presbytero scribit, hoc modo dicens: Nestorius itaque in suis expositionibus simulat se dicere unum Filium, & unum Dominum: sed refert filiationem ad solum Dei Verbum. Et paulò post: Dicendo enim, quia propterea Deus Verbum, Christus nominatur, quia habet copulationem ad Christum; quomodo non apertum est, duos dicere Christos, si Christus ad Christum habet conjunctionem, tanquam alter ad alterum? Videtur enim, Nestorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem. Quid est adoptio, nisi caritatis copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet? Et certissimum est, sicut præfati sumus, alium esse proprium filium, alium adoptivum. Nónne tunc duo filii erunt Deo Patri, unus proprius, & alter adoptivus, quod nullus Catholicus audet dicere? Quid est aliud dicere, eandem Virginem adoptivum, vel servum genuisse, nisi negare, Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus, sed Filius: quia alia persona est proprii filii, alia adoptivi filii, vel servi. Et scimus, unam esse personam in Christo Deo, Dei & hominis, sicut Beatus Gregorius in Epistola ad Quirinum Episcopum scripsit: Non autem, inquit, priùs in utero Virginis caro concepta est, & postmodum Divinitas venit in carnem: sed mox, ut Verbum venit in uterum, mox Verbum, servatâ propriæ virtute naturæ, factum est caro, & perfectus homo. Idem in veritate carnis, & animæ rationalis natus est per uterum Virginis Filius Dei. Si igitur mox à tempore conceptionis verus Deus, Dei Filius conceptus est; quando fuit, ut homo esset sinè Deo, unde adoptaretur in Filium? Sicut enim nunquam fuit, ut Deus Pater esset sinè Deo Filio, de quo dictum est: *In* (k) *principio erat Verbum:* Ità nunquam fuit, ut homo JESUS esset sinè

Rr

(i) Isaiæ LIII, 4. (k) Joan. I, 1.

ſine Deo, de quo dictum eſt, *Verbum* (l) *caro factum eſt*, id eſt Deus homo factus eſt. Sicut enim Arius filium ſeparavit à Patre, dicendo: erat, quando non erat Dei Filius; ità per adoptionem vos ſeparatis hominem Chriſtum à Deo Filio.

Et miramur, dum tanta Sanctorum Patrum teſtimonia profertis, cur non intelligatis, quòd contra eadem teſtimonia ſenſum punitis veſtrum, alia pravè intelligentes, alia peſſimè interpretantes, juxta Apoſtolum, (m) non intelligentes, quæ dicitis, nec de quibus affirmatis. Sufficiat vobis, obſecramus, dicere in confeſſione Catholicæ fidei, quod Sancti Patres dixerunt: & ſic Symbolum tenere Eccleſiaſticæ profeſſionis, ſicut Sanctiſſimi Doctores expoſuerunt. Longè ſiquidem inferiores ſumus illis, ad excogitanda verba convenientia fidei Apoſtolicæ. Tantùm firmiter credamus, & teneamus, quod illi ſcripſerunt, qui Spiritu Dei repleti ſunt, & nobis à Deo dati ſunt Doctores. Quî enim vobis diſplicet in Domino noſtro JESU CHRISTO, ut verus ſit Deo Patri Filius, dum ille ipſe, & ſe Filium nominavit & veritatem, dicendo: *Pater* (n) *clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Et iterum: *Ego ſum via*, (o) *& veritas, & vita*? Niſi fortè cum judæis vultis dicere: *Tu* (p) *de te ipſo teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum.* Mox ille ipſe pro ſe reſpondebit vobis. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium verum eſt.* Et paulò poſt: *In lege*, inquit, *veſtrâ ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* Pater de cœlis intonuit, & eum filium ſuum nominavit: Chriſtus de terris in cœlos clamavit, ſe filium nominavit, & vos cum Judæis adhuc increduli eſtis? Latro in cruce eum Dominum nominavit: Centurio morientem eum videns clamavit: *Verè Filius Dei* (q) *erat iſte.* Sed & dæmones eum verè Filium Dei ſummi cum ſuâ legione proclamaverunt, ſicut in ſanctis legitur Evangeliis. Et Elipandus cum ſuâ legione negat adhuc eum verè Filium Dei eſſe? Apoſtoli interrogati à Chriſto dicente: *Quem dicunt* (r) *homines eſſe filium hominis?* de filio hominis interrogat, & de filio hominis reſpondet ei Petrus dicens: *Tu es* (s) *Chriſtus Filius Dei vivi*: & pro hac laudabili confeſſione meruit ab ipſo Deo ſalvatore noſtro audire: *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Patrem ſuum dixit, qui hæc revelavit. Pater de ſuo Filio myſteria revelavit, ſæculari inaudita ſapientiæ: & pro hac glorioſâ confeſſione Beatum Petrum, Principem Apoſtolorum, cœli, terræque remuneravit poteſtate, dicens: *Tu es* (t) *Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis.* Auditis, quid hæc fides Apoſtolica meruit: videte, quid veſtra mereatur adoptio. Paulus eumdem, qui crucifixus eſt, Dei virtutem, & Dei ſapientiam prædicavit, ſcribens ad Corinthios: *Nos verò Chriſtum* (u) *prædicamus, & hunc crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, credentibus verò Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Ecce duo luminaria mundi, quale de Chriſto Filio Dei teſtimonium proferunt: & vos eum adhuc adoptivum vultis dicere, & nobiſcum Spiritum adoptionis accepiſſe Dei Filium? Eſaias eum Filium appellat: *Filius*, inquit, (x) *datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus; & vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri ſæculi.*

Intelligite, fratres, quæ legitis, & nolite nova, & incognita nomina fingere, ſed quæ in Sanctâ Scripturâ inveniuntur, tenete. Illa enim, quæ ibi inveniuntur de CHRISTO DEO, honeſtas habent ſignificationes, & noſtræ ſaluti convenientes. Et nolite per humanas inventiones fluctuare, ſed in ſoliditate Sanctarum Scripturarum vosmetipſos roborate. Illas legite, illas docete: quia in illis eſt vita æterna. Inculcâtis iterum, iterúmque replicâtis, vos conſona ſanctis Patribus ponere teſtimonia. Sed, ùt probavimus, longè aliter vos illorum intel-

(l) Ibid. 14.
(m) I. Tim. I.
(n) Joan. XVII, 1.
(o) Joan. XIV, 6.
(p) Joan. VIII, 13. & ſeq.
(q) Matth. XXVIII, 54.
(r) Matth. XVI, 13.
(s) Ibid. 16.
(t) Matth. XVI, 18.
(u) Imæ Cor. I, 23.
(x) Eſaiæ IX, 6.

intelligitis dicta, quàm illi ipsi intellexerunt, qui hæc ipsa testimonia libris inserebant: & invenimus, sicut & antè præfati sumus, certissimè vos illorum Sanctissima Scripta hæreticæ pravitatis veneno infecisse, & interseruisse verba, quæ nusquam in eorum legimus libris. Nisi fortè vestri Magistri ità sensissent, quorum nomina Sanctæ universali Dei Ecclesiæ ignota putamus hucusque remansisse, si hujus erroris schisma per vos ea mundo non innotuisset. Desinite, fratres, vestros per aures populi Christiani diffamare parentes, & vosmetipsos à Sanctâ Dei dividere Ecclesiâ: & nolite per diverticula discurrere errorum, & cisternas vobis hæreticâ perfidiâ dissipatas fodere, quæ aquas purissimæ fidei non tenebunt. Sed per viam regiam ad limpidissimum Catholicæ puritatis fontem festinate, & ex eo potate Spiritum caritatis, & fidei, quatenus de ventre vestro fluant aquæ vivæ salientes in vitam æternam. Tenete vos intra terminos Sanctorum Patrum, & nolite novas versare quæstiunculas: ad nihilum enim valent, nisi ad subversionem audientium. Sufficit enim vobis Sanctorum Patrum vestigia sequi, & illorum dicta firmâ tenere fide. Illi enim in Domino nostri extiterunt Doctores in fide, & ductores ad vitam: quorum & sapientia, Spiritu Dei plena, libris legitur inscripta, & vita meritorum miraculis clara, & Sanctissima: quorum animæ apud Deum Dei Filium, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, pro magno pietatis labore regnant in cœlis.

Hos ergo totâ animi virtute, toto caritatis affectu sequimini, carissimi fratres, ut horum inconcussâ firmitate doctrinis adhærentes, consortium æternæ beatitudinis, donante vero, & proprio Filio Dei, Domino nostro JESU CHRISTO cum illis habere mereamini in cœlis. Desinite, fratres, illum prædicare servum, quem Regem, & redemptorem habemus, cui data est omnis potestas in Cœlo, & in terrâ. Cessate eum adoptivum nominare, qui verus Deus, & verus Dei Filius: in cujus nomine omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris. Intelligite in hac professione vestrâ duplices diabolicæ fraudis latuisse dolos: hoc est, ut vos, qui gratiâ baptismi redempti estis, ab unitate Catholicæ disjungeret Ecclesiæ, & schismatici erroris laqueo à viâ salutis æternæ retraheret, & gentibus, inter quas habitatis, Christianæ fidei initia intercluderet, dum & Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, quem Deum colimus, & adoramus, servum prædicatis, & adoptivum. Hæc enim sunt argumenta diaboli, & ut vos subvertat in fide, & illos avertat à fide. Quiescite, viri fratres, quiescite ab hac nequitia: & estote vobismet ipsis Doctores ad vitam, & vicinis vestris ductores ad fidem. Considerate, quale est hoc scandalum inter paganas gentes, ut dicatur, Deum Christianorum servum esse, vel adoptivum. Nos per illum adoptivi sumus, non ille nobiscum adoptivus servus. Cur eum servum nominare debemus, qui nos amicos maluit nominare, quàm servos, dicens: *Jam non dicam vos servos*, (y) *sed amicos: quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*? Attendite, quâ caritate nos nominavit amicos, eâ caritate nominemus eum Deum Dei Filium, & diligamus ex toto corde, quia ipse prior dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, ut emundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Credamus eum Dominum, & non servum, ipso dicente, *Vos* (z) *vocatis me: Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Et verum Deum, verúmque Dei Filium confiteamur in utraque natura, Divina scilicet, & humana. Credamus cum omnia velle, quæ meliora sunt, & omnia posse, quæ vult, sicut dictum est, *Omnia* (a) *quæcumque voluit Dominus, fecit in Cœlo & terrâ.* Quis negat, meliorem esse proprietatem in filio, quàm adoptionem? Et dum omnipotens Dei Filius nostræ fragilitatis naturam in unitatem suæ personæ adsumere voluit, ut esset mediator Dei, & hominum; cur non debuit ex meliore filiorum dignitate, & multò excellentiore, nostram sibi in unitatem personæ adsociare humanitatem, quatenus ex suâ gloriosâ, & propriâ nobilitate nostræ servitutis redimeret

[y] Joan. XV, 15. [z] Joan. XIII, 13. [a] Psalm. CXIII, 9.

meret ignobilitatem? Venit enim medicina ad ægros, misericordia ad miseros, redemptor ad reos, liber ad servos, ùt dictum est, *Deus* (b) *ultionum liberè egit*. Et in Evangelio: *Si filius* (c) *vos liberaverit, verè liberi eritis*. Non simus ingrati tantorum beneficiorum Domini nostri JESU CHRISTI, per quem conditi sumus, & à quo iterum redempti sumus, & in gloriam Filiorum Dei adoptati. Prædicemus eum DEUM verum, & vivum, & verè Filium Dei, ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est æterna beatitudo, & beata æternitas. Cui laus, & gloria in omnes æternitates. Amen.

Surius Tom. III. Concilior.
Binius Tomo III. Concilior.
Sirmondus Tom. II. Concil. Galliæ.

(*b*) Psalm. 93. 1. [*c*] Joan. VIII, 36.

CAROLI MAGNI
REGIS
EPISTOLA
AD ELIPANDUM, ET CÆTEROS
EPISCOPOS HISPANIÆ, IN QUA TRIUM
ETIAM SUPERIORUM LIBELLORUM FIT MENTIO.

CAROLUS, GRATIA DEI REX FRANCORUM ET Longobardorum, ac Patricius Romanorum, Filius & Defensor Sanctæ Dei Ecclesiæ, Elipando, Toletanæ civitatis Metropolitano, & cæteris in partibus Hispaniæ Consacerdotibus orthodoxæ Fidei, & fraternæ caritatis, in CHRISTO, Dei Filio proprio & vero, optamus Salutem.

GAudet pietas Christiana, DIVINÆ scilicet, atque fraternæ per lata terrarum spatia duplices caritatis alas extendere, ut materno foveat affectu, quos sacro genuerat baptismate. Et maxima est Sanctæ Matris Ecclesiæ exultatio, suorum adunatio filiorum, ut sint consummati in unum, qui redempti sunt ab uno, dicente eodem redemptore Domino nostro JESU CHRISTO: *Pater* (a) *sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut omnes unum sint, sicut & nos unum sumus*. Unde & in Cantico canticorum de Sancta dicitur Ecclesia: *Terribilis, ut* (b) *castrorum acies ordinata*. Constipata exercitûs ordinatio, & unanimis bellatorum fortitudo, magno solet hostibus esse terrori: sic Filiorum Sanctæ Matris Ecclesiæ intra murum Catholicæ Fidei pacifica adunatio aëreis potestatibus nimiùm constat terribilis, & ignitis malignæ perfidiæ spiculis omnino impenetrabilis extat, sicut & verissimus gentium prædicator præcipit, dicens: *In omnibus assumentes* (c) *scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere*, & hoc sæculum nequam libero ad cœlestia volatu evadere. Sine fide enim impossibile est, placere DEO. Impossibile est, quod omnino ab homine fieri non potest. Principium est salutis nostræ fides: quâ intemeratâ, & integrâ sanitate confirmatâ, totius vitæ cursus per bonorum vestigia operum feliciter fine tenus currit. Per fidem enim, sicut idem præfatus DOCTOR in Epistola ad Hebræos testatur, *omnes* (d) *Sancti placuerunt Deo*.

Hanc igitur fidem orthodoxam, & ab Apostolicis traditam Doctoribus, & ab universali servatam Ecclesia, nos pro virium nostrarum portione ubique in omnibus servare, & prædicare profitemur: quia non est in alia aliqua salus, ni-

si

(*a*) Joan. XVII, 1. (*b*) Cant. VI, 39. (*c*) Ephes. VI, 16.
(*d*) Hebr. XI.

si in illa, quam pacifica ab initio salutis nostræ unanimitate semper servabat Ecclesia: pro quâ etiam, viri fratres, & vestra bona devotio „ quam vos habere decet in Domino, his partibus fidei vestræ litteras dirigere curâstis, utrùmque, & generales ad Sacerdotales Sanctissimas aures, ad nos quoque speciales. In quarum utique serie litterarum non satis nobis elucebat, an quasi ex auctoritate magisterii vos vestra docere disposuistis, an ex humilitatis discipulatu, nostra discere desideratis. Tamen sive hoc, sive illud vestris inesset animis, petitionem vestram, caritate Christianæ religionis cogente, non spernendam esse censuimus: valde desiderantes, Deúmque ex intimo cordis affectu deprecantes, quatenus in vera fidei soliditate firmiter utrinque permaneamus, & inter fluctivagos hujus sæculi æstus, Spiritu Sancto navigium vestri cursûs regente, ad portam perpetuæ tranquillitatis pervenire mereamur. Ad hanc autem tranquillitatem capiendam, oculus cordis fide purificandus est, & assiduis Sanctarum Orationum precibus mentis acies illustranda, ut puræ veritatis lumen, omni errorum nube expulsâ, contemplari valeat, ne in opiniones noxiæ falsitatis temeritas inordinata incautiùs gradientes præcipitet. Nec pigeat Christianum, ubi hæsitet, quærere; nec pudeat, ubi nesciat, discere: quoniam pia humilitas discendi sapientiæ intrat secreta; & melius est, discipulum esse veritatis, quàm Doctorem existere falsitatis. Ille ad altiora semper provehitur; iste ad inferiora semper dilabitur, & inde Magister efficitur erroris, unde auditor contempsit esse veritatis.

Hanc igitur, fratres, perniciosam devitantes elationem, Sanctorum Patrum, & Catholicorum Doctorum sacris inhæreamus sensibus. Discamus, quæ scripserunt, credamus, quæ docuerunt, & non declinemus ad dexteram, neque ad sinistram, sed per viam Regiam ad Regem & redemptorem, Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, concordi fidei, & veritatis curramus professione. *Corde enim creditur* (e) *ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, eodem attestante Apostolo*: *Justus autem* (f) *ex fide vivit*. Si justus ex fide vivit, quomodo, qui fidem non habet rectam, se vivere existimat? Nos nempe non sumus infidelitatis filii in perditionem, sed fidei in aquisitionem animæ. Sequamur Sanctorum Patrum venerabilia præcepta. Decet enim, ut omnium Christianorum una sit fides, & unus animus, sicut est unum ovile, & unus Pastor. Qui verò extra Ecclesiastici ovilis septa inveniuntur, lupinâ rabie devorabuntur, quia vocem boni Pastoris non audiunt, qui ante suas oves ingreditur, & egreditur, ut eos ad pascua vitæ peducat æternæ. Nobis itaque dictum intelligamus, quod egregius prædicator suis carissimis filiis præcipiebat, dicens: *Obsecro vos* (g) *per nomen Domini nostri JESU CHRISTI, ut unum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in uno sensu, & in eadem scientiâ.* Hæc habentes Apostolicæ auctoritatis præcepta, concordate nobiscum. Diligimus vos: hoc vobis volumus in Domino, quod, & nobis: quia perfecta, quam habemus in Christo, caritas congregare gaudet, non spargere: adunare, non scindere; & inconsutilem Salvatoris nostri tunicam integram servare, non dividere: prævidentes hoc idem in Pace Christi custodire, quod milites in passione ejus observabant.

His ita prælibatis vestris in Domino valde congaudemus profectibus: itâ ut in cordibus nostris fraterno vulnerati amore, vestram, quam patimini inter gentes, lacrymabili gemitu condoleamus oppressionem: sed majore multò tristitiâ lugemus, si aliquid diabolicâ fraude interiùs oppressionis per infidelitatem, vel cujuslibet schismatici erroris patiamini in cordibus. Iste est continuus dolor pectoribus nostris, & pene irremedicabile vulnus, nisi per ejus misericordiam, qui sanat contritos corde; & vult omnes homines salvos fieri, ad agnitionémque veritatis pervenire, illi nos lætificent, qui contristaverunt. Vestra igitur correctio, nostra est lætificatio: desiderantes vos socios habere in Fide Catholicâ, & cooperatores in prædicatione veritatis, ut gaudium, quod Christus suis promisit discipulis, habitet in nobis, & gaudium nostrum impleatur in vobis.

Ad impletionem verò hujus gaudii, fraternâ cogente caritate, jussimus Sanctorum

(e) Rom. X, 10. [f] Rom. I, 17. [g] Ima Cor. I, 10.

ctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostræ ditionis Ecclesiis congregari Concilium: quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis adsertionibus, & Sanctæ Dei universali Ecclesiæ antiquis temporibus inauditis, vos ex vestris scriptis intulisse cognovimus. Immò & ad Beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem, de hac novâ intentione, nostræ devotionis ter, quatérque direximus Missos, scire cupientes, quid Sancta Romana Ecclesia, Apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione. Nec non & de Britanniæ partibus aliquos Ecclesiasticæ disciplinæ viros convocavimus: ut ex multorum diligenti consideratione veritas Catholicæ Fidei investigaretur, & probatissimis Sanctorum Patrum hinc inde roborata testimoniis absque ullâ dubitatione teneatur. Idcircò vobis per singulos libellos dirigere curavimus, quid prædictorum Patrum pia unanimitas, & pacifica perscrutatio, auctoritate Ecclesiasticâ inveniret, statuisset, confirmaret. Primò, quid Dominus Apostolicus, cum Sancta Romana Ecclesia, & Episcopis illis in partibus quaquaversum commorantibus, & Catholicis Doctoribus sentiret, sub unius libelli tenore statuimus. Deinde secundo loco, quid Ecclesiastici Doctores, & Sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinquioribus Italiæ partibus, cum Petro, Mediolanensi Archi-Episcopo, & Paulino Forojulianensi, vel Aquilejanensi Patriarcha, viris in Domino valde Venerabilibus, intelligi, vel firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus exaratum posuimus libellum, quia ipsi quoque præsentes nostro Synodali Conventui adfuerunt. Posthæc tenet & tertius libellus orthodoxam Sanctorum Patrum Episcoporum, & Virorum Venerabilium Fidem, qui in Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, & Britanniæ Partibus, dignis Deo deserviunt officiis, vestrísque objectionibus Sanctarum Scripturarum testimoniis roboratas obtinet responsiones. Dein quarto loco meæ propriæ unanimitatis, cum his Sanctissimis prædictorum Patrum Decretis, & Catholicis Statutis consensum subnexui, sicut vosmetipsi in vestrâ Epistolâ, quam meo specialiter adsignâstis nomini, rogare curâstis: id est, ne paucorum subdolis adsertionibus consentirem, sed plurimorum testimoniis roboratam fidem firmiter tenerem. Facio certissimè, Deo Domino meo JESU CHRISTO donante, horum me sanctissimæ multitudini, & probatissimæ auctoritati in veræ Fidei Professione firmiter associans, nec vestræ me paucitati in consensione hujus novæ adsertionis socium admitto: sed Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis Traditionibus tota mentis intentione, totâ cordis alacritate conjungo. Quicquid in illorum legitur libris, qui Divino Spiritu afflati, toti orbi à Deo Christo dati sunt Doctores, indubitanter teneo: hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimæ Evangelicæ veritatis pandit historia, quod Apostolica in suis Epistolis confirmat auctoritas, quod eximii Sacræ Scripturæ Tractatores, & præcipui Christianæ Fidei Doctores ad perpetuam posteris scriptum reliquerunt memoriam. Cum his quoque Doctoribus, & Sanctæ Ecclesiæ Pastoribus, veram prædico Fidem, quos in præsenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit: *Ecce* (h) *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi.*

Hi sunt Propugnatores Fidei nostræ, hi sunt Rectores per diversas Sedes civitatis CHRISTI: cujus antemurale est Fides Catholica, & caritas firmissimus murus, & propugnacula Divinarum testimonia Scripturarum: & divitiæ salutis in ea sunt sapientia, & scientia, & spes portarum custodia: quæ quatuor clavibus, id est, prudentia, justitia, fortitudine, & temperantia, piis aperiuntur animis. Hujus verò civitatis ipse Dei verus & proprius filius, Deus verus, homo verus, JESUS CHRISTUS, Dominus noster, regali præsidet potentiâ: cujus gratia totam illius civitatis structuram regit, defendit, & exaltat. Quisquis ad hanc civitatem, rectâ sibi prævia ante fide, manus bonorum operum habens plenissimas, pervenire festinat, apertas inveniet portas, & Regem Regum cum millibus Sanctorum agminum obviare sibi gaudebit. Sed & gratias vobis agimus de instantiâ orationum vestrarum, quibus

(h) Matth. XXVIII, 20.

quibus memoriam nostrî assiduè vos habere dixistis: optantes, ut preces vestræ acceptabiles sint Domino Deo Salvatori nostro, & ut ipse per suam misericordiam dignos vos efficiat exaudiri, & ad unitatem Sanctæ suæ Ecclesiæ revocare dignetur, & ejusdem pietatis humeris in Sanctæ Matris Ecclesiæ reportet ovile, qua de cœlis veniens, ovem requirere perditam, inventámque cum triumpho gloriæ ad Sedem Paternæ Majestatis revexit.

Illud quoque, quod vobis nostram pietatem flagitare placuit, quatenus in præsentia nostra libelli vestri legeretur textus, & perscrutante plurimorum consilio, quid in eo rectæ fidei Sanctionibus consentiens inveniretur: fecimus, sicut petistis, collectis undique, veluti præfati sumus, Ecclesiasticis Doctoribus, & Populi Christiani Rectoribus: nobisque omnibus pacifico unanimitatis choro confidentibus eumdem libellum à capite calcetenus per distinctiones uniuscujusque sententiæ, & per interrogationes, vel responsiones, prout cuique libuit, perlegere jussimus. Quid verò de eo libello Præsules Ecclesiarum Christi, Fideique Catholicæ Doctores intellexissent, non opus mihi, in hac mea iterare Epistola, dum illorum libellus proprius hoc vobis evidenter ostendit.

Scriptam itaque in Epistolâ vestrâ hujusmodi obsecrationem invenimus: " Poscentes vos per eum, qui pro te in " cruce manus innoxias extendit, & pro " te sanguinem pretiosum effudit, & " pro te mortem pertulit & sepulturam, " ad liberandos electos ad infernum de- " scendit, & pro te resurgens, tibi viam " ad cœlos revertendi, sicut ad cœlestem " Patriam, demonstravit, ut per te ip- " sum arbiter sedeas." Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi Sacerdotum auditor & arbiter adsedi. Discrevimus, & Deo donante decrevimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum. Sed modò per eamdem obsecrationem vos iterum iterúmque obtestor, ut in pacificâ unanimitate, & Catholicæ Fidei professione nobiscum firmiter maneatis: nec vos doctiores æstimetis universali Sancta Dei Ecclesia. Eam fidem tenete, quam orthodoxi Patres in suis nobis symbolis scriptam reliquerunt. Et nolite plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Nec ratiocinando humano ingenio Divina vos Mysteria investigare arbitremini: sed magìs credendo honorate, quæ humana fragilitas temerè perscrutando invenire non valet.

Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cujus initium B. Isidorum laudâsse dicitis, & finem doluisse: quod ne mihi accidat, per quemdam Beatum, quem Antiphrasium cognominâstis, benignè suadetis. Hoc etiam, Divinâ miserante gratiâ, præcavere satago: non ab illo tantummodo, sed etiam ab omnibus, qui aliquid rectæ fidei contrarium docere videntur. Assiduáque devotione Dominum deposco, & quoscumque ex filiis Sanctæ Matris Ecclesiæ valeo, mihi in hac petitione adjutores convoco; ne me alicujus verbosa adulatio, vel fraudulenta laudatio decipiens, à via veritatis avertat, sæpiùs cum Propheta decantans: *Corripiet* (i) *me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vos verò vobismetipsis cavete, quod nos fraterno admonuistis amore, procurantes diligentissimè: Omnipotentisque Dei vobis assiduis precibus clementissimam convocate gratiam, ne callidâ antiqui hostis versutiâ sensus vestros in aliqua parte corrumpat, & pejus fiat interius Diaboli servitium, quàm exterius gentis inimicæ. Eúmque exspectate Redemptorem, quem salutis vestræ habuistis auctorem. Illum glorificate in corde, & portate in corpore; & dignam in vobis illi præparate habitationem in fide, quæ per dilectionem operatur: quatenus vos illius gloriosa potentia, & ineffabilis misericordia, ab utriusque servitutis molestia, exteriore scilicet, & interiore, liberet & custodiat, & in magno die ante conspectum gloriæ suæ cum multiplicibus laboris vestri divitiis gloriosos stare concedat, & vocem optabilem cum operatoribus Apostolicæ Fidei audire faciat: *Venite* (k) *benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Paratum igitur vobis regnum ab origine mundi, indubitata veritatis promissione speratis, si Catholicæ Fidei unanimitati vosmetipsos adjungere curetis. Exteriores servitutis molestias internâ fidelitatis spe consolamini,

(i) Psalm. CXLIII, 5. (k) Matth. XXV, 34.

mini. Oculos mentis vestræ ad eum erigite, qui vos eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ.

Hactenus, antequam hujus adoptionis in Christo nomen à vobis exortum nostros offenderet animos, vos germanitatis amore dileximus. Et si nos vestrum corporale servitium contristaret, rectitudo tamen Fidei Catholicæ lætificavit in vobis. Nunc verò duplici pro vobis affligimur mœrore, diabolicâ fraude deceptis in corde, & inimicâ servitute oppressis in corpore. Sed redite obsecro ad unitatem Sanctæ Matris Ecclesiæ, ut vos eruat de angustia servitutis terrenæ, qui vos per baptismi gratiam à vinculo liberavit originalis peccati. Exspoliâstis veterem hominem, quomodo iterum, fraude decepti malignâ, induamini illo? Adoptionis filii Deo Patri facti estis, per eum, qui non est adoptivus, sed proprius: State per fidei inviolabilem confessionem in libertate filiorum Dei, & nolite infidelitatis jugum subire. Expellite vincula diabolicæ deceptionis de cordibus, quatenus Deus Christus, qui solvit compeditos, excutiat catenam gentis inimicæ de manibus vestris. Habetis nos, Divina auxiliante gratiâ, cooperatores gaudii vestri, si vos nobiscum Catholicæ Fidei vultis esse Prædicatores. Certissimum itaque ibi erit Divinæ miserationis auxilium, ubi una est totius Ecclesiæ caritas, & una veræ Fidei confessio. Ad multitudinem populi Christiani, & ad Sacerdotalis Concilii unanimitatem revertimini. Si enim duorum, vel trium sancto, pióque consensui, secundùm suam promissionem, Dominum esse præsentem non dubitamus: quantò magis, ubi tot Sanctissimi Patres, tot Venerabiles Fratres, tot filii piæ Matris Ecclesiæ, in nomine illius pacifica conveniunt unanimitate, eum adesse medium non est dubitandum, & illorum regere consilia, qui sui nominis laudem quærere dinoscuntur.

Ad confirmanda igitur corda vestra in fide & veritate, hanc nostri nominis, fraternâ instigante caritate, Epistolam scribere curavimus, optantes, ut nostra, quam habemus pro fide Catholicâ, proficiat devotio, & vos Divina Clementia ad fidem reducat Catholicam. Ante igitur, quàm hujus sæpe dicti scandali à vobis oriretur offensio, duplici caritate, sicut prædiximus, dileximus vos: id est, in orationibus nostris per omnes Regni nostri Ecclesias habuimus socios, & vestrî memoriam quotidie facientes: itidem quoque & Deo auxiliante voluntatem habuimus, vos liberare à servitio sæcularis necessitatis, secundùm temporis oportunitatem, & vestri consilii adhortationem. Nunc verò hac duplici caritate (quod sine dolore non dicimus) fraudâstis vosmetipsos, non intelligentes, vos fraude diabolicâ esse deceptos, ut utroque juvamine vos denudaret, id est, participatione fidei, & orationum nostrarum, vel solatio auxilii nostri. Videte, videte, quàm grande malum adversùm vosmetipsos habetis factum, quòd nequaquam ausi sumus orare pro vobis, sicut pro fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, nec vos adjuvare, quomodo fratres, in vestris maximis necessitatibus. Quapropter revertimini ad hanc duplicem consolationem, & abjicite à vobis hanc malignam diabolicæ fraudis versutiam, ut possitis nobiscum consortium habere in omni caritate, & auxilio opportuno. Post hanc verò correptionem, sive admonitionem Apostolicæ auctoritatis, & synodalis unanimitatis, si non resispisciris ab errore vestro; scitote, omnino vos pro hæreticis haberi, nec ullam vobiscum communionem pro Deo audemus habere. Currite, dum lucem habetis, ne tenebræ vos anathematis apprehendant, unde non potestis pedes vestros explicare, sed æternâ damnatione irretitos esse lugebitis. Adhuc enim pia Mater Ecclesia revocat vos ad gremium suæ misericordiæ, volens vos Deo nutrire in filios. Tantùm nolite vos abstrahere ab ejus pietate, qui vos vocavit in regnum filii dilectionis suæ.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Credimus in unum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, Filium Dei unigenitum: natum ex Patre ante omnia sæcula, & ante omnia tempora: Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum: naturalem, non adoptivum: per quem omnia condita sunt, cœlestia & terrestria, unius essentiæ, & unius substantiæ cum Patre. Credimus & in Spiritum Sanctum Deum

verum,

verum, Vivificatorem omnium, à Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum. Credimus eamdem Sanctam TRINITATEM, PATREM, & FILIUM, & SPIRITUM SANCTUM, unius esse Substantiæ, unius potentiæ, & unius essentiæ tres Personas, & singulam quamque in Trinitate Personam plenum Deum, & totas tres Personas unum Deum Omnipotentem: Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio. Nec Patrem aliquando cœpisse; sed sicut semper est Deus, ita semper & Pater est, quia semper habuit Filium. Æternus Pater, æternus Filius, æternus & Spiritus Sanctus, ex Patre, Filióque procedens. Unus Deus omnipotens, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus. Ubique præsens, ubique totus, Deus æternus, inenarrabilis, incomprehensibilis. In qua Sanctâ TRINITATE nulla est persona vel tempore posterior, vel gradu inferior, vel potestate minor: sed per omnia æqualis Patri Filius, æqualis Patri & Filio Spiritus Sanctus Divinitate, voluntate, operatione, & gloria. Alius tantummodo in persona Pater, alius in persona Filius, alius in persona Spiritus Sanctus. Non aliud, sed unum naturâ, potentiâ, & essentiâ Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Credimus ex hac Sanctâ TRINITATE, Filii tantummodo personam, pro salute humani generis de Spiritu Sancto, & MARIA VIRGINE incarnatam. Ut, qui erat in Divinitate Dei Patris Filius, esset & in humanitate hominis Matris Filius: perfectus in Divinitate Deus, perfectus in humanitate homo: Deus ante omnia sæcula, homo in fine sæculi: verus in utraque substantia Dei Filius, non putativus, sed verus, non adoptione, sed proprietate: una persona Deus & homo, unus Mediator Dei & hominum: in forma Dei æqualis Patri, in forma servi minor Patre: in forma Dei Creator, in forma Servi Redemptor. Unus in utroque Dei Filius proprius & perfectus, ad implendam humanæ salutis dispensationem, passus est verâ carnis passione, mortuus verâ corporis sui morte: surrexit verâ carnis suæ resurrectione, & verâ animæ resumptione: & eodem corpore, quo passus est, & resurrexit: ascendit in cœlos, sedens in dextera Dei Patris: & in eadem forma, quâ ascendit, venturus judicare vivos ac mortuos: cujus regni non erit finis. Prædicamus unam Sanctam Dei Ecclesiam toto orbe diffusam, locis separatam, fide & caritate conjunctam: & veram remissionem peccatorum in eadem Ecclesia, sive per baptismum, sive per pœnitentiam, Divina donante gratiâ, & bonâ voluntate hominis cooperante. Credimus & omnes homines resurrecturos esse, & singulos secundùm sua opera judicari. Impios æternis suppliciis damnandos cum Diabolo & Angelis ejus: Sanctos verò æternâ gloriâ coronandos cum Christo, & Sanctis Angelis ejus in sæcula sempiterna.

Hæc est Fides Catholica, & ideo nostra. Optamus etiam & vestra: quia una est Fides, & unum Baptisma, & unus Dominus noster JESUS CHRISTUS, qui est Deus verus, & verus homo: verus Deus, & verus Dei Filius, in utraque natura unus idémque Mediator Dei & hominum Homo JESUS CHRISTUS, qui est Deus benedictus in sæcula. Hanc Fidem vos, carissimi Fratres! firmiter tenere in commune deprecamur. Et si aliter antea in quolibet verbo sensistis, corrigite vosmetipsos, & ad unitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ purâ fide festinate: & contentiones nominum, novitatésque vocum devitate, quia juxta Apostolum, non est hæreticus, nisi ex contentione. Vos igitur, quia pauci estis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuisse, quàm quod Sancta universalis toto orbe diffusa tenet Ecclesia? Sub tegmine alarum illius requiescite, ne vos avida Diaboli rapacitas, si foris inveniat, nefando gutture devoret. Redite ad pium Matris Ecclesiæ gremium. Illa vos foveat & nutriat, donec occurratis in virum perfectum, & in plenitudinem corporis Christi. Habetote vos cooperatores salutis vestræ; Catholicæ pacis auxiliatores: & societas nostra sit in Christo JESU Domino nostro, qui vos nobiscum incorruptos & immaculatos fide pariter & opere custodiat, & constituat ante conspectum gloriæ suæ incontaminatos & irreprehensibiles, & perpetuæ beatitudinis hæredes pariter perficiat in æternum. Amen.

Surius, Binius, Sirmondus.

JACOBI SIRMONDI

ADMONITIO AD LECTOREM

De Canone II. Concilii Francofordiensis, quo rejecta est secunda Synodus Nicæna, & de Capitulari, seu Libris IV. Caroli Magni, quos adversùs eandem Synodum scriptos Hadriano Papæ misit.

QUæsitum est à multis, nostrâ, & Patrum ætate doctissimis viris, de Canone isto, & de libris Carolinis, primùm, verîne essent, an falsi & subdititii? Deinde, an Synodus illa Græcorum, cui adversantur, Nicæna pro Imaginibus Synodus fuerit, an ália? Nec injuria fortasse de utroque capite, re nondum compertâ, dubitabatur. Nunc verò, & Synodi Canones, librósque Caroli pro legitimis omnes fere agnoscunt, & de Synodo Nicæna quæstionem fuisse, quod ex libris ipsis patet, similiter consentiunt. Ac de libris sanè Caroli, ut Hincmarum omittam, qui bos à se lectos testatur; inficiari nemo potest, nisi qui Hadriani Papæ ad eosdem libros responsioni, seu confutationi, quæ in omnium manibus versatur, fidem detractam velit. De Canonibus verò qui sequuntur, quin ii quoque veri sincerique sint, nobis certè propter antiquissimi codicis auctoritaiem ambigere non licet: ut de multis ejus sæculi scriptoribus nihil dicam, qui, dum septimam Synodum à Francofordiensi rejectam tradunt, secundùm hunc Canonem, de quo agimus, tacitè significarunt. Nec difficilè porrò ista sibi de Gallorum Episcopis persuadebit, qui meminerit, illos Ludovici Pii temporibus non dissimilia in Synodo Parisiensi sensisse, & Anastasii Bibliothecarii apud Joannem VIII. censurâ perstrictos fuisse, quòd adversùs Synodi Nicænæ decretum in approbanda Imaginum adoratione cunctarentur. Restat ergo, ut quænam illorum de Imaginibus mens fuerit, aut quâ ratione purgari queant, qui Synodum Nicænam, quam inter oecumenicas numeramus, explodere ausi sint, consideremus. Quamquam quòd ad Synodi nomen attinet, in promptu habent, quò invidiam depellant. Constat enim, sic in hac quæstione versatos esse, tum Synodi Francofordiensis, tum Carolini voluminis autores, ut sibi non cum oecumenico Concilio, sed cum peculiari Græcorum, ut apellabant, Synodo rem esse contenderent. Ità enim passim in libris illis profitentur, queruntúrque propterea, illam sibi, aut universalis, aut septimæ Synodi nomen arrogare, cùm oecumenicam dici posse negarent, ad quam soli Græci convenissent, reliquarúmque Provinciarum Ecclesiæ convocatæ, aut sententiam per Epistolas more Ecclesiastico rogatæ non fuissent. Et quidem, si rem suis momentis expendamus, satis omnino causæ videbatur, cur Synodum, cui tot adhuc Provinciarum, ac totius pene Occidentis suffragia deessent, pro oecumenica nondum haberent. Nec Hadrianus ipse aliter se sentire ostendebat: qui allatam è Græcia Synodum, ut Hincmarus eodem loco docet, in Galliam misit, Conciliúmque ejus causa convocari à Carolo jussit; & libris Carolinis, quibus oppugnata est, ità respondit, ut oecumenicæ Synodi nomen illis, auctoritatémque nusquam objiciat. Quare habebant, ut dixi, hac in parte Galli, quo se defenderent. Haud perinde fortâsse in re ipsa, hoc est, in quæstione Imaginum, in qua vehementer à Synodo dissentiebant. Nam, cùm in Synodo Nicæna de Sacris Imaginibus duo essent constituta, & retinendas nimirum, & adorandas Imagines esse; prius illud Galli libenter amplectebantur, quod ipsi quoque jam ante in Synodo Gentiliaca contra Græcos Iconoclastas adstruxerant: alterum verò penitus respuebant, Imaginésque non adorandas, sed memoriæ tantùm causa, & instructionis habendas affirmabant; Gregorium Magnum, ut ajebant, ducem sequuti, qui in eam sententiam Sereno Massiliensi Episcopo rescripsisse videbatur. Ac meritò sanè adorandas Imagines negarent, si adorare id erat, quod interpretabantur, hoc est, Divinum honorem cultúmque deferre. Sic enim vitandam Imaginum adorationem docuerat S. Gregorius, & adorari Deum solum oportere, manifestum est, sed mirum profectò, suspicari id Gallos de Græcis potuisse, aut Synodum Nicænam, quod Francofordiensis Canon declarat, hoc nomine traducere, quasi Imagines Divino cultu adorandas statuisset: cum in Synodo illa nihil sit expressius, quàm adorationis, seu προσκυνήσεως, quæ Imaginibus tribuitur, nomine non intelligi veram latriam, quæ naturæ Divinæ debetur; sed honorariam tantùm venerationem, quâ dum Imagines prosequimur, prototypa ipsa per eas honoramus; quo utique sensu Gregorius idem, qui adorandas Divino cultu Imagines negabat, in aliis ad JANUARIUM,

& ad

& ad SECUNDINUM Epistolis, congruentem hanc illarum venerationem apertè confirmarat. Et HADRIANUS Papa, sub finem Epistolæ, quâ libris Carolinis respondet, Gregorii Magni, & Synodi Nicænæ diversas de Imaginum cultu sententias non fuisse demonstrat. Denique Galli ipsi, qui adorari sacras Imagines vetabant, crucis tamen effigiem, Reliquias Sanctorum, codicem Evangelii, & alia, quorum par, atque Imaginum, est ratio, adorare consueverant. Unde adversùs illos non inscitè pro septimâ Synodo argumentatur idem ANASTASIUS. " Ajunt, inquit, quòd " non sit quodlibet opus manuum hominum " adorandum. Quasi non sit codex Evangelio- " rum opus manuum hominum, quem quoti- " die osculando adorant. Similiter forma cru- " cis, quam se adorare omnes ubique Christiani " fatentur. Quod si quamlibet crucem aure- " am, vel argenteam, aut ligneam adoramus, " quæ utique non est eadem ipsa crux, in qua " salus nostra patrata est, sed figura, & Ima- " go ejus: quare non adoremus figuram, & " Imaginem ejus, qui eamdem salutem opera- " tus est? venerabilior namque est, qui salutem " operatus est, quàm ea materia, in qua idem " salvator operatus est: ac per hoc magis est " adoratione digna Imago Christi, salutem ope- " rantis, quàm Imago crucis salutem tantum- " modo bajulantis." Cæterùm qui Synodo Nicænæ, nondum satis intellectæ, adorationique Imaginum, religiosa, ut apparet, sed inani trepidatione pertinaciùs initio restiterant, iidem postea, rebus explicatis atque perspectis, & Synodum eamdem sunt amplexi, & sacrarum Imaginum venerationem religiosissimè coluerunt. Quare libros Carolinos, quos majores nostri re tandem ipsa damnarant, vel Hadriani ad eos responsionem, minus proinde necessariam, repræsentari hoc loco (ne quis fortassè inconsultò requirat) supervacaneum censuimus.

Hactenus Sirmondus Tomo II. Concilior. Galliæ p. 191.
Similem imò prolixiorem Admonitionem Laurentius Surius, post quatuor jam recitatas Epistolas ediderat, & Binius eandem cum Notis suis recuderat Tomo III. Conciliorum.

CANONES CONCILII FRANCO-FORDIENSIS.

Nunc primùm (a) in Lucem editi ex Codice S. Remigii Remensis.

TITULI CANONUM.

1. *Damnata hæresis Elipandi, & Felicis Episcoporum, qui in Dei Filio adoptionem adserebant.*
2. *Synodus Græcorum de adorandis imaginibus rejecta.*
3. *De Indulgentia Tassilonis Duci Bajoariæ à Carolo Rege concessa.*
4. *De stabili pretio annonæ, tum privatæ, tum publicæ.*
5. *De novis Denariis, ut ab omnibus ubique recipiantur.*
6. *Ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis.*
7. *Ut Episcopus non migret de sua civitate, nec Presbyter, aut Diaconus de sua Ecclesia.*
8. *De Altercatione Viennensis, & Arelatensis Episcopi: & de Tarentassia, Ebreduno, & Aquis.*
9. *De Purgatione & reconciliatione Petri Episcopi.*
10. *Gerbodo incertæ ordinationis Episcopo dignitas abrogata.*
11. *Ut Monachi à sæcularibus negotiis & placitis abstineant.*
12. *Ut reclusi, nisi ex Episcopi, & Abbatis approbatione non fiant.*
13. *Ut Abbas cum suis dormiat Monachis.*
14. *Cellarii in Monasteriis, quales eligendi sunt.*
15. *De Monasteriis, ubi Corpora Sanctorum sunt.*
16. *Ut pro introeuntibus in Monasterium præmia non exigantur.*
17. *Ut Abbas sinè consensu Episcopi non eligatur.*
18. *Nulla ex culpa Monachos Abbati cæcare, aut mutilare licet.*
19. *Ne Clerici, aut Monachi tabernas ingrediantur.*
20. *Episcopus Canones & Regulam scire debet.*
21. *Dies Dominica quomodo observanda.*
22. *Ne in villis aut vicis ordinentur Episcopi.*
23. *Servum sinè Domini licentiâ nemo recipiat, vel ordinet.*
24. *Ut Clerici, & Monachi in proposito permaneant.*

(a) A Patre Jacobo Sirmondo Tomo III. Concilior. Galliæ.

25. *Ut decimas & nonas Ecclesiæ solvant, qui debent, & omnes decimam de sua proprietate.*
26. *Ut Ecclesiæ per eos restaurentur, qui beneficia habent, & ut inde ablata restituantur.*
27. *Ut Clerici alieni sinè commendatitiis non recipiantur; & qui nunc sunt, redeant ad Ecclesias suas.*
28. *Ut absolutè nullus ordinetur.*
29. *Ut Episcopus sibi subditos rite doceat.*
30. *De altercationibus Clericorum inter se, vel cum Laicis.*
31. *Ut conjurationes non fiant.*
32. *Ut Monasteriorum disciplina servetur.*
33. *Ut orationem Dominicam, & Symbolum Fidei omnes doceantur.*
34. *De avaritia & cupiditate.*
35. *De hospitalitate.*
36. *Ut criminosis accusare non liceat.*
37. *De Reconciliatione.*
38. *Ut Presbyteri contumaces cum Regiæ Capellæ Clericis non communicent.*
39. *De Judicio Presbyteri in crimine deprehensi.*
40. *De suscipienda cura puellarum, quæ parentibus privatæ sunt.*
41. *Ut Episcopus extra propriam sedem ultra tres hebdomadas non hæreat: & in Episcopi rebus post ejus obitum quis succedat.*
42. *Quinam Sancti in Ecclesiâ venerandi sint.*
43. *De arboribus & lucis destruendis.*
44. *Ut electi utrinque judices non spernantur.*
45. *Ut parvuli ad Sacramenta non trabantur.*
46. *Ut in velandis virginibus Canones observentur.*
47. *Abbatissæ, quæ regulariter non vivunt, deponendæ.*
48. *Ut Oblationes, quæ in Ecclesia fiunt, dispenset Episcopus.*
49. *Ut Presbyter ante annos XXX. non ordinetur.*
50. *Ut post Missarum Solemnia pax invicem detur.*
51. *Ut nomina ante oblationem non recitentur.*
52. *Quòd non in tribus tantum linguis orandus sit Deus.*
53. *Ut Episcopi & Presbyteri Canones non ignorent.*
54. *Quatenus Ecclesiæ ab ingenuis constructæ tradi, aut vendi queant.*
55. *De licentia Hildeboldi, Archi-Capellani.*
56. *De Alcuino, quem Rex Synodo commendavit.*

CANONES.

I. *Damnata hæresis Elipandi, & Felicis Episcoporum, qui in Dei Filio adoptionem adserebant.*

CONjungentibus, Deo favente, Apostolica auctoritate, atque piissimi Domini nostri Caroli Regis jussione, anno XXVI. Principatûs sui, cunctis regni Francorum, seu Italiæ, Aquitaniæ Provinciæ Episcopis ac Sacerdotibus Synodali Concilio, inter quos ipse mitissimus Sancto interfuit conventui. Ubi in primordio Capitulorum exortum est de impia ac nefanda hærese Elipandi, Toletanæ sedis Episcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorúmque sequacibus, qui malè sentientes in Dei Filio adserebant adoptionem. Quam omnes qui supra Sanctissimi Patres, & respuentes unâ voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus à Sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.

II. *Synodus Græcorum de adorandis Imaginibus rejecta.*

Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ità ut DEIFICÆ TRINITATI, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui suprà Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.

III. *De indulgentia Tassiloni Duci Bajoariæ à Carolo Rege concessa.*

His peractis, de Tassilone definitum est Capitulum, qui dudum Bajoariæ Dux fuerat, sobrinus videlicet Domini Caroli Regis. In medio Sanctissimi adstitit Concilii, veniam rogans pro commissis culpis, tam quas tempore Domni Pippini Regis adversus eum, & regnum Francorum commiserat, quàm & quas postea sub tempore Domini nostri piissimi Caroli Regis, in quibus fraudator fidei suæ extiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur, accipere, humili petitione visus est postulâsse. Dimittens videlicet puro animo iram atque omne scandalum de parte sua, quæque in eo perpetrata fuissent, & sciebat: nec non omnem

omnem justitiam, & res proprietatis, quantum illi, aut filiis, vel filiabus suis in Ducatu Bajoariorum legitimè pertinere debuerant, gurpivit atque projecit, & in postmodum omni lite calcanda, sine ulla repetitione indulsit, & filios, ac filias suas in illius misericordia commendavit. Et idcirco Dominus noster, misericordiâ motus, præfato Tassiloni gratuito animo, & culpas perpetratas indulsit, & gratiam suam pleniter concessit, & in sua Eleëmosyna eum in amore dilectionis visus est suscepisse, ut securus de Dei misericordia existeret in antea. Unde tres breves ex hoc Capitulo, uno tenore conscriptos, fieri præcepit. Unum in palatio retinendum, alterum præfato Tassiloni, ut secum haberet in Monasterio, dandum, tertium verò in sacri Palatii capella recondendum fieri jussit.

IV. *De stabili pretio annonæ, tum privatæ, tum publicæ.*

Statuit piissimus noster, consentiente Sancta Synodo, ut nullus homo, sive Ecclesiasticus, sive Laicus sit, umquam cariùs vendat annonam, sive tempore abundantiæ, sive tempore caritatis, quàm modium publicum, & noviter statutum. De modio de avena, denarius unus, modio ordei denarii duo, modio sigali denarii tres, modio frumenti denarii quatuor. Si verò in pane vendere voluerit, duodecim panes de frumento, habentes singulos libras duas, pro denario dare debeat, sigalatios quindecim æquo pondere pro denario; ordeaceos viginti similiter pensantes, avenaceos viginti quinque similiter pensantes. De annona verò publica Domni Regis, si venundata fuerit, de avena modii duo pro denario, ordeo denario uno, sigalo denariis duobus, frumento modius denariis tribus. Et qui nostrum habet beneficium, diligentissimè prævideat, quantum potest Deo donante, ut nullus ex mancipiis, ad illum pertinentibus beneficium fame moriatur: & quod superest ultra illius familiæ necessitatem, hoc liberè vendat jure præscripto.

V. *De novis denariis, ut ab omnibus in omni loco accipiantur.*

De denariis autem certissimè sciatis nostrum edictum, quod in omni loco, in omni civitate, & in omni emporio similiter vadant isti novi denarii, & accipiantur ab omnibus. Si autem nominis nostri nomisma habent, & mero sunt argento, pleniter pensantes; si quis contradicit eos in ullo loco, in aliquo negotio emptionis vel venditionis, si ingenuus est homo, quindecim solidos componat ad opus Regis, si servilis conditionis, si suum est illud negotium proprium, perdat illud negotium, aut flagelletur nudus ad palum coram populo. Si autem ex jussione domini sui fecerit, tunc ille Dominus solidos quindecim componat, si ei approbatum fuerit.

VI. *Ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis.*

Statutum est à Domno Rege, & Sancta Synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis Parochiis. Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & cæteris Clericis, vel etiam aliis, in ejus Parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum Suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad judicium Episcoporum. Et si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum literis Metropolitani, ut sciamus veritatem rei.

VII. *Ut Episcopus non migret de sua civitate, nec Presbyter, aut Diaconus de sua Ecclesiâ.*

Definitum est etiam à Domno Rege, & Sancta Synodo, ut Episcopus non migret de civitate in civitatem, sed curam habeat Ecclesiæ suæ. Similiter Presbyter, & Diaconus maneat in sua Ecclesia canonicè.

VIII. *De Altercatione Viennensis & Arelatensis Episcopi, & de Tarentasia, Ebreduno & Aquis.*

De Altercatione Ursionis, Viennensis Episcopi, & Elifanti, Arelatensis Episcopi, lectæ sunt Epistolæ Beati Gregorii, Zosimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt, eò quod Viennensis Ecclesia quatuor Suffraganeas habere Sedes deberet, quibus illa quinta præmineret; & Arelatensis Ecclesia novem Suffraganeas habere deberet, quibus ipsa præmineret. De Tarentasia verò, & Ebreduno, sive Aquis, legatio facta est ad sedem

dem Apoſtolicam; & quidquid per Pontificem Romanæ Eccleſiæ definitum fuerit, hoc teneatur.

IX. *De purgatione & reconciliatione Petri Epiſcopi.*

Definitum eſt etiam ab eodem Domno noſtro Rege, ſive à Sanſta Synodo, ut Petrus Epiſcopus, conteſtans coram Deo & Angelis ejus, juraret cum duobus aut tribus, ſicut ſacrationem ſuſcepit, aut certè cum ſuo Archi-Epiſcopo, quòd ille in mortem Regis, ſive in regnum ejus non conſiliaſſet, nec ei infidelis fuiſſet. Qui Epiſcopus, dum cum quibus juraret non inveniſſet, elegit ſibi ipſe, ut ſuus homo ad Dei judicium iret, & ille teſtaretur abſque Reliquiis, & abſque Sanſtis Evangeliis, ſolummodo coram Deo, quod ille innocens exinde eſſet, & ſecundùm ejus innocentiam Deus adjuvaret illum ſuum hominem, qui ad illud judicium exiturus erat. Et exivit tamen ejus homo ad judicium Dei, neque per Regis ordinationem, neque per Sanſtæ Synodi cenſuram, ſed ſpontaneâ voluntate. Qui etiam à Domino liberatus, idoneus exivit. Clementia tamen Regis noſtri præfato Epiſcopo gratiam ſuam contulit, & priſtinis honoribus eum ditavit: nec paſſus eſt, eum eſſe ſinè honore, quem proſpexit, de compoſito crimine nihil mali meruiſſe.

X. *Gerbodo, incertæ ordinationis Epiſcopo, dignitas abrogata.*

Definitum quidem à Domno Rege, & à Sanſtâ Synodo eſſe dinoſcitur, ut Gerbodus, qui ſe Epiſcopum eſſe dicebat, & ſuæ ordinationis teſtes non habuit, qui tamen Epiſcopalia à Magenardo, Metropolitano Epiſcopo, conſecutus eſt; qui etiam profeſſus eſt Diaconum, & Presbyterum non ſecundùm canonicam ordinationem ordinatum eſſe, ut ab eodem gradu Epiſcopatûs, quem ſe habere dicebat, deponeretur à prædiſto Metropolitano, ſive à Comprovincialibus Epiſcopis.

XI. *Ut Monachi à ſæcularibus negotiis, & placitis abſtineant.*

Ut Monachi ad ſæcularia negotia, neque ad placita exercenda non exeant; niſi ità faciant, ſicut ipſa regula præcepit.

XII. *Ut recluſi, niſi ex Epiſcopi & Abbatis approbatione non fiant.*

Ut recluſi non fiant, niſi quos antè Epiſcopus Provinciæ, atque Abbas comprobaverint, & ſecundùm eorum diſpoſitionem in recluſionis loco ingrediantur.

XIII. *Ut Abbas cum ſuis dormiat Monachis.*

Ut Abbas cum ſuis dormiat Monachis ſecundùm Regulam Sanſti Benediſti.

XIV. *Cellarii in Monaſteriis, quales eligendi ſunt.*

Ut Cellarii in Monaſteriis avari non eligantur: ſed tales eleſti ſint, quales Regula Sanſti Benediſti docet.

XV. *De Monaſteriis, ubi Corpora Sanſtorum ſunt.*

De Monaſterio, ubi Corpora Sanſtorum ſunt, ut habeat Oratorium intra clauſtrum, ubi peculiare officium, & diuturnum fiat.

XVI. *Ut pro introeuntibus in Monaſterium præmia non exigantur.*

Audivimus enim, quod quidam Abbates, cupiditate duſti, præmia pro introeuntibus in Monaſterium requirant. Ideo placuit nobis, & Sanſtæ Synodo, ut pro ſuſcipiendis in ſanſto ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur; ſed ſecundùm Regulam Sanſti Benediſti ſuſcipiantur.

XVII. *Ut Abbas ſine conſenſu Epiſcopi non eligatur.*

Ut Abbas in congregatione non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci illius.

XVIII. *Nulla ex culpa Monachos Abbati cæcare, aut mutilare licet.*

Abbates, qualibet culpâ à Monachis commiſſâ, nequaquam permittimus cæcare, aut membrorum debilitatem ingerere, niſi regulari diſciplinæ ſubjaceant.

XIX. *Ne Clerici aut Monachi tabernas ingrediantur.*

Ut Presbyteri, Diaconi, Monachi, & Clerici tabernas ad bibendum non ingrediantur.

XX. *Epiſcopus Canones, & regulam ſcire debet.*

Ut Epiſcopum Canones, & regulam non liceat ignorare.

XXI. *Dies Dominica quomodo obſervanda.*

Ut dies Dominica à veſpera uſque in veſperam ſervetur.

XXII.

XXII. *Ne in villis ac vicis ordinentur Episcopi.*

Quòd non oporteat in villis, nec in vicis, Episcopos ordinari.

XXIII. *Servum sine Domini licentia nemo recipiat, vel ordinet.*

De servis alienis, ut à nemine recipiantur, neque ab Episcopis sacrentur sine licentia Dominorum.

XXIV. *Ut Clerici & Monachi in proposito permaneant.*

De Clericis & Monachis, ut in suo proposito permaneant.

XXV. *Ut decimas & nonas Ecclesiæ solvant, qui debent, & omnes decimam de sua proprietate.*

Ut decimas & nonas, sive census, omnes generaliter donent, qui debitores sunt ex beneficiis & rebus Ecclesiarum, secundùm priora Capitula Domni Regis. Et omnis homo ex sua proprietate legitimam decimam ad Ecclesiam conferat. Experimento enim didicimus, in anno quo illa valida fames irrepsit, ebullire vacuas annonas à dæmonibus devoratas, & voces exprobrationis auditas.

XXVI. *Ut Ecclesiæ per eos restaurentur, qui beneficia habent, & inde ablata restituantur.*

Ut Domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui beneficia exinde habent. Et ubi repertum fuerit per veraces homines, quod lignamen & petras, sive tegulas, quæ in domibus Ecclesiarum fuerint, & modo in domo sua habeat, omnia in Ecclesia fiant restaurata, unde abstracta fuerunt.

XXVII. *Ut Clerici alieni sine commendatitiis non recipiantur, & qui nunc sunt, redeant ad Ecclesias suas.*

De Clericis, ut nequaquam de Ecclesia ad aliam Ecclesiam transmigrent, neque recipiantur, sine conscientia Episcopi, & litteris commendatitiis, de cujus Diœcesi fuerunt, ne fortè discordia exinde veniat in Ecclesia. Et ubi modò tales reperti fuerint, omnes ad eorum Ecclesias redeant, & nullus eos posthæc retinere audeat, postquam Episcopus, aut Abbas suus eos recipere voluerit. Et si fortè senior ignorat, ubi suum requirere debet Clericum; cum quo fuerit, ipse eum sub custodia retineat, & non permittat eum vagari aliubi, usque dum Domino suo restituatur.

XXVIII. *Ut absolutè nullus ordinetur.*

Ut non absolutè ordinentur.

XXIX. *Ut Episcopus sibi subditos rite doceat.*

Ut unusquisque Episcopus sibi subditos bene doceat, & instruat: ità ut in domo Dei semper digni inveniantur, qui Canonicè possint fieri electi.

XXX. *De altercationibus Clericorum inter se, vel cum laicis.*

De Clericis ad invicem altercantibus, aut contra Episcopum suum agentibus, ut sicut Canones docent, ità omnimodis peragant. Et si fortè inter Clericum, & Laicum fuerit orta altercatio, Episcopus & Comes simul conveniant, & unanimiter inter eos causam definiant secundùm rectitudinem.

XXXI. *Ut conjurationes non fiant.*

De conjurationibus, & conspirationibus, ne fiant, & ubi sunt inventæ, destruantur.

XXXII. *Ut Monasteriorum disciplina servetur.*

Ut Monasteria secundùm Canonicam institutionem fiant custodita.

XXXIII. *Ut orationem Dominicam, & Symbolum fidei omnes doceantur.*

Ut fides Catholica Sanctæ TRINITATIS, & oratio Dominica, atque Symbolum fidei, omnibus prædicetur, & tradatur.

XXXIV. *De avaritia & cupiditate.*

De avaritia & cupiditate calcanda.

XXXV. *De Hospitalitate.*

De Hospitalitate sectanda.

XXXVI. *Ut criminosis accusare non liceat.*

De criminosis, ut non habeant vocem accusandi majores natu, aut Episcopos suos.

XXXVII. *De reconciliatione.*

De reconciliatione tempore necessitatis.

XXXVIII. *Ut Presbyteri contumaces cum Regiæ Capellæ Clericis non communicent.*

De Presbyteris, qui contumaces fuerint

rint contra Episcopos suos, ut nequaquam communicent cum Clericis, qui in Capella Regis habitant, nisi reconciliati fuerint ab Episcopo suo, ne fortè Canonica excommunicatio super eos exinde veniat.

XXXIX. *De judicio Presbyteri, in crimine deprehensi.*

Si Presbyter in criminali opere fuerit deprehensus, ad Episcopum suum ducatur, & secundùm Canonicam institutionem constringatur. Et si fortè negare voluerit, & accusator comprobationem dare non potuerit, & coram Episcopo definitum esse nequiverit; tunc ad universale Concilium illorum ratio deferatur.

XL. *De suscipiendâ curâ puellarum, quæ parentibus privatæ sunt.*

De puellis, quæ à parentibus privatæ fuerint, ut sub Episcoporum, & Presbyterorum providentia gravioribus fœminis commendentur, sicut canonica docet auctoritas.

XLI. *Ut Episcopus extra propriam sedem ultra tres hebdomadas non hæreat, & in Episcopi rebus post ejus obitum quis succedat.*

Ut nullus Episcopus propriam sedem amittat aliubi frequentando, aut in propriis rebus suis manere audeat amplius, quàm tres hebdomadas. Et propinqui, vel hæredes Episcopi, res, quæ ab Episcopo sunt acquisitæ, aut per comparationes, aut per traditiones, postquam fuerit ordinatus, nequaquam post ejus obitum hæreditare debeant; sed ad suam Ecclesiam Catholicè. Illæ autem, quas priùs habuit, nisi traditionem ad Ecclesiam ex eis fecerit, hæredibus & propinquis succedant.

XLII. *Quinam Sancti in Ecclesiâ venerandi sunt.*

Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.

XLIII. *De arboribus & lucis destruendis.*

De arboribus, & lucis destruendis canonica observetur auctoritas.

XLIV. *Ut Electi utrinque Judices non spernantur.*

Ut Electi Judices de utrisque partibus non spernantur.

XLV. *Ut parvuli ad Sacramenta non trahantur.*

De eorum testibus canonica sit observatio: & parvuli non trahantur ad Sacramentum, sicut Guntbadingi faciunt.

XLVI. *Ut in velandis Virginibus Canones observentur.*

De Virginibus, quo tempore velandæ sint, vel quibus occupationibus ante annos XXV. detinendæ, si necessitas compellit, ea quærantur, quæ in Canone scripta sunt.

XLVII. *Abbatissæ, quæ regulariter non vivunt, deponendæ.*

De Abbatissis, quæ canonicè, aut regulariter non vivunt, Episcopi requirant, & Regi adnuntient, ut ab honore priventur.

XLVIII. *Ut oblationes, quæ in Ecclesia fiunt, dispenset Episcopus.*

De oblationibus, quæ in Ecclesia, vel in usus pauperum conferuntur, canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui Episcopus ordinaverit.

XLIX. *Ut Presbyteri ante annos XXX. non ordinentur.*

De Presbyteris ante XXX. ætatis annum non ordinandis.

L. *Ut post Missarum solemnia pax invicem detur.*

Ut confectis sacris Mysteriis in Missarum Solemniis omnes generaliter pacem ad invicem præbeant.

LI. *Ut nomina ante oblationem non recitentur.*

De non recitandis nominibus antequam oblatio offeratur.

LII. *Quòd non in tribus tantùm linguis orandus sit Deus.*

Ut nullus credat, quòd nonnisi in tribus linguis Deus orandus sit: quia in omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur, si justa petierit.

LIII. *Ut Episcopi & Presbyteri Canones non ignorent.*

Ut nulli Episcoporum & Sacerdotum liceat Sacros Canones ignorare.

LIV.

LIV. *Quatenus Ecclesiæ ab ingenuis constructæ tradi, aut vendi queant.*

De Ecclesiis, quæ ab ingenuis hominibus construuntur, licet eas tradere, aut vendere, tantummodo, ut Ecclesia non destruatur, sed serventur quotidie honores.

LV. *De licentia Hildeboldi Archi-Capellani.*

Dixit enim Dominus Rex in eadem Synodo, se à Sede Apostolica, id est, ab Hadriano Pontifice, licentiam habuisse, ut Angilramnum Archi-Episcopum (*a*) in suo Palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem Synodum, ut eo modo, sicut Angilramnum habuerat, ità etiam Hildeboldum (*b*) Episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angilramno, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum in Palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.

LVI. *De Alcuino, quem Rex Synodo commendavit.*

Commonuit etiam, ut Alcuinum ipsa Sancta Synodus in suo consortio, sive in orationibus recipere dignaretur, eo quod esset vir in Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus secundùm admonitionem Domini Regis consensit, & eum in eorum consortio, sive in orationibus receperunt.

(*a*) Angilramnus Nomine Archi-Episcopi & Pallii honore gaudebat, ex speciali Privilegio Sedis Apostolicæ, licet Metropolitanus non esset, sed merus Metensis Episcopus. Simili honore nominis & Pallio duo alii Episcopi Metenses donati fuere Chrodogangus & Drogo.
Sirmondus in notis ad Capitularia.
Baluzius credit sub secundâ Regum Franciæ Sanctione Archi-Capellani & Archi-Cancellarii officia fuisse conjuncta. *Tomo II. Capitularium pag.* 1047.

(*b*) Hildeboldum Coloniensem Leo III. in Ep. ad Carolum vocat fratrem suum Archi-Episcopum, & Capellanum: idem erat Apocrisiarius Sedis Apostolicæ. *Anastasius in vita Leonis III.*
Sirmondus in notis ad Capitularia.
Angilramno anno 791. defuncto Hildeboldus in hæc officia subintrârat, Pontificiâ concessione, quæ nunc, petente Carolo, à Patribus Concilii Francofurtensis confirmatur & collaudatur.

INCIPIT EPISTOLA PAULINI (*a*)

PATRIARCHÆ FOROJULIENSIS,

EDITA IN LOCO CELEBRI, NOMEN FRANCOFURT, IN SYNODO MAGNA, CONTRA FELICEM HÆRETICUM, DE HEISTULFO, QUI UXOREM SUAM OCCIDIT CAUSA ADULTERII, PROPTER UNIUS TESTIMONIUM.

Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu cordis curaveram, fili Heistulfe, si tamen filius dici debeas, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrâsti. Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo tibi matrimonio sociatam, sine mortis causa, non tibi resistentem, non insidiantem quocumque modo vitæ tuæ. Non invenisti eam, cum alio viro nefariam rem facientem: sed incitatus à diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more atrociùs eam gladio tuo crudelior omni bestiâ interemisti. Et nunc post mortem ejus addis iniquitatem super iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo: qui matri non pepercisti, & ideo filios tuos orphanos esse fecisti, inducere vis super eam mortis causam post mortem per unum homicidam, & reprobum testem, (*b*) cùm nec secundùm Evangelium, nec ulla Divina humanaque lex uniûs testimonio, etiam idonei, quempiam condemnat vel justificat. Quantò magis per istum flagitiosissimum, & tam scelestissimum, nec illa debuit viva condemnari, nec tu poteris post ejus mortem excusari. Prius causa criminis subtiliter in veritate fuerat investiganda, & tunc, si rea fuisset inventa, secundùm

(*a*) Hincmarus Remensis, consultus ab Vulfado, Bituricensi Archi-Episcopo, de inconsulta uxoris cæde, hanc Paulini sententiam loco responsi misit. *Flodoardus L. III. Histor. Remens. C. III.*

(*b*) *Addit Burchardus*: Incusare vis mortuam? Hoc nec Evangelium concedit, nec ulla Divina humanáque Lex concedit, ut unius testimonio, etiam idoneo, aliquis condemnetur, vel justificetur.

cundùm legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam etsi verum, quod absit, fuisset, sicut adulter ille mentitus est, post octo annos pœnitentia forsitan peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses: occidere eam tamen nullatenus debuisses: *Non enim vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur ad pœnitentiam, & vivat.*

Idcirco placeat tibi consilium nostrum, (c) & fac hoc, quod tibi melius, & levius videri potest. Miserere animæ tuæ, ut non sis tuus tibimet homicida. Quapropter, homicida, rogamus te, relinque hoc malignum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus: ingredere in Monasterium, humiliare sub manu Abbatis, multorum fratrum precibus adjutus. Observa cuncta simplici animo, quæ tibi (d) fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, & refrigeret animam tuam, priusquam crucieris perpetuis flammis. (e) Hoc tibi melius & levius esse certissimè scias. Sin autem pœnitentiam publicam, in domo tua permanens, vel in hoc mundo vis agere, quod tibi gravius, & durius, & pejus esse non dubites, ità ut agere debeas, te exhortamur. Omnibus diebus, quibus vixeris, pœnitere. Vinum & omnem siceram non bibas. Carnem nullo unquam tempore ullam quamlibet commedas, præter Pascha, & diem natalis Domini. In pane & aqua, & sale pœnitere. In jejuniis & vigiliis, orationibus, atque eleëmosynis omni tempore persevera. Armis nunquam cingere, nec causam in quolibet loco litigare præsumas. Uxorem nunquam ducere, nec concubinam habere, nec adulterium committere. In balneo nunquam lavare, in conviviis lætantium nunquam te commiscere. In Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium & postes te similiter reponere. Ingredientium, & egredientium te suppliciter orationibus commendare. A communione Sacri Corporis, & Sanguinis Christi cunctis diebus vitæ tuæ, indignum te existimans, abstinere. In ultimo tamen exitû vitæ tuæ pro viatico, si merueris, ut fit, qui tribuat, tantummodo venialiter, ut accipias tibi concedimus.

Sunt alia multa, quæ tibi duriùs, & satis acriùs, erant juxta tam magnum pondus peccati, infelix, adjicienda. Sed si hæc omnia, quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto ordine, Domino auxiliante feceris, & custodieris, confidimus de immensa Dei clementia, remissionem te tuorum habiturum peccatorum: & secundùm boni justique Pastoris imperantis jussionem, resolvit te Sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut sis per ipsius gratiam, qui eam sanguine suo acquisivit, solutus in cœlis. Sin autem aliter feceris, & Sanctæ Matris Ecclesiæ salubrem admonitionem despexeris, ipse tibi sis Judex, & in laqueo diabolico interitûs permanebis. Sanguis tuus super caput tuum. Nos alieni à consortio tuo pro aliorum Filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine intenti innitimur desudare: & Domini attentiùs misericordiam quotidie implorare. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in trinitate perfecta per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Apud Burchardum post ea verba in margine indicata, lugeas deflenda peccata; *sequentia in hunc modum leguntur.*

Secundum autem Consilium tale est. Arma depone, & cuncta sæcularia negotia dimitte. Carnem & sagimen omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Resurrectionis Domini, & uno die Pentecostes, uno die Natalis Domini: cæteris temporibus in pane & aqua, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas, in jejuniis & vigiliis, in orationibus, & eleëmosynis perseveres omni tempore. Vinum, medonem, & mellitam cervisiam nunquam bibas, nisi in illis prædictis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, absque spe conjugii perpetuo permaneas, nunquam te laves in balneo, equum non ascendas: causam tuam & alteriùs in Conventu Fide-

(c) *Burchardus:* duo Consilia proponimus tibi. Acceptâ tecum deliberatione duorum elige magis, quod placeat, & miserere animæ tuæ, & tu hîc in isto angusto tempore positus.

(d) Ab Abbate fuerint.

(e) Istud consilium, ut certissimè scias, levius & salubrius est, ut sub alterius custodia lugeas deflenda peccata.

Fidelium non agas, in conviviis lætantium nunquam sedeas: in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes, ingredientium, & egredientium orationibus suppliciter te commendes: communione sacri corporis, & sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes. In ultimo termino vitæ tuæ pro viatico, si observaveris Consilium, ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi juxta pondus tanti facinoris essent adjicienda; sed, si hæc omnia, quæ suprà misericorditer dicta sunt, perfectò corde, Deo auxiliante, perfeceris & custodieris, confidimus de immensâ Dei clementia remissionem tuorum peccatorum habiturum: & secundùm boni, justique pastoris imperium, resolvat te Sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemit, sis solutus in cœlis; sin autem aliter feceris, & Sanctæ Matris Ecclesiæ salubre consilium despexeris, ipse tibi sis judex, & in laqueo Diaboli, quo irretitus teneris, maneas, sanguisque sit super caput tuum, nos alieni à consortio tuo: & sub indissolubili anathemate permaneas, donec Deo & Sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

Hæc apud Burchardum loco indicato.

Edidit Harduinus ex MS. codice Parisiensis Collegii, Societatis JEsu, collato cum Capite quadragesimo Libri VI. Decretorum Burchardi, Vormatiensis Ecclesiæ Episcopi. *Tomo IV. Concil. pag. 909.*

CAROLI REGIS PRÆCEPTUM,

PRO

ANIANO, ABBATE MONASTERII CAUNENSIS, IN SYNODALI CONCILIO FRANCONOFURTI ANNO DCCXCIV.

CArolus gratiâ Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, omnibus fidelibus nostris præsentibus, & futuris. Rectum est, regalis potestas illis tuitionem impertiat, quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo, seu utilitas vestra, quia vir venerabilis ANIANUS Abbas ex Monasterio Sancti Joannis, & Sancti Laurentii, quod fuit constructum in locis nuncupatis Extorio, & Olibegio, nostro *Synodali Concilio* veniens unâ cum Monachis suis Continuo, Stromundo, Lurio, cum omnibus rebus vel hominibus Monasterii sui, quas moderno tempore videtur possidere, se pleniùs commendavit: & nos sub nostra tuitione eum, & Monachos suos cum omnibus rebus, atque hominibus suis recipimus, ac retinemus, quatenus diebus vitæ suæ sub nostra tuitione valeant quietè vivere, & residere. Propterea has litteras nostras pro firmitatis studio eis dedimus, per quas omnino jubemus, ut nullus quislibet de vobis, neque de junioribus vestris, prædicto Aniano Abbati, seu Monachis suis, nec rebus, nec hominibus eorum, contingere, nec inquietare, aut contra rationis ordinem calumniam generare non præsumatis, nisi ut diximus, cum omnibus rebus vel hominibus illorum sub nostra tuitione valeant quietè vivere, vel residere. Similiter concessimus ei villam Caunas, sicuti Milo ad suum Monasterium per suas litteras delegavit, cum omnibus appendiciis suis, quatenus meliùs delectet ipsos servos Dei pro nobis, vel stabilitate regni nostri Domini misericordiam exorare. Et si aliquæ causæ adversùs eos surrexerint, vel homines eorum autoltæ fuerint, quas in promptu absque gravi illorum dispendio definire non potueritis, usque in nostram præsentiam referventur, quatenus ante nos secundùm legis ordinem accipiant finitivam sententiam. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel à fidelibus nostris meliùs conservetur, de annulo nostro eam subter sigillari jussimus.

VINDOLAICUS ad vicem Radonis recognovit.

Data XIII. Kalendas (a) Augusti, anno vigesimo sexto, & vigesimo Regni nostri.

Actum Franconoforti, Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Baluz. in Appendice Tomi II. Capitularium pag. 1399. *ex Archivo Monasterii Caunensis.*

Mabillon. L. VI. de re diplomatica N. LVIII. idem refert; sed Baluzii exemplar correctius & integrius secuti sumus.

(a) Synodus Francofurtensis æstatis initio habita fuit: postquam Rex ibi hyemaverat, & Paschalis festi solemnitatem celebraverat, ajunt Annales Francorum à Newenaario & Reubero: in ea igitur Synodo Carolus tutanda suscepit Monasteria S. Laurentii, & S. Joannis, & villam Caunis Aniano Abbati donavit: sed utrinsque facti expeditio in Cancellaria seriùs contigit, nempe XIII. Kal. Augusti.

Quot, & quæ personæ interfuerint Concilio nationali Francofurtensi, nescitur. CCC. intervenisse, quidam memorant.

Annales Francici Reuberiani ajunt, ex omnibus Regni Carolini Provinciis Episcopos fuisse illic à Carolo Rege congregatos, communi Episcoporum auctoritate Librum contra hæresin Felicis, illic condemnatam, compositum, & propriis manibus Episcoporum subscriptum fuisse.

Interfuere Legati Romani Pontificis Hadriani nomine, Theophylactus, & Stephanus Episcopi.

Paulinus Aquilegiensis Patriarcha, Petrus Mediolanensis Archi Episcopus.

Hildebaldus Sacri Palatii Regii Archi-Capellanus, cujus mentio est in Canone LV., utique à Latere Regis non abfuit.

Ricolphus Moguntinus, in cujus Parochia est Franconofortum, verosimillimè adfuit.

Cæteri Episcopi Germaniæ, Bavariæ, Italiæ, Gothiæ, Aquitaniæ, Gallæciæ, Galliæ, qui tunc interfuerint, nescitur. Abbates plurimi cum Monachis interfuêre.

Ex Chronico Moissiacensi, edito in *Collection. veter. Monument. Tomo V. Martenii & Durandi* interfuit Benedictus, qui & vocatur Villiza, Abbas Monasterii Anianensis, cum Monachis Beda, Addone, qui & Smaragdus vocatur, Ingeilâ, Aimone, Rabano, Georgio: item Abbas ex Monasterio S. Joannis Anianus, cum Monachis Continuo, Stromondo, & Lurione, ut patet ex diplomate jam citato. *Hæc ex Eginharto & Annalibus Francorum.*

ANno Dominicæ Incarnationis DCCXCV. Rex CAROLUS venit Moguntiam, ibique tenuit placitum suum in villa, quæ dicitur, Cuffenstein, in suburbio ejusdem urbis.

Acta hujus Conventûs latent.

Regino L. II. Chronic. *Eginhardus in Chronico.*
Annales Loiseliani apud Duchesne T. II. Scriptor. Franciæ.

CAPITULARE SAXONUM.

DATUM AQUISGRANI ANNO CHRISTI DCCXCVII. V. KALENDAS NOVEMBRES, IN GENERALI EPISCOPORUM ET OPTIMATUM CONVENTU.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. De Justitia Ecclesiarum, Viduarum, Orphanorum, & minùs Potentium. De raptu & incendio, & de exercitu.
II. De observatione superiorum Capitulorum.
III. De compositione secundùm Legem Saxonum.
IV. De his, qui causam judicatam repetere præsumunt in Patria, aut in præsentia Regis.
V. De mannitione ad placitum.
VI. De compositione rerum, quæ Presbyteris ablatæ sunt.
VII. De compositione Missorum Regiorum.
VIII. Ne quis incendium faciat infra Patriam.
IX. De banno augendo.

X. De

X. De malefactoribus, qui mori debent.
XI. Quales debeant esse solidi Saxonum.

Anno ab Incarnatione Domini nostri JESU Christi DCCXCVII. & XXX. ac XXII. regnante Domno CAROLO Præcellentissimo Rege, convenientibus in unum Aquis Palatio in ejus obsequio Venerabilibus Episcopis, & Abbatibus, seu Illustribus Viris Comitibus V. Kalendas Novembris, simúlque congregatis Saxonibus de diversis pagis, tam de Vestfalahis & Angrariis, quàm & de Oostfalahis, omnes unanimiter consenserunt & aptificaverunt, ut de illis Capitulis, pro quibus Franci, si Regis bannum transgressi sunt, solidos sexaginta componunt, similiter Saxones solvent, si alicubi contra bannos fecerint.

HÆC SUNT CAPITULA.

De justitia Ecclesiarum, Viduarum, Orphanorum, & minùs Potentium. De raptu & incendio, & de exercitu.

I.

UT Ecclesiæ, Viduæ, Orphani, & minùs potentes justam, & quietam pacem habeant. Et ut raptum, & fortiam, nec incendium infra patriam, quis facere audeat præsumptivè. Et de exercitu nullus super bannum Domini Regis remanere præsumat.

De observatione superiorum Capitulorum.

II. Si quis supradicta octo Capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt, & aptificaverunt, ut Saxones similiter, sicut Franci, sexaginta solidos componant.

De compositione secundùm legem Saxonum.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, ut ubicunque Franci secundùm legem solidos duodecim, ingenui quinque, liti quatuor componant.

De his, qui causam judicatam repetere præsumunt in Patria, aut in præsentia Regis.

IV. Hoc etiam statuerunt, ut qualiscunque causa infra Patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses solidos duodecim pro districtione recipiant, & pro vuargilda, quæ juxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in præsentia Missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro jam dicta vuargilda supra scriptos solidos duodecim ipsis pagenses habeant concessos. Et pro hoc, quia Missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios duodecim solidos inde recipiat ad partem Regis. Si autem ipsa causa ad Palatium in præsentia Regis, ad definiendum fuerit perducta; tunc utrique solidi duodecim, id est, pro vuargilda, & quod vicinis debuit componere, eò quod infra Patriam definita ratio non fuerit, ad partem Regis faciant componere, quod sint solidi XXIV. Nam si fuerit aliquis, qui in Patria, juxta quod sui convicini judicaverint, seque pacificare noluerit, & ad Palatium pro hujus rei causa venerit, & ibi ei fuerit judicatum, quod justum judicium judicâssent, in prima vice, ùt suprà dictum est, solidos XXIV. ad partem Regis componat. Et si tunc inde rediens, se pacificare, & justitiam facere renuerit, & iterum pro ista causa ad palatium fuerit convocatus, & dejudicatus; bis XXIV. solidos componat. Si verò necdum correptus tertiâ vice pro eadem re ad Palatium remeaverit; triplam compositionem exinde faciat ad partem Regis.

De

De mannitione ad placitum.

V. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contempserit, solidos quatuor componat, ingenui duos, liti unum.

De compositione rerum, quæ Presbyteris ablatæ sunt.

VI. De Presbyteris statuerunt, quòd si aliquid eis, aut eorum hominibus quis contrarium facere, aut tollere præsumpserit contra justitiam, omnia in duplum restituat ei, & componat.

De compositione Missorum Regiorum.

VII. De Missis Regis statuerunt, ut si ab eis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat, qui hoc facere præsumpserit. Similiter quicquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, & secundùm eorum euva componere.

Ne quis incendium faciat infra Patriam.

VIII. De incendio convenit, quòd nullus infra Patriam præsumat facere propter iram, aut inimicitiam, aut qualibet malevola cupiditate; excepto si talis fuerit rebellis, qui justitiam facere noluerit, & aliter districtus esse non poterit, & ad nos, ut in præsentia nostra justitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi Pagenses veniant; & si unanimiter consenserint pro districtione illiûs casa incendatur, tunc de ipso placito, commune consilio facto, secundùm carnem euva fiat peractum, & non pro quálibet iracundia, aut malevola intentione, nisi pro districtione nostra, si aliter facere ausus fuerit, sicut superiùs dictum est, solidos sexaginta componat.

De banno augendo.

IX. Item placuit, ut quandoquidem voluerit Domnus Rex propter pacem, & propter faidam, & propter majores causas bannum fortiorem statuere, unà cum consensu Francorum, & fidelium Saxonum, secundùm quod ei placuerit, juxta quod causa exigit, & opportunitas fuerit, solidos sexaginta multiplicare in duplum, & solidos centum, sive usque ad mille componere faciat, qui ejus mandatum transgressus fuerit.

De malefactoribus, qui mori debent.

X. De malefactoribus, qui vitæ periculum secundùm euva Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiscunque ex ipsis ad regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate, utrum interficiendum illis reddat, aut unà cum consensu eorum habeat licentiam, ipsum malefactorem cum uxore & familia, & omnia sua foris Patriam infra sua Regna, aut in marca, ubi sua fuerit voluntas, collocare, & habeant ipsum, quasi mortuum.

Quales debeant esse solidi Saxonum.

XI. Illud notandum est, quales debent solidi esse Saxonum, id est, bovem annoticum utriusque sexus auctumnali tempore, sicut in stabulum mittitur, pro uno solido. Similiter & vernum tempus, quando de stabulo exit, & deinceps, quantum ætatem auxerit, tantum in pretio crescat. De annona vero bortrinis pro solido uno scapilos quadraginta donant, & de sigale viginti. Septentrionales autem pro solido scapilos triginta dent, & sigale quindecim. Mel vero pro solido bortrensi siglæ una & medio donant. Septentrionales autem duas siclas de melle pro uno solido donent. Item hordeum mundum, sicut & sigale pro uno solido donent. In argento duodecim denarios solidum faciant. Et in aliis speciebus ad istud pretium omnes æstimationes compositionis sunt.

EXPLICIT CAPITULARE SAXONUM.

Illmus Fürstenbergius primus edidit ex codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ, post Monumenta Paderbornensia.

Baluz. Tomo I. Capitul. pag. 275. 280.

Anno DCCXCVII. Carolus Rex ad Aquis Palatium Conciliom habuit cum Episcopis, Abbatibus, Monachis, de Cœnobium S. Pauli, qualiter constituere deberet: & in ipso anno pertexit in Saxonia, & ibidem hyemavit. *Chronicon breve apud Duchesne Tomo II. Scriptor. Francia.*

Erit igitur hæc consultatio de Cœnobio S. Pauli, Actio Concilii Aqnensis anni hujus.

Rex hoc anno bis Aquisgranum venit, & utraque vice diversos Legatos honorificè suscepit & absolvit: eodem anno bis in Saxoniam profectus est ad Saxones compescendos, & in ordinem redigendos: eò spectat Capitulare Saxonicum supra descriptum. *Annales Reubersiani, & Pithoeani.*

CONCI-

CONCILIUM RATISBONENSE.

Anno Christi DCCXCVIII. Leonis III. Papæ III. Caroli Magni XXX.

De Translatione Cathedræ Ratisbonensis ex Monasterio S. Emmerani in Ecclesiam S. Stephani.

LEO III. P. M. confirmat Translationem Sedis Episcopalis Ratisb. ex Monasterio S. Emmerani ad Ecclesiam S. Stephani, illiúsque omnimodam exemptionem promulgat.

§. I.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Omnipotentis, Leo Papa. Agnitum esse volumus, cunctis Christianæ Religionis fidelibus, tam præsentibus, quàm futuris, qualiter Christianissimus Imperator, & Augustus, nomine Carolus, Deo aspirante, Christum hæreditatis suæ desiderans fieri possessorem, quoddam Monasterium juxta muros civitatis TYBURNIÆ, quæ à Tyberio Cæsare Augusto ædificata est, quæ modo vulgo appellata est REGANISPURCH, quod est constructum in honore S. Mariæ, Matris Domini nostri Jesu Christi, & Principis Apostolorum Petri, & S. Georgii Martyris, ubi præclarissimus martyr, & Episcopus Pictaviæ, corpore requiescit Emmerammus, in nostram immunitatem, successorúmque nostrorum gratiâ defensionis transfudit, & nos continuo pro Christi amore gratuita mente petitioni ejus piè annuentes decrevimus ita fieri, & jussimus hanc chartam auctoritatis nostræ inde conscribi.

§. II.

Et Episcopus ejusdem civitatis tertius, nomine ADALWINUS juxta decreta Canonum, & cum auctoritate nostra; in præsentia piissimi Imperatoris Caroli, rectâ ratione, in *Synodali Concilio* cum Judicio Episcoporum, Clericorum, nec non nobilium laicorum de eodem loco Cathedram Pontificalem mutavit, & Canonicâ auctoritate in civitatem ad Ecclesiam Sancti Stephani Protomartyris statuit, & suæ suorúmque successorum proprietati, & potestati deinceps in futurum abalienavit. Econtra ante dictus Christianissimus Imperator dedit ad illum locum, ubi modò sedes Episcopalis est, à parte meridiana ipsius Monasterii perticas decempedas XL. & in alia parte C. in longitudine ducentas VII. & Ecclesiam Sancti Petri, & Ecclesiam Sancti Pauli juxta muros prædictæ civitatis, & WIMINTINGEN, & EGILOLFESHEIM, & Ecclesiam juxta NAPURCH, quæ vocatur BERSANA; & confirmavit Monasterium pretiosi Dei Martyris Emmerammi in potestate Imperatorum sive Regum usque ævum permanere, & ità confirmavit; ut Rector & Abbas ejusdem cœnobii unoquoque anno VII. aureos Romam ad altare Sancti Petri persolveret. Hæc mutatio, & confirmatio fuit anno ab incarnatione Domini DCCXCVIII. auctoritatis nostræ; ità ut si quis Imperator, aut Rex eandem Ecclesiam tam Sanctam alicui præstet, anathema sit. Congregatio autem Monasterii liberam habeat potestatem, & electionem Abbatis juxta Decretum Sancti Benedicti sinè omnium contradictione substituendi, & præfatum Monasterium cum Monachis, & omnibus ibidem in præsens collatis vel imposterum conferendis, in nostram, successorúmque nostrorum inmunitatem recepimus feliciter. Amen.

Petzius Thesauri novissimi anecdotorum Tomo I. Parte III. pag. 4. ex cod. MS. Monasterii S. Emmerani descripsit.

Hundius in Metropol. Salisburgensi ediderat §. 1mum hujus Bullæ.

Cointius & Pagi ad A. C. 781. Bullæ huic Leoninæ fidem abjudicant, quibus assurgit *Mansi Tomo I. Supplement. Conciliorum pag.* 729. Non ità tamen, ut factam translationem hoc tempore neget: quia id asserit Arnulfus *in Miraculis S. Emmerani*: verùm probabiliùs sub Adalwino, quàm sub Sindperto Ratisbonensi Episcopo. *Mansi Loco citato.*

Velserus rerum Boicarum ad h. annum. Hundius *in Catalogo Epp. Ratisbonensium* ad anni 792. initium refert.

CONCILIUM AQUISGRANENSE.

In quo Felix Urgellitanus hæreſeos, in quam relapſus fuerat, iterum convictus, Catholicam Fidem ex animo poſitâ ſimulatione profeſſus eſt.

Anno Chriſti DCCXCIX. Leonis III. Papæ IV. Caroli Magni XXXII.

CONFESSIO FIDEI FELICIS, ORGELLITANÆ SEDIS EPISCOPI, quam ipſe poſt ſpretum errorem ſuum in conſpectu Concilii edidit, & eis, qui in ipſo errore ei dudum conſentientes fuerant, direxit.

IN nomine Dei. Felix, olim indignus Epiſcopus, Domnis in Chriſto Fratribus Emani Presbytero, Ildeſindo Presbytero, atque Exſuperio, Gundefredo, Sidonio, nec non & Ermegildo, ſeu cæteris Presbyteris: ſimiliter Wittildo, Diacono, & Witirico, ſeu cæteris Clericis, in Parochia Orgellitanæ Eccleſiæ degentibus, ſeu cæteris fidelibus Eccleſiæ in ſuperdicto commiſſo commorantibus, in Domino Deo Patre, & Jeſu Chriſto, vero Filio ejus, Domino ac Redemptore noſtro, & in Spiritu Sancto, æternam ſalutem.

De cætero ad agnitionem veſtram reducimus, quia, poſtquam ad præſentiam Domini noſtri, ac piiſſimi glorioſique Caroli Regis perductus ſum, & ejus conſpectui præſentatus, licentiam ab eo, ſecundùm quod & venerabilis Domnus Laidradus (*a*) Epiſcopus nobis in Orgello pollicitus eſt, accepimus: qualiter in ejus præſentiam in conſpectu Epiſcoporum, quos ad ſe ordinatio glorioſi Principis noſtri convenire fecerat, ſententias noſtras, quas ex libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, ſeu nuncupatione in humanitate ejus, credebamus, repræſentaremus; qualiter non in violentia, ſed ratione veritatis, noſtra adſertio rata judicaretur, ſi ab illis per auctoritatem Sanctorum Patrum minimè repudiaretur. Quod ità factum eſt: nam prolatas à nobis ſententias de ſuper dicta contentione, hoc eſt, de adoptione carnis atque nuncupatione, ità illi ex auctoritate de libris Sanctorum Patrum, id eſt, Cyrilli, Epiſcopi, & Beati Gregorii Papæ urbis Romæ, ſeu Beati Leonis, ſive & aliorum Sanctorum Patrum, qui nobis priùs incogniti erant, ſeu per auctoritatem Synodi, quæ nuper in Roma hâc intentione, præcipiente glorioſiſſimo ac piiſſimo Domino noſtro Carolo, adverſus Epiſtolam meam, quam dudum venerabili viro Albino, Abbati Turonenſis Eccleſiæ, conſcripſeram, congregata eſt. In qua Synodo (*b*) præſente LEONE Apoſtolico, & cum eo cæteri Epiſcopi numero quinquaginta ſeptem reſidentes, & plerique Presbyteri ac Diaconi cum eis in Domo Beatiſſimi Petri Apoſtoli: per quorum omnium aucthoritatem iſtas jam dictas ſententias noſtras non qualibet, ut dictum eſt, violentia, ſed ratione veritatis, ut oportuit, excluſerunt. Quorum auctoritate veritatis, & totius Eccleſiæ univerſalis conſenſu, convicti, ad univerſalem Eccleſiam, Deo favente ex toto corde noſtro reverſi ſumus: non qualibet ſimulatione, ſeu velamine falſitatis, ſicut dudum, quod Deus ſcit; ſed, ut dixi, verâ cordis credulitate, & oris profeſſione. Quod etiam in conſpectu multorum Sacerdotum, & Monachorum profeſſi ſumus, pœnitudinem gerentes de priſtino errore, & Sacramento, quam pro hac intentione olim prævaricatus ſum: profitentes, nos deinceps adoptionem carnis in Filio Dei, ſive nuncupationem in humanitate,

(*a*) Ladradus, Laudunenſis Epiſcopus, miſſus fuit à Carolo Rege Orgellas ad Felicem invitandum ad Concilium Aquenſe.

(*b*) Mentio Synodi Romanæ ſub Leone III. anno 799. forte coactæ LVII. Epiſcoporum in Domo Beatiſſimi Petri, in qua Epiſtola Felicis ad Albinum ſcripta, pro errore ruendo, damnata fuit: cujus Synodi excerpta exhibet *Hardewin. Tomo IV. Concil. p. 927.*

nitate, nullo modo credere, vel prædicare; sed secundùm quod dogmatibus Sanctorum Patrum informamur, eundem Dominum nostrum Jesum Christum in utrâque natura, Deitatis scilicet & humanitatis, proprium ac verum filium profitentes, unigenitum videlicet Patris, unicum filium ejus: salvas tamen utriúsque naturæ proprietates, itâ dumtaxat, ut nec divinitas Verbi Dei (*c*) in natura credatur humana conversa, vel humana à Verbo adsumpta (*d*) invidia mutata: sed utraque, id est, Divina atque humana, ab ipso conceptu in utero Virginis, itâ in singularitate personæ sibimet connexæ atque conjunctæ sunt, ut unicus Filius Patri, & verus Deus ex ipso utero Gloriosæ Virginis absque ulla corruptione editus prodiretur. Non itâ homo adsumptus à verbo de substantia Patris, sicut ipsumque verbum à fidelibus genitus credatur, cùm sit ex substantia matris, sed quia, ùt dictum est, in ipsa vulva Sanctæ Virginis ab ipso conceptu ab eo, qui secundùm Divinitatem verus, & proprius Dei Filius existit, in singularitate personæ suæ susceptus est, atque conceptus, verus, & proprius Dei Filius, ex eadem sancta Virgine natus est. Non alius Dei Filius, & alius hominis Filius; sed Deus, & homo, unicus Dei Patris verus, ac proprius Filius, non adoptione, non appellatione, aut nuncupatione; sed in utrâque natura, ùt dictum est, unus Dei Patris secundùm Apostolum verus ac proprius Dei Filius credatur.

Hæc est confessio fidei nostræ, quam Deo juvante à Sanctis Patribus per eorum scripta cognovimus, & ab universali Ecclesia post pristinum errorem nostrum accepimus, & tenemus. Quod & vos omnes credere, & confiteri per eundem Dominum nostrum exhortamur, nil diminuentes, aut addentes ex sensu vestro, sed hoc, quod vobis innotescimus, cum universali Ecclesia indubitanter retinentes: & ut pro me misero, per quem usque nunc in Ecclesia Dei contentio versa est, ex totis præcordiis vestris Domini misericordiam implorare non dedignetis: qualiter propter vestram emendationem, & orationem Catholicorum Sacerdotum, qui in simili prævaricatione, ùt ego, nequaquam obnoxii sunt, Domini misericordiam, priúsquam de hoc mortali corpore egrediar, consequi valeam. Quod per hoc me magis consequi à Domino confido, si scandalum, seu error in fide, qui per me in usque nunc, inter utrasque partes duravit, per me iterum omnia correcta atque sedata fuerint: atque omnia Ecclesiæ membra in unitate fidei, & concordia caritatis velut in unum corpus compaginata, itâ nemo ex nobis in Ecclesia Dei ultra scandalum, vel quodlibet schisma intromittere audeat: sed omnes nos cum universali Ecclesia, quæ in toto mundo dilatata noscitur, similiter sentientes, & ea, quæ dudum intentio orta est, id est adoptionem carnis, seu nuncupationem in humanitatem Filii Dei, anathematizantes; pacem, ut dixi, & unitatem fidei cum omnibus fidelibus Ecclesiæ, absque ulla simulatione, inconvulsâ fide retineamus: ne cum Nestorii impietate concordantes, qui purum hominem Christum Dominum credidit, alicubi deinceps labamur, qui dixit: oportet verò & de Dei dispensatione, quam pro nostra salute in dispensatione Domini Christi Dominus Deus perfecit, scire, quoniam Deus verbum hominem perfectum adsumpsit ex semine Abrahæ, & David secundùm pronuntiationem Divinarum scripturarum: hoc constitutum natura, quod erant illi, ex quorum erat semine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali, & carne humana constantem, perfectum hominem constitutum secundùm nos per naturam, Spiritus Sancti virtute in vulva Virginis formatum, factum ex muliere & factum sub lege, ut omnes nos à servitutis lege redimeret: ante jam prædestinatam adoptionem accipientes, inenarrabiliter sibimet uniens: mortuum quidem eum secundùm legem humanam faciens, suscitans verò ex mortuis, & perducens in Cœlum, & consedere faciens ad dexteram Dei: unde personam, constitutos principatus, & potestates, & Dominationes, & virtutes, & omne, quod nominatur nomen, non solùm in hoc sæculo, verùm etiam & in futurum, ab omni creatura accepit adorationem; sicut inseparabilem à Divina natura habens copulationem, relationem Dei & intelligentiam omni creaturæ

[*c*] *Forte* in naturam credatur humanam.

[*d*] *Forte* in Divinam *pro* invidia.

turæ adoratione exhibentem. Et neque duos filios dicimus, neque duos Dominos: quoniam unus filius Patris secundùm substantiam, Deus Verbum unigenitus Filius Patris, sicut iste conjunctus & particeps constitutis filii communicat nomine, & honore. Dominus secundùm essentiam Deus Verbum, cui iste conjunctus honore communicat. Et ideo neque duos filios nos dicimus, neque duos homines: quia manifesto constituto secundùm substantiam Domino, & filio inseparabilem tenet ad eum copulationem, qui causa nostræ salutis adsumptus confertur nomine, & honore Domino & filio, non sicut unusquisque nostrum secundùm seipsum constitutus est Filius. Unde & multi secundùm beatum Paulum dicimur filii: Sed solus præcipuum habens hoc, quod ad Dei Verbi Copulationem, adoptionem, & Dominationem participans, aufert quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum & Dominorum. Præstato verò nobis in copulationem ad Domini verbum, bonam haberet ipsiûs fidem, & intelligentiam, & theoriam, pro quibus & adorationem per relationem Dei ab omnibus cepit creatura. Unum igitur filium dicimus, & Dominum Christum, per quem omnia facta sunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes substantialiter filium Dei & Dominum: conspirantes autem adsumptum Nazaret, quem unxit Deus Spiritu & virtute, sic in Verbi Dei copulationem adoptionis participantem, & Dominationis, qui & secundus Adam.

Hæc est sententia Nestorii Hæretici, qui purum hominem absque Deo Virginis utero genitum impiè adstruebat. In quem hominem ex eadem sancta Virgine procreatum & genitum, post Nativitatem ejus, verbum Dei, hoc est, divinitatem Filii Dei, descendisse, & habitasse præ ceteris Sanctis impudenter prædicabat. Et ob hoc, sicut in Christo duas naturas, ità & duas personas in eo satis improbè vindicare contendebat. Nos verò ejus impietatem anathematizantes, quædam testimonia ex libris Sanctorum Patrum, quos Ecclesia venerabiliter recipit, decerpentes, huic Epistolæ subnectimus: per quæ nos ad viam veritatis post pristinum errorem nostrum reversi sumus, vobis subter adscriptam direximus: per quæ & vos de dicta intentione veritatem fidei pleniùs agnoscere potestis, & ad rectum tramitem fidei reverti. Contra quas sententias Patrum dissentiens, aliter, quam illas nos informant, credere aut docere voluerit, & adoptionem, & nuncupationem in carne salvatoris credere vel prædicare præsumpserit, anathema sit. A quo jaculo anathematis ipse verus ac proprius Dei Filius, de quo loquitur, tam vos, quàm nos, & hic & in futuro liberare dignetur. Cui cum Patre in unitate Spiritus Sancti similis, & coæqualis exstat gloria, ante omnia sæcula, & nunc, & in dies æternitatis.

Beatus denique Cyrillus in tractatu suo inter alia ità dicit: Immo multum interest, & incomparabilibus differentiis gloriæ, & eminentiæ Salvatoris nostri monumentis, ea quæ nostra sunt. Nos enim famuli sumus: ille verò naturaliter Dominus Deus, licet factus sit nobiscum, & in his, quæ sunt nostra dispensativè. Præterea & Beatus Paulus Christum eum nominavit & Deum; ità dicens: *Scitote cognoscentes* (c) *quia omnis fornicator, &c. non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Solus autem Christus etiam Deus verè, qui Emmanuel est. Etenim nos per gratiam Dei: verumtamen non ità Deus Filius, sed natura magis, & veritate, licet caro sit factus.

Item ipse in eodem tractatu post aliqua ità dixit: quomodo proprius Dei Filius nominatus est Christus, qui etiam traditus est à Deo & Patre, causa omnis salutis & vitæ. *Traditus est (d) enim propter peccata nostra, & ipse iniquitates multorum portavit in corpore suo, in ligno;* secundùm Prophetæ vocem. Palam ergo est, quia unitatis res adsumpta necessariè proprium filium declaravit Dei, qui ex sanctâ Virgine est. Corpus enim erat non alterius cujuspiam secundùm nos, sed magis proprium ex Patre existentis Verbi, natum ex ea.

Item ipse post paululum contra Nestorium: sicut enim in Adam omnes morimur, sic & omnes in Christo vivificamur. Si enim non pateretur humanè pro nobis, neque operaretur Divinè, quæ ad salutem sunt. Dicitur enim prius

(c) Ephes. V, 5. (d) Isaiæ LIII, 5. I. Petri II, 2.

us quidem mori, ùt homo: reviviſcere autem poſtea, eo quod ſit naturaliter Deus. Si igitur non eſt paſſus mori carne ſecundùm ſcripturas, neque vivificatur Spiritu, hoc eſt, non revixit. Et ſi hoc eſt verum, vana eſt fides noſtra, adhuc ſumus in peccatis noſtris. Baptizati enim ſumus in mortem ejus, ſecundùm Beati Pauli vocem, & remiſſionem peccatorum habuimus per ſanguinem ejus. Sed ſi eſt Chriſtus neque filius verè, neque naturaliter Deus, ſed homo purus ſecundùm nos, & divinitatis organum: ſalvati quidem ſumus non in Deo quodammodo, ſed in uno magis ſecundùm nos moriente pro nobis, & virtutibus alienis reſuſcitato. Quomodo ergo eſt mors deſtructa per Chriſtum? *& infra.* Colimus autem non hominem purum, abſit, ſed Deum potiùs naturaliter, non ignorantes ejus gloriam, licèt factus ſit ſecundùm nos.

Item Beati GREGORII PAPÆ urbis Romæ ſua per moralia. Erátque ille vir magnus inter omnes Orientales. Omnes, inquit, qui in hunc Orientem ſide pleni conſiſtunt, rectè Orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines, ipſe autem Oriens Deus & homo; rectè dicitur: erat magnus inter omnes Orientales. Ac ſi apertè diceretur: omnes, qui in fide Deo naſcuntur, ſuperat: quia non ùt ceteros adoptio, ſed natura illum Divinitatis exaltat. *Et rurſus alibi idem ipſe.* Quia omnis homo tantummodo homo eſt, ipſe autem Deus & homo. In terra ei ſimilis non eſt, quia etſi adoptivus quisque filius ad percipiendum Divinitatem proficit, nequaquam tamen, ut Deus naturaliter eſſet, accepit.

Item in libro Beati Job. Mediatori verò noſtro in legiſlatoribus ſimilis nullus eſt, quia iſti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt. Redemptor autem noſter ſine peccato eſt, filius ſinè adoptione, nec perpetravit unquam, quod redarguit. Quas quidem ſententias prius non rectè intelligebamus.

Item Beati Athanaſii Alexandrini Epiſcopi: ſi quis verò adversùs Divinas ſcripturas docet, alium dicens Filium Dei, & alium qui ex Maria Virgine, hominem ſecundùm gratiam adoptatum, ſicut nos: quaſi eſſent duo filii, unus ſecundùm naturam, qui ex Deo: & unum (e) ſecundùm gratiam, qui ex Maria. Et ſi quis Domini noſtri carnem, deſurſum dicit, & non ex Virgine Maria: aut mutatam Deitatem in carnem & confuſam: aut paſſibilem Domini Deitatem: aut inadorandam Domini noſtri carnem ſicut hominis: & non adorandam Domini, & Dei carnem; hunc anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Item Sancti Gregorii Nazianzeni Epiſcopi ad Cledonium: ſi quis introducit duos filios, unum quidem, qui ex Deo Patre; ſecundum verò, qui ex Matre, & non unum, eundémque, & adoptione excedat gratia, quæ promiſſa eſt iis, qui credunt: alienum eum à noſtro conſortio judicamus. Naturæ verò duæ Deus & homo: nam & anima & corpus: filii verò à duo: neque Dii, neque duo homines.

Item Beatus Leo Papa urbis Romæ ità dicit: exſultet rectarum mentium fides, & verum, unúmque Dei Filium non ſolùm ſecundùm Deitatem, quâ à Patre eſt genitus, ſed etiam ſecundùm humanitatem, quâ de Matre Virgine eſt natus, intelligant.

Item ipſe alibi. Adſumpta eſt de Matre Domini natura, non culpa: creata eſt forma ſervi ſine conditione ſervili: quia novus temperatus eſt veteri, ut & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet vetuſtatis.

Extat hæc Confeſſio edita inter opera Alcuini 1617. *Pariſinæ Editionis pag.* 998.

Apud Harduinum Tomo IV. Concil. p. 929.

Vide vitam Alcuini ad diem XIX. Maji inter Acta Sanctorum Antwerp.

Synodi hujus nomen, hiſtoriámque Alcuino maximè debemus, cujus in ea præcipuæ adversùs Felicem partes fuerunt. Narrat enim, qui ejus vitam conſcripſit, Carolum Magnum Regem, ut Felicianam hæreſin expugnaret, magnam Synodum Epiſcoporum in Aquisgrani Palatio congregâſſe, in eáque Alcuinum & Felicem Regis juſſu diebus aliquot conflixiſſe, ità ut à ſecunda uſque ad ſeptimam Sabbathi vix aliud geſtum ſit: victum ſe denique Feli-cem

(e) *fortè* unus.

tem voce, fletúque testatum esse. Quâ de re Alcuinus idem, sed tacitâ sui mentione, in hæc verba scribit, & Synodi annum designat, libro primo adversùs Elipandum:

" Sed & idem Felix, *inquit*, anno præfati Gloriosi Principis trigesimo secundo, advocatus voluntariè " veniens ad Aquis Palatium, ibique in præsentia Optimatum illius, sive Sacerdotum Dei, ra- " tionabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, verámque confessus " fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc tem- " poris erant præsentes.

Nec dissimilia sunt, quæ Felix ipse in Fidei suæ confessione persequitur, quam post hæc ad suos Urgellitanos scripsit, quæ & nuper edita est cum operibus Alcuini.

" Postquam, *inquit*, ad præsentiam Domini nostri, ac piissimi, gloriosíque Caroli perductus sum, " licentiam ab eo, secundùm quod & Venerabilis Domnus Laidradus Episcopus nobis in Or- " gello pollicitus est, accepimus: qualiter in ejus præsentiam, in conspectu Episcoporum, " quos ad se ordinatio Gloriosi Principis nostri convenire fecerat, sententias nostras, quas ex " Libris Sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, seu nuncupatione in humani- " tate ejus credebamus, præsentaremus: qualiter non in violentia, sed ratione veritatis nostra " assertio rata judicaretur, si ab illis per auctoritatem Sanctorum Patrum minimè repudiarentur. " Quod ita factum est. Nam prolatas à nobis sententias de superdicta contentione, hoc est, " de adoptione carnis, atque nuncupatione, itá illi ex auctoritate de Libris Sanctorum Patrum, " id est, Cyrilli Episcopi, & Beati Gregorii Papæ urbis Romæ, seu Beati Leonis, sive & alio- " rum Sanctorum Patrum, qui nobis priùs incogniti erant, seu per auctoritatem Synodi, quæ " nuper in Roma hac intentione, præcipiente Gloriosissimo, ac Piissimo Domino nostro Carolo, " adversùs Epistolam meam, quam dudum Venerabili Viro Albino, Abbati Turonensis Eccle- " siæ, scripseram, congregata est. In quâ Synodo, præsente Leone Apostolico, & cum eo " cæteri Episcopi Numero LVII. residentes, & plerique Presbyteri, ac Diaconi cum eis in do- " mo Beatissimi Petri Apostoli. Per quorum omnium auctoritatem jam dictas sententias no- " stras non qualibet, ùt dictum est, violentia, sed ratione veritatis, ùt oportuit, excluserunt. " Quorum auctoritate veritatis, & totius Ecclesiæ universalis consensu convicti, ad universa- " lem Ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, " seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit, sed, ùt dixi, verâ cordis credulitate, " & oris professione. Quod etiam in conspectu multorum Sacerdotum, & Monachorum " professi sumus. &c.

Notata hæc, & excerpta ex Alcuino sunt à P. Jacobo Sirmondo S. J.

Adde his, quæ de hoc Concilio habentur apud Papebrochium, in Actis Sanctorum ad XIX. Maji, in vita B. Alcuini, edita à du Chesne, à Coævo scripta. Hæc nempe sequentia:

" Advocans namque (Carolus M.) Albinum Institutorem suum Turonis, & miserum Felicem hæ- " resis hujus adstructorem de Hispaniæ partibus, congregavit Synodum magnam Episcoporum " in Aquisgrani Imperiali Palatio, in quorum ipse sedens medio, Felicem, licèt valde repug- " nantem, de Natura Filii Dei secundùm carnem cum Albino doctissimo disputando rationabi- " liter confligere jussit. Tum quantum Episcoporum tunc exstitit silentium! O quàm clara " & inexpugnabilis Caroli cum auctoritate Magistri sui Fidei confessio atque defensio! Per " plura autem Felix fugiens latibula, pluribus ab Albino confossus est spiculis, in tantum, " ut penè omnes civitates Israël consummaret, quousque Filius hominis veniret. Nam à se- " cunda usque ad septimam Sabbati parum aliud gestum est. Omnibus denique ejus patefacta " socordia, atque ab universis Apostolicâ auctoritate hæresi confutatâ, soli sibi latuit defor- " miter, usque dum dicta Cyrilli Martyris ab Albino sibi directa legit lamentabiliter. Ea " natura, quæ per diabolum vitiata est, super Angelos exaltata est, propter triumphum Chri- " sti, atque ad dextram Patris collecta. Hanc ergo legens sententiam, tandem se recogno- " visse, & impiè egisse, voce, & nimio fletu testatus est.

CA-

CAPITULARE
INTERROGATIONIS
AD EPISCOPOS
DE PRESBYTERIS (a) CRIMINOSIS.

CErtum est, Carolum Magnum multùm laborâsse, ut quietam ac tranquillam vitam procuraret populis sibi subjectis, præcipuè verò viris Ecclesiasticis, ac propterea omni studio in id incubuisse, ut vitam eorum, morésque ad optimum exemplar componeret. Duæ in primis res animum ejus valde occuparunt, quid agendum foret de Presbyteris criminosis, non convictis, neque confessis, & quid Chorepiscopis liceret, quidve non liceret. Ea de causa Arnonem Archi-Episcopum Juvavensem, & alios quosdam misit ad Leonem III. Pontificem Romanum anno DCCXCIX. aut circiter, ut ejus responsis edoctus, rei finem imponeret, quæ tum multum habebat difficultatis ac laboris. Interim Regni sui Episcopos per literas admonuit legationis à se Romam missæ, ut & ipsi seriò cogitarent, quid fieri deberet, ac postea in commune consulerent coram Imperatore. Epistola ejus missa ad Episcopos non extat integra. Supereit tantum ea pars, in qua agitur de Presbyteris criminosis, relata in Libro V. *Capitularium Cap. XXXV.* & *apud Hincmarum in Epistola XLVIII. Cap. I.*

FRAGMENTUM EPISTOLÆ
IMPERATORIÆ.

ET hoc vobiscum magno studio pertractandum est, quid de illis Presbyteris, unde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissimè à nobis, & progenitoribus, atque antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum. Unde ad consulendum Patrem nostrum Leonem Papam Sacerdotes nostros mittimus. Et quidquid ab eo, vel à suis perceperimus, vobis, unà cum illis, quos mittimus, renuntiare non tardabimus. Vos interdum vicissim tractate attentiùs, quid ex his vobiscum constituamus unà cum prædicti Sancti Patris institutionibus; ut murmur cesset populi, & nos his satisfacientes, inlæsi, Domino auxiliante, ab utrisque maneamus.

CAPITULA DATA POST REDITUM LEGATORUM À SEDE APOSTOLICA.

De Chorepiscopis, ne deinceps fiant.

I.

PLacuit, ne Chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant; quoniam hactenus à nescientibus Sanctorum Patrum, & maximè Apostolicorum decretis, suisque quietibus ac delectationibus inhærentes facti sunt. Idcirco & olim persæpe & nostro à Sancta Apostolica Sede tempore sunt prohibiti, & ne deinceps à quoquam, tam ordinante, quàm ordinari cupiente talis præsumptio assumatur, à cunctis nostri Regni Episcopis est in Synodo canonicè prohibitum.

Ut si Chorepiscopi aliquam consecrationem, aut confirmationem fecerint, ab Episcopis canonicè reformentur.

II. Hominum confirmatio, Ecclesiarum, Altarium, Virginum, Chrismatum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum consecrationes à Chorepiscopis factæ, ab Episcopis, qui Canonicè ordinati sunt, reformandæ, Canonicéque sunt peragendæ, quia Chorepi-

[a] Eadem materia iterum agitabitur in Conventu anni 803. Sæculi proximi. Eckhartus putat, eam controversiam in Synodo anno 801. agitatam fuisse Aquisgrani: dein in Synodo anni 802. mense Martio ibidem celebrata, constitutionem, ex mente Leonis Papæ confectam, recitatam fuisse, quam Benedictus Levita Cap. XXXVI. Libri V. ex editione Baluzii subdidit.

episcopi hæc contingere non debuerunt, nec agere potuerunt. Non enim ea tribuere valuerunt, quæ non habuerunt. Nequaquam enim talis ordinatio, vel consecratio reiteratio esse à prudentibus, & rectè sapientibus videtur, sed irrita indubitanter fore agnoscitur. Si quis autem Chorepiscoporum aliquid ex prædictis agere tentaverit, non acta, sed imperfecta, atque irrita erunt, & ipse omni Ecclesiastico irrevocabiliter careat gradu.

De Presbyteris & Ministris Ecclesiæ, ut à suis & non ab aliis Episcopis chrisma petant, vel accipiant.

III. In singulis Episcoporum Parochiis Presbyteri, eorúmque Ministri à non quibuslibet Episcopis, sed à suis propriis chrisma petant vel accipiant. Nec alio unquam tempore, juxta sacros Canones vel secundùm morem Romanum, nisi in cœna Domini, sanctum chrisma conficiatur. Quibus etiam diebus Presbyteris, vel eorum Ministris Canonicè dispensandum est, sed non aliis tradendum, nisi solummodo Presbyteris, vel Diaconibus, aut Subdiaconibus bene fidelibus. Indignum enim est, ut alii illud suscipiant, nisi illi qui hoc in tradendo usuri sunt.

De Chorepiscoporum cassanda superstitione.

IV. Similiter & hoc statutum est, ut à Chorepiscopis, qui juxta Sanctorum decreta locum septuaginta discipulorum, id est, Presbyterorum, tenent, vel ab ipsis Presbyteris nec virginum consecratio, nec Sancti Spiritus traditio, nec Ecclesiarum, vel altarium consecratio, vel illa, quæ solis Episcopis debentur, fiant. Nam si à duobus Episcopis Episcopus non potest consecrari, quomodo ille Episcopus erit, aut aliquid de Episcopali Ministerio, nisi quantum Presbyter, cuius locum in Ecclesia tenet, agere poterit? Omnia ergo, quæ isti præsumptiosi de Episcopali Ministerio egerunt, irrita esse comprobantur, & affectu carere, atque per omnia tam ab Apostolica sede, quàm & omnium Episcoporum decreto irrita esse, & potiùs nocumenta, quàm aliqua adjumenta sunt judicata, ac sæpius interdicta. Ideóque ne fiant sub anathematis vinculo interdicimus, atque qui ab eis sunt polluti potiùs, quàm sanctificati, in meliorem statum Canonicè, id est à tribus ordinatis Episcopis ut reformentur jubemus: quia reformatio non est iteratio, sed Ecclesiastica, & Canonica perfectio.

De his qui à Chorepiscopo confirmati sunt.

V. Si quis ab Episcopo & non à Chorepiscopo, qui non Episcopus, sed Vicarius Episcopi, priusquàm prohibiti essent, & erant, & dicebantur, fuerit confirmatus, reiterari talis confirmatio non debet. Nam Chorepiscopi ante Apostolicam, atque Synodalem prohibitionem non ex septuaginta discipulorum, ùt sacri Canones testantur, ordine erant, quos nunquam Spiritum paraclitum tradidisse novimus. Sed quia olim, ùt dictum est, jam dicti Chorepiscopi prohibiti sunt, ideo modò nihil sunt, nec Spiritum paraclitum ullo unquam tempore tradere non potuerunt, nec modò possunt. Quapropter non apparet iteratum, quod olim Canonicè non agnoscitur patratum.

Baluz. Tom. I. Capitularium pag. 327. 330.



DIGRESSIO AD SÆCULUM OCTAVUM.

§. 1. *Synodi extra Germaniam celebratæ in causis Germanicæ Ecclesiæ.*

PRima occurrit Romana, anni 717, ùt Hagiographi Antwerpienses judicant, *Tomo III. Septembr. p.* 269. & 289. in notis præviis, & additis ad vitam S. Corbiniani sub Gregorio II. Papa celebrata, in secundo itinere S. Corbiniani, Romam instituto.

Verba ARIBONIS Biographi coævi sunt hæc *Cap. IV.* " Ipse *S. Corbinianus* Romam " usque pervenit, & oratione factâ, ad utraque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina, ad Summi Pontificis Gregorii II. præsentiam veniens, ad ejus se stravit vestigia.

" Tunc coram eo lacrymis fusis, flebili voce " deplorans, qualiter suum decretum (*solitariam vitam ducendi*) imposito honore perdidisset, " & in pristina petitione persistens, ut ad cœno-" bium

" bium eum ire permisisset, vel in quandam " cellulam eum deputasset, vel in aliqua secreta " silva ad operationem ei concederet agellum.

" His auditis, tantam humilitatem ejus admiratus Papa, eoque à se dimisso, ad secreta " necessaria Synodum congregavit, & in eorum " Collegio talia promulgavit.

" Quibus auditis illi unâ voce omnes proclamabant, eum reverti *debere* ex multis testimoniis Scripturarum.

" His ità dicentibus, virum Dei in medium " venire jussit. Quorum verbis fide receptâ se " victum considerans, ut injunctum sibi à tanto " Patre officium (*Apostolicæ prædicationis*) nullo " modo deberet omittere, & à lucro vacuum re- " dire, cum summo ibi aliquantum temporis re- " tentus honore, benedictione acceptâ, vale fa- " ciens omnibus, tristis recessit. "

Hagiographi ad diem VIII. Septemb. p. 288. ex Aribone Biographo, antè à Surio & Mabillone, recentissimè à Meuhelbekio recusa ad fidem MSS.

Altera Synodus de Translatione S. Corbiniani.

Fuit S. Corbinianus in prima Romana profectione ordinatus Episcopus sub Constantino PP. Post secundam Romanam profectionem annì 717, circa annum 722. (alii 724.) fixit Cathedram Episcopalem Frisingæ. Obiit circa 730. Circa 769. annum, à morte circiter XL., Aribo Frisingensis Episcopus, & in Cathedra Successor, GENERALEM SYNODUM congregavit post triduanum jejunium, psalmodiam continuam, & Missarum celebrationes: & ex consilio omnium Coepiscoporum, & cæterorum Ecclesiasticorum virorum, & ipsius Principis Bajoariæ Tassilonis II. decretum fuit, corpus S. Corbiniani ex urbe Megensi Frisingam traducendum: quod mox effectui datum cum summâ solemnitate, nec sinè miraculis.

Ex Aribone Biographi loc. citat. p. 294. 295.

De Synodo secundâ Romanâ anni 738. & aliis hoc Sæculo.

Anno 738. quo tertiùm Romam profectus est S. Bonifacius, ROMÆ indictam fuisse Synodum celebrandam à Gregorio III. colligitur ex *Ep. XXVII.* inter Serrarianas: sic enim scribit: " Nunc autem hic expectantes Sacerdotum consi- " lium, vel Synodi consultum, adhuc ignora- " mus, quando hoc fieri faciat Apostolicus Pon- " tifex: sed eo finito, Deo volente, & vita " comite, ad vestram præsentiam festinabimus."

Utrum ea Synodus habita fuerit, nullus veterum prodidit; fuisse autem verosimiliter in ea agendum de statu Ecclesiarum Germaniæ, Franciæ, Bajoariæ sub Carolo Martello admodum perturbato, vexato, afflicto, testantur multæ literæ à Papa Gregorio III. S. Bonifacio datæ, commendatitiæ tum ad Principem, tum ad Episcopos Germaniæ, Rhenanæ, Franciæ, & Bajoariæ: propterea Concilii finis S. Bonifacio expectandus fuit ante reditum in Germaniam.

Pagi ad annum hunc 738.

Confer Epistolas CXXVII. CXXVIII. CXXIX. CXXX. *inter Bonifacianas à Serrario editas.*

COMPENDIENSI Synodo anno DCCLVII. celebratæ interfuête è Germaniâ Episcopi Chrodegangus Metensis, Fulcharius Tungrensis, Mangaudus, seu Magingaudus Würceburgensis, Sidonius Constantiensis.

Ex privilegio dato Monasterio Gorziensi docet Eckhart, Hist. T. I. p. 564.

Anno DCCLXII. Augusti die XIII. anno XI. regnantis Pipini Regis chartam dedit hic Rex pro confirmatione PRUMIENSIS Cœnobii, in qua tot Episcopi præsentes subscribunt, ut Synodi speciem præ se ferat.

Ex Germanis subscribunt Fulcarius Tungrensis, Magingaudus Wurceburgensis, Berthelinus Coloniensis, Basinus Spirensis, Weomadus Treverensis, præter multos alios ex Francia eidem chartæ subscribentes.

Eckhart. Tom. I. rerum Francia pag. 575.

DCCLXV. Conventui ATTINIACENSI anni hujus valde multi Germaniæ Episcopi interfuerunt Chrodegangus Metensis, Edda Stradeburgensis, Lullo Moguntinus, Baldebertus Basiliensis, Megingozus Witzaburgensis, Folericus Tungrensis, Theodulphus Episcopus de Monasterio Laubias, Joannes Constantiensis, Willibaldus de Monasterio Aichstadii, Madalfeus Viridunensis, Hanseus Bisontionis civitatis Episcopus.

Labbéus ex Schedis Holstenii Româ missis.

DCCLXIX. Lull Moguntinus interfuit Concilio Lateranensi Romæ.

Mansi Tomo I. Supplementi pag. 713.

§. 2. De numero Synodorum à S. Bonifacio coactarum.

Pontifices, sub quibus vixit S. Bonifacius, & Apostolicum officium felicissimo successu per Frisiam, Bavariam, Thuringiam, Austrasiam, Franciam exercuit, tot & tam crebris literis ab anno 738. ad 753. Bonifacium, & Coepiscopos Germaniæ, Franciæ, ad Synodos celebrandas hortati sunt, ut credas, omni anno Synodum celebratam fuisse in locis Apostolicæ Missionis.

Gregorius III. *Epist. 119. ad Episcopos Germaniæ Rhenanæ:* " In quo vobis loco Bonifacius " ad celebranda Concilia convenire mandaverit, " sive juxta Danubium, sive in civitate Augustâ, " vel ubicunque indicaverit, pro nomine Christi " parati esse inveniamini. "

Et

Et Ep. 130. " De Concilio vero, ut juxta " ripam Danubii debeas celebrare nostrâ vice, " præcipimus fraternitati tuæ, Apostolicâ auctoritate te ibidem præsentari. " .

Zacharias Papa Ep. 137. *ad universos Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Abbates per Galliam & Francorum Provincias constitutos.*

" Ad Synodum quoque omni anno convenite, ad pertractandum de unitate Ecclesiæ; " ut, siquid adversi acciderit, penitus amputetur, & Dei Ecclesia maneat inconcussa. "

Iterum Ep. 138. " Tua autem Reverentia " [*scribit Zacharias Bonifacio*] auxiliante Domino, vice nostrâ, volumus, ut omni anno " apto tempore in Francorum Provincia Concilium debeas celebrare. "

Demum Ep. 140. " Concilia verò aggregatis Episcopis Provincialibus, ut tibi, & ubi " tibi rectum videatur, celebranda procura. " Scripserat S. Bonifacius Zachariæ, multitudine negotiorum & Ecclesiarum se impediri, ne Conciliis adesse & præesse posset, aliósque Sacerdotes petit à Papa designari, Conciliorum celebrandorum moderatores: Verùm Zacharias desiderio Bonifacii restitit. " Dum Tua Sanctitas super- " stes existit, qui Sedis Apostolicæ, & nostram " illic præsentas vicem, alium illuc dirigere ne- " cessarium non est. " Ex his iteratis mandatis Pontificum constat, quanto ardore urserint annuam Conciliorum celebrationem Pontifices, & dum Bonifacium laudant, ùt Pontificiæ voluntatis executorem, ejúsque Concilia approbant, utique S. Bonifacium ea Concilia celebrâsse insinuant.

2*dò*. Quod permulta Concilia à S. Bonifacio celebrata fuerint, colligitur ex primi Millenarii moribus: causæ enim ordinariæ Synodorum, tùm Romæ, tùm in Provinciis cogendarum, erant hæ: Missiones Apostolicorum Virorum per orbem; Fundationes novarum Ecclesiarum; consecrationes Ecclesiarum, & Episcoporum, Diœceseon institutio, divisio, hæresum orientium suppressio, extirpatio, abusuum reformatio: Hæ causæ quoties occurrerint ultimis quindecim annis vitæ Bonifacianæ, patet intuenti obiter vitam Bonifacianam.

Itaque non admodum laborandum sibi credidit Cl. MANSI in figenda Chronologia annorum Leonis Augusti, Constantini Filii &c, nec in conciliandis variis diebus aut datis.

Ipsa verba clarissima, disertissima Pontificum Romanorum, Bonifacii, & Biographorum Willibaldi, aliorumque editorum ab Hagiographis, nobis viam monstrabunt ad numerum, & ordinem Synodorum sub S. Bonifacio celebratarum.

§. 3. *Referamus primò aliorum sententias.*

A WILLIBALDUS Biographus coævus quinque Concilia ab S. Bonifacio habita scribit, & quintum quidem Suessione.

Ad diem V. Junii §. 44. *Hagiographi Antw.*

B *Binius Tomo III. Conciliorum* quatuor enumerat:
Primum Ratisbonæ vel Augustæ ad annom 742.
Secundum Liptinis Calendis Martii anno 743.
Tertium Suessione anno 744.
Quartum in Germania anno 745. *pag.* 380. *Tomi III.*

C *Cl. Eckhartus in Historia rerum Franciæ Orientalis pag.* 459. sex Synodos numerat:
Primam in Bajoaria & fortè Frisingæ anno 740.
Secundam Saltzburgi in Franconia anno 741.
Tertiam ibidem.
Quartam Liptinis anno 743.
Quintam apud Suessiones 744.
Sextam Germanicam ex octo Episcopis Anglis conflatam circa 746. pag. 471.

D *Serarius Lib. III. rerum Moguntiacarum Notatione LIV. pag.* 576. tres Synodos à S. Bonifacio habitas scribit:
Primam anno 742. XI. Kal. Majas.
Secundam anno 743. die primo Martii.
Tertiam anno 745.

E *Pagius in critica Baronii ad* 742. statuit Primum sub S. Bonifacio Concilium celebratum est anno 742. N. VII. ad hunc annum.
Secundum Liptinense anno 743. deinde anno 744. Suessionense.

F *Cl. Mansi Supplementi Conciliorum Tomo I. pag.* 556. 557. nonnisi quinque Concilia celebrata à S. Bonifacio censet:
Primum anno 742.
Secundum Germanicum anni 743., quod Labbéo, & cæteris primum est.
Tertium Senonense anni 744. (*fortè Suessionense scribendum est.*)
Quartum Liptinense anno 745.
Quintum S. Bonifacii Germanicum, quod Labbéus tertium dicit, anno 747. celebratum, collegit ex Epistola Zachariæ, quâ jubet Bonifacio, ut data Pippino responsa canonica in Concilio statim celebrando recitet.

Statuta, à D'achrio, sub Bonifacii nomine vulgata, credit esse Scriptoris alienæ à S. Bonifacio ætatis.

§. 4. *Nostra sententia.*

EGo septem minimùm, distincta tempore & loco, Concilia in Bavaria, Thuringia, Australia, Neustria, inter annos 740. & 753. celebrata fuisse ex Epistolis Pontificiis, ex Bonifacianis, ex actorum Apostolicorum naturâ, serie, & successione verosimillimum judico.

Primum anno 740. in Bajoaria loco incerto.
Mabillon. Saeculo III. Benedictino pag. 20. *in notis ad S. Willibaldi vitam.*

Secun-

Secundum 742. anno 11. Zachariæ Papæ, in Germania loco incerto, Kal. Maji sub Carlomanno Principe.

Tertium 743. Liptinense cum abjuratione diaboli, & indiculo superstitionum, & allocutione variâ sacerdotali.

Quartum 744. Capitulare datum in Synodo, cui interfuit Bonifacius, Sedis Apostolicæ Legatus.

Annum ex conjectura addo; si quis velit illud præcedenti, vel posteriori Synodo conjungere, non repugno.

Sed quæ Majores nostri in tot codicibus MSS. discreverunt, ea temerè confundenda non judico.

Quintum anno 745. Suessionense.

Hoc plerique censent quintum, à Willibaldo numeratum.

tmò ipse Mabillonius Sæculi III. Benedictini p. 20. & vita Bonifaciana §. 44. Tomo I. Junii Hagiographi pag. 468.

Sed multiplex hic discrimen apparet: nam illud quintum Willibaldus ait, *Carlomanno consentiente* factum fuisse.

Suessionense autem, sub Pippino Duce, ajunt omnes Synodographi.

2dò narrat Willibaldus, in eo quinto Concilio quatuor primitus principalium Synodorum numerosa Canonum constituta conservanda admonuisse Bonifacium, quæ admonitio in nullis Synodalibus Actibus sub Bonifacio legitur. *Eckhart. Hansitz.*

3tiò idem Willibaldus §. 47. *vita loc. citat.* narrat, à S. Bonifacio Lullum sub Pippino jam Rege, adeòque post annum 752. *Synodalia* constituta recuperando, consecratum fuisse Archi-Episcopum Moguntinum, sua in Cathedra Successorem, & post in Frisiam reversum S. Bonifacium Martyrium pro Christo obiisse: idem dicit Autor supplementi vitæ Bonifacianæ ex MS. codice Treverensi, *ab Hagiographis editus pag. 475.* " *Synodali ergo auctoritate, & consensu Principis Pippini, Lullum Moguntia ordinavit.*

Habemus ergò sex Synodos Bonifacianas, à *Willibaldo coævo*, & MS. Treverico distinctè enumeratas.

Quod autem Hagiographi conquerantur pag. 470. quartum & quintum Concilium non exstare: intelligunt, credo, de *actis* harum Synodorum: quanquam non diffiteantur, statuta Bonifaciana, à D'achetio edita, ad alterutram ex his posse referri, quod & ego feci.

Concilium Romanum, etsi Romæ celebratum sit, judicavi inter Germaniæ Concilia inserendum; non quia Synodum Bonifacianam præcisè confirmavit; sed quia ad petitionem & relationem Bonifacii pro causa Ecclesiarum Germaniæ, novis hæreticis turbatarum, habitum fuit.

Aliud Concilium sub S. Bonifacio celebratum collige ex Ep. CV. ad Ludbertum scripta, cujus verba clarissima sunt, & acta diversa ab Synodorum præteritarum actis.

Siquis autem hoc Concilium cum sequenti 610 copulare voluerit, faciat meâ pace; dum modo causam reddat, cur ea, quæ in tot codicibus MSS. Europæ distincta cum suis titulis referantur, in eundem annum, locum & diem conjici, seu confundi debeant.

Sexta Synodus, in Provincia Francorum sub Carlomanno celebrata, statuitur anno 745. *ex Epist. XIX. Bonifaciana ex Othlono & Eckharto.*

Statuta S. Bonifacii numero 36. refer ad quam Synodum, & cujus anni voles; ea non sibi, sed Clero, & Episcopis, & Monachis docendis & corrigendis scripsit, & publicavit hortatu Pontificum.

Septima Synodus ponitur circa 747. quam jussu Zachariæ Papæ coegit, ut Capitula canonica per Ardobanium missa Pippino publicaret. *Epist. 139. & 140. apud Serrarium.*

Eckhart. rerum Franciæ Lib. 23. §. 91.

Octavum Synodale Decretum sub Pippino Rege, & Bonifacio incerti temporis & loci est, attamen in Austrasia conditum, in quo dispensatum cum fratribus Fuldensibus. *v. pag. 20.*

Nonum vel octavum, & ultimum est Moguntinum Concilium, in quo Lullus à S. Bonifacio ordinatur Archi-Episcopus, & Successor in Cathedra. *pag. 93.*

Nullam harum Synodorum sinè idoneo autore ex coævis certis scriptis asserui.

§. 5. *Respondetur Pagio & Mansio.*

Nunc respondebo Clarissimo Pagio in crisi Baronii ad annum 742. eique anno primum Concilium Bonifacii alliganti.

Ratio prima Non habitæ ante eum annum Synodi à S. Bonifacio est Pagio incomposita Ecclesiarum Germaniæ œconomia.

Sed respondeo. Quò majus vulnus, eò citiùs medicina afferenda. Ab anno 738. reversus in Germaniam, consecravit tres Episcopos in Bajoaria, & quatuor Diœceses divisit, ordinavit; quatuor in Hassia, Thuringia, Franconia Episcopos consecraverat, suisque Diœcesibus divisos Hierarchiæ Ecclesiasticæ aptaverat: & hæc ante annum 742: Ecce restitutionem Ecclesiasticæ œconomiæ in Germania? an hæc omnia tam gravia negotia sine Concilio?

Ratio altera Pagi: Mors Gregorii III. impedivit Bonifacium à cogendis Conciliis.

Respondeo. Cùm ea mors non impedierit Bonifacium ab octo Diœcesium finibus regundis, & coordinandis, nec eum impedivit à cogendo Concilio Episcoporum & Presbyterorum. Nam præter septem novos à se consecratos Episcopos vivebant tum Epp. Augustanus, Curiensis, Constantien-

stantiensis, Basileensis, Spirensis, Wormatiensis, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Tungrensis: præter numerosum comitatum Bonifacii tot Anglorum Presbyterorum, inter quos & forte erant Regionarii Episcopi EOBANUS, DADANUS &c. Nihil ergo mors Gregorii interrupit Concilia celebranda, & Apostolicum cursum Bonifacianum.

Ratio tertia Pagii. Willibaldus asserit tantum quinque Concilia celebrâsse S. Bonifacium.

℞. Quòd quinque sub Carlomanno in Austrasia celebraverit, asserit Willibaldus. Quòd verò quinque tantùm, quòd nullum in Neustria, in Bajoaria, in Suevia, Thuringia celebraverit, non dicit Willibaldus, imò contrarium dicit, ut supra ostendi §. 4.

Ratio quarta. Bonifacius scripsit, *in Francia* ab octoginta annis nullum Concilium habitum fuisse.

Respondi dudum ego, aliique Critici ad hunc locum Bonifacii, per Franciam non posse hic intelligi Franciam universam, sed Austrasiam, & Rhenanam, in qua Majores Domûs, uti Regiam Dignitatem absorbebant, sic Ecclesias & earum præsules diripiebant, & ineptissimis dabant: Hinc hæc querela Bonifacii, nec ad Bajoariam, nec ad Germaniam referri potest.

Ratio quinta. Si Synodus ante annum 742. celebrata fuisset, hujus acta confirmâssent Patres, uti Patres in Synodo Liptinensi 743. confirmârunt acta præcedentis Synodi habitæ.

Respondeo. Non omnia antecedentia semper in posterioribus Synodis repeti, vel confirmari.

Quod semel id factum fuerit in Liptinensi, inde non sequitur, Bonifacium semper Synodum inchoâsse à confirmatione superioris Synodi.

Hactenus responsum Clmo Pagio.

Cl. Mansi Supplementi Tomo I. pag. 551. & 556. statuit primum Concilium Germanicum, à nullo vetere, aut recentiori Scriptore indicatum, in quo tres Episcopales Sedes Wurceburgensis, Buraburgensis, Erphesphordensis in Germania à S. Bonifacio erectæ sunt ad annum 741.

Secundum verò Germanicum, cui Burchardus interfuit, quod Labbéo *primum* dicitur, rejicit ad annum 743. XI. Kal. Majas, adeóque corrigit omnes codices, qui hoc Concilium ad 742. referunt.

Ratio Clarissimi viri est. Quod Burchardus non fuerit consecratus Episcopus Wurceburgensis, nisi paulò ante Aprilem anni 743. eò quod Zacharias Papa Bonifacio non responderit de confirmatione trium Episcoporum in Germania, nisi Epistolâ data Kalend. Aprilis. Indict. XI.

Sed Respondet Eckhartus *rerum Franciæ Lib. XXIII. N. 11. pag.* 389. S. Burchardum Wurzburgi consecratum fuisse Episcopum à S. Bonifacio anno 741. ex Biographâ Heidenheimensi Moniali. Diem verò Zachatianæ Epistolæ N. CXLII. quæ erat Kalend. Aprilis. Indict. XI. *edita hoc Tomo* 1. *pag.* 47. à Pagio corrigi, & corrigendum esse, & loco ind. XI. scribendum *decimam*, loco Kalendarum Aprilis scribendas Kalendas Februarii.

Ejusmodi errores circa diem datæ, & annum in Bonifacianis Epistolis occurrere, omnes Critici consentiunt. *Deinde* hac ratione evincitur. Zacharias Papa mortuo Gregorio III., IV. Kal. Decembris. Indict. X, jam inchoatâ succedit, & eligitur quartâ post obitum die. Bonifacius, accepto nuntio mortis & successoris, statim ad Zachariam scribit: & narrat jam institutos à se tres Episcopatus in Germania: ergo anno 741. exeunte, cùm hic nuntius ad Bonifacium perferretur, erant jam tres Episcopi, quos inter Burchardus consecratus erat.

Huic Epistolæ Zacharias statim respondet per Deneardum, missum S. Bonifacii, ergo sub initium anni 742. quo Indict. X. adhuc currebat & Kal. Februarii vel Martii. Unde eodem anno XI. Kal. Majas poterat Burchardus & Witta, & Willibaldus, anno superiote consecrati, esse præsentes Synodo Germanicæ, *quam pag.* 48. hujus Tomi repræsentamus cum Canonibus. Non est igitur causa sufficiens, omnes Mss. codices concordes in hoc Concilio, uti à nobis relatum est, corrigendi. *Nec major ratio* ex eo sumi potest, quòd anno 743. XI. Kal. Majas incidat *in Dominicam*, quia more antiquo Dominicâ exordiri Synodos *sæpè* alias animadvertit Mansius.

Sed hoc ipso, quòd *sæpè* fiat, nulla est regula universalis: imò antiquissimis temporibus sunt dies certi fixi Conciliorum verno & autumnali tempore, quo Synodi quot annis in Africa Carthagine inchoabantur. Unde nec ex hoc capite, annus hujus Synodi mutandus venit.

2dum Germanicum vellet Mansius ad annum 747. statuere vel permittere, in quo legerentur Capitula Pippino missa ab Zacharia per Arbanium: sed præter hæc nullum aliud Germanicum sub Bonifacio celebratum agnoscit ob numerum quinarium Conciliorum sub Bonifacio à Willibaldo determinatum; cui argumento suprà respondi.

§. 6. *Concilium suppositum fictitium.*

STabilito nunc verosimili numero Conciliorum sub S. Bonifacio retractanda est opinio Othloni, & Eckharti: hic Lib. XXIII. *Rerum Franciæ Orientalis* §. CIV. pag. 485. statuit, anno " 748. fuisse habitum Concilium, cui Austrasiæ, & Neustriæ Episcopi interfuerunt, & om- " nes se Bonifacio subjecerunt, & de unitate fi- " dei convenerunt.

Probat hoc suum Concilium, & in eo acta ex vita S. Bonifacii ab Othlono scripta L. II. cap. 14. ubi refertur Zachariæ Papæ Epistola, data pridie nonas Novembris, Imperante Domino

mino Augusto Constantino anno XXXII. Imperii ejus, indict. V,

Non solùm hæc *data*, sed integra Epistola, ab Othlono Zachariæ tributa, fictitia videtur, ità, ut miter, hanc fabulam ab Cl. Eckharto admissam, illique Concilium inædificatum fuisse.

Prima probatio sumitur ex silentio omnium scriptorum coævorum octavi, noni, decimi sæculi, qui talem subjectionem tot Ecclesiarum sub Moguntina, talem mutationem, & eversionem Hierarchiæ tot Germanicarum Ecclesiarum non tacuissent.

Othlonus sæculo XI. Primus eam & solus produxit contra omnes sæculi octavi & noni scriptores.

adò. Hoc sæculo octavo Zacharias Metropolim Coloniam Agrippinam, mortuo Reginfredo, Bonifacio, hactenus regionario Archiepiscopo, confirmavit, ad petitionem Francorum anno 745. uti anno 747. Francorum mutatâ petitione Moguntiam Bonifacio *confirmavit* in Metropolim ordinariam, seu Cathedralem: Neutram erigit in Metropolim, sed nunc hanc, post illam Metropolim *confirmat* Bonifacio, qui hactenus nullam ordinariam cathedram habuerat. *Ità D'acherii & Mabillonius.* An Pontifex intra tres hos annos nullâ prolatâ causâ sua deque vertit omnia? Hodie Coloniam Metropolim confirmat, cras Metropoliticâ dignitate exuit? Suffraganeos Coloniæ facit suffraganeas Moguntiæ? & quando, quis Pontifex Coloniam rursus Metropolim Ecclesiam effecit? quando Pontifex Tungros, Trajectum denuo Coloniæ submisit?

Tertium Argumentum falsitatis Ep. Othlonianæ est Ep. XCVII. Bonifacii ad Stephanum Papam, quâ queritur, quòd Coloniensis Episcopus Hildegarius prætendat Ultrajectinam Ecclesiam ad suam Metropolim pertinere, *vide eam pag. 91.* hujus Tomi: uti revera Ultrajectum Metropoli Coloniæ paruit ab 753. ad 1559, adeo parùm memor erat Bonifacius, quod Colonia anno 748. sibi uti Metropolitæ subjecta fuisset ab Zacharia? Nempe Othlonianum commentum Bonifacio ignotum erat, uti & Zachariæ & stephano.

Quartò asserit Eckhartus, quòd omnes Episcopi Coloniensis, Trajectensis, Tungrensis, Wormatiensis, Spirensis subjecerint se Bonifacio in aliqua Synodo: hic error inædificatus est Epistolæ Othlonianæ: Synodi illius nemo meminit, ne Othlonus quidem: Episcopi Germaniæ, & Franciæ Bonifacium reveriti sunt uti Legatum Apostolicum, non ùt suum *Archiepiscopum*: nam Trevir. Coloniensis, Remensis, Archiepiscopi ante Bonifacii adventum fuerunt. Hi Episcopi consenserunt cum eodem in unitatem fidei: at ecce anno 751. omnia confunduntur, & subjiciuntur uni Moguntino, quâ Archiepiscopo, ac eoque tota Hierarchia Germaniæ & Franciæ una isthac Synodo annihilata fuit & dissipata.

Taceo nunc errores Chronologicos in hac Othlonianâ Epistola. Inprimis *in data* pridie nonas Novembris, Imperante Domino Constantino anno XXVIII. imperii ejus, indict. V. quæ notæ temporis conveniunt anno 751. At Cointius & Pagius rectè, judice Eckharto, statuunt, eas notas temporis Epistolæ huic erroneè suppositas & delendas; rectiùs dixissent, totam Epistolam delendam.

Alter error hujus Epistolæ est, quòd hucusque Cathedralem sedem minimè sibi Bonifacius vendicaverit: at ante annum 751. jam quadriennio sedebat in Moguntina Cathedra.

3tius error Chronologicus, quòd post ordinationem Bonifacius XXV. annos in prædicatione Evangelii laborârit: at ab anno 723. quo Romæ ordinatus fuit ad 751. non 25. sed 29. anni effluxerunt.

Epistolam Othlonianam exhibet Surius ad diem V. Junii p. 80. 81.

Hi errores contra Chronologiam & historicos omnes coævos Bonifacio & Zachariæ Papæ, omnium Ecclesiarum Germaniæ ab Scriptore sæculi XII. prodiri ostendunt, nullâ fide dignam esse eam Epistolam, & Zachariâ Pontifice indignissimam, & nullo temporis momento veram fuisse.

§. 7. *De progressibus scientiæ, & studii Canonici apud Episcopos Germaniæ sæcul. VIII.*

CAnonum Ecclesiæ Catholicæ scientia omnibus Episcopis necessaria est, eòque amplior, quo plures populos pascunt, & Diœceses patentiores obtinent.

Sæculo IV. vidimus, Episcopos Germaniæ Rhenanæ, Norici, & Pannoniæ interfuisse Conciliis Romanis, Sardicensi, & Gallicanis, ubi gravissimæ de fide, disciplina controversiæ agitatæ, & decisæ fuerunt; iidem Episcopi è Sardicensi, & Nicæno domum reversi, exemplar Conciliorum secum detulerunt, & Archivo Ecclesiæ suæ inseruerunt.

Ex Sæculo VII. habemus Synodicam Epistolam Martini I. Papæ ad Servatium Tungrensem, quâ eidem mittit volumen gestorum in proxima Synodo, & petit ab eo, ut acta in hac Synodo *Synodali conventione* Episcoporum confirmentur. Ex quo exemplo collige sollicitudinem Romanæ Ecclesiæ Pontificum in communicandis Synodalibus statutis cum Episcopis Occidentalium Ecclesiarum. *pag.* 28

Gerhardus von Mastricht in *Historia Juris Ecclesiastici*, edita *Arnhemii* 1678. *pag.* 71. cùm ad Germanos pervenisset, & quam collectionem Canonum Ecclesiæ Germanæ ante sæculum VIII. JCti tribuerint, inquireret, respondit, id determinari vix posse ob historicorum silentium & penuriam. Tum uno saltu transit ad sæculum IX., & allatas à Riculpho Moguntino in Germaniam Isidori Peccatoris merces, velut primum

mum codicem canonum, Germanis oblatum, cursim insinuat. Absit tam absurdus saltus, & enormis hiatus.

Sæculo VIII. Pontifices Romani nacti Apostolicos Germaniæ interioris Doctores, eosdem doctrinâ Canonicâ ex Archivo romanæ Ecclesiæ affatim dotârunt, veluti armis necessariis ad regendum populum Dei, ad errores, abusus, superstitiones eliminandas, ad Hierarchiam Cleri Catholici instituendam, & mores Christianis dignos formandos.

Primus, qui sæculo octavo Canones Episcopis, & Clero communicavit, fuit Gregorius II. *Epistolâ* ad Bonifacium Presbyterum, circa annum 716. scriptâ, *N. CXXIII. inter Bonifacianas*, quæ XII. Canones continebat. Lege eam *pag.* 33. Ejusdem Pontificis Capitulare, datum Martiniano Episcopo, & Georgio Presbytero, in Bavariam ablegatis, lege *pag.* 35.

Præter has duas Canonum Epitomas, in Germaniam missas, lege in vita Bonifacii, ab Othlono scripta, *apud Surium die 5. Junii pag.* 61. quòd Papa Gregorius II. accepto Sacramento Fidei à Bonifacio jam consecrato Episcopo, vicissim eum in omnibus adjuvare, præferre, & venerari studuit.

" Nam libellum, in quo sacratissima Ecclesiasticæ institutionis judicia, Pontificalibus digesta Conventibus, habebantur, ei donavit, præcipiens, ut tam Clerus, quàm cæteri populi, suo regimini subjiciendi, institutis talibus erudirentur.

Willibaldus. Surius ex Othlono Loc. cit.

Hic *Libellus* Bonifacio anno 723, Româ in Germaniam redeunti datus, videtur fuisse collectio Canonum, quâ Ecclesia Romana utebatur, erátque necessaria viro Apostolico, multos Episcopos, & Episcopatus in Bajoaria, Thuringia, Franconia, & Neustria instituturo: adeóque diversus est ab Epistola Canonica, jam antea Bonifacio Presbytero scripta, & à Capitulari, dato duobus viris in Bavariam ablegatis ab eodem Pontifice.

Mabillonius *in Annalibus Benedictinis* credit, hunc libellum fuisse Epistolam Gregorii Papæ *Clero & Plebi, dilectissimis filiis inscriptam.* Sed *Eckhartus rerum Francia Lib. XXI. §. XIII. pag.* 342. existimat, eum libellum fuisse potiùs *Instituta antiqua Sanctorum Patrum*, ùt ipse Bonifacius *in juramento suo* loquitur, sive codicem Canonum Ecclesiasticorum, quo continebantur Canones Apostolorum, Conciliáque Nicænum, Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicense, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, Sardicense, Carthaginense, & Africanum: cujusmodi codex, Anglo-Saxonicâ exaratus manu, ipsius S. Bonifacii ætate, extat adhuc inter Libros MSS. Bibliothecæ Cathedralis Wirceburgensis vetustissimos.

Eckhart. loc. cit.

Juramentum à Bonifacio præstitum fuit *imperante Domino Leone Magno Imperatore, anno septimo post consulatum ejus, sed & Constantini Magni Imperatoris, ejus filio, anno quarto, Indict. sextâ.* Quæ notæ conveniunt Anno Christi 723. si pro *Indictione VI.* corrigas *VII.* Similis correctio sæpe necessaria in cæteris *datis* Literarum Pontificiarum inter *Serrarianas* editas.

Ab illo ergo anno communicatus fuit Germaniæ codex Canonum Ecclesiæ Romanæ; an tam plenus, quàm ille, ab Hadriano oblatus Carolo Magno, pro certo affirmari non potest.

Gregorius III. Successor Gregorii II, qui S. Bonifacium Archiepiscopum creavit, non destitit, eundem informare: cujus specimen habemus in Epistola *CXXII.* quæ IX. canonica documenta continet. *Pag.* 38. *hujus primi Voluminis.*

Zacharias autem crebrioribus & prolixioribus literis Virum Apostolicum informavit, institutos ab eodem Episcopatus, & Archi-Episcopatus restauratos, & Concilia habita confirmavit, enascentia dubia circa fidem & disciplinam, & ritus varios resolvit: quas leges *pag.* 42. *& seqq.*

Germania ipsa, medio sæculo octavo tot Episcopis instructa, frequentes Synodos celebravit, in iisdem Canones condidit aut novos pro necessitate abusuum corrigendorum, aut veteres ex veteri codice Canonum restauravit, & observantiam eorundem induxit.

PIPPINUS & CAROLOMANNUS Principes, ipsi interesse voluerunt Conciliis, suâ auctoritate ea tueri, & Canonum executionem validâ manu adjuvare satagebant. Unde Episcopalis dignitatis vigor, & Jurisdictio Ecclesiastica, & populi Sanctitas indies augebatur & effulgebat, & Canonici juris scientia, & Canonum observantia major fuit introducta, & propagata.

Sunt enim Concilia Ecclesiastica, Sæculo VIII. crebertima, Canonum fontes, ubi conduntur, formantur & autorizantur. Verbum Dei quærimus in Scriptura Sacra. Canones in-& ex Conciliis Episcoporum. Post Nicænum primum œcumenicum, orbis Catholici consensu receptum, etsi jam quædam Provincialia Concilia præcessissent, cogitatum fuit de codice canonum Ecclesiæ colligendo.

Denique CAROLUS MAGNUS, à Deo datus Germaniæ, tum bellicâ gloriâ, tum Ecclesiarum fundandarum, dotandarum, tuendarum, in Septentrionem extendendarum cœlesti consilio, sapientia, & potestate regiâ donatus, novam, ut ità dicam, Catholicæ Ecclesiæ in Germania, novam Juri Canonico Germanico induit faciem, Apostolicis viris, Episcopis, & Abbatibus, cœlitus missis, & Verbum Dei prædicantibus à Solis ortu ad occasum.

Advertit sagacissimus Catholicus Rex necessariam Ecclesiæ Germanicæ cum Petro, cui oves & agnos pascendos Christus commiserat, conjunctionem; Petro enim confirmandos fratres omnes Christum commisisse meminerat.

§. 8.

§. 8. *De Codice veteris Juris Canonici pleniſſimi, dato Carolo Magno.*

CArolus igitur Romam profectus eſt ter ante Sæculum nonum, nimirum annis 774. 781. 787., magnum deſiderium habens inviſendi Limina Apoſtolorum, & honorandæ memoriæ S. Petri: ad cujus tumulum cum Papa Hadriano lubens orabat, & Deo gratias agebat, quòd per ſuffragia Principis Apoſtolorum ſibi victoriam indulſiſſet, ità loquuntur *antiquiſſimi Scriptores Francorum.*

In una ex his tribus peregrinationibus Hadrianus Papa Carolo donavit codicem veterem *Canonum*, non *Epitomen*, qualem Cl. Caniſius *Tomo VI. antiquarum Lectionum pag.* 413. *& ſeqq.* ex codice MS. Weingartenſis Cœnobii primùm evulgavit *Ingolſtadii anno* 1604. & *Binius* recudit in *collectione Conciliorum anno* 1618.;

Sed integram *collectionem Canonum*, qualem ex *Dionyſii exigui* labore adornatam edidit *Wendelſtinus anno* 1525. *Moguntia* ex tribus codicibus MSS. Moguntinæ Eccleſiæ, & nos cum tribus codicibus MSS. *Metropolitana Colonienſis* collatam edimus hoc primo volumine. *Paginâ ad* 795. *& de Marca L. I. Concordia cap. IX.*

Quo anno autem ex his tribus, ſuprà enumeratis, hæc donatio facta ſit, parvi refert: multi eam factam credunt anno 774. in primo congreſſu Regis & Papæ. Sirmondus anno 787. alii ad unam ex tribus illis epochis. Certum tempus cùm hactenus à nemine indagatum fuerit, retulimus nos ad primam peregrinationem anno 774. inſtitutam.

Sirmondus Epiſtolam duntaxat ab Hadriano Pontifice codici Canonum præfixam inſeruit Conciliis Gallicanis. Nos ipſum hoc corpus veterum Canonum, uti FUNDAMENTUM & baſin omnium Canonum poſteriorum, in Eccleſiis Catholicæ Germaniæ, aliàs occidentalibus, conditorum, collectioni Germaniæ Conciliorum inſerendum putavimus, ſic enim habet inſcriptio. *Ad uſum occidentalium Eccleſiarum.*

§. 9. *De Capitulis Angilramni.*

ANgilramnus Eccleſiæ Metenſis Epiſcopus fuit à die 25. Septembris anni 768. ad annum 791. quo obiit. Idem erat Archicapellanus Caroli Magni, ex quo officio tenebatur ſequi curiam Regis, ſed ex officio Epiſcopi reſidere apud Eccleſiam Metenſem.

Epiſcopi Auſtraſiæ & Germaniæ, nec exemplo Caroli Magni, qui apud Pontificem, veniam Curiæ regiæ ſectandæ, Angilramno impetrâſſe dicebatur, neque Angilramni gratiâ apud Regem territi, accuſabant eum violatorum Canonum, qui reſidentiam Epiſcopi apud Eccleſiam ſuam poſcebant.

Angilramnus, ut querimoniis Epiſcoporum Provincialium ſuorum faceret ſatis, dicitur ſcripſiſſe Capitula XXC. ex græcis, & Latinis Canonibus, & Synodis Romanis, atque decretis Præſulum ac Principum Romanorum collecta, quibus abſentiam ſuam ab Eccleſia excuſare nitebatur.

Huic collectioni, ab Antonio Auguſtino cum notis editæ, à Surio, Binio, Sirmondo & Labbéo collectioni Conciliorum Generalium inſertæ, duplex præfigitur titulus, unus hic: "Hadriani Papæ Capitula, quæ ex Græcis, & Latinis... " Collecta ſunt, & Angilramno Mediomatricæ " urbis Epiſcopo, Romæ à B. Hadriano Papa " tradita ſunt, ſub die XIII. Kal. Octobris indict. IX. quando pro ſui negotii cauſâ agebatur, *vid. pag.* 249. Nempe ind. IX. poſt Septembrem anni 785. jam inchoata erat.

Alter titulus eſt. " Incipiunt capitula collecta ex diverſis Conciliis, ſive Decretis Pontificum Romanorum, ab Angilramno Metenſi " Epiſcopo tradita, Hadriano Papæ oblata: *ità* " *Codex Ms. S. Victoris Pariſiis.*

Hunc adum titulum *Baluzius in præfatione ad emendationem Gratiani per Anton. Auguſtinum* §. *IV. Eckhart L. XXV. rerum Franciæ* §. *LXXXII. pag.* 768. *Calmetus Hiſtoria civilis, & Eccleſiaſt. Lotharingiæ L. XI. pag.* 529. multò veroſimiliorem exiſtimant primo.

Rationes Calmeti ſunt. 1ma: accuſati eſt, ſuam cauſam tueri, non judicis, apud quem accuſatus cauſam dicere vult: erat autem Angilramnus accuſatus, & Papam judicem volebat.

2da Cauſa: Hadrianus Papa anno 787. vel anteriore quopiam, donaverat Carolo Regi *codicem Canonum veterum Eccleſiæ Romanæ*, qualem Dionyſius exiguus compilaverat, à nobis recuſum pag. 131. in quo nulla Epiſtola decretalis Pontificia ante Siricium extat, nulla poſt Gregorium I.; at Illuſtriſſimus Auguſtinus oſtendit, Canones Angilramni deſumptos ex Epiſtolis ſuppoſititiis Anacleti, Evariſti, Alexandri, Teleſphori, Hygini, Pii, Aniceti, Eleutherii, Caliſti, Fabiani, Stephani, Felicis, Euthychii, Marcellini, Euſebii, Julii; quas Iſidorus Peccator, in Hiſpania Epiſcopus, fabricatus fuit, ùt jam eruditi omnes fatentur. Ignoravit ergo Hadrianus Papa has adulterinas merces.

Aut quâ veroſimilitudinis ſpecie quis dixerit, aut crediderit, eundem integerrimum Pontificem Hadrianum, alium codicem dediſſe Carolo Regi, alium Angilramno ejuſdem Regis Archicapellano?

Ratio 3tia. Abſurdiſſima theſis eſt, quòd Hadrianus Papa ignoraverit Anteceſſorum ſuorum Epiſtolas: qui non niſi illas, quas Dionyſius exigous collegerat, Carolo Magno donavit: quod ſignum eſt, alias nullas in Scrinio Romanæ Eccleſiæ aſſervatas, & notas fuiſſe ad eum diem.

Unum hic obſervo, Angilramnum jam anno 785. habuiſſe notitiam *codicis Canonum*, ab Iſidoro Peccatore conflati, adeòque Ricolphum, qui non

non nisi anno 787. ad Cathedram Moguntinam *teste Serrario* ascendit, non fuisse primum codicis Isidoriani delatorem ex Hispania in Germaniam.

Sed ut ut hæc Hincmari, & de Marca, & Calmeti vera sint; non potest Illmus de Marca diffiteri, hæc Isidoriana in tres ultimos *Librorum Capitularium Regum Francorum* infecta, & frequentissimè ab Episcopis Gallicanis laudata fuisse *Decretalium Isidorianorum* verba, & auctoritatem usurpatam. *L. III. de concord. Cap. V.*

Hincmarus tamen Remensis Episcopus, contra Hincmarum nepotem, Laudunensem, his Isidorianis mercibus inniti volentem, se tuitus est, nullósque alios Canones, quàm à Nicæno ad Africana Concilia, nullas Decretales Pontificias, quàm ab Siricio ad Gregorium I. pro canonibus ab Ecclesia Gallicana receptis, unà cum Hadriano Papa agnovit.

Addit de Marca, à Nicolao Papa non incongruè Gallicanis Episcopis fuisse objectum, " *eos uti his Capitulis; cùm ipsi sua intentioni hæc suffragari conspiciant.*

Ob eandem igitur causam, nempe vetustissimi usûs horum capitulorum Angilramni apud Germanicæ & Galliæ Episcopos, nos ea inseruimus huic *Tomo I.* absque notis Antonii Augustini, quæ ad scholas pertinent, & ad crisin, non ad corpus Canonum in Ecclesiis nostris receptorum.

§. 10. De Synodo Lateranensi anni 774.

Etsi hæc Synodus extra Germaniam celebrata sit, ejus tamen veritatem aut falsitatem nôsse, interest Episcoporum Germaniæ. Agitur enim de jure Regio antiquo, quo Carolus usus fuerit in constituendis Episcopis Germaniæ & Franciæ.

Sigebertus in Chronico, edito *Parisiis anno* 1613. ad annum 774. narrat, Adrianum Papam collecto Romæ Concilio CLIII. Episcoporum & Abbatum, dedisse CAROLO REGI " Jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque Patriciatûs: insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias: ab eo investituram accipiendam definivisse: &, ut nisi à Rege laudetur, & investiatur Episcopus; à nemine consecretur: omnésque huic decreto rebelles anathematizavit, & nisi resipiscerent, bona eorum publicari.

Hanc concessionem *Grattanus Distinct. LXIII. Cap. XXII.* transcripsit pro jure Imperatorio eligendi Pontificis Romani. *Anastasius, & Anonymus Scriptor. historia Romanor. PP. editus à Petzio Anecdotorum Tomo I. Parte III. Et Landulphus Senior Mediolan.* Sæculo XI. florens, editus *à Muratorio Tom. IV. inter Scriptores Italia: & Bernardus Guidonis de Hadriano* adoptârunt. *De Niem. L. de investituris Episcoporum* eam recoxit.

Centuriatores Magdeburgenses Tomo VIII. *Goldastus constitution. Imperial. Tom. I.* & nuper *Pfeffingerus ad Vitriarium Lib. I. Tit. IV. §. 29. pag.* mihi 355. hoc Concilium Romanum pro Imperiali jure in Electiones Romm. Pontif. recuderunt.

Sed Aubertus Miræus, cùm anno 1608. Ecclesiastica vetera chronica denuo ederet Antverpiæ; edidit & hoc chronicon Sigeberti ex vetustis codicibus MSS. in quorum nullo reperit hoc *Emblema*, ab aliquo schismatico posteriore Sigeberto assertum; unde liquet, genuinum Sigeberti Librum hoc Concilium non habere.

Frustra igitur Baronius, & alii Sigebertum accusant de hoc conficto Concilio, de quo omnes coævi & superiores historici tacent.

Supersedeo nunc aliis argumentis, quibus Illmus de Marca, aliique falsitatem prætensi Concilii ostendunt, docéntque, acatholicos nullam ex hac fictitia Synodo causam habere, ampliandæ potestatis Regiæ in Electiones Pontificum Romanorum.

De Marca L. VIII. de concord. Cap. XII.
Pagi in Critica ad annum 774.
Mansi in Supplemento Concilior. Tom. I. pag. 721.

Similis farinæ est pseudo Synodus Romana anni 964. sub Leone VIII., quam refert Gratianus *eadem Distinctione* 63. *Cap.* 23. *ex Ivonis Pannormia L. VIII. cap.* 136.

Goldastus Tomo I. Constitution. imperial.
Theodericus de Niem.
De Marca Lib VIII. de concord. Cap. 12. id Concilium tuentur.

Sed Franc. Pagi *in Breviario Historico-Chronologico-Critico in vita Leonis* VIII. *Antipapa* observat, de Marcam non respondere argumentis Baronii pro falsitate hujus Pseudo-Synodi, quam & annotator Baronii multis ostendit fide indignam esse.

Hæc speciatim de Conciliis hoc Sæculo celebratis ad Germaniam spectantibus.

Superest Quæstio:

§. 11.

Quâ auctoritate Principes & Reges, Pippinus, Carolomannus, Carolus Magnus intervenerint Conciliis Ecclesiasticis?

Utrum ex ea interventione consequens sit, Jus in Sacra, in definiendis dogmatibus, sibi hos Principes arrogâsse?

An omnia Capitularia facta fuerint in Conciliis Episcoporum?

An

An omnia ea approbata fuerint à Romano Pontifice?

Ad primam Quæstionem Respondeo:

Factum ex historia certum est, quòd Principes Franci, & Germani interfuerint Conciliis, quòd ea cogi, convocari jusserint, quòd dicti fuerint iis præsedisse.

Concilii Germanici anni 742, Præfatio hæc est in omnibus codicibus MSS. " Ego Carlomannus, Dux & Princeps Francorum, cum consilio Servorum Dei, & Optimatum meorum, Episcopos, qui in Regno meo sunt, cum Presbyteris, ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregavi, id est, Bonifacium Archiepiscopum &c. *pag.* 48.

Sic legit Illustrissimus Baronius ad A. C. 742. *N. XXI.* Sic omnes Synodographi in omnibus codicibus legerunt.

Similis Frons Synodi Suessionensis anni 744.: " Ego Pippinus, Dux & Princeps Francorum... unà cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel Servorum Dei consilio... apud Suessionis civitatem Synodum, vel Concilium congregari fecimus. *Vide pag.* 57.

Illustrissimus Baronius ad annum 745. N. 11. ex *vita S. Bonifacii* apud Surium hæc excerpit:

" Cum Carlomanno jubente, & Bonifacio consulente Synodus haberetur.

Idem Illustrissimus ad annum 794. N. XI. ex Epistola Caroli Regis ad Elipandum hæc verba transcripsit:

" Ad impletionem verò hujus gaudii (*conversionis hæreticorum*) fraternâ cogente caritate, jussimus Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostræ ditionis Ecclesiis congregare Concilium; quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi.

PP. Episcopi Concilii Francofordiensis in sua Synodali sic loquuntur:

" Congregatis in unum, caritatis conventu, Præcipiente & præsidente piissimo & gloriosissimo Domino nostro Carolo Rege. "

Has autem locutiones sive Regum, sive Conciliorum habere, & habere posse legitimum Catholicum sensum, dubitandum non est, quia Catholici Scriptores eas adhibuerunt, nemine arguente.

Ecce autem Papebrochius in *Propylæo ad Tom. II. Aprilis*, scripto anno 1675. *Parte I.* §. 30. *de Diplomatis discernendis*, ut spurias rejicit Synodos anno 742. Ratisbonæ, & anno 744. Suessione celebratas, eò quod his Carolomannus & Pippinus præsedisse legantur. *Rationem addit:*

" Cùm Carolomannum & Pippinum præsidere his Synodis, excedat sæcularem potestatem, & Principem laicum faciant conventui Ecclesiastico præsidere, eâque ordinare, quæ disciplinam & correctionem Cleri, ac Monachatûs concernunt; absit, ut ea habeamus pro genuinis....

" Extant ea quidem in vulgatis Synodorum collectionibus, æquè, ac alia spuria non pauca, susque Annalibus Baronius haud indigna censuit; sed, quòd salvâ tanti Scriptoris reverentiâ scriptum sit, severiori fuerunt examine ponderanda, nec propter eam, quam præferunt, speciem utilitatis statim recipienda.

Huic censuræ Papebrochii responderunt viri Catholici Clarissimi, *Pagius* Annotator *ad A.C.* 744. *N. IX. ad annum* 776. *N. VIII. ad annum* 873. *N. XVI. & sequentibus. De Marca L. de Concordia*, VI. *Cap.* 25.

Baluz. in notis ad Capitularia Tom. II. *pag.* 1260. ostendit, eam censuram justo severiorem esse, & contrariam historiis Conciliorum, tam in Francia, quàm Germaniâ celebratorum, quibus Reges interfuisse, quæ à Regibus convocata fuisse, compertissimum est.

Nam *primò* Regia præsidentia vel convocatio, vel præsentia, nil demit juri Pontificio, imò nequidem juri Legatorum Pontificiorum, quominus Episcopis & Canonibus dogmaticis definiendis soli præsideant.

Inspiciamus acta Concilii Francofordiensis, quod toties, à Carolo Magno coactum, sub ejus præsidio celebratum, scribitur. Leges in libello sacrosyllabo, qui non tantùm suo, sed & omnium Episcoporum nomine in Hispanias missus fuit, Sancti Spiritûs afflatu, saluberrimâ definitione Concilii falsissimam Elipandi hæresin terminatam fuisse, *Reservato per omnia juris privilegio Summi Pontificis, Domini, & Patris nostri Hadriani, primæ Sedis beatissimi Papæ.* Quod privilegium Illustrissimus Baronius scribit, accipi posse vel de potestate Rom. Pontificis, ad condemnandas novas hæreses & hæresiarchas; vel de potestate Rom. Pontificis, Conciliorum omnium acta cognoscendi, & ap- & reprobandi.

Igitur Illustrissimus Baronius nequaquam judicavit, aut spuriam, aut irritam Francofordiensem Synodum, aut alias, simili stylo usas, dum de interventu Regum aut Principum loquuntur; ne centenas Catholicas Synodos exsufflemus.

Imò ex hac Francofordiensi, ad quam Papa duos Legatos misit, confirmatur Pontificia potestas in Concilia.

Nam primò Carolus ante Synodi indictionem Legatos ad Hadrianum Papam misit, ter quaterque exploraturos ejusdem mentem de mota ab Elipando quæstione. " Imò ad Beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione (*Felicis & Elipandi*) nostræ devotionis ter,

qua-

" quatérque direximus missos, scire cupientes, quid
" Sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta tradi-
" tionibus, de hac respondere voluisset inquisitione.

Baronius h. a. N. XI.

Post Synodum, cùm sensisset Carolus, Legatos sedis Apostolicæ dissentire ab Episcopis Germaniæ, Legatum novum Angilbertum Abbatem S. Richarii Romam misit ad Pontificem, & contradictiones ortas eidem exposuit.

Probat id Baronius N. XXXII. ad annum 794. ex Epistola Caroli ad Hadrianum.

Denique literis acceptis ab Hadriano papa, dissentiente à Germanicis & Gallicanis Episcopis circa cultum imaginum, subjungit Carolus Magnus: " Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascen-" tis Ecclesiæ & Catholicis traditionibus totâ " mentis contentione, totâ cordis alacritate con-" jungor. *Baron.* §. *XXIX. ad hunc annum.*

Hæc acta *ante-in-* & *post* Synodum, quæ à Carolo Magno coacta fuisse toties scribitur, Caroli Catholicum pectus ostendunt, & sublimem de summo Pontifice existimationem & observantiam, circa Concilia inchoanda, & approbanda.

Observat autem Gretserus *Lib.* II. *contra Replicatorem Tomo* VI. *nova edition. pag.* 378. quòd Carolus in Epistola ad Elipandum jam citata, non se primo loco judicem erroris Elipandi statuerit, sed in ea damnatione primas det Domino Apostolico, *cum Sancta Romana Ecclesia.*

Secundum & tertium Sanctissimis Patribus assignat locum, id est, Episcopis Catholicis Judicibus, tum demum quarto loco:" Meæ pro-" priæ, ait, unanimitatis cum his sanctissimis " prædictorum Patrum decretis, & Catholicis " Statutis consensum subneaui; sicut vosmetipsi " in vestra Epistola, quam meo specialiter de-" signâstis nomine rogare curâstis &c. Non sunt hæc verba Judicis, vel Præsidis, in definiendis Ecclesiæ dogmatibus, sed modestissimi Principis, consentientis Ecclesiæ Prælatis, & Doctoribus.

Præterea aperiamus *Librum* VI. *Capitularium N. CCCLXXXI.* " Auctoritas Ecclesiastica atque " canonica docet, non debere absque sententia " Romani Pontificis Concilia celebrare.

Baluz. Tomo I. *pag.* 994.

Explicat subinde Gretserus *Loco cit. Cap.* III. *&* IV., quo sensu Catholico Carolus Magnus dicatur, & dici queat, *Synodos convocâsse*, *& Synodis præsedisse.*

Alterum argumentum, quo Pagius ad annum 776. *N.* VIII. *& seqq.* probat, Reges, etsi dicantur convocâsse Synodos, nullam inde sibi spiritualem arrogâsse potestatem; sed eam omnem Petro, & Episcopis datam, agnovisse, ex modo, quo Synodi celebrabantur à Principibus, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ævo Carolino sub adâ Regum stirpe.

Primo ordinariè quovis anno duplex conventus erat *Generalis*, ùt loquuntur Annales Francorum, etsi non semper eodem, nec æque stato tempore.

In his conventibus Rex proponebat Capitula, de quibus deliberandum. Verùm quia ex his causis aliæ Ecclesiasticæ, sæculares aliæ; Optimates vel Proceres in duas aut tres classes secedebant. Episcopi dogmata & disciplinam Cleri inspiciebant, quo loco essent: an integra, ac sana omnia, & Canonibus priscis conformia. Abbates, & Monachi regulam S. Benedicti inspiciebant, & revolvebant. Duces, & Comites Laicorum belli, & pacis causas agitabant. Factâ maturâ discussione, singuli in- & pro suo foro referebant coram Rege; cujus accedente consensu robur executioni, & tuitio Ecclesiæ Canonibus accedebat. Discimus hoc ex titulo Capitularis anni 779. " Congregatis in unum Synodali " Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque il-" lustribus, Comitibus unà cum piissimo Do-" mino nostro, secundùm Dei voluntatem, pro " causis opportunis consenserunt. *vid. pag.* 239.

Idem renovat ad annum 813. à N. XIV. Nihil ergo præsentia Regia autoritati Papali, vel Episcopali circa dogmata & leges Ecclesiasticas condendas, restaurandas detraxit: imò eisdem vim, & robur in tuitione, executione op, portunissimè commodavit.

Altera quæstio præcipua est, an & quam vim habeant Capitularia sub Pippino, Carolo Magno, & sequentibus secundæ stirpis Regibus, edita à medio sæculo octavo ad sæculum decimum?

Ea sunt tum politica pro Imperio, tum sacra pro Ecclesia, & Ecclesiasticis.

Politica Capitula plenam vim, Laicos obligandi, habere, uti à legitimis Regibus, & Principibus lata pro salute Imperii, nemo est, qui dubitet.

At, utrum sacra Capitula, pro Ecclesia & Ecclesiasticis lata, eandem vim obligandi Episcopos & Clericos habeant? quæritur.

Clarissimus Baluzius *in Præfatione ad Capitularia Tomo* I. §. VII. *& seqq.* magno molimine borum Capitularium in Clericos & Laicos obligandos potestatem tuetur & propugnat. Verùm quæstionis resolutio inde pendet, quâ auctoritate ea Capitularia prodierint.

Suspicio justa celeberrimi & doctissimi viri Antonii Augustini, Tarraconensis Archi-Episcopi, est, CAPITULARIUM FONTEM ESSE IPSA CONCILIA ATQUE CONVENTUS, in quibus Imperator cum Episcopis & aliis Consiliariis de rebus tam Ecclesiasticis, quàm profanis agebat. *L. posteriore de emendatione Gratiani Dialogo X,* mihi *pag.* 447. *Baluzius in Præfat.* §. IX.

Unde

Unde patet auctoritas Capitularium: nti enim Canones Ecclesiastici vim obligandi derivant à Conciliis Episcoporum, à quibus conditi fuêre: V. g. *Nicæni* à Concilio Nicæno, *Ancyrani* à Concilio Ancyrano: sic & Capitularia Regum Francorum Ecclesiastica, cùm permulta fuerint edita in Conciliis Liptinensi, Suessionensi, Wormatiensi, Ingelheimensi, Aquisgranensi, vim in Clerum & Ecclesiasticos ab his sacratis coetibus Episcoporum, à Spiritu S. constitutorum ad regendam Ecclesiam Dei, mutuantur.

Idem observat van Espen *Tractatûs historico-Canonici in omnes Canones Parte IV. Cap. II. pag.* mihi 746.

Exceptio tamen hîc intercurrit: Non enim *omnia* Capitula Francorum, nec *semper* in Synodis publicis fiebant; sed sæpe in privatis virorum Ecclesiasticorum cœtibus, qui fortè tum in comitatu Regis erant, edebantur.

Exceptio 2da. Multa Capitularia deprompta sunt è codice Canonum veteris Ecclesiæ, qualis Carolo Magno ab Hadriano donatus fuit: igitur vim suam à fontibus veterum Synodorum mutuantur.

Exceptio 3tia. Multa ex Decretalibus Romanorum Pontificum Siricii, Innocentii, Cœlestini, Gregorii sumpta sunt, unde & ab his auctoritatem habent.

Quædam etiam ex Suppositiis Isidori Decretalibus, aut Pseudo-Synodis, ab eodem congestis: quæ consuetudine & acceptatione Ecclesiarum Germanicarum non leve robur acquisivêrunt.

Unde patet, variam esse Capitularium auctoritatem pro diversitate fontium, è quibus desumpta sunt.

Hoc universim verum est: magnam eorum auctoritatem in Ecclesia Dei fuisse, & Concilia posteriora Sæculo VIII. & IX, sæpe ad anteriora Capita confugisse: Imò Canonum collectores, Reginonem, Burchardum, Ivonem, Gratianum, iis liberaliter usos, postquam ab Ansegiso Abbate anno 827. & Benedicto Levita Moguntino anno 845. in septem Libros utcunque congesti, & compilati fuêre.

Nihil gravius pro Capitularium commendatione dici potest, quàm quod Leo IV. PP. Lothario Augusto circa annum 847. scripsit:

De Capitulis, vel Præceptis Imperialibus vestris, vestrorum Pontificum, Prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quantum voluimus & valemus, Christo propitio, & nunc, & in ævum nos conservaturos, modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis, eum pro certo mendacem.

Ivo Pannormia Lib. II. Cap. 149.

Gratianus Dist. X. Cap. IX.

§. 12. *De dissidio PP. Concilii Francofurtensis anni 794. à Patribus Concilii secundi Nicæni anni 787.*

SYnodus Nationalis Francofurtensis Canone II. inter LVI. sic statuit: " Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam " de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut, qui " Imaginibus Sanctorum, ità, ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicaretur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, " & servitium renuentes contempserunt, atque " consentientes damnaverunt.

In hoc Canone error facti evidens est, undecunque ille natus sit, & quidem duplex: *primus* circa dogma: Nam Patres Concilii Nicæni secundi id non scripserunt, sed contrarium omnino, nempe latriam soli Deo reservârunt; Imaginibus autem cultum honorarium, latriâ inferiorem.

Secundò. Nicææ est habita septima Synodus, non Constantinopoli: hic enim sola ultima actio celebrata fuit, & confirmata fidei definitio, cui subscripserunt Imperatores.

Nullum igitur in fide divortium fuit inter Patres Francofurtenses & Nicæni secundi.

Fuit tamen dissidium circa Imagines.

Et primò quidem Episcopi Germaniæ, Franciæ, Italiæ, negabant Imagines confringendas, lacerandas, & damnabant 'εικονοκλάστας, & in his consentiebant septimæ Synodo Orientales cum Occidentalibus.

2dò. Eas Imagines asservandas ad imprimenda memoriæ humanæ Mysteria Christi Domini, B. V., & Sanctorum. Utrumque colligitur ex Epistolis S. Gregorii Papæ. Una est *CV. Epistola Libri IX. Registri Epistolarum indict. II.* Altera est *XIII. Epistola Libri XI. Registri Epistolarum* edition. novæ *S. Gregorii Magni Tomo II. pag.* 1006. & *pag.* 1099.

Utrumque scribit Gregorius Papa Sereno Massiliensi Episcopo, eùmque docet sequentia: " Perlatum siquidem ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, Sanctorum Imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris.

" Et quidem, quia eas adorari vetuisses, " omninò laudavimus, fregisse verò reprehendimus. Dic frater! à quo factum Sacerdote " aliquando auditum est, quod fecisti? Si non " aliud, vel illud te non debuit revocare, ut, " despectis aliis fratribus, solum te Sanctum, " & esse crederes sapientem? Aliud est enim " picturam adorare, aliud per picturæ historiam, " quid sit adorandum, addiscere.

" Nam

" Nam quod legentibus scriptura, hoc
" idiotis præstat pictura cernentibus: quia in
" ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debe-
" ant. In ipsa legunt, qui literas nesciunt.
" Unde & præcipuè gentibus pro lectione pi-
" ctura est.

Hæc Sententia Gregorii Magni prorsus insederat Episcopis Germaniæ.

Iconoclastas damnabant & abominabantur, imagines servabant, & servabant in Ecclesiis, & exponebant palam, sed cultum eis nullum deferendum putabant: In quo ipso redarguuntur à Romanis.

Nam, cùm Germani, & Gallicani populi, & Clerici, crucem Christi colerent, impensè salutarent, caput illi inclinarent, deoscularentur, procumbendo ad illam, mente semper ad Christum directâ: cùm Librum Evangelii honorarent, cùm Reliquias Sanctorum congruo cultu venerarentur; non videbantur posse denegare imaginibus Christi & Sanctorum cultum relativum ad prototypa: Deinde XII. Episcopi Franciæ interfuerunt Concilio Romano, sub Stephano Papa III. celebrato anni 769. in quo sacrarum imaginum cultus rursum probatus fuit, ut Baronius probat in vita Stephani III. & aduotator Baronii ad annum 769. & Fleury *Histor. Ecclesiastica L. XLIV.* In qua denegatione cultûs imaginibus tribuendi, alii extremâ, alii mediâ via incedebant.

Auctor Carolinus, & Scriptor libelli, nomine Synodi Parisiensis editi, & Agobardus (si ab hoc Scriptore diversus est) ferventiùs causam tuentur, & imaginum cultores pœne idololatris, certè superstitiosis æquant. Paulò moderatior est Jonas Ep. Aurelianensis. At Walafridus Strabus, & Dungalus, non longè à sententia Nicænæ Synodi recedunt.

Observatio altera est, quòd Hadrianus Papa, & cæteri Italiæ Episcopi, licet scirent, à se dissentire Carolum, & Patres Francofurtenses circa cultum licitum imaginum, nihilominus eos propterea nec reprehendêrunt, nec se ab eis sejunxerunt, nec ullum iis errorem exprobrârunt. Cujus causa Theologis nota est.

Imagines Christi ac Sanctorum habere, non habere: colere cultu honorario, aut nullo cultu afficere, res est de se adiaphora, nihil ad fidem pertinens: adeóque variis temporibus varia circa hæc variarum Ecclesiarum disciplina fuit, salvâ fidei unitate. At imaginem Christi ac Sanctorum calcare, dilacerare, non minùs iniqua & injuria humani generis judicio habentur, ac si Patris aut Regis imaginem, quis filius, aut subditus conspuat, calcet, dilacerer.

Huic doctrinæ Theologicæ consonat ultimum Capitulum *Libri Carolini*, etsi aliàs vehementissimo stylo exarati: quod citavit Papa HADRIANUS in scripto de imaginibus ad Carolum Regem Francorum.

Ultimum Capitulum: Ut sciat Domnus Apostolicus, & Pater noster, & cuncta simul Romanorum Ecclesia, ut, secundùm quod continetur in Epistola Beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensem Episcopum direxit, permittimus imagines Sanctorum, quicunque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quàmque extra Ecclesiam, propter amorem Dei & Sanctorum ejus. Adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint. Frangere, vel destruere eas, etiamsi quis voluerit, non permittimus. Et quia sensum Sanctissimi Gregorii sequi in hac Epistola universalem Catholicam Ecclesiam Deo placitam, indubitanter liberè profitemur.

His verbis excerptis è libro Carolino subjungit Pontifex: Hoc sanctum & venerandum Capitulum multùm distat à totis supradictis Capitulis. Et ideircò eum agnovimus VESTRÆ à Deo servatæ, orthodoxæque regalis excellentiæ esse proprium, in eo, ubi rectæ fidei plena penitus confessa est, sensum Sanctissimum Gregorii sequi.

Binius. Ex quo
Harduin. Tomo IV. Concil. p. 817.

Quasi scripsisset Papa Hadrianus, Carolo: cætera libelli Carolini indigna sunt, quibus nomen Caroli Regis prætexatur: at hæc ultima verba, ex S. Gregorio sumpta, digna sunt fide Caroli Regis, & Catholicorum Episcoporum Germaniæ & Galliæ, & consonant fidei Romanæ Ecclesiæ, & Italiæ, & Hispaniæ, & Orientalium Episcoporum in septima Synodo Nicæna congregatorum.

Observatio tertia. Germaniæ & Galliæ Antistites paulatim induerunt mores Ecclesiæ Romanæ, & Orientalis, quia imaginibus cultum relativum infrà Latriam tribuerunt.

Vide hac de lite plenam & eruditam dissertationem *Mabillonii in præfatione ad primam partem Sæculi quarti Benedictini*, quem sequitur & Pagi Crites ad A. C. 825.

§. 13. *De numero Synodorum contra Felicis Urgellitani hæresin coactorum.*

Certæ ex historicis coævis, & Theologis Scriptoribus Sæculi VIII. sunt hæ Synodi, contra Felicem, Urgellitanum Episcopum, qui Christum secundùm humanam naturam adoptivum Dei Filium, & nuncupativum Deum asserere ausus fuerat, coactæ:

1ma Ratisbonæ anno 792.
Omnes Annalistæ Francorum & Alcuinus L. adversùs Elipandum, Toletanum Archi-Episcopum.

2da Romana, sub Hadriano anno eodem 792.
Iidem Autores Annalistæ apud Pagium ad h. annum.
Synodica Hadriani ex hac Synodo Romana ad Episcopos Hispaniæ, ad Carolum, ad Episcopos Galliæ.

3tia

3tia Francofordienſis anni 794.

4ta Romana anni 799, hactenus obſcura,

Ex Schedis Pithoeanis à Sirmondo eruta, & ab Harduino recuſa Tomo IV. Conc. p. 927. Pagius ad h. annum N. IX.

5ta Synodus Urgellitana adversùs Felicem anno 799. Præſide Laidrado, Archiepiſcopo Lugdunenſi, & Nefridio Narbonenſi, & Benedicto Abbate S. Cornelii ad Indam, & Anianenſi, aliiſque Epiſcopis & Abbatibus.

Conſtat ex IV. Libris Alcuini contra Elipandum ſcriptis poſt hanc Synodum.

Pagi Adnotator ad annum 799. N. XI. XII. XIII.

Mabillon. in vita Benedicti Anianenſis.

6ta Synodus Aquiſgranenſis exeunte anno 799. celebrata, ad quam Felix veniens, & ab Alcuino hæreſeos convictus, edidit ultroneam Fidei Catholicæ Profeſſionem, quæ extat inter opera Alcuini, & ab Harduino recuſa eſt Tomo IV. Concilior. pag. 919.

Præter has ſex Synodos, in cauſa Felicis celebratas, duæ aliæ jactantur:

Primam edidit Baluzius in ſuis ad Illmum de Marca adnotatis ad *Concordia Libri VI. Cap. XXV.* " Nempe Narbonenſe Concilium anno " 788. Indict. XII. V. Kal. Julii, Caroli Regis " anno XXIII. celebratum, pro Felicis Urgellitanæ " Sedis Epiſcopi peſtifero dogmate, monente " per ſuæ auctoritatis literas Domno Apoſtolico " Hadriano, ac Domno Imperatore per Miſſum " ſuum, nomine Deſiderium. " Quam Synodum prolixa apologia conatur tueri *Baluzius*. Sed Pagius, Crites Baronii, ad hunc annum 788. multis argumentis demonſtrat, eam falſitatis ſuſpectam eſſe, quæ lege, ſi voles: maximè quòd ejus *acta & data* contradicant omnibus coævis ſcriptoribus de initio, progreſſu, & fine Felicianæ hæreſeos.

Alterum Concilium Romanum anno 794. contra Felicem, aſſeritur à Manſi Tomo I. Supplementi pag. 731. *ex Annalibus Moiſſiacenſibus & Autore veterum Annalium Francorum.*

Verùm, quàm clara eſt aſſertio Annaliſtæ Franci de Concilio Romæ congregato poſt univerſale Concilium Francofordienſe: tam clara, imò longè clariora ſunt verba Caroli Regis, quibus aſſerit, ſe mittere Elipando Toletano Feliciani erroris pertinaciſſimo defenſori, *quid Domnus Apoſtolicus cum Sancta Romana Eccleſia, & Epiſcopis* Italiæ ſentiant de Feliciana hæreſi: adò Synodicam Epiſtolam Patrum Francofordienſium. Cùm autem major & certior ſit auctoritas Caroli Regis, quàm cujuſvis obſcuri Annaliſtæ, qui non ſunt ſemper accurati in rebus referendis ad eum annum, quo contigerunt; Hinc retinuimus ordinem loci & temporis, quem Hadriani Epiſtola occupavit, ante Francofordienſe Concilium. Nec judicamus multiplicanda Concilia ſine ſufficienti & idoneo teſtimonio.



SÆCULUM NONUM.

EDICTUM DOMINICUM.

De honore & adjutorio, Epiſcopis præſtando à Comitibus & aliis Judicibus, datum circa annum Chriſti DCCC.

CArolus, gratiâ Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, dilectis Comitibus, Judicibus & vaſſis noſtris, Vicariis, Centenariis, vel omnibus miſſis noſtris, & agentibus. Cognoſcat utilitas veſtra, quia reſonuit in auribus noſtris quorundam præſumptio non modica, quòd non ità obtemperetis Pontificibus noſtris, ſeu Sacerdotibus, quemadmodum Canonum & legum continet authoritas: ità ut Presbyteros, neſcio, quâ temeritate, præſentari Epiſcopis denegetis, inſuper & aliorum Clericos uſurpare non pertimeſcatis, & abſque conſenſu Epiſcopi in veſtras Eccleſias mittere audeatis. Nec non & in veſtris Miniſteriis Pontifices noſtros talem poteſtatem habere non permittatis, qualem rectitudo Eccleſiaſtica docet. Inſuper nonas & decimas, vel cenſus improbâ cupiditate de Eccleſiis, unde ipſa beneficia ſunt, abſtrahere nitimini, & precarias de ipſis rebus, ſicut à nobis dudum in noſtro Capitulare inſtitutum eſt, accipere negligitis, & ipſam ſanctam Dei Eccleſiam unà cum ipſis Epiſcopis, vel Abbatibus emendare juxta vires veſtras denegetis. Quapropter nos unà cum conſenſu Epiſcoporum noſtrorum, Abbatum, nec non & aliorum Sacerdotum hæc

hæc instituta partibus vestris direximus. Præcipientes enim jubemus, ut nullus quilibet ex fidelibus nostris, à minimo usque ad maximum, in his, quæ ad Deum pertinent Episcopo suo inobediens parere audeat de supradictis Capitulis seu aliis eruditionibus, ad illorum ministerium pertinentibus; sed cum bona voluntate & omni mansuetudine subjectionis, unusquisque Sacerdoti suo, propter Deum & pacis studium, obtemperare studeat. Si quis autem, quod absit, unus ex vobis, ullus de nonis & decimis, censibúsque reddendis, atque precariis renovandis negligens apparuerit, & importunus Episcopis nostris de his, quæ ad ministerium illorum pertinere noscuntur, vel sicut in Capitulare, dudum à nobis facto, continetur, contradicere præsumpserit; sciat se procul dubio, nisi se citò correxerit, in conspectu nostro exinde dicere rationem. Et ut has literas certiùs credatis, de annulo nostro subter eas decrevimus roborare.

Baluz. Tomo I. Capitularium pag. 329. 332.

CONCILIUM MOGUNTINUM

CAROLUS Rex congregavit Optimates suos, & Synodum habuit apud Moguntiam Episcoporum, vel Abbatum.

Martene Collectio vet. Monumentor. Tomo V.

Mense Augusto inchoante, Moguntiacum veniens, generalem Conventum ibidem habuit. *Eginhardus in Chronico.*

Annal. Francor. à Newenaario editi ad h. a. & à Reubero, & à Pithoeo, Annal. Mctens.

Ex his Mansi Supplementi Tomo I. pag. 742. *Concilium hoc anno Moguntiæ coactum fuisse colligit.*

CAPITULUM

DE HONORANDA SEDE APOSTOLICA.

ANNO CHRISTI DCCCI.

IN memoriam Beati Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem; ut, quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, feramus, & piâ devotione toleremus. Si verò, quod non decet, quilibet, sive sit Presbyter, sive Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro Ministerio insidiando, redarguatur, falsam ab Apostolica sede detulisse Epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit, salvâ fide, & integra circa Apostolicum, humilitate penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per Epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos, Apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum suâ sanctâ legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat definire; ut & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.

Confer Concilium Triburiense C. 30.
Burchardum L. I. C. 220.
Ivonem. Part. 5. *C.* 50.
Gratianum Distinct. XIX. C. 3.
Baluz. Tomo I. Capitularium p. 357.
Crombach in Metropoli Colon. MS. ad annum DCCCI. refert.

CARO-

CAROLI MAGNI EDICTUM.

Quo jejunium pro necessitatibus publicis, maximè pro fame, peste & bello indicitur.

Ex MS. Andaginensis Monasterii S. Huberti.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Carolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Ghaerbaldo Episcopo, cum universis tibi omnipotente Deo, & nostrâ ordinatione commissis, in Domino salutem.

Notum sit dilectioni vestræ, quia nos cum fidelibus nostris tam Spiritualibus, quàm sæcularibus tractantes, cum consensu, & pari consilio invenimus necessarium, & propter instantes quasdam necessitates, quas subter significaturi sumus, tria triduana jejunia ab omnibus nobis generaliter esse celebranda, atque ab eo, in quo vivimus, movemur, & sumus, auxilium esse quærendum, à quo quicquid justè ac rationabiliter fides vestra, spes certa, seu charitas perfecta postulat, sine dubio tempore congruo impetrat: ipso Domino dicente: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Ipsa autem jejunia, sicut nobis omnibus visum est, hac discretione posse fieri, Domino largiente, congruenter impleta, scilicet ut primum XI. diebus post festivitatem S. Andreæ transactis, id est III. idus & idus Decembris. Et XVIII. Calendas Januarii tali ratione fiat, ut omnes à vino, & carne his III. diebus abstineant, & usque horam nonam jejunent, excepto quæ aut ætas aut infirmitas non permittit, qui tamen secundùm suam qualitatem, vel vitæ suæ professionem aut (*a*) rationibus satis, aut Eleëmosynis congruis id ipsum secundùm consilium Magistrorum redemere studeat, quod jejunando & abstinendo complere non valet. Horâ autem nonâ omnes generaliter ad Ecclesias vicinas, ubi eis denuntiatur, devota mente occurrant, & si hora, vel locus permiserit, aliquo spatioso loco Letania procedant, atque psallendo Ecclesiam intrantes, cum omni devotione missam audiant. Quâ subacta, unusquisque domum redeat, & statutis cibis corpori satisfaciat, non ad voluntatem, sed ad necessitatem ac sobrietatem. Similiter quoque monemus unumquemque, ut Eleëmosynam faciant, secundùm quod commodum substantiæ suæ permiserit, & mentis devotio Domino inspirante suaserit; & unusquisque presbyterorum missam cantet, & alterius ordinis Clericus vel Monachus, sive Deo sacrata, qui psalmos didicit, L. Psalmum similiter cantet. Opera autem ea his diebus operare permittimus, quæ nec ad Ecclesiam venire impediant, nec ante statutam horam manducare, aut bibere cogant. Duo quoque cætera triduana jejunia his diebus pari ratione per omnia erant celebranda, unum post Theophaniam VII. Idus, & IV. Idus, & II. Idus Januarii. Aliud verò post septuagesimam, II. Idus Februarii, & XV. Calendas Martii, & IV. Calendas Martii. Necessitates verò, quas supra nos dicturos esse promisimus, inter cæteras, quas tamen hac vice commemorare necessarius diximus, hæc sunt. Denique compertum habemus per fideles nostros, qui nobis de singulis regni nostri partibus hæc nuntiaverunt, quòd insolito more, & ultra consuetum, ubique terræ sterilitas esse, & famis periculum imminere videtur. Aëris etiam intemperies frugibus valde contraria; pestilentia quoque per loca, & pagorum gentium circa marcas nostras sedentia bella continua. Multa præterea, quæ, & nunc enumerare longum est, & nobis experimentum possunt esse notissima, si recordare volumus, qualia incommoda singulis diebus propter merita nostra sentiamus, certissiméque ab his exterioribus colligere possumus, nos per omnia Domino non placere interiùs, qui tanta mala compellimur tolerare exteriùs. Quamobrem bonum nobis omnino videtur, ut unusquisque nostrûm cor suum humiliare in veritate studeat, & in quo-

(*a*) *Fortè*: orationibus.

quocunque loco, sive actu, sive cogitatu se Deum offendisse deprehenderit, pœnitendo tergat, flendo doleat, & seipsum, in quantum ipso largiente potest, ab his malis in futurum cavendo custodiat: & hæc debet esse præmissæ orationis intentio, ut omnipotens Deus, qui non solùm facta, verùm etiam antequam fiant, omnia novit, corda nostra compungat, & nos sibi supplices atque subjectos in vera humilitate faciat, & unumquemque nostrûm, ab observantia mandatorum suorum depulso à nobis omni errore, convertat, misereatúrque, sive à nobis mala repellendo, sive bona quibus indigni sumus, tribuendo, sicut ipse novit nos indigere, & tribuat, ut in membris suis, id est, in corpore sanctæ Ecclesiæ numerari mereamur, quam pacificare, adunare, & regere, atque ab omni malo protegere dignetur, nobis etiam in illa unitate comprehensis, qui ut gratiam illius promereri possimus, hæc jejunia, atque has orationes, ab omnibus vobis generaliter fieri decrevimus. Hanc quoque Epistolam relegentes secundùm tibi à Deo datam sapientiam coram omnibus diligenter relege, & tradere facias: ità ut omnes intelligant, pro qua necessitate hæc agenda sunt, & unusquisque vestrûm per singulas Ecclesias Baptismales dirigite, & bonos interpretes mittite, qui omnia tradant, sicut superiùs diximus: nam & per singula Monasteria infra Parochia tua ità facias.

Mansi T. I. Supplement. p. 768.

EPISTOLA CAROLI MAGNI IMPERATORIS AD GARIBALDUM LEODIENSEM EPISCOPUM.

De curâ, quam instruendis populis præcipuè ante Baptismum adhibere debent Pastores.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Carolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, magnus, pacificus, Imperator, gubernans imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, Garibaldo Episcopo in Domino salutem.

Bene igitur recordari credimus Sanctitati tuæ, qualiter sæpius in conventu, & *Concilio nostro* monuimus de prædicatione in Sancta Dei Ecclesia unusquisque vestrûm secundùm Sanctorum Canonum autoritatem, & prædicare & docere deberet. Primò omnium de fide Catholicâ; ut qui amplius capere non valuisset, tantummodo orationem Dominicam, & Symbolum fidei Catholicæ, sicut Apostoli docuerunt, tenere & memoriter recitare potuisset, & ut nullus de sacro fonte baptismatis aliquem suscipere præsumeret, antequam in vestra, aut ministrorum vestrorum sacri ordinis præsentia orationem Dominicam, & symbolum recitaret, & sicut in proximo comperimus, in die apparitionis Domini multi fuerunt apud nos inventi, qui volebant suscipere infantes de sacro fonte baptismatis, quos jussimus singulariter, & diligenter examinare & requirere, si orationem Dominicam, & symbolum, ut supra diximus, scirent & memoriter tenerent; & plures, qui nulla exinde in memoriam habeant: quibus præcepimus abstinere, ut antequam orationem, & symbolum scirent, & recitare potuissent, neque aliquem de sacro fonte baptismatis suscipere præsumerent. Et valde erubescentes fuerunt ex hac re, & spondere volebant, ut si concessum eis fuisset, ad tempus hoc improperium à se potuissent auferre. In quo loco intelleximus, quod non eis fuit convenientia, & sicut in Capitulari nostro potestis reperire, discretionem factam

factam habuimus, quanto tempore se unusquisque abstinere debuisset ab hoc opere, usque dum bonus fidejussor esse valeret in hoc negotio, scilicet aut certè statim alium inveniret scientem, aut si infirmitas non impediret, expectaret de Pascha usque in Pentecosten, donec ipse disceret ea, quæ supra dicta sunt. Nunc autem denuo monemus, ut memores sitis, sicut condecet de ministerio Sacerdotali, & conventum habeatis cum vestris Sacerdotibus, & diligenter omnem rei veritatem requirite, & examinate: ità ut opus Domini non prætereat, nec aliqua requisitio vobis exinde fiat ante conspectum Sanctæ Majestatis.

Mansi T. I. Supplementi p. 766.

Ex MS. Andaginensis Monasterii S. Huberti, ante annos 800. exarato.

EPISTOLA GHAERBALDI (a) EPISCOPI LEODIENSIS, AD SUÆ DIOECESIS PRESBYTEROS,

Ut solliciti sint, populos suos docere Orationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum.

GHaerbaldus, Clementiâ Dei Episcopus, omnibus Presbyteris, qui infra parochia nostra consistunt, & Ecclesias Domini una nobiscum Deo auxiliante regunt, in Domino perpetuam optamus salutem.

Cognoscatis, quia Epistola *Domni & Serenissimi Imperatoris nostri ad nos venit*, quæ relicta in præsentiam nostram, ubi comperimus, quia Domnus noster existimat, nostram esse negligentiam, ut non adnunciemus populum pleniter de oratione Dominicâ, ut sciant, & symbolum, quod Apostoli docuerunt: & Domno nostro dictum est, quia nostra pigritia sit, qui Sacerdotes sumus in populo, & prædicare & docere populum debemus, qualiter per rectam fidem, & orationem, & opus bonum, ad cœlestia regna perveniant; & ex ea parte credo, quòd vestra aliquorum negligentia sit: propterea mandamus vobis, atque contestamur per tremendam omnipotentis Majestatem, ut negligentes de hac re ampliùs non existatis, sed pleniter cum omni studio, & omni diligentia, ut unusquisque vestrûm ad suam basilicam vel in quantascumque basilicas missarum solemnia celebrat, prædicare & commonere unusquisque juxta modum capacitatis suæ faciat de præcepto Dei omnipotentis, & verbo Domni nostri Imperatoris sui, & parvitatis nostræ, quia tantum pondus nobis suprapositum inter vos partire debemus, ut unusquisque orationem Dominicam, id est, *Pater noster, qui es in cœlis*, & reliqua, quæ sequuntur, & Symbolum, sicut docuerunt Sancti Apostoli, discere, & in memoriam retinere studeat, & ore proferre, quia sine fide impossibile est placere Deo, & opus bonum, & adnuncietis populo, quia hæc est arma, unde se contra diabolum defensare debent, & adversùm generis humani inimicum pugnare debent. Hæc est arma Spiritalis, in qua vincitur diabolus, & gaudent de victoriâ illi, qui cum ista arma pugnant, id est, rectam credulitatem, fidem & rationem, & opus bonum sufficiant ista vobis. Cæterùm, si vos aliquando de ista adnunciatione negligentes eritis, arcius & distinctius vos distringere debemus.

Mansi T. I. Supplementi p. 767.

Ex MSS. Andaginensis Monasterii S. Huberti in Ardenna.

(a) Anno DCCLXXXIV. Agilfridus Episcopus Leodiensis, Vir nobilis, præclarus, & in Caroli Magni Palatio nominatissimus obiit, sub quo Ecclesia Leodiensis multa acquisivit, sicut Privilegia à Carolo Rege concessa testantur. GERBALDUS vir nobilis & honestus ei successit. *Anselmus de gestis Pontificum Leodiensium. Cap. 33.*

Fortè hæc Epistola in Synodo Diœcesana promulgata fuit, quò majorem efficaciam suæ & Imperatoriæ monitioni tribueret.

GHAER-

GHAERBALDI

EPISCOPI LEODIENSIS,

INSTRUCTIO PASTORALIS AD GREGEM SUUM.

Ex MS. Andaginensi S. Huberti.

GHaerbaldus, (*a*) omnipotentis Dei misericordiâ Episcopus, omnibus Parochianis nostris in Pago Condrustinse, (*b*) Lomicensium, (*c*) Hasbaniensium, (*d*) Ardanensium, filiis charissimis, in Domino plurimam salutem.

Commune nobis votum communis prosequatur oratio; ut quod nos debitores sumus verbi Divini & prædicationis vobis impendere, vestra oratio suppleat; ut sicut dignum est, & Deo acceptabile, proferamus ad utilitatem & profectum animæ vestræ: quia commendatum gregem Christi, qui Christum diligit, pascat. Ergo, quia nobis sermo Divinus adhortatur & admonet, ut erga nobis commissos non pigro vigilemus affectu, sed incessanter, & præsenti conloquio, & scriptis commoneamus eos, qui nobis commissi sunt, qualiter ad perpetuam vitam tendere, & pervenire, omnipotenti Deo auxiliante, valeant;

I. Primum quidem omnium monere vos volumus, ut jam dudum prædicavimus ipsi, & prædicare jussimus, de Fide Catholica & oratione Dominica. Inter cætera, quæ vobis sæpe prædicavimus, primum omnium fidem rectam & orationem, qua Salvator discipulis orare instituit, & discipuli nobis commissam tradiderunt, exemplum orandi & credulitatis exemplum verbis paucis, sed in mysterio magnum, ubi salus nostra & spes omnium continetur. Est enim oratio Dominica, ubi dicimus: *Pater noster, qui es in cælis,* & cætera, quæ sequuntur. Symbolum verò, quod duodecim Apostoli, unusquisque versiculum suum edidit, sicut duodecim fuerunt Apostoli, duodecim versiculos ediderunt ad nostram fidem & credulitatem. Sicut unusquisque Christianus tenere & credere debet atque profiteri, & quod in baptismo fidejussor ejus promisit credere deberet, in his versiculis duodecim continetur, ubi salus nostra profiteri potuerit, ità ut corde credat & ore profiteatur, quia ùt ait Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem.* Ideo & unusquisque Christianus, qui profitetur se Deum credere, debet ore confiteri, quod corde credit, ut alii audiant, quomodo credat, & quomodo Deo fidelis sit: quia si dicit, se Deum credere, & ore non profitetur, quis scit, utrum fidelis, aut infidelis sit? Palam est, quod dicimus, & unusquisque vestrûm, qui servum habet, exemplo illius capere potest. Si servum quis habeat, & interroget eum, utrum ei fidelis sit; si tacet, & non respondet, utrum fidelis sit, Dominus non bene credit ei, antequam profiteatur se fidelem esse Domini sui; & post professionem fidelitatis; si non demonstratur in opere, non placet Domini solis verbis profiteri fidelitatem, si opus non sequatur, & in opere demonstretur, qualiter fidelis sui Domini existat servus. Quapropter de hac re vobis exhortationis & communionis nostræ causa pastoralis dereximus, ut amplius negligentia de vestra oratione, id est, Dominica, ubi diximus, *Pater noster, qui es in cælis,* & de Symbolo duodecim Apostolorum, quod inchoatur sic: *Credo in Deum Patrem omnipotentem,* & cæteri versiculi, qui sequuntur, ut diximus, negligentes non existatis. Sed omnes, sive majores, sive minores, sive viri, sive fœminæ, sive infantes, qui discere possunt, omnes discatis, & in memoriam retineatis: quia hæc est salus vestra, & spes vestra, & arma justitiæ.

II. Istud enim admonere & prædicare caritas Christi urget nos, & sollicitudo

(*a*) Ghaerbaldus, seu Gerbaldus, præfuit Ecclesiæ Leodiensi annis viginti quinque: obiit 808.
(*b*) Pagus Condrustinsis, est Condrusiorum Regio Cæsari nota, cujus caput Hoyum.
(*c*) Lomicensium pagus est tractus inter Mosam & Sabin jacens.
(*d*) Hasbaniæ in Brabantica caput Trudonopolis.
(*e*) Ardennæ vastissimus tractus per Leodium, Luxemburgum, Eyfaliam porrigitur.

tudo Domni, & Imperatoris nostri, qui circa omnem Religionem Ecclesiasticam solicitissimam curam prævigilat, & excitat pigritiam nostram, ut non dormiamus, sed vigilemus in custodia mandatorum Domini, & prædicationis officium unusquisque consideret, quis sit talis, unde Propheta loquitur: *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad Vesperam, ut vino æstuetis*, & cætera, *& opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Ad imaginem quippe Dei factus est homo, & unusquisque sublimitatem & nobilitatem conditionis humanæ considerare debet, quia ad imaginem Dei factus est, ut imaginem Dei, ad quam factus est, non faciat simile animalibus & pecoribus, qui nihil aliud quærunt, nisi quod terrenum est, id est, manducare, bibere, luxuriare, atque dormire. Illi, qui ad imaginem Dei facti sunt, discreti ab his sunt, qui sciunt rationem, & discretionem boni, & mali: neque de his solis, quæ videntur, cogitare debent, sed de his, quæ non videntur, & per fidem creduntur, & per spem exspectantur, id est, æterna. *Quæ autem videntur*, ait Apostolus, *temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Item Apostolus: *Est autem fides sperandarum substantia rerum non apparentium.* Quæ autem videmus, in præsenti sunt. Quæ autem non videmus, speramus, & per patientiam exspectamus. Ideóque non debetis ea sola sequi, quæ terrena, & negotiationis, atque ambitionis, terrenæ cupiditatis insistunt, sed ea, quæ æterna sunt, & finem non habent, id est, vitam futuri sæculi, & lucem æternæ beatitudinis; quam lucem, non istam, quæ corporeis oculis videmus, sed illam, quæ est Christus, qui dixit: *Ego sum Lux mundi*, nec illam lucem, quam cum pecoribus communiter videmus, sed illam lucem, quæ est Jerusalem cælestem, quæ est visio pacis, in quâ nulla perturbatio, sed summa pax & lux, ità ùt scriptum est: *Civitas illa non eget sole, neque luna, nam claritas Dei illuminabit illa, & lucerna ejus est Agnus*, id est, Christus. Illam vitam & illam lucem toto affectu, totâ mente, toto intellectu desiderare debetis, ut ad illam subvenire, & illam possidere possetis, protegente & adjuvante Domino Deo, & Salvatore nostro JESU CHRISTO, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Via enim illa, quâ illuc pervenitur, Christus est, qui dixit: *Ego sum via, & nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ideóque fides nostra vobis tenenda est, per quam veniamus ad viam, ut non erremus, sed per viam veniamus ad Patriam, ubi sinè perturbatione, & absque ulla anxietate perpetuò cum Domino & Sanctis ejus vivere possemus.

III. Hæc autem omnia, ut promereamur, fide & operatione instantissimâ pervenire debemus, quia fides sinè operibus otiosa est, & opus sinè fide inanis est: quia sinè fide impossibile est placere Deo, & fides sinè operibus inanis est. Et ideo in utrumque placere possumus Deo & fide cum operibus, & opus cum fide. Ideóque fides vera nobis tenenda est, per quam veniamus ad viam, ut non erremus, ut sit fides recta cum opere, & opus bonum cum fide. Unum sinè altero non valet, & ad fidem rectissimam, & ad orationem instantes, & ad opus bonum promptissimos vos solicitâ commonitione & prædicatione exhortor, ne fortè in vacuum curram, aut excurrissem in vobis. Sæpè enim prædicatione nostrâ, quamvis imperitus sermone, sed tamen solicitâ admonitione, prædicavimus in vobis verbum Domini. Unusquisque vestrûm videat, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut credo, quòd & habeam. Nam devotio vestra circa Ecclesias, & Conventus ad Missarum solemnia, & Vigilias, & luminaria Ecclesiæ, sufficienter vos promptos, & Deo devotissimos existere novimus, nam de oratione & credulitatis vestræ fide solicitiores & promptiores vos volumus esse. Nam & qui in posterum in Pascha & Pentecosten filios & filias de sacro fonte suscepturi sunt, sciant se orationem Dominicam, & fidem Symboli Apostolorum reddere rationem, ut sciamus, qualiter verus fidejussor sit unusquisque illius, quem suscepturus est à sacro fonte. *Igitur & qui dormiunt, nocte dormiunt; & qui inebriantur*, ait Apostolus, *nocte inebriantur. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, & vigilemus in orationibus.* Ante omnia autem in invicem caritatem habeamus, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Et vos in omni opere bono fructificantes perveniatis ad gloriam,

riam, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus se. His præmissis, moneo vos, sicut filiis charissimis, quia in omnibus carissimi nobis facti estis, ità ut sitis sinceres, & sine offensa, ùt ait Apostolus, repleti omnem fructum justitiæ in gloria & laudem Dei. Salutamus vobis iterum in Domino & Salvatore nostro JESU Christo perpetuam salutem.

Ex MS. Andaginensi S. Huberti ante annos 800. *exarato.*

Mansi T. I. Supplementi p. 763. 764. *&c.*

ANTIQUUM CAPITULARE,

PER MISSOS CAROLI MAGNI IMPERATORIS PROMULGATUM.

Ex MS. Andaginensis Monasterii S. Huberti ante annos 800. *exarato.*

Dilligendo nobis in Domino illo comiti, Hadalhardus, (*a*) Fulradus, (*b*) Unrocus, (*c*) Senhrocculfus missi Domni Imperatoris, in Domino salutem.

Non incognitum bonitati vestræ, qualiter Domnus Imperator in istis partibus injunctam nobis habuit legationem suam Radoni (*d*) scilicet, Fulrado & Unroco, ut nos, quantum voluissemus, & Dei & suam voluntatem in ipsa legatione agere decertaremus. Sed quia modo Rado ex parte infirmatus est, & hac vice in ipsa legatione, secundùm quod necesse est, ire non potest, placuit Domni Imperatori, ut Adalhardum & Hrocculfum in supra dicta legatione adjungeret, qualiter omnes pariter, secundùm quod tum ratio permittit, vel necessitas docet, sicut prædictum est, ad Dei & suam voluntatem peragendam decertando laboremus. Nos igitur in ipsa (*e*) lectione positi, idcirco ad vos hanc direximus Epistolam, ut vobis & ex parte Domni Imperatoris juberemus, & ex nostrâ parte exhortando precaremur, ut de omni re, quantum ad ministerium vestrum pertinet, tam ex his, quæ ad Dei cultum, quàmque ex his, quæ ad Domni nostri servitium, seu ad Christiani populi salvationem, vel custodiam pertinent, totis viribus agere studeatis. Præceptum est enim vobis omnino, & omnibus reliquis missis à Domno nostro, ut medio Apreli ei veraciter renunciemus, quid in regno suo ex his, quæ ipse in istis annis per missos suos fieri jussit, factum sit, vel quid dimissum sit, ut facientibus gratias condignas reddat, & non facientibus, secundùm quod ei placet, increpationes meritas rependat. Et quid plura vobis deinde dicere possumus? non vult omnino, nisi ut sic adimpletum ei nunciemus, sicut jussit, & quid exinde dimissum sit, & per cujus negligentiam dimissum sit. Nunc autem admonemus, ut capitularia vestra relegatis, & quæque vobis per verba commendata sunt, recolatis, & tale exinde certamen habere studeatis, pro quo & apud Deum mercedem, & apud ipsum magnum Dominum nostrum condignam retributionem suscipiatis.

I. Primò igitur inter cætera præcipimus, & admonemus, ut tam vos ipsi, quàmque omnes juniores, seu pagenses vestri Episcopo vestro hoc præsenti, seu per missum suum mandanti, per omnia, quantum ad suum Ministerium pertinet, obedientes sitis, & nullam exinde negligentiam habeatis: deinde & de justitiis Domni Imperatoris secundùm quod vobis vel scriptum, vel verbis est dictum, tale certamen habeatis, sicut vos exinde debitores esse cognocitis.

II. Deinde, ut justitias Ecclesiarum, vidua-

(*a*) Adalardus, Abbas Corbeiensis, Caroli Magni Patruelis, & Regni Italici sub Pippino Rege Administer.

(*b*) Fulradus, Abbas S. Quintini apud Augustam Veromanduorum, Adalardi Patruelis.

(*c*) Unrocus Comes, qui anno 811. interfuit pacto inter Carolum M., & Hemmingum Regem Danorum.

(*d*) Rado, Abbas Attebatensis S. Vedasti, & Caroli M. Cancellarius, obiit 815.

(*e*) *Fortè* legatione.

viduarum, orfanorum & reliquorum omnium finè ullo malo injufto pretio, vel finè ulla dilatione, aut non neceffaria ora (*f*) pleniter, & inreprehenfibiliter, & jufte, ac rectè per omnia faciatis, five ad vos ipfos, five ad juniores veftros, feu ad quemcunque hominem pertinet, ut exinde & apud Deum mercedem, & apud Dominum noftrum bonam recipiatis retributionem.

III. Deinde, ut quicunque vobis rebelles, aut inobedientes fuerint, & vobis nec fecundùm juftitiam aufcultare voluerint, inbreviate illos, quanticumque fuerint, & aut antea, fi neceffe fuerit, remandate, aut nobis ipfis, cùm in fimul fuerimus, dicite, ut exinde fecundùm quod Dominus nofter commendatum habet, faciamus.

IV. Deinde, ut hoc certiffimè provideatis, fi aliquid eft de omni illo mandato, five fecundùm Deum, five fecundùm fæculum, quod vobis Domni noftri, aut fcribendo aut dicendo commendatum eft, dubitetis, ut celeriter miffum veftrum bene intelligentem ad noftras perfonas mittatis, qualiter omnia & bene intelligatis, & adjuvante Domino bene perficiatis.

V. Deinde obfervate etiam valde, ne aut vos ipfi, aut aliquis, quantum vos prævidere poteftis, in veftro Minifterio in hoc malo ingenio deprehenfus fiat, ut dicatis: tacete, tacete, donec illi miffi tranfeant, & poftea faciamus nobis invicem juftitias: & per illam occafionem ipfæ juftitiæ aut remaneant, aut certè tardæ fiant; fed magis certate, ut antè factæ fiant, quàm nos veniamus ad vos.

VI. Nam fi tale aliquod malum ingenium inter vos factum fuerit, aut fi ipfæ juftitiæ, quas finè nobis facere poteftis, aut per negligentiam, aut per malitiam tamdiu retractæ fuerint, donec nos veniamus, fciatis certiffimè, quod grandem contra vos rationem habebimus.

VII. Deinde ut iftam Epiftolam & fæpius legatis, & bene falvam faciatis, ut ipfa inter nos, & vos in teftimonium fit, utrum fic factum habeatis, ficut ibi fcriptum eft, aut non habeatis.

(*f*) *Fortè* mora.

Manfi Tomo I. Supplementi pag. 759.
Crombach. in Metropol. Colon. MS. refert ad annum 802.
Adde vel conjunge Sirmondi Tomo II. Concil. pag. 230. *Titulum I. ex Capitulis Ecclefiafticis Carolinis pro bonore Epifcoporum.*
Baluzii Capitulare Imum anni 802. *Capitula data Miffis Dominicis anno fecundo Imperii.*

SYNODUS APUD AQUIS PALATIUM.

Anno Chrifti DCCCII. Leonis III. Papæ VIII. Caroli Imp. II.

ANNO DCCCII. recordatus piiffimus Carolus Imperator mifericordiæ fuæ de pauperibus, qui in univerfo ejus imperio erant, & juftitias pleniter habere non poterant: noluit de infra Palatio pauperibus Vaffos (*a*) transmittere (*b*) ad juftitias faciendum propter munera; fed elegit in Regno fuo Archi-Epifcopos & Abbates cum Ducibus & Comitibus, qui opus non habebant fuper innocentes munera accipere: & ipfos mifit per univerfum Regnum, ut Ecclefiis, viduis, orphanis, & pauperibus, & cuncto populo juftitiam facerent.

Annales Canigonenfes, & Anianenfes, & Lambeciani.
Chronicon Moyffiacenfe apud Baluzium in notis ad Capitularia Tomo II. pag. 1056.
Eckbart. rerum Franc. Tomo II. pag. 10. *Hanfitz. in Metrop. Salisburg. pag.* 117. 119. 806. 808.
Pagi in Critica ad hunc annum.

(*a*) Vassi, fideles servi, qui obsequium exhibenr Regi, vel Duci, vel Comiti. Vassi Dominici: Vasalli Regii: Droudi à voce Germanica, fideles, treue.

(*b*) Missi Dominici pro administranda Justitia per totum Imperium ab hoc anno secundo Imperii non erant soli Duces, vel Comites, sed mixti ex Clericis & Laicis: è Clericis Archi- & Episcopi, Abbates; è Laicis, Comites, Duces, & nobiliores Viri. Provincia, vel Regio, quæ Missis Dominicis assignabatur, vocabatur *Missaticus*, vel *Missaticum*.

His Missis dabantur Capitula, seu Monita, juxta quæ in Statum Ecclesiasticorum, Monachorum, & Monialium, & Laicorum inquirere debebant: quæ verò ipsimet definire non poterant, ad Regem, vel Imperatorem referenda erant.

Missorum hujusmodi Episcoporum & Comitum nomina, & Provincias lege apud *Baluzium*, *Eckhartum*, *Hansizium*, *Cointium* locis citatis.

CAPITULA DATA MISSIS DOMINICIS (*c*) ANNO SECUNDO IMPERII.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De Legatione à Domno Imperatore directa.*
2. *De Fidelitate promittenda Domno Imperatori.*
3. *Ut unusquisque se in servitio Dei conservare studeat.*
4. *De perjuriis cavendis.*
5. *De Ecclesiis, viduis, orphanis, & peregrinis.*
6. *Ut beneficium Domni Imperatoris nemo desertet.*
7. *De hoste pergendi.*
8. *Ut bannum Domni Imperatoris, aut censum nemo marrire præsumat.*
9. *De Justitia facienda.*
10. *Ut Episcopi & Presbyteri secundùm Canones vivant, & cæteros doceant.*
11. *De officio Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum erga subditos.*
12. *Ut Monachi, & Canonici, & Sanctimoniales secundùm Regulam vivant.*
13. *De Advocatis, Vicedominis, & centenariis Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum.*
14. *De concordia Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum cum comitibus.*
15. *Ut Abbates & Monachi subjecti sint Episcopis.*
16. *De ordinatione Clericorum, & Monachorum.*
17. *Ut Monachi secundùm regulam vivant.*
18. *Ut Monasteria puellarum firmiter observata sint.*
19. *Ut Episcopi, & alii Clerici canes ad venandum, aut acceptores non habeant.*
20. *Ut Abbatissæ, & Sanctimoniales intra claustra sua maneant, nec egrediantur absque licentia, & consilio Episcopi.*
21. *Ut Presbyteri Comitum Episcopis suis subjecti sint.*
22. *Ut Canonici pleniter vitam Canonicam observent.*
23. *Qualis debeat esse conversatio Clericorum, qui cum Presbyteris degunt.*
24. *Ne Presbyter, aut Diaconus mulieres in domo suâ habeat.*
25. *Ut Comites, & Centenarii Justitias faciant.*
26. *Ut Judices judicent secundùm legem.*
27. *De Hospitalitate.*
28. *Quam providentiam Comites, & Centenarii habere debeant erga Missos Dominicos.*
29. *De pauperibus non opprimendis.*
30. *De his, qui ad Imperatorem confugiunt.*
31. *De his, qui Justitiam Domni Imperatoris annuntiant.*
32. *De homicidiis cavendis, de compositione occisorum, & de pænitentia homicidarum.*
33. *De incestis puniendis. Et de Friccone, qui incestum in Sanctimoniali perpetravit.*
34. *Ut omnes parati sint, quandocunque Domnus Imperator jusserit.*
35. *De honore Episcoporum & Presbyterorum. Et de nuptiis illicitis.*
36. *Ut omnes Missis Dominicis consentientes sint ad Justitias faciendas. Et de perjurio cavendo.*
37. *De patricidis, & fratricidis, & de eorum pænitentia.*
38. *De illicitis & incestis conjunctionibus.*
39. *Ut nemo feramina furetur in forestibus Dominicis.*
40. *Capitula ad omnes generaliter.*
41. *Admonitio de Symbolo Fidei.*

INCI-

(*c*) Multoties Carolus & sequentes Imperarores delegârunt Episcopos cum Comitibus ad faciendas justitias in Regnis suis: Prima Missio instituta hoc anno 802. Aliæ aliis annis. Anno 853. Lotharius Imp. & Carolus Rex Valentianis varios missos Episcopos & Comites per Provinciae destinavit, *Eckhart. T. II. rerum Franc. pag.* 10. & 415.

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De Legatione à Domno Imperatore directa.

I.

SErenissimus igitur & Christianissimus Domnus Imperator Carolus elegit ex optimatibus suis prudentissimos, & sapientissimos viros, tam Archi-episcopos, quàm & reliquos Episcopos, simúlque & Abbates venerabiles, laicósque religiosos, & direxit in universum regnum suum, & per eos cunctis subsequentibus secundùm rectam legem vivere concessit. Ubi autem aliter, quàm rectè, & justè in lege aliquid esset constitutum, hoc diligentissimo animo exquirere jussit, & sibi innotescere, quod ipse donante DEO meliorare cupit. Et nemo per ingenium suum, vel astutiam præscriptam legem, ut multi solent, vel sibi suam justitiam marrire audeat, vel prævaleat, neque Ecclesiis DEI, neque pauperibus, nec viduis, nec pupillis, nullique homini Christiano. Sed omnes omnino secundùm Dei præceptum justa viverent rationem justo judicio, & unusquisque in suo proposito, vel professione unanimiter absque turpis lucris negotio pleniter observassent, Sanctimoniales sub diligenti custodia vitam suam custodirent, laici, & seculares rectè legibus suis uterentur absque fraude malignâ, omnes in invicem in caritate, & pace perfectè viverent, & ut ipsi missi diligenter perquirerent, ubicunque aliquis homo sibi injustitiam factam ab aliquo reclamâsset, sicut DEI omnipotentis gratiam ubi cupiant custodire, & fidelitatem sibi promissam conservare; ità ut omnino in omnibus ubicunque, sive in Sanctis Ecclesiis DEI, vel etiam pauperibus, pupillis, & viduis, atque cuncto populo legem pleniter, atque justitiam exhiberent secundùm voluntatem, & timorem DEI. Et si tale aliquid esset, quod ipsi per se cum Comitibus Provincialibus emendare, & justitiam reducere nequivissent, hoc absque ulla ambiguitate cum brebitariis suis ad suum referrent judicium; & per nullius hominis adulationem, vel præmium, nulliúsque consanguinitatis defensione, vel timore potentum, recta justitia impediretur ab aliquo.

De Fidelitate promittenda Domnò Imperatori.

II. Præcepitque, ut omnis homo in toto regno suo, sive Ecclesiasticus, sive laicus, unusquisque secundùm votum, & propositum suum, qui anteà sibi fidelitatem Regis nomine promisissent, nunc ipsum promissum hominis Cæsari faciat. Et ii, qui adhuc ipsum promissum non perfecerunt, omnes usque ad duodecimum ætatis annum similiter facerent. Et ut omnibus traderetur publicè, qualiter unusquisque intelligere posset magna in isto Sacramento, & quàm multa comprehensa sunt, non ut multi usque nunc existimaverunt, tantùm fidelitatem Domno Imperatori usque in vita ipsius: & ne aliquem inimicum in suum regnum causâ inimicitiæ inducat: & ne alicui infidelitate illius consentiant, aut retaciat; sed ut sciant omnes ista miserationem hoc Sacramentum habere.

Ut unusquisque se in servitio Dei conservare studeant.

III. Placuit, ut unusquisque ex persona propria se in Sancto Dei servitio secundùm DEI præceptum, & secundùm sponsionem suam pleniter conservare studeant secundùm intellectum & vires suas; quia ipse Domnus Imperator non omnibus singulariter necessariam potest exhibere curam, & disciplinam.

De perjuriis cavendis.

IV. Secundò, ut nullus homo neque cum perjuris, neque aliis ullo ingenio, vel fraude, per nullius umquam adolationem, vel præmium, neque servum Domni Imperatoris, neque terminum, neque terram, nihilque, quod jure potestativo permaneat, nullatenus contradicat, neque abstrahere audeat, vel celare. Et ut nemo fugativos fiscales suos, qui se injustè, & cum fraude liberos dicunt, celare, neque abstrahere cum perjurio, vel alio injenio præsumat.

De Ecclesiis, viduis, Orphanis, & peregrinis.

V. Ut Sanctis Ecclesiis Dei, neque Viduis, neque Orphanis, neque peregrinis fraudem, vel rapinam, vel aliquid inju-

injuriæ quis facere præsumat: quia ipse Domnus Imperator post Domini & Sanctorum ejus, quorum & protector, & defensor esse, constitutus est.

Ut beneficium Domini Imperatoris nemo desertet.

VI. Ut beneficium Domni Imperatoris desertare nemo audeat, propriam suam exinde construere.

De hoste pergendi.

VII. Ut hostile bannum Domni Imperatoris nemo prætermittere præsumat, nullusque Comes tam præsumptiosus sit, ut illum de his, qui hostem facere debiti sunt, exinde vel aliqua propinquatis defensionem, vel cujus muneris adolationem dimittere audeat.

Ut bannum Domni Imperatoris, aut censum nemo marrire præsumat.

VIII. Ut nullum bannum, vel præceptum Domni Imperatoris nullus omnino in nullo marrire præsumat, neque opus ejus stricare, vel impedire, vel minuere, vel in alio contrarius fieri voluntati, vel præceptis ejus. Et ut nemo debitum suum, vel censum marrire ausus sit.

De justitia facienda.

IX. Ut nemo in placito pro alio rationare usum habeat defensionem alterius injustè, sive pro cupiditate aliqua minus rationare valente, vel pro ingenio rationis suæ justum judicium marrire, vel rationem suam minùs valente opprimendi studio. Sed unusquisque pro suâ causâ, vel censu, vel debito rationem reddat, nisi aliquis sit infirmus, aut rationes nescius, pro quibus missi vel priores, qui in ipso placito sunt, vel Judex qui causam hujus rationis sciat, rationetur conplacito: vel si necessitas sit, talem personam largiatur, ut rationem, qui omnibus probabilis sit, & qui in ipsâ bene noverit causâ. Quod tamen omnino fiat secundùm convenientiam priorum, vel Missorum, qui præsentes adsunt. Quod & omnimodis secundùm justitiam legem fiat adque præmium, mercedem, vel aliquo malæ adulationis ingenio, vel defensione propinquitatis, ut nullatenus justitia quis marrire prævaleat. Et ut nemo aliquid alicui injustè consentiat; sed omni studio, & voluntate omnes ad justitiam perficiendam præparati sint. Hæc enim omnia supra dicta imperiali Sacramento observari debentur.

Ut Episcopi, & Presbyteri secundùm Canones vivant, & ceteros doceant.

X. Ut Episcopi, & Presbyteri secundùm Canones vivant, & ità ceteros doceant.

De Officio Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum erga subditos.

XI. Ut Episcopi, Abbates, atque Abbatissæ, qui ceteris prælati sunt, cum summa veneratione, ac diligentia subjectis sibi præesse studeant, non potentivâ Dominatione, vel tyrannide sibi subjectos premant, sed simplici dilectione cum mansuetudine, & caritate, vel exemplis bonorum operum commissum sibi gregem solicitè custodiant.

Ut Monachi, & Canonici, & Sanctimoniales secundùm regulam vivant.

XII. Ut Abbates, ubi Monachi sunt, pleniter cum Monachis secundùm regulam vivant, atque Canones diligenter discant, & observent. Similiter Abbatissæ faciant.

De Advocatis, Vice Dominis, & Centenariis Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum.

XIII. Ut Episcopi, Abbates, atq; Abbatissæ Advocatos, atque Vice Dominos, Centenariósque legem scientes, & justitiam diligentes, pacificósque, & mansuetos habeant, qualiter per illosq; Sanctæ Dei Ecclesiæ magis præceptum, vel merces adcrescat. Quia nullatenus neque præpositos neque Advocatos damnosos, & cupidos in Monasteria habere volumus, à quibus magìs nos blasphemia, vel detrimenta oriantur. Sed tales sint, quales eos Canonica, vel Regularis institutio fieri jubet, voluntati Dei subditos, & ad omnes justitiam perficiendi semper paratos, legem pleniter observantes absque fraude maligna, justum semper judicium in omnibus exercentes, præpositos vestros tales, quales sancta Regula fieri docet. Et hoc omnino observent, ut nullatenus à quibus magìs nobis à Canonica, vel regulari norma discendant, sed humilitatem in omnibus habeant. Si autem aliter præsumpserint, regularem disciplinam sentiant. Et si se emendare nolue-

noluerint, à præposito removeantur; & qui digni sunt, in loca eorum subrogentur.

De concordia Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum cum comitibus.

XIV. Ut Episcopi, Abbates, atque Abbatissæ, Comitésque unanimiter invicem sint consentientes legem ad judicium justum terminandum cum omni caritate, & concordia pacis, & ut fideliter vivant secundùm voluntatem Dei, ut semper, ubique, & propter illos, & inter illos justum judicium, ibique perficiantur pauperes, viduæ, orphani, & peregrini consolationem, & defensionem ab eis habeant; ut & nos per eorum bonam voluntatem magis præmium vitæ æternæ, quàm supplicium mereamur.

Ut Abbates, & Monachi subjecti sint Episcopis.

XV. Abbates autem, & Monachi omnimodis volumus, & præcipimus, ut Episcopis suis omni humilitate, & obedientia sint subjecti, sicut Canonica constitutio mandat. Et omnes Ecclesiæ, atque basilicæ in Ecclesiastica defensione, & potestate permaneant. Et de rebus ipsius basilicæ nemo ausus sit in divisione, aut in sorte mittere. Et quod semel offeritur, non revolvatur, & sanctificat & vindicet. Et si autem aliter præsumpserit, præsolvatur, & bannum nostrum componat: & Monachi ab Episcopo Provinciæ ipsius corripiantur. Quod si se non emendent, tunc Archi-episcopus eos ad Synodum convocet. Et si neque sic se correxerint, tunc ad nostram præsentiam simul cum Episcopo suo veniant.

De ordinatione Clericorum, & Monachorum.

XVI. De ordinatione eligenda, ut Domnus Imperator jam olim ad Francorum banno concessit, ut Episcopi Abbatibus; ità etiam nunc & firmavit; eo tamen tenore, ut neque Episcopus, neque Abbas in Monasterio viliores meliori plus diligat, & eum propter consanguinitatem suam, vel aliqua adolationem melioribus suis præferre studeat, & talem nobis ducit ordinandum, cùm meliorem eo habet occultatum, & oppressum. Quod nequaquam fieri volumus: quia inrisio, & delusio nostra hoc fieri videtur. Sed tales in Monasteriis nutriantur ad ordinandum, in quibus & nobis merces, & profectus adcrescat commendatoribus suis.

Ut Monachi secundùm Regulam vivant.

XVII. Monachi autem, ut firmiter, ac fortiter secundùm Regulam vivant; quia displicere Deo novimus, quisquis in sua voluntate tepidus est, testante Joanne in Apocalypsin: *Utinam calidus esses, aut frigidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Sæcularem sibi negligentiam nullatenus usurpent. Foris Monasterio nequaquam progrediendi licentiam habeant, nisi maximâ cogente necessitate. Quod tamen Episcopus, in cujus Diœcesi erunt, omnino procuret, ne foris Monasterio vagandi usum habeant, sed si necessitas sit, ad aliquam obedientiam aliquem foris pergere, & hoc cum consilio, & consensu Episcopi fiat: & tales personæ cùm testimonium foris mittantur, in quibus nulla sit suspitio mala, vel à quibus nulla opinio mala oriatur. Foris verò peculium, vel res Monasterii sui Abbas cum Episcopi sui licentia, & consilio ordinet, qui provideat, non Monachum, nisi alium fidelem. Quæstum verò sæcularem, vel concupiscentiam mundanarum rerum omnibus modis devitent, quia avaritia, vel concupiscentia hujus mundi omnibus est evitanda Christianis, maximè tamen his, qui mundo & concupiscentiis abrenuntiâsse videntur. Lites, & contentiones nequaquam neque infra, neque foris Monasterio movere præsumant. Qui autem præsumpserint, gravissimâ disciplinâ regulari corripiantur, ut taliter cæteri metum habeant talia perpetrandi. Ebrietatem & commessationem omnino fugiant, quia inde libidine maximè polluari omnibus notum est. Nam pervenit ad aures nostras opinio pernitiosissima, in fornicatione, & abominatione, & inmunditia multos jam in Monasteriis esse deprehensos, maximè contristat & conturbat, quod sinè horrore magno dici non potest, ut inde maximam spem salutis omnibus Christianis oriri crederent, id est, de vita, & castitate Monachorum, in tantum, ut aliquis ex Monachis Sodomitas esse auditum. Unde rogamus, & contestamur, ut certissimè ampliùs ex his diebus omni custodiâ se

ex

ex his malis conſervare ſtudeant, ut nunquam ampliùs tale quid ad noſtras aures perveniat. Et hoc omnibus notum ſit, quia nullatenus injuſta mala in nullo loco ampliùs in toto Regno noſtro conſentire audeamus, quantò minùs inter eos, quos caſtitatis, & ſanctimoniæ emendatioris eſſe cupimus. Certè amplius quid tale ad noſtras aures pervenerit, non ſolùm in eos, ſed etiam & in cæteros, qui talia conſentiant, talem ultionem facimus, ut nullus Chriſtianus, qui hoc audierit, nullatenus tale quid perpetrare ampliùs præſumpſerit.

Ut Monaſteria puellarum firmiter obſervata ſint.

XVIII. Monaſteria puellarum firmiter obſervata ſint, & nequaquam vagare ſinantur, ſed cum omni diligentia conſerventur: neque litigationes, vel contentiones inter ſe movere præſumant, neq; in ullo Magiſtris, & Abbatiſſis inobedientes, vel contrariæ fieri audeant. Ubi autem regulares ſunt, omnino ſecundùm regulam obſervent. Non fornicationi deditæ, non ebrietati, non cupiditati ſervientes, ſed omnimodis juſtè, & ſobriè vivant. Et ut in Clauſtra, vel Monaſterium earum vir nullus intret, niſi ad Miſſam tantùm & ſtatim exeat. Et ut nemo alterius filiam ſuam in congregationem Sanctimonialium recipiat abſque notitia, vel conſideratione Epiſcopi, ad cujus Diœceſim pertinet locus ille; & ut ipſe diligenter exquirat, qualiter in Sancto Dei ſervitio permanere cupiat, & ſtabilitatem ſuam ibidem firmare, vel profeſſionem. Ancillæ autem aliorum hominum, vel tales fœminæ, quæ ſecundùm morem converſationis in ſancta congregatione vivere nolunt, omnes pleniter de congregatione ejiciantur.

Ut Epiſcopi, & alii Clerici canes ad venandum, aut acceptores non habeant.

XIX. Ut Epiſcopi, Abbates, Presbyteri, Diaconi, nulluſque ex omni Clero canes ad venandum, aut acceptores, falcones, ſeu ſparvarios habere præſumant; ſed pleniter ſe unusquisque in ordine ſuo Canonicè vel regulariter cuſtodiant. Qui autem præſumpſerit, ſciat unusquiſque honorem ſuum perdere. Cæteri verò tale exinde damnum patiantur, ut reliqui metum habeant talia ſibi uſurpare.

Ut Abbatiſſæ, & ſanctimoniales intra clauſtra ſua maneant, nec egrediantur abſque licentia, & conſilio Epiſcopi.

XX. Ut Abbatiſſæ unà cum ſanctimonialibus ſuis unanimiter, ac diligenter intra clauſtra ſe cuſtodiant, & nullatenus foris clauſtra ire præſumant. Sed Abbatiſſæ cùm propter aliquas de ſanctimonialibus dirigere, hoc nequaquam abſque licentia, & conſilio Epiſcopi ſui faciant. Similiter & cum ordinationem aliquam in Monaſteriis agere debeant, vel aliquas Monaſteriis receptiones facere, & hoc cum Epiſcopis ſuis pleniter antea retractent; & quod ſalubrius, vel utilius fieri diſponat, Epiſcopi Archiepiſcopo annuntient, & cum ejus conſilio, quæ agenda ſunt, perficiantur.

Ut Presbyteri Comitum Epiſcopis ſuis ſubjecti ſint.

XXI. Ut Presbyteros, ac ceteros Canonicos, quos Comites ſuis in Miniſteriis habent, omnino eos Epiſcopis ſuis ſubjectos exhibeant, ut Canonica inſtitutio jubet, & his Epiſcopis ſuis pleniter ſub ſancta diſciplina eos erudire ſint conſentientes, ſicut noſtram gratiam, vel ſuos honores habere deſiderant.

Ut Canonici pleniter vitam Canonicam obſervent.

XXII. Canonici autem pleniter vitam Canonicam obſervent, & in DOMO Epiſcopali, vel etiam in Monaſterio cum omni diligentia ſecundùm Canonicam diſciplinam erudiantur. Nequaquam foris vagare ſinantur, ſed ſub omni cuſtodia vivant non turpis lucri dediti, non fornicarii, non fures, non homicidæ, non raptores, non litigioſi, non iracundi, non elati, non ebrioſi; ſed caſti corde, & corpore, humiles, modeſti, ſobrii, manſueti, pacifici, ut Filii Dei digni ſint ad ſacros ordines promoveri: non per vicos, neque per villas ad Eccleſiam vicini, vel terminantes ſinè magiſterio, vel diſciplina, qui Sarabaïti dicuntur, luxoriando, vel fornicando, vel etiam cetera iniqua operando, quæ conſentiri abſurdum eſt.

Qualis debeat eſſe converſatio Clericorum, qui cum Presbyteris degunt.

XXIII. Presbyteri Clericos, quos ſecum habent, ſolicitè prævideant, ut Canonicè vivant, non inanis luſibus, vel

vel conviviis fecularibus, vel canticis, vel luxuriofis ufum habeant; fed caftè & fobriè vivant.

Ne Presbyter aut Diaconus mulieres in Domo fuâ habeat.

XXIV. Si quis autem Presbyter, five Diaconus poft hoc in Domo fua fecum mulieres extra Canonicam licentiam habere præfumpferit, honorem fimul & hæreditatem privet utriúfque ad noftram præfentiam.

Ut Comites & Centenarii Juftitias faciant.

XXV. Ut Comites & Centenarii omnes ad juftitiam faciendam compellant, & juniores tales in Minifteriis fuis habeant, in quibus fecuri confidant, quia legem atque juftitiam fideliter obfervent, pauperes nequaquam opprimeant, fures, latronésque, & homicidas, adulteros, maleficos, atque incantatores, vel auguratrices, omnésque facrilegos, nulla adulatione, vel præmio, nullóque fub tegimine celare audeant; fed magis prodere, ut emendentur, & caftigentur fecundùm legem, ut Deo largiente omnia hæc mala à Chriftiano populo auferantur.

Ut judices judicent fecundùm legem.

XXVI. Ut judices fecundùm fcriptam legem juftè judicent, non fecundùm arbitrium fuum.

De Hofpitalitate.

XXVII. Præcipimúfque, ut in omni regno noftro neque dives, neque pauper, peregrinis hofpitia denegare audeant, id eft, five peregrinis, propter Deum ambulantibus per terram, five cuilibet iteranti propter amorem Dei, & propter falutem animæ fuæ, tectum, & focum, aquam nemo illi deneget: fi autem amplius eis aliquis boni facere voluerit, à Deo fibi fciant retributionem optimam, ut ipfe dixit: *Qui autem fufceperit unum parvulum propter me, me fufcipit:* Et alibi: *Hofpes fui, & fufcepiftis me.*

Quam providentiam Comites, & Centenarii habere debeant erga Miffos Dominicos.

XXVIII. De legationibus à Domino Imperatore venientibus, Miffis directis, ut Comites, & Centenarii prævideant omni follicitudine, ficut gratiam Domini Imperatoris cupiunt, ut abfque ullum (*a*) ort eant per Minifteria eorum, omnibufque omnino præcipiant, qui hoc debiti funt, prævidere, ut nullam moram nufquam patiantur; fed cum omni feftinatione eos faciant ire viam fuam, & taliter providentiam fuam habeant, ut Miffi noftri difponant.

De pauperibus non opprimendis.

XXIX. De pauperibus verò, qui in fuâ Eleëmofyna Domnus Imperator concedit, qui pro banno fuo folvere debent; ut eos Judices, Comites, vel Miffi noftri, pro conceffo non habeant conftringere pro arte fua.

De his, qui ad Imperatorem confugiunt.

XXX. De his, quos vult Domnus Imperator, Chrifto propitio, ut pacem ac defenfionem habeant in regno fuo, id funt, qui ad fuam Clementiam feftinant, aliquid nuntiare cupientes, five ex Chriftianis, five ex paganis, aut propter inopiam, vel propter famem, fuffragantiam quærunt; ut nullus eos fibi fervitio conftringere, vel ufurpare audeat, neque alienare, neque vendere; fed ubi fponte manere voluerint, fub defenfione Domni Imperatoris, ibi habeant fuffragia in fua Eleëmofyna. Si quis hoc transgredere præfumpferit, fciat fe exinde damnum pati vitam præfumptiofus difpofitum juffa Domnum Imperator.

De his, qui juftitiam Domni Imperatoris annuntiant.

XXXI. Ut his, qui juftitiam Domni Imperatoris annuntiant, nihil læfionis vel injuriæ quis machinare præfumat, neque aliquid inimicitiæ contra eos movere. Qui autem præfumpferit, bannum Dominicum folvat. Vel fi majoris debiti reus fit, ad fuam præfentiam perduci, juffum eft.

De Homicidiis cavendis, de compofitione occiforum, & de pænitentia homicidarum.

XXXII. Homicidia, pro quibus multitudo perit populi Chriftiani, omni conteftatione deferere ac vetare mandamus; quia ipfe Dominus odia, & inimicitias fuis fidelibus contradixit, multò magis homicidia; quomodo enim fibi Deum placatum fore confidit, qui filium fuum, proximum fibi, occiderit. Qualiter

(*a*) *Fortè* ullâ morâ.

liter verò Christum Dominum sibi propitium esse arbitretur, qui fratrem suum interfecerit? Magnum quoque & inhabitaculum periculum est, cum Deo Patre, & Christo, cœli, terræ Dominatore, inimicitias hominum movere, quos aliquid tempus latitando effugere potest, sed tamen casu aliquando in manus inimicorum suorum incidit; Deum autem ubi effugere valet, cui omnia secreta manifesta sunt, qui temeritatem ejus ira quis extimat de re. Quapropter ne populus nobis ad regendum commissus hoc malo pereat, hoc omni disciplina devitare prævidimus, quia nos nullo modo placatum, vel propitium habebit, qui sibi Deum iratum non formidaverit. Sed sævissima districtione vindicare volumus in eum, qui malum homicidii ausus fuerit perpetrare. Tamen ne peccatum adcrescat, & inimicitia maxima inter Christianos non fiat, vel suadente diabolo homicidia contingant, statim reus ad suam emendationem recurrat, totáque celeritate perpetratum malum ad propinquos extincti dignâ compositione emendet. Et hoc firmiter bannimus, ut parentes interfecti nequaquam inimicitiam super commissum malum adaugere audeant, neque pacem fieri petenti denegare, sed datâ fide paratam compositionem recipere, & pacem perpetuam reddere, verùm autem nullam moram compositionis facere. Ubi autem hoc peccatorum merito contingerit; ut quis vel fratres, vel propinquum suum occiderit, statim se ad pœnitentiam sibi compositam sumit, & ità, ut Episcopus ejus sibi disponat absque ulla ambiguitate, sed juvante Domino perficere suum remedium studeat, & componat occisum secundum legem, & cum propinquis suis se omnino complaceat, & datâ fide nullam inimicitiam exinde movere nemo audeat. Qui autem dignam emendationem facere contempserit, hereditate privetur usque ad judicium nostrum.

De Incestis puniendis, & de Friccone, qui incestum in Sanctimoniali perpetravit.

XXXIII. Incestuosum scelus omnino prohibemus. Si quis autem nefanda fornicatione contaminatus fuerit, nullatenus sine districtione gravi relaxetur; sed taliter ex hoc corripiatur, ut ceteri metum habeant talia perpetrandi, ut auferatur penitus immunditia à populo Christiano, & ut reus ex hoc per pœnitentia amittat pleniter, sicut ei ab Episcopo suo disponatur, & eadem femina in manus parentum sit constituta usque ad judicium nostrum. Si autem judicium Episcopi ad suam emendationem consentire noluerit, tunc ad nostram præsentiam perducatur. Memores exempli, quod de incesto factum est, quod Fricco perpetravit in Sanctimoniali Dei.

Ut omnes parati sint, quandocunque Dominus Imperator jusserit.

XXXIV. Ut omnes pleniter bene parati sint, quandocunque jussio nostra, vel annuntiatio advenerit. Si quis autem tunc se imparatum dixerit, & præterierit mandatum, ad palatium perducatur; & non solùm ille, sed etiam omnes, qui bannum, vel præceptum nostrum transgredere præsumunt.

De Honore Episcoporum, & Presbyterorum, & de nuptiis illicitis.

XXXV. Ut omnes omnino Episcopos, & Presbyteros suos omni honore venerentur in servitio, & voluntate Dei; & ne incestis nuptiis, & se ipsos & ceteros maculare audeant; conjunctiones facere non præsumant, antequam Episcopi, Presbyteri, cum senioribus populi consanguinitatem conjungentium diligenter exquirant. Et tunc cum benedictione jungantur. Ebrietatem devitent, rapacitatem fugiant, furtum non faciant; lites, & contentiones, atque blasphemia, sive in conviviis, sive in conplacito omnino devitentur, sed cum caritate & concordia vivant.

Ut omnes Missis Dominicis consentientes sint ad justitias faciendas, & de perjurio cavendo.

XXXVI. Et ut omnes omnino ad omnem justitiam exequendam Missis nostris sint consentientes, & usum perjurii omnino non permittant; quia hoc pessimum scelus Christiano populo auferri necesse est. Si quis autem post hoc in perjurio probatus fuerit, manum dextera semper derescat, tamen hæreditate propriâ priventur usque ad nostrum judicium.

De

De Patricidis, & Fratricidis, & de eorum pœnitentia.

XXXVII. Ut hii, qui patricidia; vel fratricidia fecerint: Avunculum, Patruum, vel aliquem ex propinquis occiderint, & judicium Episcoporum, Presbyterorum, ceterorúmque judicium obedire, & consentire noluerint; quod ad salutem animæ suæ, justumque judicium solvendum Missi nostri, Comites in Italia custodiâ coarcent: ut salvi sint, nec ceterum populum coinquinent, usque dum in nostra præsentia perducantur, & de res proprias suas interim nihil habeant.

De illicitis, & incestis conjunctionibus.

XXXVIII. Similiter & his fiat, qui inlicitis & incestis conjunctionibus reprehensi sunt correpti, & nec se emendare volunt, neque Episcopis, nec Presbyteris suis obtemperare, & bannum nostrum præsumunt contemnere.

Ut nemo feramina furetur in forestribus Dominicis.

XXXIV. Ut in forestes nostras feramina nostra nemo furari audeat, quod jam multis vicibus fieri contradiximus, & nunc iterum bannimus firmiter, ut nemo ampliùs faciat, sicut fidelitatem nobis promissam unusquisque conservare cupiat, itâ sibi caveat. Si quis autem Comes, vel Centenarius, aut Bassus noster, aut aliquis de ministerialibus nostris feramina nostra furaverit, omnino ad nostram præsentiam perducantur ad rationem. Ceteris autem vulgis, qui ipsum furtum de feraminibus fecerit, omnino, quod justum est, componat, nullatenúsque eis exinde aliquid relaxetur. Si quis autem scierit alicui perpetratum, in ea fidelitate conservata, quam nobis promiserunt, & nunc promittere habent, nullus hoc celare audeat.

Capitula ad omnes generaliter.

XL. Novissimè igitur ex omnibus decretis nostris nôsse cupimus in universo regno nostro, Missos nostros nunc directos, sive inter Ecclesiasticos viros, Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diaconos, Canonicos, omnes Monachos, sive Sanctimoniales, qualiter unusquisque in suo Ministerio, vel professione nostra bannum vel decretum habeat conservatum, vel ubi civibus ex his dignum sit, ex bona voluntate sua gratias agere, vel adjutoria impendere, vel, ubi aliquid adhuc necessitatis, emendare. Similiter autem laicos, & in omnibus ubicunque locis. Si de mundeburde Sanctarum Ecclesiarum, vel etiam viduarum, & orphanorum, seu minimum potentium, atque rapina, nec non de exercitali placito instituto, & super ipsis causis, qualiter præcepto, vel voluntati nostræ sint obedientes, vel etiam qualiter bannum nostrum habeant conservatum, qualiterque super omnia unusquisque certamen habeat in sancto servitio seipsum custodire. Et si hæc omnia bona, & bene sunt ad Dei omnipotentis laudem, ei gratias referamus, ut dignum est. Ubi autem aliquid malum esse credimus, sic ad emendandum omne studio, & voluntate certamen habeamus, ut cum Dei adjutorio hoc ad emendationem perducamus, & ad nostram æternam mercedem, & omnium fidelium nostrorum. Similiter & de Comitibus & Centenariis ministerialibus nostris inter nos omnia supradicta esse cupimus feliciter.

Admonitio de Symbolo fidei.

XLI. Audite fratres dilectissimi! pro salute vestra hunc Missum, ut ammoneamus vos, quomodo secundùm Deum justè & benè vivatis, & hoc secundùm cum justitia, & cum misericordia converseruur. Ammonemus vos in primis, ut credatis unum Deum Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Hic est unus Deus & verus, perfecta Trinitas, & vera unitas. Deus, creator omnium bonorum nostrorum. Credite Filium Dei, pro salute mundi hominem factum, natum de Spiritu Sancto, & Virgine Maria. Credite, quòd pro nostra salute mortem passus est, & tertiâ die surrexit à mortuis, ascendit in cœlo, sedet ad dexteram Dei. Credite eum venturum ad judicandos vivos, & mortuos, & nunc reddet unicuique secundùm opera sua. Credite unam Ecclesiam, id est, congregationem bonorum hominum per totum orbem terræ. Et scitote, qui illi soli salvi esse poterunt, & illi soli ad regnum Dei pertinent, qui in istius Ecclesiæ sedis & communione, & charitate perseverant.

Baluz. Tomo I. Capitularium à pag. 361. *ad* 376.

SYNO-



SYNODUS WORMATIENSIS.

TITULUS I.

DE IMMUNITATE SACERDOTUM à BELLO.

SUPPLICATIO POPULI APUD CAROLUM MAGNUM PRO SACERDOTUM CAUSA, NE IN HOSTEM, AUT PUGNAM PERGERENT.

Ex Capitulis Wormatiæ (a) Decretis.

Flexis (a) omnes precamur poplitibus Majestatem vestram, ut Episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus, sed quando nos, vósque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in Parochiis, Deóque fideliter famulari studeant, & eorum Sacrosancta Mysteria Canonicè, & Deo placitè, peragere satagant, atque pro vobis, & euncto exercitu vestro, unà cum omnibus sibi commissis orare viriliter, Missásque decantare, & Litanias atque Eleëmosynas facere decertent. Quosdam enim ex eis in hostibus, & præliis vulneratos vidimus, & quosdam periisse cognovimus. Hæc verò valde periculosa, & oppidò sunt cavenda, quæ ideirco fugerimus, ne pro talibus vos, & nos simul pereamus. Novit Dominus, quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, & quidam ex nostris timore perterriti, propter hoc fugere, & inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere præliatores, si illi propriis resident in Parochiis, quàm si vobiscum pergunt: quoniam illi, qui eos prævident, omnes tunc pugnabunt, quod modò nequaquam faciunt, sed eos tantummodo custodiunt. Nam sine dubio potiùs vobis, nobísque proficere possunt, si remanserint, quàm si in hostèm, vel ad pugnam perrexerint, quia tunc eorum precibus adjuvamur, & modò eorum pressuris gravamur. Quando verò Moyses expansis ad Cœlum manibus orabat, vincebat Israël, & quando à precibus cessabat, & manus ejus gravabantur, priusquam sustentatæ fierent, & ipse precibus insisteret, vincebatur, & terga vertebat. Talibus ergò, & multis aliis exemplis fulti, quorum prolixitatem vitantes modò non dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt; prædicta, obnixè omnes precamur, & ut concedantur, rogamus: quia nullatenus volumus assentire, ut nobiscum ad talia pergant, nisi duo, aut tres benè docti, electione videlicet cæterorum, ad benedictionem dandam, vel ad periclitantium reconciliationem faciendam; ne vos & nos simul cum pluribus pereamus, sed eorum precibus, ut jam memoratum est, fulciamur. Quam formam & de Sacerdotibus tenere optamus: id est, ut nec illi in hostem, nisi bene docti, & ipsi electione, atque permissione propriorum Episcoporum, qui tamen tales sint, de quorum scientia & vita, ac conversatione omnes securi esse possimus. Illud tamen vobis & omnibus scire cupimus, quod non propterea hæc petimus, ut eorum res, aut aliquid ex eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte nob's dare placuerit, aut eorum Ecclesias viduari cupiamus: sed magis eis, si Dominus posse dederit, augere desideramus: ut & ipsi, & vos, & nos salviores simus, & Deo potiùs, ipso adminiculante, placere mereamur. Scimus enim, res Ecclesiæ Deo esse sacratas: scimus, eas esse oblationes fidelium, & pretia peccatorum. Quapropter si quis eas ab Ecclesiis, quibus à fidelibus collatæ, Deóque sacratæ sunt, aufert, procul dubio sacrilegium committit; cæcus enim est, qui ista non videt. Quisquis ergo nostrûm suas res Ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert, atque dedicat, suisque Sanctis, & non alteri, dicendo talia, & agendo ità. Facit enim Scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat; & ipsam Scripturam coram Altari, aut suprà, tenet in manu, dicens ejusmodi loci Sacerdotibus, atque Custodibus: Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in

[a] Lindenbrogius L. VI. Capitul. hoc Cap. CCLXXXV. refert ex Capitulis Conventus Wormatiensis.

(b) Sirmondus hæc recitat inter Capitula selecta Ecclesiastica ab anno 768. ad 814. edita à Carolo, tum Rege, tum Imperatore. Secuti sunt eum alii Synodographi. Nos quærimus Canones & Capitula ad Synodos suas referre, quantum fas est. Hinc ea, quæ certæ invenimus attributa Synodo ad eam, ejúsque annuos deferimus.

in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac Parentum, & filiorum, aut pro quocunque illas Deo liberare voluerit, ad serviendum ex his Deo in Sacrificiis, Missarúmque solemniis, orationibus, luminariis, pauperum, ac Clericorum alimoniis, & cæteris Divinis Cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Siquis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, districtissimas reddat rationes. Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas inde posteà aufert, quid agit nisi sacrilegium? Si ergo amico quidpiam rapere furtum est, Ecclesiæ verò fraudari vel auferri indubitanter sacrilegium est. Unde & in Sacris Canonibus, Spiritu Dei conditis, habetur ità: siquis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere, vel dare voluerit, præter Episcopi conscientiam, vel ejus, cui hujuscemodi sunt officia commissa, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Absit enim, ut rerum Ecclesiarum cupiditate, vel ablatione sacrilegi, aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis unquam devinciamur: quoniam scimus, anathematizatos homines, vel sacrilegos, non solùm infames, & à consortio fidelium, priusquam hæc per publicam satisfactionem Ecclesiæ, & Episcoporum reconciliationem, manúsque impositionem emendent, alienos esse; sed etiam à Regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Ut ergo omnis suspicio à nobis, cunctis Sacerdotibus, & omnibus Christi, & Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus funditus auferatur, profitemur, omnes stipulas dextris in manibus tenentes, easque propriis è manibus ejicientes coram Deo, & Angelis ejus, ac vobis, cunctísque Sacerdotibus, & populis circumstantibus, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magìs Deo auxiliante resistere. Et hoc vobis, omnibúsque Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris notum esse cupimus, quòd cum his, qui absque voluntate, aut consensu, vel datione Rectoris illius Ecclesiæ, cui istæ res justè esse debentur, & maximè proprii Episcopi, res Ecclesiæ à Regibus petere, aut retentare, vel auferre, aut invadere, vel vastare præsumpserint, nec in hostem, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam, vel ad Palatium, aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut Caballos, vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus, aut ad pastum ire, aut simul habitare, vel manere, nec ullam participationem cum eis, nisi pro emendatione, ante publicam emendationem, & Ecclesiæ satisfactionem, unquam scienter, aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus, atque flagitiis, unà cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim, quia perit justus pro impio. Tales verò à nobis, si nos fideles habere vultis, segregate, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Ut ergo hæc omnia à vobis & à nobis, sive à successoribus vestris & nostris, futuris temporibus absque ulla dissimulatione conserventur, scriptis Ecclesiasticis inserere jubete, & inter vestra Capitula interpolare præcipite.

CAPUT II.

Concessio Domni Caroli Imperatoris, ne Episcopi ad bella pergant.

Omnibus (d) notum esse volumus, quia non solùm ea; quæ super Episcoporum, & Presbyterorum hostium vexationibus, & precibus pro nobis, & vobis fieri rogitâstis, concedere optamus: sed quidquid pro Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Sacerdotum, sive totius populi, & vestra utilitate inveneritis, concedere paratissimi sumus, & modò ista, sicut petistis, concedimus: & quando vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, sicut petiistis, consultu omnium Fidelium nostrorum scriptis firmare nostris, nostrorúmque, atque futuris temporibus irrefragabiliter manenda firmissimè, Domino adminiculante, cupimus. Modò ea, quæ generalia sunt, & omnibus conveniunt ordinibus, statuere, ac cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque Fidelibus, ob Dei omnipotentis amorem & recordationem tradere parati sumus, & ad proximum Synodalem nostrum Conventum, ac generale placitum, ubi plures Episcopi, & Comites convenerint, ista, sicut postulâstis, firmabimus.

(d) Capitularium L. VI. Cap. CCLXXXVI. Edition. Lindenbrogii.

CAPUT III.

Decretum Domni Caroli Regis Francorum, ut Servi Dei neque in hostem pergant, neque armaturam bajulent.

Carolus gratiâ Dei Rex, Regnique Francorum Rector, (*e*) & devotus Sanctæ Ecclesiæ Defensor, atque Adjutor in omnibus, Apostolicæ Sedis hortatu, omniúmque fidelium nostrorum, & maximè Episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum consultu, Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere, omnino prohibemus; nisi illi tantummodo, qui propter Divinum Ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum Patrocinia portanda, ad hoc electi sunt, id est, unum, vel duos Episcopos cum Capellanis, Presbyteris, Princeps secum habeat, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit.

CAPUT IV.

De hoste & pugna, atque armis Sacerdotibus prohibitis.

Secundâ vice propter ampliorem observantiam, Apostolica auctoritate, & multorum, Sanctorum Episcoporum admonitione instructi, Sanctorúmque Canonum Regulis edocti, consultu videlicet omnium Nobilium nostrorum, nosmetipsos cotrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus, ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo, vel tres tantùm Episcopi, electione cæterorum, propter benedictionem,& prædicationem, populique reconciliationem; & cum illis electi Sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere, & hoc maximè providere, ne sinè viatico quis de Sæculo recedat. Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum, vel agitatores fiant: sed tantùm Sanctorum pignora, & Sacra Ministeria ferant, & orationibus pro viribus insistant: ut populus, qui pugnare debet, auxiliante Domino, victor existat, & non sit Sacerdos, sicut populus. Reliqui verò, qui ad Ecclesias suas remanent, suos homines bene armatos nobiscum, aut, cum quibus jusserimus, dirigant: & ipsi pro nobis, & cuncto exercitu nostro, Missas, Litanias, Oblationes, Eleemosynas faciant, orantes Deum cœli, ut proficiamus in itinere, quo pergimus, victorésque, Deo adminiculante, exsistamus. Gentes enim & Reges earum, quæ Sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt: quia non erat differentia inter Laicos & Sacerdotes, quibus pugnare non est licitum. Hæc verò Galliarum, Spaniarum, Longobardorum, nonnullásque alias gentes, & Reges earum fecisse cognovimus, qui propter prædictum nefandissimum scelus, nec victores extiterunt, nec Patrias retinuerunt. Quam foveam caventes, malumus cum paucis, & licitis, Domino opem ferente, victores existere, quàm cum multis, & illicitis terga, quod absit, vertere, & cum prædictis gentibus perire. Qualis enim Victoria datur, ubi Sacerdotes unâ horâ Dominica pertractant Ministeria, & Christianis Dominicum porrigunt Corpus pro suarum animarum redemptione, & post Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut Paganos, quibus Christum prædicare, propriis, sacrilegisque manibus necant? Præcipuè, dicente eis Domino: Vos estis sal terræ; quòd si sal evanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi, ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et dum hæc ità se habeant, eligimus potiùs, Domino adminiculante, nobisque, illis, & cunctis eorum Ecclesiis opem ferente, nec quidquam eis pro hoc de honoribus, vel Ecclesiarum rebus minuente, ut gradus eorum, & Sanctorum Canonum decreta custodiant; quam illi aut nobis imperantibus, aut consentientibus, contra hæc faciant, aut gradibus careant, aut pereant, & nos simul, quod absit, cum eis, & victoriâ careamus, vel pereamus. Quoniam peccatis exigentibus timemus, si talia, & tam illicita, aut imperemus, aut agere consentiamus, ut unà cum eis pereamus: quia non solùm, qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, æquo piaculo rei sunt in conspectu Dei & Sanctorum

(*e*) Capitulorum L. VI. Cap. XCI. Edition. Lindenbrogii.

ctorum ejus. Si verò ista veraciter ex utraque parte fuerint custodita, credimus, quia corruent ante nos omnes paganæ gentes, & erimus Victores; insuper & bene agentes, Domino auxiliante, vitam possidebimus sempiternam.

CAPUT V.

De his, qui putaverunt idcirco præceptum fuisse, non ire ad pugnam Sacerdotes, ut honor eis minueretur.

Quia instigante antiquo hoste audivimus, quosdam nos suspectos habere, propterea, quòd concessimus Episcopis, & Sacerdotibus, ac reliquis Dei servis, ut in hostes, nisi duo, aut tres, à cæteris electi, & Sacerdotes similiter perpauci, ab eis electi, non irent, sicut in prioribus nostris continetur Capitularibus, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec homines, tam Christianos, quàm paganos necarent, nec agitatores Sanguinum fierent, vel quidquam contra Canones facerent; quòd honores Sacerdotum, & res Ecclesiarum auferre, vel minorare eis voluissemus: Quod nullatenus facere velle, vel facere volentibus consentire, omnes scire cupimus. Sed quantò quis eorum ampliùs suam normam servaverit, & Deo servierit, tantò eum plus honorare, & cariorem habere volumus. Et ut hæc certiùs credantur, & per futura tempora conserventur; præcipimus, ut nullus res Ecclesiæ nisi precariò possideat, & postquam ipsæ precariæ finitæ fuerint, faciant potestativè Speculatores Ecclesiarum, utrum elegerint, aut ut ipsas res recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant. Ita tamen, ut ipsi proprias & utiles res eisdem Ecclesiis, de quarum jure esse videntur, legaliter tradant, & sic à Rectoribus earundem Ecclesiarum precariæ, si renovandæ sunt, Canonicè renoventur. Novimus ergo multa regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, résque earum vastaverunt, abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt: sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, Regnáque, & Regiones, &, quod pejus est, Regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus, aut successoribus nostris exemplum dare volumus: sed quantum valemus, & possumus, adjuncto Leonis Papæ, & omnium Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, Spiritu, nostro spiritui, per Deum, & omnium Sanctorum merita prohibemus, contestamúrque, ne talia faciant, vel facere volentibus consentiant; sed adjutores, & defensores, atque sublimatores Ecclesiarum, & cunctorum servorum Dei pro viribus existant; ne in foveam, in quam prædicti Reges, & regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod absit, inferni demergantur. Et ut hæc devotiùs per futura tempora conserventur, præcipientes jubemus, ut nullus tam nostris, quàm futuris temporibus, à nobis, vel successoribus nostris, ullo unquam tempore, absque consensu & voluntate Episcoporum, in quorum Parochiis esse noscuntur, res Ecclesiarum petere, aut invadere, vel vastare, aut quocunque ingenio alienare præsumat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quàm & successorum nostrorum temporibus, pœnis sacrilegii subjaceat, & à nobis, atque successoribus nostris, nostrísque Judicibus, vel Comitibus, sicut sacrilegus, & homicida, vel fur sacrilegus, legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur; ità, ut mortuus etiam sepulturâ, & cunctis Dei Ecclesiæ precibus, & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit, res Ecclesiæ auferre, invadere, alienare, vastare, vel subripi, maximè omnes Scripturæ Divinæ testantur, & Beatus Symmachus Papa Synodali sententiâ cunctos feriendo dicit. Iniquum est, inquit, & sacrilegii instar, ut quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum unusquisque Venerabili Ecclesiæ, pauperum causâ, contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus maximè servari convenerat, auferri, aut in aliud transferri. Et multa Sanctorum Canonum Decreta, & Sanctorum Patrum Edicta hæc eadem testantur, quæ scrutari & scire cupientibus perfacilè patent.

TITU-

TITULUS II.

De Purgatione Sacerdotum. *(a)*

CAPUT I.

Quid de Presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit.

Et hoc (*b*) vobiscum magno studio pertractandum est, quid de illis Presbyteris criminosis, unde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissimè à nobis, & à progenitoribus, atque antecessoribus nostris ventilatum, sed non ad liquidum hactenus definitum. Unde ad consultandum Patrem nostrum Leonem Papam Sacerdotes nostros mittimus: & quidquid ab eo, vel à suis perceperimus, vobis una cum illis, quos mittimus, renuntiare non tardabimus. Vos interdum vicissim tractate attentiùs, quid ex his vobiscum constituamus unà cum prædicti Sancti Patris institutionibus: ut murmur cesset populi, & nos his satisfacientes, illæsi, Domino auxiliante, ab utrisque maneamus. Sequitur constitutio memorata.

CAPUT II.

Decretum Caroli Regis ex consultu Leonis Papæ, de purgatione Sacerdotum.

Omnibus, (*c*) vobis visu, aut auditu notum esse non dubitamus, quòd sæpissimè, suadente antiquo hoste, Sacerdotibus crimina diversa objiciantur: sed quoniam, qualiter ex his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ Domni genitoris nostri Pippini, sive priscis temporibus, à Sanctis Patribus, & à reliquis bonæ devotionis hominibus sæpissimè ventilatum fuerit. Nos tamen pleniter, & ad liquidum definitum reperire minimè quivimus. Nostris quippe temporibus id ipsum à Sanctis Episcopis, & reliquis Sacerdotibus, & ceteris Ecclesiasticæ dignitatis Ministris, nostris in regnis, seu in aliis degentibus, nobisque unà cum eis agentibus, sæpissimè propter multas, & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt, ventilatum est; sed qualiter consultu Domni, & Patris nostri Leonis Apostolici, ceterorúmque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, sive Orientalium, & Græcorum Patriarcharum, & multorum Sanctorum Episcoporum, & Sacerdotum, nec non & nostrorum Episcoporum omnium, ceterorúmque Sacerdotum, & Levitarum auctoritate, & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu definitum est, vobis omnibus, utriusque Ordinis Ministris, scire volumus. Statutum est namque ratione, & necessitate, ac auctoritate prædicta, consultu omnium, ut quotiescunque cuique Sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat (quia quales ad accusationem Sacerdotum admitti debeant, in Canonibus pleniter expressum est,) si autem, ut dictum est, ille accusator, qui canonicè est recipiendus, eum cum legitimo numero verorum & bonorum testium approbare in' conspectu Episcoporum poterit, tunc canonicè dijudicetur; & si culpabilis inventus fuerit, canonicè damnetur. Si verò, cum suprascripto prætextu approbare ipse accusator minimè poterit; & hoc canonicè definiatur. Ipse ergo Sacerdos, si suspiciosus, aut incredibilis suo Episcopo, aut reliquis suis Consacerdotibus, sive bonis, & justis de suo populo, vel de suâ plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus, aut quinque, vel septem bonis, ac vicinis Sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, vel eo ampliùs, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse prospexerit, & cum aliis bonis & justis hominibus se Sacra-

(*a*) Anno DCCCIII. Carolus è Bajoaria per Alamanniam ad civitatem Wormariensem perrexit, & ibi de purgatione Sacerdotum sedentium secunda vice tulit. Nempe ex Decreto Leonis III. Papæ, & Gregorii II. vide illud Capitular. L. VII. Cap. CCV. *edition. Lindenbruchii*. Eckhart. Tomo II. *rerum Francicar*. p. 33.

[*b*] Lib. V. Capitularium C. XXXIII. Edition. Lindenbruchii.

[*c*] L. V. Capitularium Cap. XXXIV. ex Editione Lindenbrogii.

Sacramento, coram populo super quatuor Evangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat. Siquis autem scire desiderat, quales testes ad accusationem Sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, pleniter in Canonibus reperire poterit.

CAPUT III.

Ut Presbyteri criminosi, ad Synodum venientes, in medium collocentur.

Presbyteros (*d*) criminosos, canonicè ad Synodum venientes, jubemus juxta Decreta Papæ Innocentii, Capite trigesimo tertio, in medio collocari: discussisque objectionibus, quæ ipsis Presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, à Sacerdotali removeantur officio; quia, qui Sancti non sunt, tractare Sancta non possunt; atque alieni efficiantur à ministerio, quod vivendo illicitè polluerunt. Et si convinci non potuerint, secundùm anterius Capitulum, consultu Leonis Papæ, & multorum Episcoporum, statutum cum aliis Presbyteris & Fidelibus, justisque hominibus, satisfaciant Episcopo suo, & populo.

CAPUT IV.

De purgatione Sacerdotum, qualiter Wormatiæ secundâ vice à Domno Carolo, & à suis tractata, atque sopita est.

Omnibus (*e*) vobis tam præsentibus, quàm & futuris, scire cupimus, quia ideo consultu Sedis Apostolicæ, & omnium nostrorum Episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum, atque maximè cunctorum Fidelium nostrorum, de purgatione criminatorum Sacerdotum tanta tractavimus, eámque cum testibus, sicut in anteriori Capitulari nostro continetur, fieri decrevimus: quoniam nesciebamus, eandem causam à Beato Gregorio Papa esse definitam. Nam cùm Wormatiæ generalem Conventum habuissemus, allata est nobis à Riculfo, Moguntiacensi Metropolitano, Epistola Beati Gregorii Papæ, in qua inter cætera continebantur hæc: *De Presbytero verò, vel quolibet Sacerdote, à populo accusato, si certi non fuerint testes, qui crimini illato approbent veritatem; jusjurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.* Ista verò omnia, quia (*g*) vires nostras excedunt, in judicio Episcoporum juxta Canonicam Sanctionem definienda relinquimus; ut hæc, quando orta fuerint, ità definire satagant, ut nec secundùm Sæculum justam reprehensionem, nec penes Deum, quod absit, damnationem, sed æternæ beatitudinis, ipso auxiliante, qui omnia infucata præstat, præmia consequantur.

(*d*) L. V. Capitularium Caput CCXVIII. Editionis Lindenbrogii.
(*e*) L. VII. Capitular. Cap. CCV. ejusdem Edition.
[*f*] Observa reverentiam & abstinentiam Caroli Imperatoris in dijudicandis Sacerdotibus etiam criminosis.

AQUISGRANENSIS SYNODUS.

Anno Christi DCCCIII. Leonis III. Papæ IX. Caroli Imperii IV.

ACTIO I. Relectio Canonum pro Episcopis, Presbyteris.
ACTIO II. Regulæ S. Benedicti inculcatio pro Abbatibus & Monachis.
ACTIO III. Psalmodiæ Romanæ Commendatio pro omnibus Episcopis & Presbyteris in omni Imperio Caroli.
ACTIO IV. Scholæ Cantorum constituendæ in omnibus Monasteriis.

I. ANno DCCCII. (*a*) Mense Octobri congregavit Carolus universam Synodum in Aquis, & ibi fecit (*b*) Episcopis, Presbyteris, Diaconibus prælegi universos Canones, quos Sancta Synodus præcepit, & Decreta Pontificum: & pleniter jussit eos tradi coram omnibus Episcopis, Presbyteris & Diaconibus Mense Octobri.

II. Carolus in Sancta Synodo (*Aquisgranensi*)

granensi) congregavit universos Abbátes, & Monachos, qui ibi aderant, & ipsi inter se Conventum fecerunt, & legerunt Regulam S. P. Benedicti, & tradiderunt eam sapientes in conspectu Abbatum & Monachorum: & tunc jussio generaliter super omnes Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diaconos, seu universo choro Clericorum facta est, ut unusquisque in loco suo juxta constitutionem SS. Patrum, sive in Episcopalibus, sive in Monasteriis, aut per universas Ecclesias, ità, ut Canonici juxta Canones viverent, & quidquid in Clero, aut in populo de culpis & negligentiis apparuerit, juxta Canonum auctoritatem emendâssent, & quidquid in Monasteriis, seu in Monachis, contra Regulam S. Benedicti factum fuisset, hoc juxta Regulam ejusdem emendare fecissent.

III. Mandavit autem, ut unusquisque Episcopus in omni Regno, vel Imperio suo ipsi cum Presbyteris suis officium, sicut psallit Ecclesia Romana, facerent.

IV. Nam & Scholas suas cantorum in loca congrua construi præcepit.

V. Similiter & in Monasteriis, S. Benedicti servantibus Regulam, ut officium ipsius facerent, sicut Regula docet.

Annales Francorum editi à Marten. & Durand. T. VII. Collection. Monumentorum veterum.

Labbée ex Chronico Moissiacensi. Mansi Supplem. Tom. I. pag. 745. *qui & S. Simperti. Decreta regularia, à Sancta Synodo in Francia edita, verosimiliter ad hanc Synodum refert. p.* 789.

(*a*) Chronicon Moissiacense ad annum 802. refert hanc Synodum, & Annales Lambeciani.

(*b*) Annalistæ Francorum vocant hujusmodi Synodos Examinationes Episcoporum & Clericorum. *Eckhart. T. II. Franc. p.* 10.

REGULARIA DECRETA, à SANCTA SYNODO IN FRANCIA (*a*) JUSSU CAROLI (*b*) MAGNI, (*c*) PATRITII, ET REGIS ROMANORUM CELEBRATA, AD MEMORIAM VERBO ET SCRIPTO, PRÆSENTIBUS FRATRIBUS MONASTERII MURBACENSIS PATEFACTA PER SIMPERTUM ABBATEM EJUSDEM LOCI, ET EPISCOPUM AUGUSTENSEM, CUI SYNODO INTERFUIT PERSONALITER.

AD memoriam vestram, fratres Charissimi, revocare scripto decrevimus ea, quæ verbis, & capitulis proximè à Sancta Synodo auribus vestris intimavimus, & in singulis Capitulis, quæ ibi digesta sunt, quasi recapitulationem facientes, possibilitatis, & necessitatis in eis commoda requisivimus: quia quædam ibi secundùm auctoritatem regulæ, quædam verò usu & consuetudine prolata sunt: quæ consuetudo, si aliquo vitio correpta non fuerit, pro lege regulari inculpatè retineri poterit.

Primo enim Capitulo denuntiatum est, ut, cùm Abbates ad propria loca remeâssent, regulam per singula discutientes relegerent, & adimplerent, quod à nobis in discussione verborum juxta modulum intelligentiæ nostræ actum est. Illa verò adimpletio, non in spatio temporis, sicut illa interpretatio, sed in cursu totius vitæ nostræ ponenda est, duobus modis, aut adimplendo, Domino adjuvante, sponsionem nostram: aut si peccatis surripientibus prævaricatores Sanctæ Regulæ existimus, emendando regularibus disciplinis.

Secundo: Ut, qui possunt, regulam memoriter discerent. Ubi jungendum putavimus, ut cùm ex corde recitanda

(*a*) Cùm hæc Synodus in Francia dicatur coacta, non potest intelligi de Conventu Ratisbonensi in Bavaria.

(*b*) Cùm dicatur coacta sub Carolo, non potest differri ad tempora Ludovici Pii, vel annum 817.

(*c*) *Magni* nomen Carolo vivo non fuit tributum à coævo: Titulus igitur hic seriùs præfixus fuit.

tanda dicitur, à dictatoribus ordinatis distantibus interpretetur. Quosdam verò totam per ordinem memoriæ commendare jussimus, qui descripti in nostro Catalogo continentur, quorum numerus usque ad triginta sex excrescit. Quibusdam verò Capitula decem ex eadem regula denominata discenda injunximus, qui simili modo descripti noscuntur: nisi fortè ætatis, aut visus impedimentum ad discendum obstiterit: saltem hæc clauso codice ex corde possunt proferre; qui verò nec ex integro, nec ex parte ista percurrere nequierint, audiendæ sententiæ singulorum penetrent, & menti reponant, in quo se participes cæteris, si opere audita probaverint, esse non dubitent. Ubi etiam addendum est, ut nullus fratrum prætermittatur, qui in aliquâ meditatione lectionis Divinæ tempore ordinário occupatus non sit; *Verbi gratiâ*, ut scholastici, postquam Psalmi, cantica, & hymni memoriæ commendata fuerint, regula post regulæ textum committi, interim verò historiam Divinæ auctoritatis, & expositores ejus, nec non & Collationes Patrum, & vitas eorum legendo, Magistris eorum audientibus, percurrant. Postquam verò in istis probabiliter educati fuerint, ad artem Litteraturæ, & spiritales se transferant flores. Qui verò de habitu sæculari conversi, notitiâ literarum indigent, post earum cognitionem orationem Dominicam, & symbolum, & sic deinceps pœnitentium psalmos, post hæc reliquos, usque dum vita, & virtus suppetit, discere non desinant.

Tertio: Ut omnes officium S. Benedicti faciant. Quod Capitulum illis observandum convenit, qui hactenus Romanæ Ecclesiæ officio sub Monachico habitu degentes usi sunt.

Nos verò, qui ab ipsis penè cunabulis à majoribus nostris eruditi, in eadem dispositione viximus, quidquid menti occurrit, quod negligentia prætermisit, emendatio supplere debebit, id est, ut omnes horæ Canonicæ tam ad nocturnas vigilias, quàm ad diurnas horas, excepto completorio, Antiphonis terminentur. Hebdomadarii legentes in refectorio lectiones per singulas horas Canonicas, unicuique tempori congruentes, in Ecclesia recitant, quas per ordinem memoriæ commendent. Similiter & eas, quæ tempore æstivo ex Prophetis ad nocturnos decantandæ sunt, pronuntiationes in choro per tres horas Canonicas, id est, ad nocturnos, matutinis, & vespertinis conventibus sine intermissione fiant. Psalmi ordinatè, absque ullâ festinatione, divisionibus in versibus custoditis, psallantur: orationes, quæ à Sacerdote recitantur, usque ad divisionem versuum, ab eodem Sacerdote dicantur; ac deinde subsequentia congregatio respondeat. Quinquagesimus sine confusione alicujus præcipitationis, choris alternantibus, dicatur: Kyrie eleyson in ordine suo simul stando ordinatè decantent. Ea verò, quæ in Regulari distributione Psalmorum de usu Romanæ Ecclesiæ addita sunt, & in quibusdam cœnobiis in usu non habentur, adhuc nobis retinenda censuimus, donec consultu meliorum, aut dimittantur, aut tenendum certiora reddantur.

Quarto: Ut Abbates communes esse debeant ejus Monachis in manducando, in bibendo, in dormiendo, seu in cæteris quibuslibet causis. In hoc quippe negotio uti regulari potestate volo, cui non præjudicat alicujus novæ constitutionis censura. Sive enim communi victu, seu in abstinentia singulari, quilibet rumore vulgi respergi poterit, quod & exemplo Salvatoris, & ejus præcursoris, factum dignoscitur. Nos verò sicut in conventu fratrum infirmitates corporis nostri exposuimus, non in tantum obtemperando gulæ illecebris, quantum consulendo necessitatibus corporis, sic victum nostrum, Domino moderante, disponere cupimus, ut & sustineat ad utilia, non noceat ad adversa.

Quinto, Ut fratres in coquina, in pistrino, & cæteris officiis artium, propriis manibus laborent, & vestimenta sua lavent. In lavatione vestium antiqua consuetudo teneatur, ut, qui per se possunt, faciant; qui verò senio, aut infirmitate deficiunt, curâ præpositi ab aliis adjuti eorum necessitas expleatur. In calceamentis verò, & vestimentis consuendis adhuc ordinatio nostra teneatur, ità, ut, qui per se hoc facere potuerint, faciant: quibus verò causâ impossibilitatis suprà descripta obstiterit; curâ præpositi, & Camerarii eorum necessitas sustentetur; ne ab aliis intùs, forísque solatio eis ad hoc quærendi necessitas incumbat.

cumbat. Iterim verò, quo hæc taliter geruntur, instruendi sunt fullones, sartores, sutores non forinsecus, sicut hactenus, sed intrinsecùs, qui ista fratribus, necessitatem habentibus, faciant, quæ induciæ usque Calendas Septembris proximas dandæ sunt. In coquinandi verò, & pistrinandi arte in commune ab omnibus adjuvetur, tam à septemanariis, quàm à reliquis omnibus, quibus solatio sint novitii, & pulsantes nostri ad hoc deputati; donec in supradicto spatio temporis fratres ad hoc eligantur, qui annuis temporibus excursis vicissim expleant, cæterorum omnium solatio, sicut hactenus adjuti.

Sexto, De modo vigiliarum observando, sicut in illo Capitulare continetur, sufficit nobis, id est, ut opus vigiliarum semper cum die finiatur: nisi fortè maturiùs contingat surgere, ubi necesse est, ut imbecillitas corporum somno refocilletur.

Septimo, Ut à volatilibus omni tempore ab omnibus abstineatur, exceptâ causâ infirmitatis, licet hoc regulæ auctoritas non interdicat, sed quasi in arbitrio edendi, aut abstinendi derelinquat. Decreverunt in præfatâ Synodo Sancti Patres, quia optioni nostræ relictum est, religiosioris vitæ sumere disciplinam, suóque præcepto firmaverunt, ut à tali edulio Monachi abstinentiæ fræno omni tempore cohiberentur, exceptâ causâ necessitatis supra scripta.

Octavo & nono Capitulis, in quibus lavatio pedum in quadragesima, & cœna Domini describitur, facili ordine poterit observari, si Abbas præsens fuerit: si non præpositus, qui in vice ejus est, sicut locum, ità officium compleat.

Decimo, Ut Abbates frequenter villas non circumeant, nisì causa necessitatis, nec fratribus illas custodiendas committant, ubi nostræ visitationis raritas utinam non noceat. Nam frequentationis circumitio inter villas ideo nunquam fit à nobis, quia aliud impedimentum nostræ occupationis nos fatigat, dum inter curas Episcopatûs, & Palatinas ordinationes, nulla ad providendas possessiones nostras nobis licentia suppetit. Sed Deus est testis, qui conscius est cordis, quòd in terrenis occupationibus non sponte, sed invitus inhæreo, qui quandoque à tributis Cæsaris nos absolvat, quibus obnoxii sumus; ut securiùs, quæ Dei sunt, quandoque nobis agere liceat. Fratres verò, qui in diversis Ministeriis foris occupati fuerant, medio Augusto, cùm meditatio facienda erit, sive de cellis, sive de villis ad Cœnobium redeant, quod antè nullatenus fieri potest, propter notitiam locorum, in quibus præsunt. Interim verò actores boni providendi sunt, qui prædicta loca in posterum provideant.

Undecimo: Ut poma & lactucæ, nisì cùm alius cibus sumitur, non comedantur, quod, statim adimpletum est.

Duodecimo verò *Capitulo*, ut tempus phlebotomiæ certum non terminetur, nisi quando necessitas exposcit, concedatur. Ubi jungendum est, ut, qui tantummodo phlebotomantur, quadragesimali cibo recreentur; qui verò potionem pro certis, aut denominatis passionibus biberint, esû volatilium reparentur. Et ideo volatilia, quæ de curtis nostris venire annuo tempore soliti fuerant, ad hoc reserventur. Quæ verò ex acto censû ab hominibus nostris venerant, pensandum, qualiter in fratrum necessaria utiliùs vertantur.

Tertio decimo, Ut mandatum post cœnam fiat, quod & antea similiter fecimus.

Quarto decimo, Ut mediocra vestimenta dentur. Ubi jungendum, caperina vestimenta, seu serico circumsuta, omnino Monachis interdicta sunt. Si verò apud aliquem hujuscemodi vestimentum cum velocitate consumptum, aut mutatum, ampliùs caveatur, ne addatur.

Quinto decimo, Quod de numero vestimentorum, seu calceamentorum, dictum est, & de datione uncti, & sapone, sicut hactenus à nobis observatum est, adhuc in antea teneatur: ut indigentibus vestimenta præbeantur, veteribus in præsenti redditis; quæ verò superabundant, Priori reddantur, propter pauperes consolandos. Corium verò confectum fratribus detur ad annum, sicut antè, usque dum sutores nutriantur. Tunc calceamenta præbeantur, sicut in Synodo definitum est. Radendi verò usus, qui mediâ Quadragesimâ solebat fieri, in Sabbatum Sancti Paschæ differatur.

Sexto

Sexto decimo verò, & *decimo septimo Capitulo* nihil addendum est, quia sicut ante à nobis observatum est, sic in antea observabitur.

Decimo octavo Capitulo, In quo carcer talis fieri jubetur, ut focus in eo fieri possit: iste, quem hactenus habuimus, sufficiat. Usque dum plus necessaria ædificia, quæ igne consumpta sunt, restaurentur.

Decimo nono Capitulo de alleluja decantatione, sicut in eadem Synodo definitum est, Romanæ Ecclesiæ concorditer, ut in septuagesima dimittatur.

Vicesimo Capitulo de susceptione novitiorum, sicut Regula docet, ità agatur. Tonsura verò eorum, & mutatio vestimentorum, postquam promissionem suam firmaverint, agatur. De Sacerdotibus verò, vel scholasticis suscipiendis, præceptum Synodi non habemus, & ideo susceptio eorum regularis, quantum possibilitas finit, habeatur, usque dum decretum manifestius inde audiatur.

Vicesimo primo Capitulo usus balnei interdictus omnino est, excepto, quibus necessitas infirmitatis insistit. Unde, non (*a*) considerantes infirmorum imbecillitates, ad initium quadragesimæ scaphas balneum concedimus. Interim verò fiant copæ balneariæ abundanter, Præpositi & Cellarii ordinatione factæ, in quibus fratres singillatim, & non communiter, cùm necessitas exposcit, benedictione antea perceptâ, lavare possint, invicem sibi solatia præbentibus, sine accessu extraneorum. In hac dilatione non prævaricatores Synodi, quod absit, simus; sed induciis factis, usque dum necessitas procuretur, ut illicitum cautiùs auferatur.

Vicesimo secundo Capitulo, in quo præcipitur, ut Abbas ad portam cum hospitibus non convivet, quod nos in usu nunquam habuimus. In auditorio verò, ubi Abbas legere solet, & cum fratribus, & cum hospitibus vicissim, seu communiter, colloquium habere solitus est, comedere cum hospitibus valde rarò usi sumus. Quem usum, nisi certiùs interdicatur, habere volumus. Qui locus in confinio claustri, & januæ Monasterii situs est, ità, ut fratres sine impedimento hospitum, & hospites sine fratribus ad colloquium recipere possit.

Vicesimo tertio Capitulo. Ut hospitibus, quibus licentia intrandi est in refectorium, dignè administretur, Abbas verò contentus sit cibo fratrum, quod facilè observabitur, ut & Abbati dignè administretur, & hospitibus. Fratres etiam in adventu fratrum aliquatenus congaudeant, & abstinentiæ fræna relaxent.

Vicesimo quarto, & *quinto Capitulis*, quæ de lectoris cibo, & ministrorum refectione descripta sunt, statim observata sunt.

Ultima verò duo Capitula, quæ de prohibitione osculi fœminarum, & ut Monachi nudi non verberentur, istiusmodi usus apud nos nunquam fuit, nec, Domino adjuvante, in antea erit. De compatratione & commatratione omnino caveatur, ne ab ullo Monachorum aliquâ occasione præsumatur: quia in veritate non expedit animabus eorum, & omnino alienum est à proposito eorum. Hactenus explicitis Capitulis, quæ proximè in sua (*b*) Synodo gesta sunt, & à nobis recapitulatis: supersunt aliqua, quæ illa schola Monachorum in usu habet, juxta quorum exempla nos informandi sumus.

Duas etenim silentii Regulas custodiunt, unam nocturnam, alteram diurnam. Illa cum nocturna à collatione vespertinali usque ad versum Capituli protrahitur. Illa verò diurna à versu Capituli usque ad suprà dictam vespertinam collationem. In illo enim nocturnali silentio penitus loquendi licentia interdicta est. In diurnali verò, cùm alter alterum appellaverit, sive junior à seniore aliquid requisierit; silenter absque ullo strepitu vocis, & humilis fit confabulatio, paucis valde & rationabilibus verbis, nullâque eis, aut simul standi, aut consedendi, aut coambulandi finitur mora, excepto discendi, aut cooperandi gratiâ, sed semper aut in lectione, aut in opere manuum, omnes horas diurnas consumant.

Intervallum, quod inter opus Dei, & horam refectionis contigerit, aut orando, aut legendo transigunt: excepto, si ad necessitatem naturæ quis ire debeat. Ubicunque gloria Sanctæ Trinitatis, sive in Oratorio, sive in quolibet loco insonuerit; si stantes sunt, propè

(*a*) *Fortè* nos (*b*) *Fors* sanctâ

propè usque ad humum prosternuntur, usque cum Sancta Trinitas perdicatur. Si verò sederint, ab humo surgentes gloriam resurgendo & inclinando deferunt Sanctæ Trinitati.

Obviantes sibi, juniores à prioribus, usque ad genudeflexionem corpora humiliando, petunt benedictionem. Cùm in domum quamlibet intraverint, ubi Conventus Fratrum esse debet, genu flexo, & supplice dexterâ, petunt benedictionem, crucem adorando, & benedictionem postulando. In salutatione hospitum similiter & genuflectunt, & dexteram terratenus dimittunt.

Cùm tempus legendi est, nunquam sine Lectorivo suo residere audent, sed singuli singulos habentes lectionem suam in eis memores commendant, qui quomodo à nobis etiam facti fiant, à nobis ordinandum est. Jurandi usus apud eos penitus non habetur, quòd Evangelicum mandatum eum omnibus Christianis interdicat, quantò magis his, qui cum nomine Christiano etiam Sæculo abrenuntiaverunt?

Usum latinitatis potiùs, quàm rusticitatis, qui inter eos Scholastici sunt, sequuntur: in tali etiam confabulatione notitia scripturarum aliquotiens magis, quàm lectione penetratur, & dictandi usus discitur, & ad discendum sensus acuitur.

Hæc, & alia similia his, quæ menti non occurrunt, in suprà dictorum Cœnobitarum conversationibus comperta habemus, ad quorum exempla informandos per universa Regni sui Cœnobia Monachos decrevit Imperiali censurâ; ut uno modo ea, quæ ex auctoritate Regulæ: seu illa, quæ ex consuetudinum adinventione aguntur, in usu habeantur. Unde necessarium reor, si vestræ placet dilectioni, ut in his ante præmoniti, certamen habeatis, in his omnibus instrui; ut bonis & honestis moribus exculti non tantùm coram Deo laudabiles, sed etiam coram hominibus . . . . . possit ad humilitatem & gratiarum actionem cæteros revocare. Interim providendi sunt unus, aut duo, qui in unumquodlibet ex his Cœnobiis mittantur, ad speculandam vitam & habitum illorum, qui nos in omnibus, in quibus fortàsse titubamus, certiores reddant, qui & illis boni exempli forma sint, ad quos intraverint, & nobis sine zizaniis mixtum triticum reponendum in horrea reportant. (*a*)

Super quibus omnibus & singulis, dum Reverendi, bonorabiles, ac religiosi viri Domini Walberus de Wiltsperg Abbas, Leonardus de Reichenstain Decanus, Capitulum, seu Conventus Imperialis Monasterii Murbacensis sibi à me, ut publico Notario subscripto, unum, vel plura publicum, seu publica fieri petierunt tot, quot fuerint necessaria, instrumentum vel instrumenta.

Acta sunt hæc anno, Indictione, die, mense dicti Maximiliani Romanorum Regis, tempore, loco, & horâ, quibus suprà, [*b*] præsentibus ibidem honorabili Domino, & discretis viris Joanne Otti Presbytero, Capellano Murbacensi, & Richardo Muling, atque Joanne de Westheim ejusdem loci incolis, Laicis literatis, Basiliensis Diœcesis, testibus, ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et ego Wilhelmus de Hogenhem &c. &c. Laicus conjugatus, Constantiensis Doctor publicus, sacra Imperiali auctoritate Notarius, quia dictæ rotulæ pergamineæ, vetustæ, seu cartæ statutorum, ac ceremoniarum regularium, tempore Sancti SIMPERTI usitatorum, præsentationi, receptioni, requisitioni, transsumptioni, ac auscultationi, omnibúsque aliis & singulis præmissis, dum, sicut præmittitur, fierent, & agerentur, unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eáque omnia & singula sic fieri vidi, & audivi. Idcirco præsens publicum transsumpti instrumentum per me fideliter scriptum, exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signóque & nomine meis solitis, & consuetis signavi, rogatus pariter & requisitus in fidem, & testimonium omnium, & singulorum.

Attamen, ut veritas magìs elucescat, & fides plena adhibeatur, Reverendus semper, & Colendus Dominus Walterus sæpè dictus Abbas Murbacensis præsens publicum transsumpti instrumentum Sigilli ipsius appensione communiri fecit, ac jussit.

Mansi Tomo I. Supplementi Concilior. à pag. 789.
Ex Petzio Tomi II. Anecdotorum Parte III.

[*a*] Regularia Statuta pro Monasterio Murbacensi omnes attribuunt S. Simperto, Episcopo Augustano, & Abbati Murbacensi. *Petzius Tom. II. Anecdotorum Parte III.* qui primus ea edidit. S. Simpertus à Stengelio ad annum 817. à Bucellino ad annum 809. vixisse scribitur.

Corbi-

Corbinianns Khamm *in Hierarchia Augustana* anoo inter 809. & 827. defunctum asserit. Ab Eckharto Lib. XXV. *Rerum Franciæ Orientalis* §. XLVII. idem Simpertus, horum statutorum Scriptor, dicitur *Episcopus Ratisbonensis*, nullo assertionis suæ prolato argumento, pro his Statutis Ratisbonensi Antistiti attribuendis. Demum Bucellinus inter Ratisbonenses Episcopos recenset Simpertum; sed hunc fuisse Abbatem Murbacensem ignorat, cùm sit diligentissimus, dum ordinis sui decora, Abbates, Episcopos recenset. Quâ in Synodo hæc Statuta collaudata fuerint, nescitur: Alii ad Francofordiensem anno 794.: Alii ad Synodum Aquisgranensem anni 803. vel 817. referunt; Hoc certum, sub Carolo Magno publicata, & alicubi approbata fuisse, adeóque ad 803. verosimiliter referuntur.

(*b*) Notarii Præfatio, qui hæc anno 1500. ex Archivo Murbacensi transcripsit, omissa est brevitatis causâ.

CONVENTUS AD SALTZ.

Anno Christi DCCCIV. Leonis III. Papæ IX. Caroli Imperii IV.

I.

De Ordinatione Ecclesiarum.

UT Ecclesiæ Dei bene constructæ, & restauratæ fiant, & Episcopi unusquisque infra suam Parochiam exinde bonam habeat providentiam, tam de officio & luminariis, quamque & de reliqua instauratione.

II.

De Decimis & Donationibus Ecclesiarum.

De Decimis, ubi antiquitus fuerunt Ecclesiæ Baptismales, & devotio facta fuit, juxta quod Episcopus ipsius Parochiæ ordinaverit, omnimodis fiant donatæ, & si donatione Regum, aut cæterorum, Deum timentium bonorum hominum, ad Episcopia, seu Monasteria aliquæ res delegatæ sunt, & ex ipsis rebus antiquitus ad ipsas Ecclesias priores Decimæ datæ fuerint, ipsa antiqua donatio vel devotio firma & stabilis omnino permaneat: tamen, ùt supra diximus, Decimas de ipsis rebus, qui ipsas possidere videtur, persolvat.

III.

Ut propter novas Ecclesias, antiquiores suas Decimas non perdant.

Quicumque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare: unà cum consensu & voluntate Episcopi, in cujus Parochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino providendum est, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter hanc occasionem nullatenus suam justitiam, aut decimam perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.

IV.

De ordinandis Presbyteris.

Ut unusquisque Episcopus in sua Parochia secundùm Canonicam institutionem Presbyteros ordinari faciat.

V.

De Ingressu in Monasteria Puellarum.

Ut nullus in Monasterio Puellarum, seu Ancillarum Dei, intrare præsumat, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Subdiaconus, vel Clericus, aut Laicus, nisi tantùm Presbyter, ad Missam celebrandam, tempore opportuno ingrediatur, salvâ necessitate Monasterii secundùm Canonicam Institutionem, & juxta quod Episcopus ipsius Parochiæ ibidem ordinaverit. Presbyter autem, Missâ celebratâ, statim exeat.

VI.

Ut in Monasteriis Puellarum, eæ solùm infantes nutriantur, quæ in eo loco perseveraturæ sunt.

Quicumque Filiam suam, aut Nepotem, aut Parentem, Deo omnipotenti offerre voluerit, licentiam habeat. Sin autem, domi infantes suas nutriat, & non aliam infra Monasteria mittere, nutriendi causâ, præsumat, nisi quæ in ipso loco firmiter in Dei servitio perseverare voluerit, vel secundùm instituta Sanctorum Patrum, seu Canonicam Auctoritatem.

VII.

Ut Masculi in Monasteriis Puellarum non nutriantur.

Omnino prohibemus, ut nullus masculum, filium, aut nepotem, vel Paren-

tem

tem ſuum in Monaſterio puellarum ad nutriendum commendare præſumat, nec quiſquam illum ſuſcipere audeat.

VIII.

Ut arma in Monaſteriis Puellarum non deponantur.

Ut nullus ex Clericali Ordine, Sacerdotes videlicet, aut alii Clerici, neque Laicus, bruneas, aut arma infra Monaſteria Puellarum commendare præſumat, nec quiſquam recipere audeat, excepto, ſi in Eleemoſyna datum fuerit.

ADMONITIO IMPERATORIS AD PRESBYTEROS.

ADmonere vos cupio, Fratres & Filioli mei, ut iſta pauca Capitula, quæ hinc ſcripta ſunt, intentiùs audiatis.

I. In primis, ut Sacerdos Dei, de Divina Scriptura doctus ſit, & Fidem Trinitatis rectè credat, & alios doceat, & ſuum officium bene poſſit implere.

II. Ut totum Pſalterium memoriter teneat.

III. Ut Signaculum, & Baptiſterium memoriter teneat.

IV. Ut de Canonibus doctus ſit, & ſuum pœnitentiale bene ſciat.

V. Ut cantum & compotum ſciat.

VI. Ut nullus Sacerdos fœminas ſecum habitare permittat, exceptâ Matre, ſorore, vel amitâ.

VII. Ut Presbyteri in Tabernis bibere non præſumant.

VIII. Ut nullus avaritiam ſectetur, nec ſit ſuperbus, non ebrioſus, non violentus, nec ſomnolentus.

IX. Ut nullus præſumat in Cœna Domini jejunium ſolvere.

X. Ut nullus baptizare præſumat, niſi in Paſcha & Pentecoſte, excepto infirmo.

XI. Ut nullus Presbyter, nec Diaconus, nec Clericus, Chriſma alicui dare præſumat pro aliqua neceſſitate, qui, ſi hoc fecerit, degradetur.

XII. Ut nullus Presbyter ad Synodum contemnat venire, quod ſi aliter facere præſumpſerit, coactus veniat, & ſecundùm Canones judicetur.

Harduin. Tomo IV. Conciliorum ad h. annum.

CONCILIUM TEGERNSEENSE.

In Monaſterio ejus nominis ad Lacum Tegurinum in Diœceſi Friſingenſi habitum, pro lite quadam ejuſdem Monaſterii cum ſuo Epiſcopo.

Anno Caroli Imperatoris IV. Chriſti DCCCIV. Die XVI. Junii.

BRevem Commemoratorium de causâ SANCTÆ MARIÆ ſemper VIRGINIS, & Beati Corbiniani, Confeſſoris Chriſti, Domo Epiſcopali, qui dicitur Friſiginga, quomodo Atto Epiſcopus interpellavit Adalbertum Abbatem, & Zachonem Vicarium ejus, pro cauſa Sanctæ Mariæ, quæ abſtracta injuſto ordine fuit partibus illorum. Protulit prædictus Epiſcopus ſententiam ſuam coram Epiſcopis, & Abbatibus, quorum nomina hic ſcripta continentur. Erant enim congregati ad Eccleſiam Beati Emmerami Martyris Chriſti, quæ eſt ſita prope civitatem, qui vulgò nominatur Reganespurc. Hæc ſunt nomina virorum religioſorum, & prudentium. In primis Altheus Epiſcopus, Walterich Epiſcopus, Arn Epiſcopus, Itheri Abbas, Ato Diaconus ſive Abbas, Hunrih Abbas, Urolf Abbas, Reginperht Abbas, item Reginpehrt Capellanus Presbyter, Wolfheri Capellanus Presbyter, Petto Abbas, Cunzi Presbyter. Coram iſtis omnibus ſpoponderunt prædicti Abbates Adalperht, & Zacco omnia ſe reddituros ad domum Beatæ MARIÆ, quicquid exinde injuſto ordine abſtractum habuerunt, & per Wadium illorum utrique manibus ſuis, quaſi coacti, in manu Epiſcopi Attonis dederunt, dicentes, ſe reddituros ex integro juſtitia ſecundùm rectum judicium faciendam. Sed nihil profuit de his omnibus, unde Wadium

Wadium dederunt, nec quicquam de justitia nostra ad illos invenire potuimus. Cùm non post multum temporis contigit enim, ut Meginhart abbas ipsius domui vivente Zaccone accepit. Deinde venerandus vir Atto Episcopus, & Maginhardus Abbas pro hoc condixerunt publicum placitum fieri, & qualiter adunata est cohors, & stipata caterva in loco, qui dicitur Tegarinseo, ad translationem corporis Sancti Martyris Christi Quirini hìc intelligitur. Ipso die residentibus viris Illustrissimis Arnonem Archiepiscopum, Attonem Episcopum, Oadalhardum Episcopum, Hiltigero vocato Episcopo, Maginhardo Abbate, Cundhario Abbate, Ellannodo Archipresbytero, Perhtrato Presbytero, & Capellano Domni Imperatoris, Oadalfrido Presbytero, Zacconi Monacho, qui quondam Abbas, Rihheri Presbytero, & M. Isaac Presbytero, & M. Lantolt, M. Eparhat, M. Arn, M. & omnis congregatio ipsius Monasterii: insuper Droant com. Pippimes com. Cundhart com. Reginbart cent. Domni Imperatoris: Maginhart, Amalrih, Sivarzolf, Hitto, Amo, & alii plurimi. Facta est ibi inquisitio, & ventilata causa inter Attonem Episcopum, & Maginhardum Abbatem ex ipso Monasterio jam dicto. Atto Episcopus, requirens Ecclesias baptismales ad suum Episcopatum legitimè pertinentes, id fuerunt: ad Asewendingas, & ad Hartbeningas, ad Egilingas, Worm, Gojollinga, Tanchiricha, Lezinhusir, Holtzhusir, Hrodungeschiricha, Phunzina, Helphindorff, ad Funsinga, ad Pohloh, & decimam de Ecclesia ad Feldkirc, & Ecclesiam ad Holtzhusen, de traditione quondam novilissimi viri nomine dd, & illam Parrochiam ad Tankirc, & altaria duo consecrata, & ad Teorhage, eò quod injustè abstractæ essent de ipsum Episcopatum, & conlocatæ in illorum Monasterio multo jam tempore. Tunc ipse Maginhardus Abba juxta auditum, & dicta multorum hominum, qui illud adserebant, retinere temptabat in multitudine hominum traditionum ad ipsius Monasterii facta. Tunc Arn Pontifex taliter adserens ajebat: *Si istas Ecclesias & omnia, quicquid à te repetit Domnus Atto Episcopus habere vis, veniat advocatus tuus in præsente, & faciat inde legem, & conquiratur ad ipsa casa Dei, quicquid legitimè secundùm ordinem conquiri potest; sin autem, reddatur, qua legitime possidere non queas.* Post hoc dictum venerunt iterum ipsi inter se, & placitaverunt, qualiter illos ad concordiam pacis revocare potuissent, quod ità & fecerunt. Tunc Maginhard Abba reddidit ipsas Ecclesias, & decima, & duo Altaria in ipso loco restituenda, quæ injustè abstractæ fuerunt, coram istis præsentibus Attonem Episcopum per manus Arnonem Pontificem, & Ellannod Archipresbyterum, ea scilicet ratione, ut si valuisset investigare per veraces testes, quòd plus legitimè ad ipsum suum Monasterium ob traditionem nobilium hominum pertinere deberent, quàm ad ipsum Episcopatum, ut hoc cum licentiam, & gratiam ipsius Episcopi requirere liceret, quæ secundùm Canonicam institutionem fieri potuisset. Post ea verò Arn. Pontifex supplicavit Attonem Episcopum, ut ipsas Ecclesias per præstitum beneficii reddidisset hoc Maginhardum Abbatem, excepto illa decima, tali ordine, ut ipsa decima ad ipsas Ecclesias tali tenore accipiat, sicut solitus est accipere ipse Episcopus ad suos Parrochianos presbyteros, quod ità & factum est. Ecclesiam verò ad Tankirc, & Altaria supra scripta ipse Episcopus ad suum Episcopatum retineat cum omni decima sua; & ità statuerunt inter se, atque definierunt, ut si amplius nullam calumniam inde generaret, ipse Abbas partibus ipsum Pontificem easdem Ecclesias legitimè visitare deberetur, excepto, sicut diximus, illa decima legitima, sicut superiùs intimavimus. Si verò pro eâ ullam calumniam præsumeret generare ipse Abbas, & sui, & rebelles fieri, atque lites excitare superbiendo contra ipsum Pontificem, vel contra Canonicam institutionem, vel ipsam convenientiam irritam fieri potestatem, habeat ipse Episcopus ipsas Ecclesias supra memoratas ad suam revocare Episcopalem sedem. Actum Tegarinseo Monasterio publico, XVI. Kalendas Julii, anno quarto Imperii Domini nostri Karoli, Serenissimi Augusti, indictione XII. in Dei nomine feliciter. Amen.

BERHTHARIUS Notarius hanc notitiam subscripsit.

Meichelbeck Histor. Frisingens. Tom. I. Part. II. pag. 92.
Ex quo Mansi Supplementi Tomo I. p. 747.

D. MANSI NOTA. Concilii hujus historiam suppeditat vetus documentum, quod ex vetusto codice Traditionum Frisingensium integrum refert P. Meichelbeck in Historiâ Frisingensi Tom. I. Part. II. pag. 92. Ex eo verò tota Concilii hujus historia deducitur: Tegernseensibus Monachis diem dixerat Atto Frisingensis Episcopus ad Concilium quoddam in Ecclesiâ S. Emmerammi extra mœnia urbis Ratisbonensis cogendum, ut Ecclesias quasdam baptismales, id est, Parrochiales, quas illos contra jus & fas retinere contendebat, sibi Episcopo suo restituerent. Monachi jus suum pro viribus in eo defensabant; tandem ex sententia Concilii reddere omnia jussi sunt. Cùm dictis nequaquam stetissent, anno quarto Imperii Caroli, die XVI. Kal. Julias iterum ad Concilium, in eodem Tegernseensi Monasterio coactum, sistere se jussi sunt. Multa ibi pro se Monachi, sed cùm dicta sua scriptis documentis probare nequaquam potuerint, iterum victi causâ exciderunt. *Mansi Supplement. T. I. loc. cit.*

CONVENTUS IN SALTZ.

Anno Christi (*a*) DCCCIV. Leonis III. PP. IX. Caroli Imperat. IV.

Pax perfecta Carolum inter & Saxones domitos, & horum Decimæ Sacerdotibus pendendæ.

ANno DCCCIII. Carolus Conventu habito in Palatio Saltz, Saxones antiqua libertate donavit, eósque pro conservandâ fide Catholicâ ab omni solvit tributo, excepto, quòd omnes divites, ac pauperes totius suæ culturæ, ac nutrituræ Decimas, Christo & Sacerdotibus ejus fideliter reddere jussit.

Chronicon Quedlinburgense. Leibnitz. Scriptor. Brunsvicens. T. II.

NObilis hic annus longi certamina belli,
Tandem Saxones inter, Francósque peracti,
Firmo perpetuæ conclusit fœdere pacis.
Augustus pius ad sedem, Saltz nomine, dictam
Venerat: huc omni Saxonum nobilitate
Collecta, simul has pacis leges inierunt,
Ut toto penitus cultu, ritúque relicto
Gentili, quem dœmonicâ priùs arte colebant
Decepti, post hæc fidei se subdere vellent
Catholicæ, Christóque Deo servire per ævum.
At verò censum Francorum Regibus ullum
Solvere nec penitus deberent, atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors:
Sed tantùm decimas Divinâ lege statutas
Offerrent, ac Præsulibus parere studerent,
Ipsorúmque simul Clero, qui dogmata Sacra,
Quíque fidem Domino placitam, vitámque doceret.
Tum, sub Judicibus, quos Rex imponeret ipsis,
Legatísque suis, permissi legibus uti
Saxones patriis, & libertatis honore.
Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus,
Ac semper Regi parens æqualiter uni.
Si tamen hoc dubium cuiquam fortasse videtur,
De vitâ scriptum Caroli legat ipse libellum,
Quem Francos inter clarus, veráxque relator,
A summo prudens, Einhardus nomine, scripsit.
Hac igitur pacis sub conditione, fideles
Se Carolo, natisque suis, stirpíque nepotum
Ipsius, juraverunt per sæcla futuros.
Quos per ter denos, & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus conamina belli
Plus Regis pietas & munificentia fecit,
Quam terror. Nam se quisquis commiserat ejus
Egregiæ fidei, ritus spernendo profanos,
Hunc

(*a*) Hermano. Contract. Chronograph. Saxo, Albertus Stadensis, Pfeffinger ad *Vitriarium* L. I. Tit. II. pag. 224. finem belli Saxonici, pacémque initam referunt ad annum 804. Quare & hunc Conventum in eundem annum statuendum duxi, licet alii anno præcedenti adscribant.

Hunc opibus ditans, ornabat honoribus amplis,
Copia pauperibus Saxonibus agnita primùm
Tunc fuerat rerum, quas Gallia fert opulenta,
Prædia præstiterat cùm Rex compluribus illic,
Ex quibus acciperent pretiosæ tegmina vestis,
Argenti cumulos, dulcísque fluenta Lyæi.
His ubi primores donis illexerat, omnes
Subjectos sibimet, reliquos obtriverat armis,
Et multis experta modis innotuit ejus
Tam dulcis pietas; quàm formidabilis ira,
Præfatum statuêre fide servare perenni
Fœdus, & ulteriùs non id mutâsse probantur.

Poëta Saxo, qui claruit sub Arnulfo Imperatore.

Eckhart. Tomo II. Histor. Franc. p. 21.

PRÆCEPTUM DE SCHOLIS GRÆCIS ET LATINIS,

INSTITUENDIS IN ECCLESIA OSNABRUGENSI, DATUM ANNO DCCCIV.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Carolus Imperator Augustus, Romanum gubernans Imperium, qui & Rex Francorum, & Longobardorum, nec non modò Dominator & Saxonum. Notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, nostrísque præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum Wihoni Osnabruckgensi Episcopo, suæque Ecclesiæ, quam nos primam omnium in Saxonia in honore Sancti Petri, Principis Apostolorum, & Sanctorum Martyrum Crispini, & Crispiniani construximus, quoddam nemus, vel forestum, infra hæc loca situm, Farnevinkil, Rutanstein, Angeri, Osning, Sinedi, Bergashovid, Drevensmeri, Etanarfeld, Dumeri, collaudatione illius Regionis potentum, cum omni integritate, in porcis videlicet silvaticis, atque cervis, avibus, & piscibus, omníque venatione, quæ sub banno usuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgranum, pertinentis in silva Osningi, in perpetuum proprietatis usum donavimus: eâ videlicet ratione, quòd si quisquam hoc idem nemus, nostro banno munitum, sine prædictæ sedis Episcopi licentia, studio venandi, vel silvam exstirpandi, vel aliquod hujusmodi negotium peragendi, umquam intrare præsumpserit; sciat se tam Divinæ, quàm & Regiæ ultionis vindictam concursurum, nec non pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis, quos nobis pro banno violato deberi statuimus, redditurum. Insuper verò eidem Episcopo, suísque successoribus perpetuam concedimus libertatem, & ab omni regali servitio confirmamus absolutionem. Nisi fortè contingat, ut Imperator Romanorum, & Rex Græcorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant, tunc Ecclesiæ illius Episcopus, omni sumptu à Rege, vel Imperatore adhibito, laborem simul & honorem illius legationis assumat. Et hoc ea de causa statuimus, quia in eodem loco græcas, & latinas scholas in perpetuum manere ordinavimus, & nunquam Clericos utriúsque linguæ gnaros ibidem deesse in Dei misericordia confidimus. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, ac diuturnis temporibus meliùs conservetur; manu propriâ subter eam roborare decrevimus, & de anulo nostro sigillare jussimus.

Signum CAROLI piissimi Imperatoris.

Amalbertus ad vicem Ercanbaldi recognovi.

Data XIII. Kal. Januarias anno IV. Christo propitio Imperii nostri, & XXXVII. Regni nostri in Francia, atque XXXI. in Italia, actum Aquisgrani Palatio in Dei nomine feliciter. Amen.



Illmus Fürstenbergius post Monumenta Paderbornensia.

Inde varii, & Baluzius Tomo I. Capit. pag. 417.

CAPI-

CAPITULARE DOMINICUM

DATUM ANNO INCARNATIONIS DOMINI NOSTRI JESU DCCCV. AD THEODONIS VILLAM. LEONIS III. PP. XI. CAROLI IMPER. VI.

I.

UT Lectiones in Ecclesia distinctè legantur.

II.

Ut cantus discatur, & secundùm ordinem & morem Romanæ Ecclesiæ fiat: & ut Cantores de Metis revertantur.

III.

De Scribis, quòd vitiosè non scribant. Ut unusquisque Episcopus, & Abba, & singuli Comites suum Notarium habeant.

IV.

De cæteris disciplinis Ecclesiæ, ut secundùm Canones vel Regulam fiant.

V.

De compoto, ut veraciter discant omnes. De medicinali arte, ut infantes hanc discere mittantur.

VI.

De Ecclesiis sine honore manentibus in luminariis, & officiis: & de his, qui Decimas quidem apprehendunt, & de Ecclesiis non curant, ut omnimodis emendetur: & de Altaribus, ut non superabundent in Ecclesiis.

VII.

De nuper venientibus ad Monasterium, ut primò discant Regulam, antequam foras mittantur ad Ministeria, & quòd non vadant ad judicia sæcularia.

VIII.

De his, qui sæculum relinquunt ad servitium Dominicum impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut aut in sæculo sint, aut plenè in Regula permaneant.

IX.

Ut omnes Clerici unum de duobus eligant, aut pleniter secundùm Canonicam, aut secundùm Regularem Institutionem vivere debeant.

X.

De Laicis noviter conversis, ne, antequam suam legem pleniter vivendo discant, ad alia negotia mittantur.

XI.

De propriis servis & ancillis, ut non supra modum in Monasteria (*a*) sumantur, ne desertentur villæ.

XII.

De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant: sed tantos congreget quis, quantis consilium dare possit.

XIII.

De illis, qui non sunt secundùm Regulam pulsati, ut deinceps emendentur, & pulsentur secundùm Regulam.

XIV.

Ut infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequam illæ eligere sciant, quid velint, (*b*) & ut pulsentur salvâ Canonicâ sententiâ & auctoritate.

XV.

Ut Laici non sint Præpositi Monachorum infra Monasteria, nec Archi-Diaconi sint Laici.

XVI.

De Incestuosis, ut Canonicè examinentur, & nec propter alicujus amicitiam alii relaxentur, alii constringantur.

Eginhardus in Chronico, & Browerus L. VIII. Annal. Trever. referunt hæc Capitula ad annum Christi 806.

ACTIO

(*a*) *sumantur* alii mittantur. [*b*] *& ut pulsentur* in codice Palatino omittitur.

ACTIO II.
CAPITULUM IMPERATORIS,
De honore Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, datum in eodem loco, in quo sancita sunt superiora Capitula, id est, apud Theodonis villam.

VOlumus, atque præcipimus, ut omnes suis Sacerdotibus tam majoris ordinis, quàm & inferioris, à minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cujus vice in Ecclesiâ legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus, qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis Sacerdotibus, apparuerint: aut qualiter nobis obedientes, nostrísque Ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis, & Ecclesiarum utilitatibus, non obtemperant? Potiùs námque, juxta veritatis vocem, ille metuendus est, qui potest animam, & corpus perdere in Gehennam, quàm ille, qui corpus torquere, & honores temporales potest auferre. De illis dictum est: *Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit me spernit.* Et alibi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et rursus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius illi, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundo maris.* Et iterum: *Qui vos recipit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Et multa alia, horúmque similia. His ergo fulti oraculis, jubemus, ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos, & peccatores, atque negligentes homines distringendos summopere obedientes existant. Qui autem in his, quod absit, aut negligentes, eísque inobedientes fuerint inventi, sciant, se nec in nostro Imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris societatem, aut communionem ullam habere; sed magis sub magnâ districtione, & ariditate pœnas luere. In his námque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem ac benevolentiam. Quoniam si hæc fideliter & utiliter impleverint, tunc Deo & nobis fideles erunt. Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solùm infideles, sed etiam infames atque reprobi manifestè apparentes notabuntur, eorúmque domus publicabuntur, & ipsi exiliabuntur.

Baluz. Tomo I. Capitular. pag. 437.
Sirmondus pag. 230. *ex Lib. VII. Capitularium N. CCCXC.*

CONCILIUM PROVINCIALE
SALISBURGENSE.
Anno Christi DCCCVII. Leonis III. Papæ XII. Caroli Imper. VII.

De Distributione (a) Bonorum Ecclesiasticorum.

„ CÙm se congregâsset Synodus Episcoporum, Abbatum, cœterorúmque Clericorum Bojoariæ Provinciæ, ad Metropolim Salisburgensem, & ibidem non pauca utilitatis suæ pertractâssent, moverunt iidem Episcopi, Arno Archiepiscopus, (b) Atto, Adalvinus, Emricus, Hatto, quæstiones de decima fidelium populorum, quæ affertur ad Ecclesias. Lectis in- „ de Capitulis ex Canonum auctoritate, „ quid inde agi debuisset; invenerunt „ quatuor portiones fieri, unam Episcopo, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam fabricis Ecclesiæ. „ Tum consenserunt ibi cuncti Abbates, „ qui præsentes aderant huic decreto „ secundùm Canones, & reddiderunt „ portiones Episcoporum Episcopis, „ quæ illos contigisset, id est, Meyin-hart,

" hart, Vrolf, Joannes, Wolfdrege, " Wolfkanhart, Kerrich, Hepfilo, & " cœteri, unusquisque suo Episcopo, eâ " ratione, ut ulterius exinde nulla inter " illos discordia deinceps semper ma- " neret.

" Act. XVII. Kalen. Febr. Ann. VII. " Imperante Carolo glorioso Augusto " post consulatum ejus.

(*a*) Quoniam Acta hujus Concilii interciderunt, eorum summam ex vetusto codice Frisingensis Ecclesiæ descripsit *Brunerus L. VI. Annalium Boicorum.*

(*b*) Arno Salisburgensis Archiepiscopus, Atto Frisingensis, Adalwinus Ratisbonensis, Emricus Sabionensis, Hatto Passaviensis Episcopi erant *Judice Metzgero L. III. C. XI. Historiæ Salisburgensis. Hansitz. in Metropoli Salisburgensi pag. 119. Pagi in Critica ad h. annum.*

Ex hujus Concilii Decreto patet, bona Ecclesiastica in Germania & Bajoaria, nondum in beneficia singulis Clericis propria fuisse distributa, sed decimalium bonorum distributionem fuisse penes Episcopos juxta Decreta Simplicii & Gelasii Pontificum. *Nota Patris Biner Parte IV. Apparatûs Eruditionis pag. 291.*

CONVENTUS IN INGELHEIM.

Anno Christi DCCCVII. Leonis III. Papæ XII. Caroli Imper. VII.

ANno DCCCVII. Carolus Imperator perrexit ad Ingelaeim Palatium, & ibi habuit Conventum suum cum Episcopis & Comitibus, & aliis Fidelibus: & mandavit eis, ut justitias facerent in Regno ejus. Postea dedit eis licentiam, ad propria remeare, & quietè sedere, & ut Deo gratias agerent, ad pacem & concordias ipsorum, & illum annum fecit sine hoste.

Chron. vetus Cœnobii Moissiacensis.

In eodem Palatio Ingelheimensi anni hujus, VII. idus Augusti, commutationem factam variorum bonorum inter Agilwardum Wirceburgensem Episcopum, & Audulfum gloriosum Comitem, ab Carolo Augusto Imperatore confirmatam fuisse, docet diploma autographum ex Archivio Wirceburgensis Ecclesiæ ab Eckharto productum.

Tom. II. Histor. Franc. Eckhart. L. XXVII. pag. 51.

CONCILIUM AQUISGRANENSE.

Anno Christi DCCCIX. Leonis III. PP. XV. Caroli Imper. X.

De Processione Spiritûs S. à Patre, Filióque.

" EOdem tempore exorta est quæ- " stio de Processione Spiritûs San- " cti, ventilata primùm anno DCCLXVII " in Synodo Gentiliacensi, dein anno " DCCCIX. in Aquisgranensi, ac paulò " post in collatione, eodem anno Romæ " cum Leone Pontifice habita, cui Adal- " hardus Abbas Corbeïensis, jussu Ca- " roli Magni, unà cum Jesse Ambianensi, " & Bernario Wormatiensi, Episcopis in- " terfuit, comitante Smaragdo, Monaste- " rii S. Michaëlis in pago Virdunensi " Abbate, qui prædictam collationem " in litteras retulit. Dogma probavit " singulari edito libello Theodulfus Epi- " scopus Aurelianensis, cui Carolus Au- " gustus hanc Provinciam demandave- " rat.

" Hujus Controversiæ occasio petita est ex more Gallorum, qui cùm in " Symbolo Constantinopolitano addidis- " sent vocem: FILIOQUE, in quorun- " dam reprehensionem incurrêre, præ- " cipuè Johannis Monachi Jerosolymi- " tani. Is quippe anno jam dicto in Gal- " liam missus ad Carolum, controver- " siam hac de re commovit, quæ ad Ro- " mani Pontificis judicium delata. Gal- " lorum

" lorum sententiam probavit Leo PP. III, " non factum: ratus nefas, quidquam ci- " tra Ecclesiæ universæ definitionem in " Fidei Symbolum admittere: *Licet*, in- " quit, *docendo cantare, & cantando doce-* " *re: sed illicitè in prohibitis, nec scribendo,* " *nec cantando licet inserere.* Legatis per- " suadentibus consensit Pontifex, ut ne " vox: FILIOQUE penitus expungere- " tur, ne videlicet id crederetur esse con- " tra fidem; sed tamen, ut paulatim in " Palatio intermitteretur, consuluit; " quatenus aliæ Ecclesiæ ejus exemplo " eam vocem cantare dediscerent. Ve- " rùm vox semel admissa revocari non " potuit, immo propagatus est ejus usus " ad alias Ecclesias, adeóque per totam " Ecclesiam Latinam ante medium Sæcu- " lum nonum, testante Photio Patriar- " cha, qui litem de hac additione Latinis " intentavit, ac post eum Michaël Ce- " rularius, Leonis Papæ IX Pontifica- " tu, uti suo loco demonstrandum. Ab " hac voce ventum est ad dogma ipsum, " quod fuit Seminarium, & præcipua " causa funestæ discessionis Græcorum à " Latinis, de qua etiam nunc ingemisci- " mus.

Mabillon. in Præfatione Partis primæ Sæculi IV. Idem scripserant Annales *Loiseliani, Laurishamenses, Pithocani, & cæteri pæne iisdem verbis*:

Bzovius ad hunc annom addit Synodom Romanam. Ab hac Synodo Bernarius, & Jesse " Episcopi, cum Adelhardo Abbate profecti, Ro- " mam advenêre. Io eorum gratiam Leo Papa " in Secretario B. Petri Apostoli habito CONCI- " LIO decrevit, ne quicquam Symbolo aut ad- " derent, aut ab eo detraherent. Hujus rei causâ " duabus in laminis argenteis in altera Græcè, in " altera Latinè, sine tamen aliqua additione in- " sculpi jussit Leo idem Symbolum Constanti- " nopolitanum, eásque habitas præ foribus Basi- " licæ S. Petri affigi.

Referenda est Romana Synodus ad annum 810. *judice Pagio, quia Mense Novembri anni* 809. *fuit finita Synodus Aquisgranensis.*

Quæstio hîc est de Crinomeno Synodi Aquisgranensis anni 809. Illustrissimus Baronius existimat non dubitatum, nec tractatum in eo Concilio fuisse de Processione Spiritûs S. à Patre & Filio; sed unicè controversum de additamento: FILIOQUE ad Symbolum Constantinopolitanum; cum quo augmento Symbolum canebant Hispani & Galli. Econtrario Pagius ex Annalistis Loiseliano, Fuldensi, Bertiniano, Metensi, ex Eginhardo, monacho Egolismensi, Adone, & omnibus antiquioribus Scriptoribus docet, agitatam fuisse in Concilio anni hujus Quæstionem hanc: *Utrum, sicut procedit Spiritus S. à Patre, ità procedat à Filio?*

2dò. Idem probatur ex literis Caroli Imp. ad Leonem Papam scriptis, quæ nullum habent verbum de hoc additamento, sed totæ sunt in coacervandis testimoniis Scripturæ & Patrum pro Processione Spiritûs S. à Patre & Filio.

3tiò. Probatur ex libro Theodulfi, Aurelianensis Episcopi, pro hac causa scripti jussu Caroli Imperatoris.

4tò. Probatur ex libro Alcuini pro hac eadem causâ scripti jussu Caroli, pro Episcoporum Germaniæ & Franciæ fide simul, & additamento ad Symbolum tuendo.

EPISTOLA CAROLI MAGNI IMPERATORIS, AD LEONEM III. PAPAM URBIS ROMÆ DIRECTA POST CONCILIUM AQUISGRANENSE, ET à SMARAGDO (a) ABBATE EDITA.

Quæstio, quæ de Spiritûs S. Processione est nuper exorta, jam dudum est diligentissimè à Sanctis Patribus ventilata. Sed quia jam diu à quærentibus neglecta jacebat, non quievit quasi antiquitus ventilata: sed quasi quædam his temporibus nobis subito emersit occulta: quod divinitus spiratum fideliter credens non dubito. Crebris etenim quæstionum ictibus præsens Ecclesia tunditur, ut doctrinis Catholicis erudita, sanæque fidei confessionibus elimata, in æter-

(a) Smaragdus Abbas S. Michaëlis ad Mosam in Diœcesi Virdunensi, Ord. S. Benedicti, scripsit Epistolam hanc ad Papam Leonem III., jussu Imperatoris Caroli Magni, de Processione Spiritus S. de qua ventilata quæstio fuit in Concilio Aquisgranensi anno 809.

æternum quandoque, hæreditate filiorum perceptâ, vivere cum Domino valeat feliciter regnatura. Sed quia, ut præfatus sum, hæc quæstio diu à quærentibus indiscussa jacebat, voluit omnipotens Deus in eamdem suscitare corda Pastorum: ut negligentiæ tempore sublato exercitationis sanctæ brachio cœlestem valeant perfodere thesaurum. Sermonis etenim Dominici sarculo sæpius Divinarum scripturarum Pastores debent proscindere campum, ne zizania satoris iniqui, seménque malignum formosi tritici valeat opprimere fructum: aut volans passim volucris hæretica semen Catholicum à cordibus rapiat parvulorum, horridáque spinarum emersio Domini nitidam possit suffocare segetem. Lectionis etenim sacræ cognitio imbecillis baculum, nervosis arma ministrat, hostium subdolas fortiter premit insidias, & victoribus æternas promittit feliciter coronas. Ergo procul à Pastoribus negligentiæ torpor abscedat: procul à mentis acumine inertia damnosa recedat, mollisque lascivia corporis membra relinquat, & altus sopor mollisque somnus in rigidas, lucrosásque lectionis emergat excubias; ut Ecclesiæ ager opimus, doctorúmque semine satus, valeat centenos omnipotenti reddere fructus.

Jam nunc adgrediar de Spiritûs Sanctus processione. Quòd Spiritus Patris sit in Filio, idémque Spiritus & Patris sit, & Filii, Esaias testatur, ubi vox Patris ait ad Filium: *Spiritus* (b) *meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui à modo, & usque in sempiternum.* Item in Esaia scriptum est: *Ibi obviaverunt sibi cervi, & viderunt facies suas mutuo. Transierunt: unus ex iis non periit, & Spiritus ejus congregavit eos.* Cervos hîc Apostolos prisci Patres intellexerunt, quos Spiritus Christi in Hierusalem congregavit, ubi obviantes mutuò salutârunt. Igitur quòd Patris sit Spiritus, ipse Dominus Apostolis ait: *Non enim* (d) *vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et quòd idem Spiritus Filii sit, Paulus testatur dicens: *Si quis autem* (e) *Spiritum Christi non habeat, hic non est ejus.* Itémque in Epistola ad Galatas ait: *Quoniam autem estis Filii Dei* (f) *misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem.: Abba Pater.* Beatus quoque Petrus in Epistola sua ait: *Reportantes* (g) *finem fidei vestræ, salutem animarum. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret, qui in eis erat Spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* Et Dominus in Evangelio ait: *Cùm venerit* (h) *Paracletus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Ubi suum esse Spiritum docuit, quia ipse est veritas, & Patris, à quo eum dixit procedere. Quòd Spiritum Sanctum dedit Pater Apostolis, in Epistola ad Corinthios secunda scriptum est: ait enim inter cætera: *Qui autem* (i) *confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Item in Epistola ad Thessalonicenses prima: *Non enim vocavit,* (k) ait, *nos Deus in immunditiam, sed in Sanctificationem, itaque, qui hæc spernit, non hominem spernit; sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.* Et quòd eumdem Spiritum Sanctum dedit & Filius, in Epistola Joannis scriptum est: *In hoc intelligimus,* (l) *quoniam in eo manebimus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Quòd Spiritum Sanctum effudit Pater in discipulos, in Epistola ad Titum scriptum est: *Cùm autem* (m) *benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abunde per JEsum Christum Salvatorem nostrum.* Quòd & eumdem Spiritum Sanctum effudit Filius, in Actibus scribitur Apostolorum. Ajunt enim Apostoli inter cætera: *Hunc* (n) *Jesum resuscitavit Deus, cujus nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus & promissione Spiritûs acceptâ à Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.* Item, quòd una sit à Patre & Filio, Spiritûs Sancti effusio, Joële testante didicimus. Ait enim vox Patris simul & Filii

(b) Isaiæ LIX. 21. (d) Matth. X, 20. (e) Roman. VII, 9.
(f) Galat. IV, 6. (g) I. Petri I, II. (h) Joannis XVI, 13.
(i) 2. Corinth. V, 5. (k) I. Thessalon. IV, 6, 7. 8. (l) I. Joannis III, 13.
(m) Titum III, 5. (n) Actuum II. 33.

Filii: *Effundam de Spiritu* (o) *meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt: sed & super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & dabo prodigia in cœlo, & in terra.* Quòd Spiritus Sanctus oris sit Patris, in Psalmo trigesimo secundo legitur: *Verbo Domini* (p) *cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et quòd os sit Filii, in Esaia scriptum est: ait enim idem Propheta de Filio: *Percutiet* (q) *terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Cui sententiæ concordans Paulus in Epistola ad Thessalonicenses ait: *Et tunc* (r) *revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui.* Quòd Spiritus à Patre procedat, ipse Dominus testatur dicens: *Spiritus*, (s) *qui à Patre procedit, ille me clarificabit.* Et cætera talia plura in Evangeliis inveniuntur testimonia. Et quòd idem Spiritus procedat à Filio, liber Job, ore Dominico sacratus, testis est: ubi hæc inter cætera ait: *Et audite* (t) *auditionem in terrore vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem.* Hoc in loco os Patris Filius est intelligendus, sonus verò de ore illius procedens, Spiritus Sanctus, qui à Filio procedens cum sonitu super Apostolos in igne descendens apparuit, sicut Apostolorum testantur Actus, ubi scribitur: *Dum* (u) *complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritûs validissimi, & replevit totam domum, ubi erant sedentes: & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Beatus autem Gregorius hunc supradictum libri Job versiculum exponens, inter cætera sic ait: Potest autem per os Dei unigenitus Filius designari; per sonum verò oris potest ejusdem Spiritus Sanctus designari: sonus igitur de ore Domini procedit, cùm consubstantialis ejus Spiritus, ad nos per Filium veniens, surditatem nostræ insensibilitatis sumpsit. De hac igitur ipsâ processione, quâ Spiritus Sanctus à Filio procedit, sicut procedit à Patre, Beatus Athanasius in libro, quem scripsit contra Arium, inter cetera sic ait: Ego credo Filium in Patre, & Patrem in Filio: Spiritum quoque paraclitum, qui procedit à Patre, & Filii ejus, & Patris, quia & à Filio procedit, sicut in Evangelio scriptum est, quod per insufflationem suam dederit in discipulis suis Spiritum Sanctum, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis:* & cetera. Cyrillus quoque de hac ipsa Spiritûs Sancti processione contra Nestorium inter cetera sic ait: Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus, & ejus intelligatur in persona proprietas, juxta id, quod Spiritus est, & non Filius; attamen alienus non est ab illo: nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Unde & ab isto similiter, sicut & à Deo Patre, procedit. Ambrosius inter cetera de Spiritu Sancto sic ait: Non enim quasi ex loco mittitur Spiritus, aut quasi ex loco procedit, quando procedit ex Filio. *Hieronymus* quoque de hac ipsa Spiritûs Sancti Processione in Symboli expositione inter cætera sic ait: Spiritus, qui à Patre & Filio procedit, Patri, filióque coæternus, & per omnia coæqualis est. Hæc est Sancta Trinitas, id est, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, una est Deitas & potentia, una & essentia, id est, Pater, qui genuit, filiúsque genitus, & Spiritus Sanctus, qui à Patre filióque procedit. Hæc tria unus Deus est. *Augustinus* quoque in expositione fidei Catholicæ inter cetera sic ait: In illa igitur Sancta Trinitate unus est Pater, qui solus de se ipso essentialiter unum genuit Filium: & unus Filius, qui de uno Patre solus est essentialiter natus: & unus Spiritus, qui solus essentialiter de Patre filióque procedit. Item ipse adversus Maximum hæreticum: Quæris à me, si de substantia Patris & Filius; de substantia Patris est etiam Spiritus Sanctus; cur unus Filius & alius non sit Filius? Ecce respondeo, sive capias, sive non capias. De Patre est Filius: de Patre & Spiritus Sanctus, sed ille genitus est, iste procedens: ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus, iste autem Spiritus utriúsque, quoniam de utróque procedit. Et

(o) Joëlis II, 28. (p) Psalmo XXXII, 9. (q) Isaiæ XI, 14.
(r) II. Thessalon. II, 8. (s) Joannis XVI, 14. (t) Job. XXXVII, 2.
(u) Actuum II, 2.

Et post paululum ipse: Amborum est ergo Spiritus, procedendo de ambobus. Item ipse in libro de Trinitate inter cætera ait: Cùm per Scripturarum Sanctarum testimonia docuissem de utroque procedere Spiritum Sanctum, si ergo inquam, & de Patre, & de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre, & quod ipsius est, de quo ipse est; unde illud quod ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non esse suam, sed Patris; quantò magis illic intelligendus est, & de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait: *De Patre procedit*: ut non diceret: de me non procedit. A quo autem habet Filius, ut sit Deus? si enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus Sanctus: ac per hoc Spiritus Sanctus, ut etiam de illo procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Item ipse Spiritus Sanctus. Spiritus verò Sanctus non, dum de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandum creaturam; sed simul de utroque procedit: quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ità quoque de illo procedat. Hæc à nobis, summo opitulante opifice, de Spiritûs Sancti processione multiplicia Sanctarum Scripturarum adgregata sunt testimonia; ut Divinorum librorum sententiis victus, multorúmque orthodoxorum nube testium pressus, veritati non valeat resistere inimicus, sed potiùs sententiis Catholicis, veridicísque suasus testimoniis, revertatur ad tutissimum Ecclesiæ sinum: ut pariter Catholico educatus in gremio, quandoque æternum cum filiis mercatur accipere regnum.

Holstenius edidit. Harduinus recudit Tomo IV. Conciliorum.



RATIO, (a) QUÆ HABITA EST DE SYMBOLO FIDEI,

In Secretario Sancti Petri Apostoli, inter Domnum Leonem Sanctissimum, & Coevangelicum Papam urbis Romæ, & Bernarium, atque Jesse Episcopos, seu Adalardum Abbatem, missos Domni Caroli Imperatoris per Indictionem II.

Lectis à prædictis Missis per ordinem testimoniis, atque à Domno Apostolico diligentissimè auditis, ait: Ita sentio, ita teneo, cum his auctoribus, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire, vel docere voluerit, defendo; & nisi conversus fuerit, & secundùm hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem funditus abjicio. His dictis, novi, quòd nonnulla colloquendo potiùs, quàm disputando præcesserunt: quorum series sensuum, seu verborum, nisi tantum, quod inde fuit, non satis memoriæ occurrit: cúmque eadem collatio ad hoc usque procederet, ut jam magis certa disputatio, quàm, ut supra, collocutio habenda esset; etsi non eadem fuit proprietas sermonum, in quantum recordari valeo, iste tamen cursus fuit sensuum, & summa conclusio novissimarum definitionum. MISSI. Quia verò, ut dicitis, ita certissimum credendum est, credendo immutabiliter tenendum; tenendo verò, sicubi necesse fuerit, constantissimè defendendum est; numquid non id nescientes docendum; scientibus autem, ut id attentiùs teneamus, confirmandum est? PAPA. Ita est. MISSI. Si ita est, si quis hoc nescierit, vel ita non crediderit, num salvus esse poterit? PAPA. Quisquis ad hoc sensu subtiliore pertingere potest, & id scire, aut ita sciens credere noluerit, salvus esse non poterit. Sunt enim multa, è quibus istud unum est, sacræ fidei altiora mysteria, subtilioráque Sacramenta, ad quorum indagationem pertingere multi valent, multi verò aut ætatis quantitate, aut intelligentiæ qualitate præditi non valent. Et ideo, ùt prædiximus, qui poterit

(a) *Ex Baronio, ad annum* 809. *auctore Smaragdo Abbate, qui & inter Missos Caroli Imp. ad Papam fuit.*

tuerit, & noluerit, salvus esse non poterit. MISSI. Si ergo ita est, immo quia ita est, quod non credere non licet, & non tacendo docere licet, cur non licet cantare, vel cantando docere? PAPA. Licet, inquam, licet docendo cantare, & cantando docere, sed illicitè in prohibitis, nec scribendo, nec cantando licet inserere. MISSI. Quia ergo utrisque notum est, quòd ideò à vobis, ut in Symbolum cantando, vel scribendo inseratur, illicitum ducatur vel dicatur; quia illi, qui idem Symbolum condiderunt, non indiderunt, ut cætera: & sequentes principales Synodi, Chalcedonensis scilicet quarta, Constantinopolitana quoque quinta & sexta, ut novum ultra Symbolum à quoquam qualibet necessitate, seu salvandi homines devotione condere, & in veteribus tollendo, addendo, mutandóque quidquam inserere prohibuerunt, non est ibi diutiùs immorandum. Sed hoc quæro, hoc ut dicatur, rogo: quia id credere bonum est, bonum hodie sicut ad credendum, ita ad cantandum tunc esse, si ab eis insertum fuisset. PAPA. Bonum certè & valdè bonum, utpote tam fidei Sacramentum magnum, quod non licet non credere, quisquis ad hoc valet pertingere. MISSI. Numquid non bene idem tunc auctores fecissent, si quatuor tantùm addendo syllabas, tam pernecessarium Fidei Sacramentum cunctis deinceps Sæculis perspicuum redderetur? PAPA. Sicut non audeo dicere, non bene fecisse, si fecissent; quia procul dubio sicut cætera, quæ vel omiserunt, scientes utique, & non tam humanâ, quâm Divinâ illuminati sapientiâ fecerunt: ita quoque non audeo dicere, istud eos nobis minùs intellexisse; perpendisse, cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne ultra mitteretur, sicut & cætera prohibuêre. Tu & tui videte, quid sentiatis de vobis. Nam & ego me illis non dico, præferam, sed etiam illud absit, mihi ut coæquare præsumam. MISSI. Absit etiam, Pater! Deo nostro protegente, illud à nobis, ut nos quidquam horum cogitemus vel dicamus, vel superbia inflati, vel in Divinis rebus humanæ laudis cupidine provocati, ac si nosmet illis non tantùm præferre, verùm etiam coæquare præsumamus: sed tantùm secundùm hujus temporis qualitatem, & imbecillitatem fratrum nostrorum charitate compatientes, illud quærimus, in eo laboramus, ut, quia finis mundi appropinquat, in quo sicut prædicta sunt tempora periculosa; etiam ideo inter cætera maximè fratribus nostris prodesse valeamus. Quo ergo fideles in Domino in Sacramento Fidei reddere studeamus, & idcirco, quia præfatum Symbolum à quibusdam ita cantari reperimus, & quod id Ecclesiasticæ congruere Fidei, sicut sentimus, atque per hoc & nunc, quàm plurimos doctos, & sine fine usque in finem Sæculi, de tanto Mysterio, si ita teneatur, instruendos esse cognovimus, qui nequaquam instruerentur, nisi cantaretur: melius nobis visum fuit, cantando tantos instruere, quàm tacendo indoctos relinquere. Si enim sciret Paternitas tua, quanta sint hodie millia id scientium, quia cantatur, qui nunquam sciturì essent, nisi cantaretur, fortasse nobiscum teneres, & id tuo etiam consensu, ut cantaretur, acquiesceres. PAPA. Interim assentio. Verumtamen quæso, responde mihi: Num universa hujusmodi Fidei mystica Sacramenta, quæ Symbolo non continentur, sine quibus quisque, qui ad hoc pertingere potest, Catholicus esse non potest, Symbolis inserenda, & propter compendium minùs intelligentium, ut cuique libuerit, addenda sunt? MISSI. Nequaquam, quia non æquè omnia necessaria sunt. PAPA. Etsi non omnia, certè plurima sunt his similia, quæ nisi à capientibus credantur, Catholici esse non possunt. MISSI. Dabisne aliquid, non dico sublimius, sed saltem huic simile, Symbolo decsse? PAPA. Nempe dabo, & abundanter dabo. MISSI. Da primò unum, & si necesse fuerit, da alterum. PAPA. Quia amica agitur contentione, quod agitur, & pro utrarúmque partium quæritur salute, quod quæritur (atque utinam, quoties aliquid hujusmodi in majoribus, seu in minoribus Ecclesiasticis, vel Catholicis utilitatibus quæritur, ita per omnia pacificè, sine perversâ intentione quæreretur) ne quid forte de tam venerandis mysteriis temerè loquamur, detur considerandi locus, & dabimus, quidquid de his dederit Dominus. *Et nocturnâ dilatione congruâ datâ, ait* PAPA: Numquid magis salutare est credere, periculosúmve non credere, Spiritum Sanctum à Filio, sicut à Patre procedere, quâm Filium Sapientiam Deum à Sapientia

entia Deo, Veritatem Deum, à Veritate Deo genitum esse: & tamen utrumque unam Sapientiam, unam Veritatem essentialiter Deum esse: cùm tamen constet, id à Sanctis Patribus eidem Symbolo inditum non esse? Si ergo hæc duo, sicuti sapientes decet, in tam familiari disputatione ad hoc valent, ut nobiscum sentiatis, & cognoscatis, tot priores Catholicos Patres, qui hoc, unde agitur, vel Symbolis non inseruerunt, vel inserere, quemadmodum cætera, ut supra dictum est, prohibuêre, non præsenti ignorantia, non futura negligenti providentia prætermisisse, & prætermissum ne mitteretur, prohibuisse, à coacervandis testimoniis libentissimè quiescimus, sciendum verò non solum secundùm essentiam Divinitatis, verùm etiam secundùm Mysterium Dominicæ Incarnationis tanta, Deo auctore, & eorumdem Patrum auctoritate damus & talia, quanta non solùm sapientibus satisfacere, sed etiam stultos valeant opprimere. MISSI. Non inquam necesse est in eo laborare, an nesciamus, quod scimus, quia quidquid exinde cæteri sciunt, nos Deo auctore scimus, aut scire possumus, si non scimus. PAPA. Hoc est, inquit, quod miramur, qui sine profectuoso labore potestis quiescere, laboratis, ne quiescatis. MISSI. Non ideo laboramus, ne quiescamus. Sed ne propter inertiam pii laboris præmium amittamus, & salva diligentiore inquisitione, declinatáque pertinaci contentione, adhuc magis æstimamus lucrum, quod per hoc in corde quærentium acquiritur, quàm detrimentum in eo fieri illorum, qui addiderunt, ac si per contumaciam contemptores Paternarum Constitutionum exsisterent. Aliud est enim, per arrogantiam transiliendo bona contemnere, aliud bona per benevolentiam meliora efficere. PAPA. Istud quoque. Etsi in quibusdam, ut agatur, bonum est, non tamen ideo ubique agendum est. Qua de re multa, id ita esse, probantia addi poterant testimonia, sed res per se admodum patet, quanto melius sit, ut quisque quodlibet bonum, ita ut est, utile reddere studeat, aut, si forte id ipsum bonum melius efficere nititur, hoc primò caveat, hoc magnopere perpendat, ne & se ultra, quàm debuit temerarium præsumendo, & illud, quod per se salubre erat, reddat noxium corrumpendo. Nisi quis forte asserere velit de præsenti, unde agitur, vel similibus Capitulis, quæ sine periculo suo docere licet & discere, ut ordo docendi licitus dimittatur; & ibi deferantur, ubi numquam deinceps docens aut discens innocens, sed semper sanè in transgressionis crimine merito culpabilis uterque judicetur. Quod te fortasse, si non dedigneris audire, non immerito tangit, qui hic, quod hactenus in Ecclesia Dei & sibi quisque sapiens scire, & sine cogitatione delicti insipienter potuit docere, jam deinceps non dico stultus discere, sed nec ipse sapiens sine prævaricatione possit cantare, cantandóve, ut vultis, quemquam docere: & dum multis alio, quàm debetis, tramite prodesse eligitis, nullum in hac dumtaxat parte dimittitis, cui, si vos secutus fuerit, non noceatis: nam de eo, quod supra docuistis, non æquè judicandus vel habendus sit ille, qui tale aliquid, devotè fructum quærendo, ageret, illo, qui hoc contumaci jussione præsumeret. Hæc defensio, vel, si dici liceat, tergiversatio non huc respicit, non istud intendit, quia non idem Patres discernendo vel decreverunt, nec sanxerunt, ut ipsum benevolus præsumeret, non malevolus, sed tantummodo nullus. MISSI. Numquid non à te id ipsum symbolum est data in Ecclesia cantandi licentia? Numquid à nobis huc usus ille cantandi processit? Hinc etenim illuc mos idem cantandi, non à nobis huc advenit, & quomodo illum usque hodie cantamus? PAPA. Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quidpiam addendi, minuendi, seu mutandi: & ut expressiùs aliquid, quia vos cogitis, loquar, quamdiu vobis in hoc satisfuit, quomodo in hujusmodi cantando vel celebrando Sacrosanctis Mysteriis Sancta Romana tenet Ecclesia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occasionem necesse fuit ingerere: quod vero asseritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantâsse, quid ad nos? Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere quidpiam, eidem symbolo inserendo, præsumimus. Quæ verò prædictis symbolis fidei tantum non congruentia deesse cognoscimus, non, ut sæpè dictum est, inserere præsumimus, sed locis, temporibusve oppor-

portu-

portunis, quibus competit, ministrare curamus. MISSI. Ergo, ut video, illud à vestra Paternitate decernitur, ut primò illud, de quo quæstio agitur, de sæpe fato Symbolo tollatur: & tunc demum à quolibet licitè ac liberè, sive cantando, sive tradendo, discatur & doceatur. PAPA. Ita procul dubio à nostra parte decernitur, ita quoque, ut à vestra assentiatur, à nobis omnimodis suadetur. MISSI. Quanquam ergo, ut suprà ipse dixisti, pro ambarum partium quæritur salute, quod quæritur, sublatis his, quæ vultis, bonum est, ut idem Symbolum cantetur. PAPA. Bonum sanè, quod tamen non imperando, sed, ut priùs, permittendo dicimus: quia illud, sicuti tunc, ita & nunc, si sincerè agatur, utile indigentibus esse posse non ignoramus. MISSI. Quia verò, ut dicitis, & verum dicitis, bonum est cantare id ipsum Symbolum: Numquid enim, si sermo plenus recta fide è medio tollatur, idem sermo ab omnibus, ac si contra fidem sit condemnabitur? Quale ergo dabis consilium, ne idipsum ad aliquod transeat exitium? PAPA. Si priusquam ità cantaretur, interrogatus essem; ne insereretur, utique respondissem. At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ità mihi videtur posse utrumque fieri, ut paulatim in Palatio, quia in nostra Sancta Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur: sicque fiat, ut quod id ipsum, ut cantaretur, non quælibet imperantis auctoritas, sed potius id audiendi fecerat novitas; si dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus: & ità fortasse, quantum esse potest, non incongruè utrumque fieri possit: ut, quod jam nunc à quibusque priùs nescientibus rectè creditur, credatur, & tamen illicita cantandi consuetudo sine cujúsque fidei læsione tollatur.

Hardouin. Tomo IV. Conciliorum. pag. 969.

CAROLI MAGNI
IMPERATORIS
CAPITULARE INTERROGATIONIS,

Quod anno Imperii sui undecimo edidit de iis, quæ pro communi omnium utilitate interroganda constituit.

I.

IN primis separare volumus Episcopos, Abbates, & Comites nostros & singlariter illos alloqui. II. Quæ causæ efficiunt, ut unus alteri adjutorium præstare nolit, sive in marcha, sive in exercitu, ubi aliquid utilitatis defensione Patriæ facere debet? III. Unde illæ frequentissimæ causationes, in quibus unus alteri quærit, quicquid parem suum viderit possidentem. IV. De eo, quod quilibet alterius hominem ad se fugientem suscipit. V. Interrogandi sunt, in quibus rebus, vel locis, Ecclesiastici laicis, aut laici Ecclesiasticis Ministerium suum impediunt. In hoc loco discutiendum est, atque interveniendum, in quantum se Episcopus, aut Abbas rebus sæcularibus debeat inserere, vel in quantum Comes, vel alter laicus, in Ecclesiastica negotia. Hic interrogandum est acutissimè, quid sit, quod Apostolus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, vel ad quos sermo iste pertineat. VI. Quid sit, quod unusquisque Christianus in baptismo, vel quibus abrenuntiet. VII. Quæ sectando, vel negligendo, ipsam suam renuntiationem, vel abrenuntiationem irritam faciat. VIII. Quòd ille bene in Deum non credit, qui præcepta ejus impunè se contemnere putat: vel qui ea, quasi non ventura, despicit, quæ ille comminatus est. IX. Quòd in nobis despiciendum est, utrum verè Christiani sumus: quod in consideratione vitæ, vel morum nostrorum facillimè cog-

Anno DCCCXI. Imp. Carolus Verno tempore post pacem sancitam cum Hemmingo, Danorum Rege, Placitum generale secundùm consuetudines Aquis habuit. *Annales Bertiniani & Metenses. Tomo III. Du Chesne Script. Francorum.*

cognosci potest, si diligenter conversationem coràm discutere voluerimus. X. De vitâ & moribus Pastorum nostrorum, id est, Episcoporum, qui populi Dei non solùm docendo, sed etiam vivendo exemplum bonum dare debent. Ipsis namque Apostolum dixisse credimus, ubi dicit: *Imitatores mei estote, & observate eos, qui ità ambulant, sicut habetis formam nostram.* XI. De vitâ eorum, qui dicuntur Canonici, qualis esse debeat. XII. De conversatione Monachorum, & utrum aliqui Monachi esse possint præter eos, qui regulam sancti Benedicti observant. Inquirendum etiam, si in Galliâ Monachi fuissent, priúsquam traditio regulæ Sancti Benedicti in has Parrochias pervenisset. XIII. Ista conservetis, sicut vobis decet: & in vobis confido, piissimi Pontifices, & in quantum investigare possum, vobis mittere, seu scribere non dubito: bene valete in Domino.

Sirmondus Tomo II. Concilior. Galliæ.
Baluz. Tomo I. Capitularium pag. 477.

ITEM BREVIS CAPITULORUM, QUIBUS FIDELES NOSTROS EPISCOPOS ET ABBATES ALLOQUI VOLUMUS, ET COMMONERE.

De communi omnium nostrûm utilitate.

PRimò commemorandum est, quòd anno præterito tria triduana jejunia fecimus, Deum orando, ut ille nobis dignaretur ostendere, in quibus conversatio nostra coram illo emendari debuisset: quod nunc facere desideramus.

II. Quærendum est in primis Ecclesiasticis, id est, Episcopis, & Abbatibus, ut illi nobis patefaciant de conversatione suâ, qualiter vivere debeant, ut cognoscere valeamus, cui de illis aut bonum, aut aliud aliquid refrænati credere debeamus: & ut scire possimus, in quantum cuilibet Ecclesiastico, id est, Episcopo, vel Abbati, seu Monacho, sæcularibus negotiis se ingerere, aut quid propriè pertineat ad illos, qui dicuntur, & esse debent, Pastores Ecclesiæ, Patrésque Monasteriorum, ut aliud ab eis non quæramus, quàm quod ipsis facere licet; & ut quislibet ex eis à nobis ea non quærat, in quibus eis consentire non debemus.

III. Interrogare volumus ipsos Ecclesiasticos, ut qui Scripturas Sanctas non solùm ipsi discere, sed etiam alios docere debent, qui sint illi, quibus Apostolus loquitur: *Imitatores mei estote:* vel quis ille, de quo idem dicit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, aut qualiter Apostolus sit imitandus, vel quomodo Deo militet.

IV. Iterum inquirendum ab eis, ut nobis veraciter patefaciant, quid sit, quod apud eos dicitur, sæculum relinquere, vel in quibus internosci possint hi, qui sæculum relinquunt, ab his, qui adhuc sæculum sectantur. Utrum in eo solo, quòd arma non portant, nec publicè conjugati sunt.

V. Inquirendum etiam, si ille sæculum dimissum habeat, qui quotidie possessiones suas augere quolibet modo, qualibet arte, non cessat, suadendo de cœlestis regni beatitudine, comminando de æterno supplicio inferni, & sub nomine Dei, aut cujuslibet sancti, tam divitem quàm pauperem, qui simplicioris naturæ sunt, & minùs docti atque cauti inveniuntur, si rebus suis exspoliant, & legitimos hæredes eorum exheredant; ac per hoc plerósque ad flagitia, & scelera propter inopiam, ad quam per hoc fuerint devoluti, perpetranda compellant: ut quasi necessariò furta, & latrocinia exerceat, cui paternarum rerum hæreditas, ne ad eum perveniret, ab alio præcepta est.

VI. Iterum inquirendum, quomodo sæculum reliquisset, qui cupiditate ductus, propter adipiscendas res, quas alium vidit possidentem, homines ad perjuria & falsa testimonia pretio conducit: & advocatum, sive Præpositum, non justum ac Deum timentem, sed crudelem ac cupidum, ac perjuria parvipendentem inquirit, & ad inquisitionem rerum non qualiter, sed quanta acquirant.

VII. Quid de his dicendum, qui quasi ad amorem Dei & Sanctorum, sive Martyrum, sive Confessorum, ossa &

& reliquias Sanctorum corporum de loco ad locum transferunt, ibique novas Basilicas construunt, & quoscumque potuerint, ut res suas illuc tradant, instantissimè adhortantur. Ille siquidem vult, ut videatur quasi bene facere, seque propter hoc factum benemeritum apud Deum fieri, quibus potest, persuadere Episcopis. Palam fit, hoc ideo factum, ut ad aliam perveniat potestatem.

VIII. Miramur, unde accidisset, ut is, qui se confitetur sæculum reliquisse, neque omnino vult consentire, ut ipse à quolibet sæcularis vocetur; armatus homo cùm sit, & propria velit retinere: & ad eos, qui nondum in totum sæculum renuntiaverunt, hoc pertineat: ad Ecclesiasticos verò quomodo justè pertineat, penitus ignoramus; nisi illi nobis insinuaverint, qui hæc, quasi licita, usurpare non dubitant.

IX. Quid unusquisque Christo in baptismo promittat, vel quibus causis abrenuntiet, quamvis unicuique Christiano considerandum sit; specialiter tamen ab Ecclesiasticis inquirendum: qui laicis ipsius pomissionis & abrenuntiationis in suâ vitâ exemplum præbere debent. Hic diligentissimè considerandum est, & acutissimè distinguendum, quæ sectando, vel quæ negligendo, unusquisque nostrûm ipsam suam promissionem, & abrenuntiationem vel conservet, vel irritam faciat. Et quis sit ille Satanas, sive adversarius, cujus opera, vel pompas in baptismo renuntiavimus. Hic autem conspiciendum est, ne perversa unusquisque faciendo, illum quislibet nostrûm sequatur; cui jam dudum in baptismo renuntiavimus.

X. In quo Canonum, vel in cujus Sancti Patris regula constitutum sit, ut invitus quislibet, aut Clericus, aut Monachus fiat: aut ubi Christus præcepisset, aut quis Apostolus prædicasset, ut de nolentibus & invitis, & vilibus personis congregatio fieret in Ecclesia vel Canonicorum, vel Monachorum.

XI. Quam utilitatem conferat Ecclesiæ Christi, quòd is, qui Pastor, vel Magister nec cujuscumque venerabilis loci esse debet, magis studet in suâ conversatione habere multos, quam bonos: & non tantùm probis, quàm multitudine hominum delectatur: plus studet, ut suus Clericus, vel Monachus, bene cantet & legat, quàm justè & beatè vivat. Quamquam non solùm minimè in Ecclesiâ contemnenda sit cantandi, vel legendi disciplina, sed etiam omnimodis exercenda. Sed si utrumque cuilibet venerabili loco accedere non potest; tolerabilius tamen ferenda nobis videtur imperfectio cantandi, quàm vivendi. Et quamvis bonum sit, ut Ecclesiæ pulcra sint ædificia; præferendus tamen est ædificiis bonorum morum ornatus & culmen. Quia in quantum nobis videtur, structio Basilicarum veteris legis quandam trahit consuetudinem; morum autem emendatio propriè ad novum Testamentum, & Christianam pertinet disciplinam. Quod si Christus, & Apostoli, & qui Apostolos rectè secuti sunt, in Ecclesiasticâ disciplinâ sunt sequendi; aliter nobis in multis rebus faciendum est, quàm usque modò fecissemus; multa de usu & consuetudine nostra auferenda; & non minùs multa, quæ hactenus non fecimus, facienda.

XII. Quâ regulâ Monachi vixissent in Gallia, priùsquam regula Sancti Benedicti in ea tradita fuisset, cùm legamus Sanctum Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multo ante S. Benedictum fuit.

XIII. De Sanctimonialium & ancillarum Dei conversatione.

Sirmondus T. II. Concilior. Galliæ.
Baluz. Tomo I. Capitularium p. 479.

EPISTOLA GENERALIS CAROLI MAGNI IMPERATORIS, AD ARCHI-EPISCOPOS REGNI FRANCORUM.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Carolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, pacificus Imperator (Romanorum) gubernans

nans Imperium, qui & misericordia Dei Rex Francorum & Longobardorum, (a) Odilberto Archi-Episcopo in Domino Salutem. Sæpe tecum, immò & cum cæteris Collegis tuis familiare colloquium de utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuisses. Sed quamvis Sanctitatem tuam in Divinis rebus tota intentione vigilare non ignoremus; omittere tamen non possumus, quin tuam Devotionem Sancto incitante Spiritu nostris apicibus compellamus, atque commoneamus, ut magis ac magis in Sanctâ Dei Ecclesiâ studiosè ac vigilanti cura laborare studeas in prædicatione sancta, & doctrina salutari: quatenus per tuam devotissimam solertiam verbum vitæ æternæ crescat, & currat, & multiplicetur numerus populi Christiani in laudem & gloriam Salvatoris nostri Dei. Nôsse itaque per tua scripta, aut per te ipsum volumus, qualiter, & tu, & Suffraganei tui, doceatis & instruatis Sacerdotes Dei, & plebem vobis commissam, de Baptismi Sacramento, id est, cur primò infans Catechumenus efficitur, vel quid sit Catechumenus, deinde per ordinem omnia, quæ aguntur. De scrutinio, quid sit scrutinium. De symbolo, quæ sit ejus interpretatio secundùm Latinos. De credulitate, quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus, & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, & cætera, quæ sequuntur in eodem Symbolo. De abrenuntiatione Satanæ, & omnibus operibus ejus & pompis. Quid sit abrenuntiatio, & quæ opera Diaboli, & pompæ ejus? Cur insufflatur, & cur exorcizatur? Cur Catechumenus accipit salem? Quare tangantur nares, pectus ungatur oleo? Cur scapulæ signantur, & quare pectus, & scapulæ lavantur? Cur albis induitur vestimentis? Cur sacro Chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine? & cur corpore, & sanguine Dominico confirmatur? Hæc omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nuntiare satage; & si ita teneas, & prædices, aut in hoc, quod prædicas, te ipsum custodias. Benè vale, & ora pro nobis.

Baluz. Tomo I. Capitularium pag. 483.

[a] Odilbertus, Mediolanensis Archi-Episcopus, statim jussis Regiis paruit, & Librum *de Baptismo* sctiptum, Carolo misit, quo XII. Capitibus respondet postulatis Regiis. Laidradus Archie. Lugdunensis etiam opus *de Sacramento Baptismi* Carolo inscripsit. Amalarius archiep. Trev. *de Sacro Baptismate* ad Carolum scripsit, item Theodulfus Ep. Aurelianensis Librum *de Ordine Baptismi.* Jesse Ep. ambianensis Sacerdotes suæ Diœcesis de ordine Baptismi *Epistolâ scriptâ* instruxit. *Nota Eckharti Tomo II. Franciæ Oriental. pag.* 69.

CAROLUS IMPERATOR CONTROVERSIAM FINIUM INTER ARCHI-EPISCOPATUM AQUILEGIENSEM & SALISBURGENSEM DIRIMIT, DRAVO AMNE STATUTO LIMITE.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Carolus Serenissimus Augustus, à Deo coronatus, Magnus, pacificus, Imperator, Romanorum gubernans Imperium, quia per misericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum. Notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, præsentium, & futurorum, qualiter viri venerabiles, URSUS Sanctæ Aquilegiensis Patriarcha, & ARNO Juvavensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, ad nostram venientes præsentiam, non minimam inter se contentionem habuerunt de Carantanâ Provinciâ, quòd ad utriusque illorum Diœcesin pertinere deberet. Nam URSUS Patriarcha antiquam se autoritatem habere asserebat, & quòd tempore, antequam Italia à Longobardis fuisset invasa, per *Synodalia Gesta*, quæ tum temporis ab antecessoribus suis Aquilegiensis Ecclesiæ rectoribus agebantur, ostendi posset, prædictæ Carantanæ Provinciæ civitates ad Aquilegiam esse subjectas. ARNO verò Episcopus asserebat, se habere autoritatem Pontificum Sanctæ Roma-

Romanæ Ecclesiæ, ZACHARIÆ, STEPHANI, atque PAULI, quorum præceptis, & confirmationibus prædicta Provincia tempore Antecessorum suorum ad Juvavensis Ecclesiæ Diœcesin fuisset adjuncta.

Nos autem auditâ, & discussâ eorum contentione; ut in unam eos caritatem, & concordiam revocaremus, & ut in futurum tam inter ipsos, quàm & successores eorum omnis controversia, atque disceptatio fuisset penitus ablata, prædictam Provinciam Carantanum ita inter (*eos*) dividere jussimus, ut DRAVUS fluvius, qui per mediam Provinciam illam currit, terminus ambarum Diœcesium esset; & à ripa Australi ad Aquilegiensis Ecclesiæ Rectorem; ab Aquilonari verò ripa ad Juvavensis Ecclesiæ Præsulem ipsius Provinciæ pertineret. Ecclesiæ verò, quæ in utraque ripâ fuissent constructæ, ubicunque possessiones suas justè sibi collatas habere noscerentur, absque contradictione, & contentione ambarum partium haberent, quia compertum habemus, quod quædam Ecclesiæ in unâ ripâ fluminis prædicti sunt constructæ.

Hâc igitur definitione promulgatâ à nobis, præcipimus, atque jubemus, ut tam præsentes viri venerabiles, MAXENTIUS videlicet, qui in locum nuper viri venerabilis URSI, Patriarchæ, subrogatus est, & ARNONEM virum venerabilem Juvavensis Ecclesiæ Archi-Episcopum decernere in futurum nulla controversia, aut quæstio moveatur, sed contenti sint, ex utraque parte nostro judicio, quod inter eos secundùm rectitudinis normam, propter charitatem, & pacem, quæ inter tales viros decet, conservandam judicavimus. Neque enim justior nobis, super hujusmodi disceptatione sententia proferenda videbatur, quàm ut divisio inter eos illius Provinciæ fieret, cujus ambo se auctoritatem habere asserebant: quia nos eorundem auctoritatem neutiquam falsam, neutiquam infirmam facere volumus, quia una antiquitate, altera Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sublimitate præcellebat. Hanc nostræ auctoritatis jussionem, ut majorem per tempora vigorem sortiretur, firmiórque ab iis, qui post nos futuri sunt, hominibus haberetur, more nostro eam subscribere, & de Bullâ nostrâ jussimus sigillare. Datum XVIII. Kalend. Junii, anno XI. Christo propitio, Imperii nostri: XLII. Regni nostri in Francia; atque XXXVII. in Italia, Indictione quartâ. Actum Aquisgrani Palatii, in Dei nomine feliciter. Amen.

Hansiz. Tomo II. Germaniæ Sacræ pag. 120.

Aquilegienses olim Metropolitanum jus per Noricum Mediterraneum exercuerant in Episcopos Tiburniensem, Celejensem, Petovionensem. Subinde Francis valescentibus Gallicani Episcopi eis Ecclesiis curam adjecerant. Demum Virgilius Salisburgensis, converso ad Christum Sclavorum Duce, eas partes procurandas susceperat. Unde mora lis de finibus jam anno 798: quæ anno 811. ab utroque Archi-Episcopo delata ad Placitum Caroli Aquis habitum, hoc diplomate dirempta & finita fuit. *Hansiz. in Episcopatu Salisburgensi Germaniæ Sacræ Tom. II. p.* 120. 111.

CONVENTUS AQUISGRANENSIS.

Anno Christi DCCCXII. Caroli Imperii XIII.

De Monasterii Fuldensis Pace restaurata.

Facta est conturbatio porro non minima in Monasterio S. Bonifacii (id est Fuldensi) & Fratres XII. ex ipsa familia perrexerunt simul cum Abbate Ratgario (tertio loci Abbate) ad Judicium Imperatoris Caroli. Nec tamen ita commotio illa quievit. Sed post Ricolphus Archi-Episcopus Moguntiacensis, & Beonnarius Episcopus civitatis Wangionum, & Hatto Episcopus Augustensis, & Wolgarius Episcopus Ecclesiæ Wirzaburg cum cæteris Fidelibus, quasi simul ad illud Placitum convenerunt jussu Imperatoris, sanaverunt commotionem illam in Monasterio S. Bonifacii.

Chronicon Hildensheimense apud Duchesne Tomo III. Scriptor. Franc. pag. 509. *ad annum XLIV. regni Caroli, qui juxta eum Scriptorem est* 812. *Christi.*

Monachi recentis instituti zelo flagrantes, petiere sibi veteris disciplinæ rigorem nolebant: at Ratgarius summo jure Abbatis nunquam cessit, qui demum rogatu fratrum accusantium anno 817. depositus fuit, Sancto Eigile successore. *Pagi ad annum* 812. *N. XV.*

LIBELLUS SUPPLEX
MONACHORUM FULDENSIUM CAROLO IMPERATORI PORRECTUS.

Hæc quoque Cœnobium totum Fuldense rogavit
AUGUSTUM CAROLUM, jura novare sibi.
Quæ cuncta honesta censebat Cæsar opimus,
Et votum precibus jussit inesse piis.

IN primis petimus Pietatem tuam, Clementissime Imperator, quòd liceat nobis orationum, psalmodiæ, & vigiliarum modum tenere, quem Patres nostri habuerunt pro amicis nostris viventibus atque defunctis, id est, quotidianam precem pro te, Domine Auguste, & pro liberis tuis, & pro omni populo Christiano. Quam manè, quando in unum convenimus, & Capitulum de Regula coram fratribus legebatur, exsurgentes post lectionem, ter versum: *Deus in adjutorium meum intende*, adjuncta *Gloria Patri*, cantantes, flexis genibus Psal. L. cecinimus, simul cum versibus, & collecta. In secunda quoque feria unius cujusque septimanæ, orationem pro omnibus, nobis Eleëmosynas tribuentibus, id est, eundem Psalm. L, quem tota congregatio, juxta corpus B. Martyris simul prostrata, cantavit, cum oratione Dominica & Versibus. Pro defunctis ergò fratribus nostris commemorationem illam, quam quotidie bis habuimus, id est, post matutinam celebrationem & vespertinam, quæ est antiphona, videlicet: *Requiem æternam*, & prima post Psalmi: *Te decet Hymnus Deus.* Versus & Collecta. In Kalendis verò omnium mensium unam vigiliam, & 2. Psalmos. Pro Sturmi quoque Abbate, & Fundatoribus Monasterii istius, in anniversaria obitûs die, unam vigiliam, & unum Psalterium per singulos annos.

II. Quòd Presbyteris concedatur Missas sæpius celebrare, & quòd spatia eis ad hoc dentur, sicut à majoribus nostris dabantur. Quódque illi ad sacrum ordinem eligantur, qui eruditi sint verbo, & sancta conversatione probati, & nec fures, nec scelerati, & qui Sacerdotii juris penitus ignari sunt.

III. Ut Sanctorum honor & festivitas non detestetur, sed in Vigiliis & Missis eorum digna commemoratio fiat: & quod in his festivitatibus, quibus major veneratio convenit, fratribus ab opere ad lectiones & psalmodiam vacare liceat, sicut apud Majores nostros licitum est: id est, in festivitate Sanctæ Mariæ, & XII. Apostolorum, S. Stephani, & S. Laurentii, & cæterorum, quorum memoriæ apud Ecclesias Germaniæ celebres fiunt, nec non & eorum, quorum corpora in his Regionibus habentur.

IV. Quòd communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere, non respuatur, secundùm exempla præcedentium Patrum.

V. Quòd infirmorum major cura sit & miseratio, senum videlicet, & debilium: neque penuriâ victûs affligantur, neque vestitûs paupertate conterantur, & nec ineptiis aliquibus vexentur; ità ut nec baculum eis pro sustentatione ferre liceat, nec ad inclinatorium, quod nos formulam dicimus, morando hærere, quia cæcus, & claudus non possunt sine sustentatione baculi bene incedere, nec decrepitus sine formula genua flectere. Hoc rogamus, ut tales, propter fastidium, de Monasterio non ejiciantur, ne fortè in cellis, sub laicis constituti, sine confessione & necessario vitæ viatico moriantur.

VI. Quòd omnibus, ad Monasterium, vitæ hujus amore venientibus, pietas congrua impendatur, & nec infirmi, neque seniores, neque delicati duritia aufugentur: sed omnes cum misericordia suscipiantur, & solatium, quod petierint, honestè infirmitati eorum impertiatur.

VII. Quòd nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori Monasterii societur; ne fortè aliquis magis propter commoda terrena, quàm propter æternæ vitæ amorem se Monasterio sociare

fociare voluerit, & receptus inhonesto suo more conturbet fratres.

VIII. Ut nullus propter pecuniam, vel possessionem terrenam, fictis suasionibus seductus, & blanditiis deceptus, postquam in Monasterium susceptus fuerit, & non habens, quod sibi promittebat, tristitiâ, & pœnitentiâ sæculi pereat; sed veritas unicuique ore proferatur, & opere impleatur.

IX. Quòd nullus vi Monachus fieri cogatur, nec ad Clerum tondeatur, sive liber sit, sive servus; quia tales in Monasterium suscepti auctores fiunt scelerum, & executores vitiorum.

X. Quòd victum & vestitum, sicut majores nostri nobis constituerunt, habere liceat: quia primus Abbas noster Sturmis, in Monasterio S. Benedicti per annum conversans, huc postea rediens, secundùm electionem Sancti Bonifacii, habitum eorum, & victum dijudicantis, nobis istum constituit, cujus rei plures adhuc testes supersunt.

XI. Quòd commune (a) Magisterium à Decanis & Præposito omnibus fratribus fiat: quiæ hæ divisiones, quæ modò factæ sunt, occasiones sunt scandalorum, dissensionum, & contradictionum. Credimus enim, propter pacis caritatísque custodiam expedire, secundùm priorem constitutionem communiter fratribus Decanos omnes constitui, ut communis cura cautelam præbeat, & dilectionem impendat.

XII. Ut ædificia immensa, atque superflua, & cætera inutilia opera omittantur, quibus fratres ultra modum fatigantur, & familiæ foris dispereunt; sed omnia juxta mensuram, & discretionem fiant. Fratribus quoque secundùm regulam certis horis vacare lectioni liceat, & item certis operari.

XIII. Quòd peregrinorum susceptio, & lavatio in eis pedum non negligatur, sed secundùm regulam, & secundùm priorum nostrorum consuetudinem, quandocúmque venerint, misericorditer suscipiantur, & ab omnibus fratribus lavatio pedum eis exhibeatur.

XIV. Quòd hospitalitas antiqua non obliviscatur, sed omnibus hospitibus congruus honor, & omnis humanitas exhibeatur. Quando autem plures simul advenerint, ut in Missa Sancti Bonifacii, consolatione undique facta, ab his, qui cellas provident, omnibus refectio præbeatur.

XV. Ut privata negotia, & sæcularia beneficia, & divisio possessionum atque agrorum, in ipso Monasterii loco non fiant, quia inde exoriuntur jurgia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, inimicitiæ, dissensiones, invidiæ, furtivæ commessationes, & ebrietates, & pœne omnia mala, & saluti nostræ contraria: sed omnes agri atque cellæ in communi omnium fratrum fiant: & omnes homines, qui in eodem Monasterii loco habitant, ab uno vestiario vestitum accipiant, prout Præpositus, sive Cellarius dispensaverint, nec mercimonia aliqua ab aliquibus ibi ventilentur, sed sint omnia omnibus communia.

XVI. Ut ipsa Monasterii ministeria per fratres ordinentur, id est, Pistrinum, hortus, Braciarium, coquina, agricultura, & cetera ministeria, sicut apud decessores nostros fuerunt; quia devotius, & digniùs per fratres omne exercebitur officium, quàm per laicum, aut servum malevolum.

XVII. Quòd malitiosæ, & furiosæ mentis homines, & ad cuncta flagitia perpetranda promptissimi, non colligantur intra Monasterium, sicut factum est de illo homicida Clerico, qui monachum interfecit: qui contra omnium fratrum voluntatem, & consensum locatus est in Monasterio; quia timemus, ne fortè cognati ipsius monachi, diabolicâ suasione in ultionem ejus inflammentur, & homicidium augeatur. Quòdque ipsi, qui propter scelera sua, & improbitates, inter sæculares esse non poterant, in vicina Monasterii loca gregatim non collocentur, quia furto Monasteria deprædant, & proxima quæque loca latrociniis infestant.

XVIII. Quòd ipse Abbas corrigatur, ne institutis Sancti Bonifacii detrahat, dicens, quòd decreta ejus Synodus damnaverit: & quòd majores & cetera Monasteria non reprehendat, quasi regulariter non vivant.

XIX. Ut crucis gloriatio in singulis diebus Dominicis fiat ante Missam, fratribus omnibus circa vicina quæque loca, Mona-

(a) *Fortè* Ministerium.

Monasterii crucem sequentibus, hymnos, & antiphonas cantantibus sicut apud majores nostros usus erat in diebus Dominicis, Passionis, & Resurrectionis Domini gloriam celebrari, quòd in diebus jejuniorum ab Episcopo decretis, crucem portare, & Litanias facere liceat.

XX. Hoc igitur, quod maximè nobis necessarium esse judicavimus, præ omnibus optabamus, id est, veritatem & concordiam cum Abbate nostro habere, sicut cum anterioribus nostris Abbatibus habuimus: & misericordiam, & familiaritatem, pietatem & modestiam in illo sentire: & ut esset benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus, mœstorum consolator, laborantium adjutor, benevolorum auxiliator, bene certantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, cadentium restaurator: omnes fratres amaret, nullum odiret, & nullum zeli, vel livoris dolo persequeretur: fieréque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio, non obstinatus in consilio; sed hilaris facie, lætus mente, discretus in opere, consentiens in utilitate: & quando aliquis de fratribus præoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannicâ vindictâ illum excruciaret, sed misericorditer disciplinâ corrigere festinaret, concursúmque clementer susciperet, nec pravâ suspicione denuo illum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret.

His & talibus, Domine Imperator, apud priores nostros Abbates usi sumus, & de hoc istum Abbatem sæpissimè rogavimus, sed usque in præsentem diem impetrare non potuimus.

Browerus L. III. Fuldens. Antiquitatum C. XII.

CONCILIUM MOGUNTIACUM,

CAROLI MAGNI IMPERATORIS JUSSU, IN CLAUSTRO BASILICÆ S. ALBANI CELEBRATUM SUB DIE V. IDUS JUNIAS, INDICTIONE VI. ANNO CHRISTI DCCCXIII. LEONIS III. PAPÆ XVIII. CAROLI EJUSDEM REGIS ET IMP. XLV.

TITULI CANONUM.

1. *De Fide Catholicâ firmiter tenendâ.*
2. *De spe habendâ in Deum.*
3. *De caritate ab omnibus conservandâ.*
4. *De Sacramento Baptismi uniformiter celebrando.*
5. *De pace, & concordia, & unanimitate.*
6. *De Orphanis & exhæredatis subveniendo.*
7. *Ut res pauperum, vel minùs potentum, mala occasione non emantur.*
8. *De potestate Episcoporum pro rebus Ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.*
9. *De vitâ Canonicorum.*
10. *Item de vitâ Clericorum.*
11. *De vita Monachorum.*
12. *Ne Monachi placita sæcularia adeant.*
13. *De Sacris Virginibus.*
14. *De negotio sæculari, Clericis & Monachis interdicto.*
15. *De Imitatione Apostolicâ.*
16. *De eo, quid sit relinquere mundum.*
17. *De armis omittendis.*
18. *De fictis virtutibus, & veris vitiis discernendis.*
19. *Ut in Monasteria nimis multi homines non mittantur.*
20. *De locis Monasteriorum, vel ædificiis providendis.*
21. *Ut Episcopi sciant, qualiter Canonici, qui sunt cum Abbatibus, vivant.*
22. *De Clericis vagis.*
23. *De Clericis injustè tonsuratis.*
24. *De Clericis adeuntibus Imperatorem.*
25. *Ut prædicatio sancta assiduè in Ecclesiâ fiat.*
26. *Presbyteri tantùm ad Missarum solennia, introitum habeant ad Monasteria puellarum.*
27. *Ut Presbyteri Chrisma diligenter custodiant.*

28. Ut

28. *Ut Presbyteri assiduè utantur orariis.*
29. *Ne Laici Presbyteros ejiciant de Ecclesiis, eósve in eis constituant absque Episcopi consensu.*
30. *Ne Laici à Presbyteris munera exigant.*
31. *De fugitivis Clericis.*
32. *Quid sit Litania, & quid exomologesis.*
33. *De Litaniâ majore.*
34. *De quatuor temporibus observandis.*
35. *De indicto jejunio.*
36. *De Festivitatibus anni.*
37. *De Dominicis diebus cum veneratione observandis.*
38. *De Decimis, ut dentur.*
39. *Ut Ecclesiæ pacem habeant.*
40. *Ut in Ecclesiis placita sæcularia non fiant.*
41. *Ut antiquæ Ecclesiæ honorem suum habeant.*
42. *De Beneficiis Ecclesiasticis, ut qui hæc habent, ad Ecclesiarum restaurationem adjuvent, & nonam, & decimam reddant.*
43. *Ne Presbyter solus Missam cantet.*
44. *De oblatione & pace in Ecclesia facienda.*
45. *Ut Symbolum & Orationem Dominicam omnes discant.*
46. *Ut malum ebrietatis omnino vitetur.*
47. *De spiritualibus filiolis instruendis.*
48. *Ut canticum luxuriosum circa Ecclesias non canatur.*
49. *De subintroductis mulieribus.*
50. *De Præpositis, vel Advocatis, sive Vice-Dominis.*
51. *Ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum.*
52. *Qui mortui in Ecclesiâ sepeliantur.*
53. *De incestuosis.*
54. *Ne proprius filius de Baptismo suscipiatur: & ne filiola, vel commater uxor ducatur.*
55. *De damnatis nuptiis.*

PRÆFATIO.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Gloriosissimo & Christianissimo Imperatori CAROLO Augusto, veræ Religionis Rectori, ac Defensori Sanctæ Dei Ecclesiæ, unà cum prole suâ, ejúsque fidelibus, vita & salus, honor & benedictio, cum victoria sine fine mansura. Almificæ Reverentiæ vestræ patefacimus nos humillimi famuli, ac missi vestri, Hildebaldus scilicet Sacri, Palatii Archi-Episcopus, Richolfus, & Arno Archi-Episcopi, seu Bernharius, unà cum reliquis Coepiscopis, atque Abbatibus, & cætero Clero, quia venimus secundùm jussionem vestram in civitatem Moguntiam; ibique pariter adunati primitus cum Litaniis triduanum celebravimus jejunium, Divinam suppliciter postulantes Clementiam, quatenus sanctâ gratiâ suâ Conventum & Actionem ipsius Synodi sibi acceptabilem facere dignaretur, & Christiano populo proficientem ad salutem & vitam perpetuam, vobísque ad æternum honorem & gloriam. Tum verò consedentes in claustro Basilicæ Sancti Albani, Martyris Christi, consonâ voce gratias egimus Deo Patri omnipotenti, quia Sanctæ Ecclesiæ suæ, tam pium, ac devotum in servitio Dei concessit habere Rectorem, qui suis temporibus sacræ Sapientiæ fontem aperiens, oves Christi indesinenter sanctis reficit alimentis, ac Divinis instruit disciplinis, Christianúmque populum indefesso labore amplificare conatur, hilaritérque Christi honorat Ecclesias, ac de fauce diri draconis multorum animas studet eripere, & ad sinum Sanctæ Matris Ecclesiæ revocare, atque ad gaudia Paradisi, & ad Regna cœlestia omnes communiter invitare, Sanctâ Sapientiâ suâ, devotissimóq; studio cæteros Reges transcendens. Incipientes igitur in nomine Domini, communi consensu & voluntate tractare pariter de statu veræ Religionis, ac de utilitate & profectu Christianæ plebis, convenit nobis, de nostro communi Collegio Clericorum, seu laicorum, tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima autem turma consederunt Episcopi cum quibusdam Notariis, legentes atque tractantes Sanctum Evangelium, nec non Epistolas, & Actus Apostolorum, Canones quoque, ac diversa Sanctorum Patrum opuscula, Pastoralémque librum Gregorii, cum cæteris sacris dogmatibus: diligenti studio perquirentes, quibus modis statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum sanâ doctrinâ & exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratiâ Dei, perficere & conservare potuissent. In alia verò turmâ consederunt Abbates, ac probati Monachi, Regulam Sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem

liorem statum, atque augmentum eum Dei gratiâ perducere potuissent. In tertia denique turmâ sederunt Comites & Judices, in mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes, omniúmque advenientium causas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, justitias terminantes. In his itaque omnibus primò decrevimus, unicuique personæ, vel sexui congruum honorem impendere, secundùm dictum Beati Petri, primi Pastoris Ecclesiæ, ubi ait: *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia in Christo JESU Domino nostro.* Hinc Paulus ad Timotheum scripsit, dicens: *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ùt Patrem, juvenes ùt fratres, anus ùt matres, juvenculas ùt sorores in omni castitate.* Insuper etiam congruum nobis esse videbatur, ut Sacerdotes Ecclesiæ Dei jure legitimo & inconvulso honorarentur, de quibus Dominus ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos recipit, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit.* Et Apostolus ad Hebræos: *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Nam de reverentia Ecclesiarum dicit Dominus: *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* De his tamen omnibus valde indigemus vestro adjutorio, atque sanâ doctrinâ, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis subter perstrinximus Capitulis, à vestrâ auctoritate firmentur, si tamen vestra pictas ità dignum esse judicaverit; & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica Imperialis Dignitas jubeat emendare: ut ità emendata, nobis omnibus, & cunctæ Christianæ plebi, ac posteris nostris proficiant ad vitam & salutem, & ad gloriam sempiternam; Vobisque inde merces, honor, & laus, & benedictio, ac beatitudo permaneat in omnes æternitates sæculi. Amen.

CANONES.

I. *De fide Catholicâ firmiter tenendâ.*

INitium enim actionis nostræ de fide esse decrevimus, quæ bonorum omnium est fundamentum, & quia *sine fide*, ut dicit Apostolus: *Impossibile est placere Deo.* Fides tamen indiget opere, quia fides sine operibus mortua est. Ideo Beatus Gregorius: Ille: inquit, verè credit, qui exercet operando, quod credit. Quapropter de verâ fide omnes omnino Christianos alterutrum inter se jugiter admonere, & docere oportet. Maximè tamen Domini Sacerdotes in eo certamine laborare decet, ut firmiter ab omnibus teneatur.

II. *De spe habenda in Deum.*

Spes verò in Deum firmiter à cunctis Christianis tenenda est. Unde Psalmista commemorat: *Sperate in eo omnis congregatio populi*, & reliqua. Et iterum: *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Et iterum: *Sperantes autem in Domino, misericordia circumdabit.* Et Apostolus: *Spe enim salvi facti sumus.*

III. *De caritate ab omnibus conservanda.*

Caritas Deus est, ùt ait Joannes Apostolus: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Item Paulus Apostolus: *Finis*, inquit, *præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Caritatem ergo qui habet, omnia bona habet. Quam ideo commemoravimus, quia volumus, ut firmiter ab omnibus æquè Catholicis conservetur. Augustinus quoque in sermone de laude caritatis dicit: Si ergo non vacat, omnes paginas perscrutari, omnium scripturarum secreta penetrare, tene caritatem, ubi pendent omnia: ibi tenebis, quod ibi didicisti. Ille itaque tenet, & quod patet, & quod latet in Divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus.

IV. *De Sacramento Baptismi uniformiter celebrando.*

Sacramenta itàque Baptismatis volumus, ut sicut Sancta vestra fuit admonitio, ità concorditer, atque uniformiter in singulis Parochiis, secundùm Romanum ordinem inter nos celebrentur, jugi-

jugitérque conserventur: id est, scrutinium ad ordinem Baptismatis, sicut in decretis Leonis Papæ sub duobus continetur Capitulis. In Capitulo XI. Duo tempora, id est, Pascha, & Pentecoste, ad baptizandum, à Romano Pontifice legitima præfixa sunt. Item Capitulo XII. Non interdictâ licentiâ, quâ in Baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Et Siricius: Si in qualibet necessitate opus fuerit sacri undâ Baptismatis, omni volumus celeritate succurri.

V. *De pace & concordia & unanimitate.*

Ut pax & concordia sit, atque unanimitas in populo Christiano: quia unum Deum Patrem habemus in cœlis, & unam matrem Ecclesiam, unam fidem, unum Baptisma. Ideo in unâ pace & unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam & veram hæreditatem regni cœlestis cupimus pervenire: quia non est dissenssionis Deus, sed pacis, ut ipse ait: *Beati Pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.*

VI. *De Orphanis & exhæredatis subveniendo.*

Propter istius itaque pacis concordiam conservandam, placuit nobis de Orphanis & pauperibus, qui debitè & indebitè dicuntur amisisse hæreditatem paterni vel materni juris, ad se legibus pertinentem; si alicubi inventi fuerint, quos patres vel matres propter traditiones illorum exhæredes fecerunt, aliorum scilicet suasionibus, aut petitionibus, vel aliquo ingenio; omnino volumus, atque decrevimus emendari, quantum ad nos, vel ad nostram pertinet potestatem, juxta voluntatem Dei, & vestram sanctam admonitionem, & considerationem. Quòd si fortè extra officium nostrum alicubi inventum fuerit, admonere vestram Clementiam audeamus, ut emendetur.

VII. *Ut res pauperum, vel minùs potentûm malâ occasione non emantur.*

Propter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec judices, nullúsque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio, res pauperum, vel minùs potentum, nec emere, nec vi tollere audeat. Sed si quis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus, & cum ratione hoc faciat. Ubicumque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per jussionem vestram.

VIII. *De potestate Episcoporum pro rebus Ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.*

Ut Episcopi potestatem habeant, res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundùm Canonicam auctoritatem, volumus: & ut laici in eorum ministerio obediant Episcopis, ad regendas Ecclesias Dei, viduas, & orphanos defendendos; & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam. Et Episcopi consentientes sint Comitibus & Judicibus ad justitias faciendas: & ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per perjurium, aut per præmium, lex justa in aliquo depravetur.

IX. *De vita Canonicorum.*

In omnibus igitur, quantùm humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici Canonicè vivant, observantes Divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta Sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistri eorum compositè agere præsumant in unoquoque Episcopatu: & ut simul manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant: & singulis diebus manè primo ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm Canones suis Magistris exhibeant.

X. *Item de vitâ Clericorum.*

Discretionem igitur esse volumus, atque decrevimus inter eos, qui dicuntur sæculum reliquisse, & adhuc sæculum sectantur. Placuit igitur Sancto Concilio, ut ità discernantur, sicut in Regula Clericorum dictum est. His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vitâ seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant; non spectaculis, non pompis intersint, convivia inhonesta & turpia fugiant. Tamen Hieronymus in Epi-

Epistolâ ad Nepotianum dicit: "Omnium Christianorum domos, quasi proprias, amare debemus, ut consolatores nos in mœroribus suis potiùs, quàm convivas in prosperis noverint. Item Isidorus: "Clerici tamen convivia privata non tantùm pudica, sed & sobria colant: usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisq; cujusquam studium appetant." Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant: sæcularia officia, negotiáque abjiciant: honorum gradus per ambitionem non subeant: pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos & conjurationes caveant: odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant. Non vagis oculis, non infræni linguâ aut petulanti, timidóque gestu incedant: sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu incessúque ostendant. Obscenitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur. Viduarum atque Virginum visitationes frequentissimas fugiant: contubernia fœminarum nullatenus appetant: Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam; neque ullo jactantiæ studio se attollant. Postremò in doctrina, in lectionibus, in Psalmis, hymnis & canticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim debent esse, qui Divinis cultibus se mancipandos student exhibere: scilicet, ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

XI. *De vita Monachorum.*

Abbates autem censuimus, ità cum Monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi, qui in præsenti Synodo aderant, palam nobis omnibus promiserunt: id est, secundùm doctrinam Sanctæ Regulæ Benedicti, quantùm humana permittit fragilitas. Ac deinde decrevimus, sicut Sancta Regula dicit, ut Monasterium, ubi fieri possit, per Decanos ordinetur: quia illi Præpositi sæpe in elationem incidunt, & in laqueum diaboli.

XII. *Ne Monachi placita sæcularia adeant.*

Hoc tamen omnino volumus, ut Monachi ad sæcularia placita nullatenus veniant, neque ipse Abbas sine consilio Episcopi sui: & cùm necessitas exigit, tunc per jussionem, & consilium Episcopi illuc vadat. Nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi movere præsumat: sed quicquid quærendum, vel etiam respondendum sit, per advocatos suos hoc faciat. Abbates & Monachi usque ad interrogationem silentium habeant: & cùm interrogantur, cum humilitate, & reverentia respondeant: alias querelas omnino devitent. In eorum claustro permaneant, nullúsque ex eis foras vadat, nisi per necessitatem ab Abbate mittatur in obedientiam. Nec foris manducent, neque bibant, sine permissione Abbatis, nec ad convivia sæcularia vadant.

XIII. *De Sacris Virginibus.*

Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè, & justè vivere censemus. Quæ verò professionem Sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, Canonicè vivant pleniter, & sub diligenti curâ custodiam habeant, & in claustris permaneant, neque foras exitum habeant. Sed & ipsæ Abbatissæ in Monasteriis sedeant, nec foras vadant sine licentiâ, & consilio Episcopi sui.

XIV. *De negotio sæculari Clericis & Monachis interdicto.*

Ministri autem Altaris Domini, vel Monachi, nobis placuit, ut à negotiis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negotia sæcularia: de his tamen pauca perstrinximus, ad quæ pertinet omnis libido, non solùm in immunditia carnis, sed etiam in omni concupiscentia carnali. Quicquid plus justo appetit homo, turpe lucrum est. Munera injusta accipere, vel etiam dare: pro aliquo sæculari quæstu, pretio aliquem conducere: contentiones, & lites vel rixas amare, in placitis sæcularibus disputare, exceptâ defensione orphanorum aut viduarum: conductores aut procuratores esse sæcularium rerum: turpis verbi, vel facti joculatorem esse, vel jocum sæcularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens proposito suo quærere, in deliciis vivere velle, gulam & ebrietatem sequi, pondera injusta, vel mensuras habere, negotium injustum exercere. Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas; quia legimus

gimus Sanctos Apostolos negotiatos esse, & in Regula Sancti Benedicti præcipitur, prævidere, per quorum manus negotium Monasterii transeat. Canes, & aves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet sit causis, superfluum esse. Ecce talia, & his similia, ministris Altaris Domini, nec non & Monachis, omnino contradicimus. De quibus dicit Apostolus: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

XV. *De Imitatione Apostolicâ.*

Apostolus dicit: *Imitatores meî estote, & observate eos, qui ità ambulant, sicut habetis formam nostram: non eos observantes, qui sunt inimici Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cælis est.* Sicut Hieronymus in Epistolam ad Galatas ait: Æmulantur autem bene, qui cùm videant, vel audiant, esse in aliquibus gratias, virtutésque, ipsi tales esse desiderant, & fidem, vitam, atque industriam eorum, per quæ illa meruerunt, nituntur imitari, ut possint ea quoque, quæ bonâ æmulatione digna sunt, consequi, magis quærentes spiritalia, quàm carnalia, ut perseveranti gradu ad finem boni operis pervenire possint. Augustinus in primo libro de agone Christianorum hanc sententiam interpretans, dicit: Imitatores meî estote, sicut & ego Christi. Quare intelligendum est, etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphâsse de potestatibus hujus mundi, sicut de Domino dixerat, cujus se imitatorem esse profitetur. Imitemur ergo & nos illum, sicut hortatur: & castigemus corpus nostrum, & in servitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Aliquando quidem suo Exemplo Christi nos fieri imitatores jubet, dicendo: *Imitatores meî estote, sicut & ego Christi.* Aliquando quidem de se reticens, ad ipsius nos imitationem Dei extendit, dicens: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi.* Jam verò demonstrans, quia nihil ità hanc imitationem pariat, quàm si ità vivat aliquis, ut bonum ejus in commune proficiat, atque universis utiliora provideat, adjunxit: *Ambulate in caritate.* Ideo cùm dixisset: Imitatores Dei estote; continuò de caritate disseruit: quia hæc præcipuè virtus homines Deo proximos faciat.

XVI. *De eo, quid sit relinquere mundum.*

Sæculum autem relinquere, est, sicut Gregorius dicit, sæculi voluptatibus contraire. Hinc Paulus admonet: *Qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Et Gregorius in libro Pastorum: Ut videlicet sic vobis suppetant, & exteriùs serviant, quatenus à supernæ dilectionis studio animum non reflectant.

XVII. *De armis omittendis.*

Nos autem, qui relinquimus sæculum, id modis omnibus observare volumus, ut arma spiritalia habeamus, sæcularia dimittamus. Laicis verò, qui apud nos sunt, arma portare non præjudicemus; quia antiquus mos est, & ad nos usque pervenit.

XVIII. *De fictis virtutibus, & veris vitiis discernendis.*

Dominus dicit in Evangelio: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Hinc Hieronymus in Commentario Matthæi dicit: De omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitu, ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Item in alio loco: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum.* Nec his quidem accommodanda fides est, qui, cùm pollent integritate fidei, turpiter vivunt, & doctrinæ integritatem operibus destruunt. Utrúmque enim Dei servis necessarium est, ut opus sermone, & sermo operibus comprobetur. Et Beda in tractatu in Evangelium Lucæ dicit: " Ipse enim finis est, ut nihil duplici " animo faciamus. Si veram, inquit, " & non fictam vis habere justitiam; " quæ verbis ostentas, etiam factis com-" pensare curato... Et Apostolus: *Dilectio sinè simulatione, odientes malum, adhærentes bono.*

XIX. *Ut in Monasteria nimis multi homines non mittantur.*

Ut plures non mittantur in Monasteria Canonicorum, vel Monachorum, aut etiam puellarum, quàm sufferri possit.

XX. *De locis Monasteriorum, vel ædificiis providendis.*

Deinde dignum, ac necessarium est, ut Missi per quæque loca directi, simul cum Episcopis uniuscujusque Diœcesis, perspiciant loca Monasteriorum, Canonicorum pariter, & Monachorum, similitérque puellarum, si in apto & congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet Monasterii, sicut in Sancta Regula dicitur: " Monasterium autem ità " debet constitui; ut omnia necessaria " infra Monasterium exerceantur; ut non " sit necessitas Monachis, vel Clericis, va- " gandi foras, quia omnino non expe- " dit animabus eorum. Similiter quoque ædificia Monasteriorum supradicti Missi, & cum eis Episcopi, per diversa loca prævideant, si apta sint, & congruenter Sanctæ Professioni composita: vel si claustrum firmum habeant, in quo salvari possint animæ in eis commorantium sub disciplinâ Canonicâ, vel regulari. Ubi autem aliter inventum fuerit, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari: ità ut condignam professioni eorum custodiam habeant Canonici, vel Monachi, atque Nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi, quod absit.

XXI. *Ut Episcopi sciant, qualiter Canonici, qui sunt cum Abbatibus, vivant.*

Præcipimus, ut unusquisque Episcopus sciat per singula Monasteria, quantos quisque Abbas Canonicos in Monasterio suo habeat: & hoc omnino ambo pariter provideant, ut, si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant: sin autem, Canonicè vivant omnino.

XXII. *De Clericis vagis.*

De Clericis vagis, seu de acephalis, id est, de his, qui sunt sinè capite, neque in servitio Domini nostri, neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sinè Canonicâ, vel regulari vitâ degentes, ut in libro Officiorum secundo, Capitulo tertio, de eis dicitur. " Hos neque in- " ter laicos sæcularium officiorum studia, " neque inter Clericos Religio tenet Di- " vina, sed solutos, atque oberrantes sola " turpis vita complectitur, & vaga: qui- " que dum nullum metuunt, explendæ " voluptatis suæ licentiam sectantur, " quasi animalia bruta, libertate, ac desi- " derio suo feruntur, habentes signum " Religionis, non Religionis officium, " hippocentauris similes, nec equi, nec " homines. " Tales omnino, ubicunque inventi fuerint, præcipimus, ut Episcopi sine ullâ morâ eos sub custodia constringant Canonicâ, & nullatenus eos ampliùs ità errabundos, & vagos secundùm desideria voluptatum suarum vivere permittant. Sin autem Episcopis suis canonicè obedire noluerint, excommunicentur usque ad judicium Archi-Episcopi regionis illius. Si autem nec ille eos corrigere valuerit, tunc omnino sub vinculis constringantur, usque ad Synodum, ut ibi eis judicetur, utrum ad judicium Domini nostri, aut ad istam magnam Synodum adferantur sub custodia publica.

XXIII. *De Clericis injustè tonsuratis.*

De Clericis verò hoc statuimus, ut hi, qui hactenus inventi sunt, sive in Canonico, sive in Monachico Ordine, tonsurati sinè eorum voluntate; si liberi sunt, ut ità permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur sinè legitimâ ætate, & spontaneâ voluntate, vel cum licentiâ Domini sui.

XXIV. *De Clericis adeuntibus Imperatorem.*

De Clericis adeuntibus Imperatorem, hoc placet omnibus modis observare, quod de eis in Sacris Canonibus constitutum est.

XXV. *Ut Prædicatio Sancta assiduè in Ecclesiâ fiat.*

De officio Prædicationis, si fortè Episcopus non fuerit in domo suâ, aut infirmus est, aut aliâ aliquâ causâ exigente non valuerit; numquam tamen desit diebus Dominicis, aut Festivitatibus, qui Verbum Dei prædicet, juxta quod intelligere vulgus possit.

XXVI. *Presbyteri tantùm ad Missarum Solemnia introitum habeant ad Monasteria Puellarum.*

Ut Presbyteris per Monasteria Puellarum opportuno tempore liceat Missarum Solemnia celebrare, & iterum ad proprias Ecclesias redire.

XXVII. *Ut Presbyteri Chrisma diligenter custodiant.*

Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma

Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii, donare inde præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.

XXVIII. *Ut Presbyteri assiduè utantur orariis.*

Presbyteri sinè intermissione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis.

XXIX. *Ne Laici Presbyteros ejiciant de Ecclesiis, eósve in eis constituant, absque Episcopi consensu.*

Ut Laici Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, neque constituant sinè consensu Episcoporum suorum.

XXX. *Ne Laici à Presbyteris munera exigant.*

Ut Laici omnino munera injusta non exigant à Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ cuiquam Presbytero.

XXXI. *De fugitivis Clericis.*

Ut unusquisque Episcopus in sua Parochia diligenter Presbyteros, vel Clericos inquirat, unde sint, & si aliquem fugitivum invenerit, ad suum Episcopum redire faciat.

XXXII. *Quid sit Litania, & quid exomologesis.*

Litaniæ autem græco nomine appellantur, quæ latinè dicuntur rogationes. Inter Litanias autem, & exomologeses hoc differr, quòd exomologeses pro solâ peccatorum confessione agantur: Litaniæ verò indicantur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub unâ designarione habetur.

XXXIII. *De Litania majore.*

Placuit nobis, ut Litania major observanda sit à cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut Sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere, & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

XXXIV. *De quatuor temporibus observandis.*

Constituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur, id est, in mense Martio hebdomada prima; & Feria IV., & Feria VI., & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam, hora nona cum Litaniis ad Missarum solemnia. Similiter in mense Junio hebdomadâ secundâ, Feria IV., & VI., & Sabbato jejunetur usque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembrio hebdomada tertia, & in mense Decembrio hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini, sicut est in Romana Ecclesia traditum.

XXXV. *De indicto jejunio.*

Quod si quis indictum jejunium superbiendo contempserit, & observare cum Christianis noluerit, in Gangrensi Concilio præcipitur, ut anathematizetur, nisi emendare se studeat.

XXXVI. *De Festivitatibus anni.*

Festos dies in anno celebrare sancimus. Hoc est, diem Dominicum Paschæ, cum omni honore, & sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam observari decrevimus. Diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecostem similiter, ùt in Pascha. In Natali Apostolorum Petri, & Pauli diem unum, Nativitatem S. Joannis Baptistæ, Assumptionem S. Mariæ, Dedicationem S. Michaëlis, Natalem S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificarionem S. Mariæ. Et illas Festivitates Martyrum, vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque Parochia Sancta Corpora requiescunt. Similiter etiam Dedicationem templi.

XXXVII. *De Dominicis diebus cum veneratione observandis.*

Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decrevimus observari, & à servili opere abstinere: & ut mercatus in eis minimè sit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur.

XXXVIII. *De Decimis, ut dentur.*

Admonemus, atque præcipimus, ut decimas Deo omnino dari non negligatur, quas Deus ipse sibi dari constituit: quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne fortè Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.

XXXIX. *Ut Ecclesiæ pacem habeant.*

Reum, confugientem ad Ecclesiam, nemo

nemo abstrahere audeat, nec inde donare ad pœnam, vel ad mortem, ut honor Dei, & Sanctorum ejus conservetur: sed Rectores Ecclesiarum pacem, & vitam, ac membra ejus obtinere studeant: tamen legitimè componat quod iniquè fecit.

XL. *Ut in Ecclesiis placita sæcularia non fiant.*

Præcipimus, ut in Ecclesiis, aut in domibus Ecclesiarum, vel atriis, placita sæcularia minimè fiant.

XLI. *Ut antiquæ Ecclesiæ honorem suum habeant.*

Ecclesiæ antiquitùs constitutæ nec decimis, nec aliis possessionibus priventur, ità ut novis oratoriis tribuantur.

XLII. *De Beneficiis Ecclesiasticis, ut, qui hæc habent, ad Ecclesiarum restaurationem adjuvent, & nonam, ac decimam reddant.*

Quicumque Beneficium Ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas, omnino adjuvent, & nonam, & decimam reddant.

XLIII. *Ne Presbyter solus Missam cantet.*

Nullus Presbyter, ùt nobis videtur, solus Missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicet: Dominus vobiscum, vel sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cùm alius nemo cum eo sit?

XLIV. *De oblatione, & pace in Ecclesia faciendâ.*

Oblationem quoque, & pacem in Ecclesia facere, jugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi, & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera unanimitas, & concordia demonstratur.

XLV. *Ut Symbolum, & orationem Dominicam omnes discant.*

Symbolum, quod est signaculum Fidei, & orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes populum Christianum. Volumùsque, ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad Monasteria, sive foras Presbyteris, ut Fidem Catholicam rectè discant, & orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.

XLVI. *Ut malum ebrietatis omnino vitetur.*

Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus præcipimus cavere: & qui hoc vitare noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus usque ad emendationem congruam.

XLVII. *De spiritalibus filiolis instruendis.*

Deinde præcipimus, ut unusquisque Compater, vel proximi, spiritales filiolos suos Catholicè instruant.

XLVIII. *Ut canticum luxuriosum circa Ecclesias non canatur.*

Canticum turpe, atque luxuriosum circa Ecclesias agere omnino contradicimus. Quod & ubique vitandum est.

XLIX. *De subintroductis mulieribus.*

Omnibus igitur Clericis fœminas secum in domibus suis habere ultra licentiam Canonum firmiter sit contradictum.

L. *De Præpositis, vel Advocatis, sive Vice-Dominis.*

Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctóque Clero omnino præcipimus, Vice-Dominos, Præpositos, Advocatos, sive defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes. De Judicibus autem, vel Centenariis, atque Tribunis, seu Vicariis, dignum esse censemus, ut, si mali fuerint, de ministerio suo abjiciantur.

LI. *Ne Corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum.*

Deinceps verò Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre, sinè consilio Principis, vel Episcoporum, & Sanctæ Synodi licentiâ.

LII. *Qui mortui in Ecclesia sepeliantur.*

Nullus mortuus infra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici.

LIII. *De Incestuosis.*

Ut Episcopi incestuosos pariter investi-

veſtigare ſtudeant, omnino præcipimus. Et ſi pœnitere noluerint, de Eccleſiâ expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.

LIV. *Ne in quartâ generatione conjugium copuletur.*

Contradicimus quoque, ut in quartâ generatione nullus ampliùs conjugio copuletur: ubi autem poſt interdictum factum inventum fuerit, ſeparetur.

LV. *Ne proprius filius de Baptiſmo ſuſcipiatur, & ne filiola, vel commater uxor ducatur.*

Nullus igitur proprium filium, vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem; nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, ſeparentur.

LVI. *De damnatis nuptiis.*

Siquis uxorem viduam duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu duabus ſororibus nupſerit; aut ſi qua duobus fratribus nupſerit, ſeu cum Patre & Filio, tales copulationes anathematizari, & disjungi præcipimus, nec umquam ampliùs conjugio copulari, ſed ſub magna diſtrictione fieri.

Facta eſt autem hæc Synodus in civitate Moguntiâ, in clauſtro Baſilicæ S. Albani Martyris, anno Domini DCCC XIII., & Imperii Domni Caroli Imperatoris anno XIII. Indictione VI. V. Idus Junii. Ubi ſederunt Epiſcopi XXX. Abbates verò XXV.

Concilium hoc Moguntinum à Crabbio, Surio, Binio, & poſt à Sirmondo editum, collatum fuit cum MS. Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, cujus *variantes* adſcribo.

Præfatio codicis noſtri uncialibus literis elegantiſſimè picta eſt hoc cum Titulo: PRÆFATIO CONCILII EPISCOPORUM MOGUNTIÆ HABITA. ante Canonem quartum erat hic Titulus prævius: *De Sacramento Eccleſia.* Canonis XIV. erat hic Titulus duntaxar: *De negotio ſaculari.* Cætera aberant. Canonis XXIX. erat hic Titulus ſolùm: *Ne Laici Presbyteros ejiciant de Eccleſia.* Canonis XXXVIII. hic ſolùm: *De Decimis.* Canonis XXXIX. ultima verba ſic leguntur: *Tamen legitimè component, quod iniquè fecerunt.* Impreſſa leguntur numero ſingulari. Canonis XLVIII. hic erat titulus: *Ut canticum luxurioſum circa Eccleſias deſeratur.* In fine KAROLI ſcribitur in MS. noſtro per K., & Indictio V. loco ſextæ.

Hactenus variantes Codicis Metropolitani Colonienſis ab impreſſis; in quo & Canones Conciliorum Arelatenſis VI. Remenſis II. Turonenſis III. Cabillonenſis II. eodem anno celebratorum aſſervantur memorando exemplo diligentiæ Archi-Epiſcoporum noſtrorum in ſervandis codicibus MSS. Conciliorum.

CAROLI MAGNI
IMPERATORIS
CAPITULARE.

Anno Imperii ejus XIII. poſt Synodos præcedentes editum, de iis, quæ Epiſcopi congregati in unum obſervanda decreverant, & admonenda.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De Baptiſmo ritè celebrando.*
2. *Ut Laici Presbyteros de Eccleſiâ non ejiciant.*
3. *Ut Laici pro datis Eccleſiis munera non exigant.*
4. *Ut Canonici, & Monachi ſecundùm ordinem vivant.*
5. *Ut in Monaſteriis Puellarum Presbyteri peractis ſacris non ſubſiſtant.*
6. *Ut plures in Monaſteriis, quàm ferre poſſint, non recipiantur.*
7. *De Decimis.*
8. *De inceſtuoſis inveſtigandis, & coërcendis.*
9. *De pace, & concordia.*
10. *Ut Comites Epiſcopis obediant, & juſtitias faciant.*
11. *Ut tempore famis unuſquiſque ſuos alere ſtudeat.*

12. *Ut Episcopo liceat de Thesauro Ecclesiæ pauperibus erogare.*
13. *Ut justa sint pondera, & mensuræ.*
14. *Ut prædicatio assiduè fiat, & ab omnibus intelligatur.*
15. *De iis, quæ Dominico die fieri non debent.*
16. *Ut Episcopi Parochias suas circumeant.*
17. *Ut Chrisma sub sigillo custodiatur.*
18. *Ut Parentes, & Patrini filios suos doceant.*
19. *Ut Ecclesiis antiquis sua jura serventur.*
20. *In Ecclesiis sepelire quos. liceat.*
21. *Ut placita in Ecclesiis, eorúmve atriis non fiant.*
22. *Ut res pauperum fraudulenter non acquirantur.*
23. *Ut fugitivi Clerici redire compellantur.*
24. *Ut, qui Beneficium habet Ecclesiæ, ad ejus sarta tecta adjuvet.*
25. *Ut publici criminis rei publicæ pœnitentiæ subjiciantur.*
26. *Ut Presbyteri, quod docent, opere compleant.*
27. *De Presbyteris, qui confessiones revelare dicebantur.*
28. *De Tumultibus, quos faidosi homines excitabant.*

CAPITULA.

I.

UT unusquisque (*a*) Archi-Episcopus suos Suffraganeos diligenter, studioséque admonere studeat, ut unusquisque suos Presbyteros pariter investigare non negligat, Baptismatis Sacramenta qualiter agant, & hoc eos studiosè doceant, ut ordinabiliter fiat.

II.

Ut Laici (*b*) Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, nec alios mittere præsumant.

III.

Ut Laici (*c*) omninò non audeant munera exigere à Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ cuique Presbytero.

IV.

Providendum (*d*) necesse est, qualiter Canonici vivere debeant, nec non & Monachi, ut secundùm ordinem Canonicum, & regularem vivere studeant.

V.

De Monasteriis (*e*) Puellarum, ut Presbyteros opportuno tempore ad Missarum solemnia liceat advenire, & iterum ad proprias Ecclesias redire.

VI.

Ut plures non (*f*) mittantur in Monasteria Canonicorum, atque Monachorum, seu Puellarum, quàm sufferri possit.

VII.

De Decimis admonendis.

VIII.

De incestuosis (*g*) omninò investigandum, ut ab Ecclesiâ expellantur, nisi pœnitentiam egerint.

IX.

Ut pax sit (*h*) & concordia inter Episcopos, & Comites, & reliquos Clericos, & Monachos, & Laicos.

X.

Ut Comites (*i*) & Judices, seu reliquus populus obedientes sint Episcopo, & invicem consentiant ad justitias faciendas, & munera pro judicio non accipiant, nec falsos testes.

XI.

Ut unusquisque (*k*) propter inopiam famis suos familiares, & ad se pertinentes gubernare studeat.

XII.

Ut unicuique (*l*) Episcoporum liceat de Thesauro Ecclesiæ pauperibus erogare, ad nutrimentum secundùm Canones, cum testibus.

XIII.

Ut pondera (*m*) & mensuræ ubique æqualia sint, & justa.

XIV.

De officio (*n*) Prædicationis, ut juxta, quod benè vulgaris populus intelligere possit, assiduè fiat.

XV.

Ne Dominicis (*o*) diebus mercatum fiat, neque placitum: & ut his diebus nemo

(*a*) Arelatense VI. can. III.
(*b*) Ibid. can. 4.
(*c*) Ibid. can. 5.
(*d*) canon. 6.
(*e*) Moguntinum can. 16.
(*f*) Ibid. can. 19.
(*g*) Moguntinum can. 53.
(*h*) Arelatense VI. can. 13.
(*i*) Ibid. can. 13.
(*k*) Ibid. can. 14.
(*l*) Turonense III. can. 15.
(*m*) Arelat. VI. can. 15.
(*n*) Mogunt. can. 25.
(*o*) Arelat. can. 16.

nemo ad pœnam, vel ad mortem judicetur, & de operibus cavendis admoneatur.

XVI.

Ut unusquisque (*p*) Episcopus interim circumeat Parochiam suam docendo & admonendo, & quæque sunt necessaria, emendare studeat, & si quid emendare nequiverit, ad prædictum placitum proferat.

XVII.

Ut Presbyteri (*q*) sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii, donare præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.

XVIII.

De fide (*r*) unusquisque Compater, vel Parentes, vel proximi filios suos spiritales Catholicè instruant, ita, ut coram Deo ratiocinare debeant.

XIX.

Ut Ecclesiæ (*s*) antiquitus constitutæ, nec Decimâ, nec aliâ ullâ possessione priventur, itâ ut novis tribuatur Ecclesiis.

XX.

Ut mortui (*t*) non sepeliantur in Ecclesiâ, nisi Episcopi, vel Abbates, vel fideles, & boni Presbyteri.

XXI.

Ut placita (*u*) in domibus, vel atriis Ecclesiarum minimè fiant.

XXII.

Ut Comites, (*x*) vel Vicarii, seu Judices, ac Centenarii, sub mala occasione, vel ingenio, res pauperum non emant, nec cui tollant, sed quisquis hoc comparare voluerit, in publico placito coram Episcopo hoc faciat.

XXIII.

Ut (*y*) unusquisque in suâ Parochiâ Presbyteros, vel alios Clericos diligenter inquirat, & fugitivos ad loca sua redire faciat, & ad proprium Episcopum suum.

XXIV.

Ut quisque (*z*) Beneficium Ecclesiasticum habet, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias omninò adjuvet.

XXV.

Ut qui (*aa*) publico crimine convicti sunt rei, publicè judicentur, & publicam pœnitentiam agant secundùm Canones.

XXVI.

Ut Presbyteri bene vivere studeant, & ità populum doceant.

XXVII.

Ut hoc inquiratur, si de partibus Austriæ verum est, quod dicunt, an non: quòd Presbyteri de confessionibus accepto pretio manifestent latrones.

XXVIII.

Ut inquiratur diligenter de faidosis hominibus, qui solent incongruas commotiones facere, tam in Dominicis diebus, quamque & aliis solemnitatibus, sicuti & in feriaticis diebus. Hoc omnino prohibendum est, ne facere præsumant.

Hactenus edicti hujus Capitula, vel summæ potiùs, ac breviaria Capitulorum. In altero autem codice Gandavensi, ex quo & postrema duo Capita descripsimus, quæ in Metensi non sunt, sequebantur præterea hoc loco, repetebantùrque ex superioribus Capitula duo, quartum nimirum & quintum, sed plena, atque integra in hunc modum:

IV.

PRovidendum omnimodis, ac diligenter exquirendum, qualiter Canonici vivant, nec non & Monachi: ut unusquisque eorum secundùm ordinem canonicè, ac regulariter vivant, & non similiter: Id est, ut refectoria & dormitoria unà simul observentur, quemadmodum jam dudum in Capitulis nostris injunctum habemus.

V.

De Monasteriis Puellarum, ut Presbyteris certo tempore ad Missarum solemnia celebranda liceat ad eas in Ecclesia convenire, & mox ad proprias redire Ecclesias. Cæteri verò Clerici, vel Laici similiter observentur, ut nequaquam in eadem Monasteria ingredi audeant, nisi necessitatis causâ ipsius Monasterii compulerit.

(*p*) Arelat. can. 17. (*q*) Ibid. can. 18. (*r*) Mogunt. can. 47.
(*s*) Arelat. can. 20. (*t*) Mogunt. can. 52. (*u*) Ibid. can. 40.
[*x*] Arelat. can. 23. (*y*) Ibid. can. 24. [*z*] Ibid. can. 25.
(*aa*) Ibid. can. 26.

pulerit. Hoc tamen cum summâ providentiâ Episcopi, vel Abbatissæ fiat. Similiter & hoc pleniter observandum sit, ut fœminæ per Domos Clericorum minimè discurrant.

CAROLI Magni Capitulare. Titulus in codice Metensi simplex erat: *de anno* 13. In Gandavensi plenior: *Hæc sunt Capitula, quæ Episcopi congregati in unum observanda decreverunt, & admonenda.* Et edita constat in Conventu Aquisgranensi, in quo constitutionum, quæ in Synodis superioribus factæ fuerant, collationem coram Imperatore habitam, docet idem *Eginhartus.* Præter hæc autem, quæ tum à Carolo Imperatore sancita sunt, multa post hæc ex earundem Synodorum Canonibus ab Ansegiso Abbate *in Librum II. Capitularium* translata, & à Benedicto tuisum levita, tota propemodum additio III. ex iisdem Canonibus conflata. *Adnotatio Sirmondi.*

CAPITULARE PRIMUM.

INCERTI ANNI.

I.

UT eorum, qui ad ordinandum veniunt, fides, & vita, & scientia priùs ab Episcopo discutiatur.

II. Ut fugitivi Clerici & peregrini à nullo recipiantur sinè commendatitiis literis.

III. Ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri Clerici, mulierem extraneam in domo suâ non habeant.

IV. Ut Monachi & Clerici tabernas non ingrediantur edendi, vel bibendi causâ.

V. Ut ignota agendorum nomina nec fingantur, nec nominentur.

VI. Ut mulieres ad Altare non ingrediantur.

VII. Ut Canonici libri tantùm legantur in Ecclesiâ.

VIII. Ut nullus per pecuniam ordinetur.

IX. Ut Monachus, vel Clericus ad sæcularia negotia non transeat.

X. Ut Clerici de civitate in civitatem non transmigrentur.

XI. Ut nullus absolutè ordinetur.

XII. Ut Clerici, & Monachi in suo proposito permaneant.

XIII. Ut Clerici, inter se negotium habentes, à suo Episcopo dijudicentur, non à sæcularibus.

XIV. Ut Clerici & Monachi insidias contra Pastorem suum non faciant.

XV. Ut loca, quæ semel Deo dedicata sunt, ut Monasteria sint, maneant perpetuò Monasteria, nec possint ultra fieri sæcularia habitacula.

XVI. Ut nullus Presbyter contra suum Episcopum superbire audeat.

XVII. Ut Clerici Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos judicentur, non apud sæculares.

XVIII. Ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem aliam, eandem speciem, quantum dederit, accipiat.

XIX. Ut ante viginti quinque annos ætatis nec Diacones ordinentur, nec Virgines consecrentur.

XX. Ut Virgines Deo Sacratæ, simul habitantes, invicem se custodiant, nec passim vagando Ecclesiæ lædant existimationem.

XXI. Ut falsa nomina martyrum non venerentur.

XXII. Ut nec uxor à viro dimissa alium accipiat, vivente viro suo, nec vir aliam accipiat, vivente uxore priore.

XXIII. Ut Ecclesiastica jejunia sinè necessitate rationabili non solvantur.

XXIV. Ut nullatenùs Presbyter ante trigesimum ætatis suæ annum ordinetur.

XXV. Ut nulli Sacerdotum liceat ignorare Sanctorum Canonum instituta.

XXVI. Ut nullus Episcopus ad clericatûs officium servum alterius, sinè Domini sui voluntate, promovere præsumat.

XXVII. Ut Episcopi, & reliqui Sacerdotes Canones benè intelligant, & secundùm Canonicam institutionem vivant.

XXVIII. Ut Episcopi discutiant diligenter per suas Parochias Presbyteros, eorum fidem, Baptisma, & Missarum celebrationes, & ut fidem rectam teneant, & Baptisma Catholicum observent, & Ecclesiam preces benè intelligant, & ut Psalmi dignè secundùm modulationes versuum modulentur. XXIX.

XXIX. Ut fides Catholica ab Episcopis, & Presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur. Et Dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quisque sciat, quid petat à Deo.

XXX. Ut omnis populus Christianus fidem Catholicam, & Dominicam orationem memoriter teneat.

XXXI. Ut inter Episcopos, Abbates, Comites, Judices, & omnes ubique seu majores, seu minores personas pax sit, & concordia, & unanimitas, quia nihil Deo sinè pace placet.

XXXII. Ut Abbates, Canonici Canones intelligant, & Canones observent, & Clerici, Canonici secundùm Canones vivant.

XXXIII. Ut Abbates regulares, & Monachi regulam intelligant, & secundùm regulam vivant.

XXXIV. Ut Abbatissæ Canonicæ, & Sanctimoniales canonicè secundùm canones vivant, & claustra earum ordinabiliter c mposita sint.

XXXV. Ut Abbatissæ regulares Sanctimoniales, in Monachico proposito existentes, regulam intelligant, & regulariter vivant, & claustra earum rationabiliter disposita sint.

XXXVI. Ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & altaria secundùm suam dignitatem venerentur. Et non sit domus Dei, & altaria sacra pervia canibus. Et ut sæcularia negotia, vel vaniloquia in Ecclesiis non agantur.

XXXVII. Ut Presbyteri, & Diacones, vel reliqui Clerici, arma non portent, sed confidant in defensione Dei, quàm in armis.

XXXVIII. Ut quibus data est potestas judicandi, justè vel judicent, non muneribus, quia munera excæcant corda prudentium. Et ut judices jejuni causas judicent, & discernant.

XXXIX. Ut omnes caveant perjurium, non solùm in Sancto Evangelio, vel in Altare, seu in Sanctorum reliquiis, sed & in communi loquelâ. Et ut qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate, & timore Dei. Et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec in suâ causâ, nec in alterius jurator existat.

XL. Ut nemo sit, qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel ad auguria intendat. Nec sint malefici, nec incantatores, nec phitones, nec cauculatores, nec tempestarii, vel obligatores. Et ubicunque sunt, emendentur, vel damnentur.

XLI. Ut observationes, quas stulti faciunt ad arbores, vel petras, vel fontes, ubicunque inveniuntur, tollantur, & destruantur.

XLII. Ut homicidia infra patriam, nec causâ ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi non fiant. Et non occidatur homo, nisi lege jubente.

XLIII. Ut furta, & injusta connubia, & inlicitæ causæ prohibeantur.

XLIV. Ut æquales mensuras, & rectas, & pondera justa, & æqualia omnes habeant; & qui antea dedit tres modios, nunc det duos.

XLV. Ut mangones, & cociones, & nudi homines, qui cum ferro vadunt, non finantur vagari, & deceptiones hominibus agere.

XLVI. Ut opera servilia diebus Dominicis non agantur. Et ut dies Dominica à vesperâ ad vesperam celebretur.

XLVII. Ut omnes fidelitatem promittant Domno Imperatori.

XLVIII. Ut Comites, & Judices confiteantur, quâ lege vivere debeant, & secundùm ipsam judicent.

XLIX. Ut beneficia Domni Imperatoris, & Ecclesiarum considerentur, ne fortè aliquis alodem suum restaurans beneficia destruat.

L. Ut beneficia Saxonum in Franciâ considerentur, qualiter condirecta sint.

LI. Ut liberi homines pauperes à nullo injustè opprimantur.

LII. Ut omnes parati sint, quandocunque Domni Imperatoris jussio venerit.

LIII. Ut missi ad Domnum Imperatorem venientes, & ab eo directi, honorabiliter suscipiantur.

LIV. Ut hij, qui in Mundeburde Domni Imperatoris sunt, pacem, & defensionem ab omnibus habeant.

LV. Ut inquiratur, si aliquis homo propter justitiam Domni Imperatoris annun-

annuntiando occisus sit, vel aliquid mali passus sit.

LVI. Ut hij, qui per beneficium Domni Imperatoris Ecclesiasticas res habent, decimam, & nonam dare, & Ecclesiarum restaurationem facere studeant.

LVII. Ut bannus, quem per semetipsum Domnus Imperator bannivit, sexaginta solidos solvatur. Cæteri verò banni, quos Comites & judices faciunt, secundùm legem uniuscujusque componantur.

LVIII. Ut omnes bonos, & idoneos Vicedominos, & Advocatos habeant, & judices.

LIX. Ut Missi nostri, undecunque necesse fuerit, tam de justitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, & cæterorum hominum inquirant, & perficiant, & quodcunque ad emendandum invenerint, emendare studeant, in quantum meliùs potuerint. Et quod per se emendare nequiverint, in præsentiam nostram adduci faciant.

Ex Sirmondo Soc. Jesu recudit Baluz. Tomo I. Capitularium.

CAPITULARE SECUNDUM.

INCERTI ANNI.

A Baluzio primùm editum ex veteri Codice MS. Clarissimi Viri Philiberti de la Mare, Senatoris Divionensis.

CAPITULA à DOMNO KAROLO IMPERATORE, ET FILIO EJUS HLUDOWICO, AC SAPIENTISSIMIS IPSORUM EPISCOPIS EXCERTA.

De commutationibus utilibus permanendis, inutilibúsque delendis.

I.

UBicunque commutationes tam tempore nostro, quámque genitoris nostri legitimæ, & rationabiles, atque utiles inter Ecclesias Dei factæ sunt, permaneant. Ubicunque verò inutiles, & incommodæ, atque inrationabiles factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque, quod dedit. Ubi verò mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa, quæ rationabilis non esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notiam perferatur.

De illis, qui res Ecclesiæ tenent.

II. Si quis Ecclesiasticam rem tenet, & admonitus judicium declinaverit, quousque ad discussionem veniat, ut rem restituat Ecclesiasticam, à communione privetur.

Quòd res Ecclesiarum vota sint fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; quibus non solùm collata conservanda, sed etiam augenda sunt.

III. Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus, res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum, cui non solùm habita conservare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus, tamen ut ab Ecclesiasticis de non dividendis rebus illius Ecclesiæ suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus, ut neque nostris, neque Filiorum, & Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus divisionem, aut jacturam patiatur Ecclesia.

De prædiis Deo dicatis.

IV. Placuit, ne prædia cælestium secretorum dicata, Deóque tradita à quibusdam aliquâ occasione vexentur, aut invadantur, sed sub immunitatis tuitione perpetuâ firmitate perdurent. Similiter & homines eorum, & omnia, quæ eis subjecta esse noscuntur. Si quis contra hæc venerit, componat, sicut de immunitate constituimus, & pœnitentiâ publicâ à Sacerdotibus usque ad satisfactionem mulctetur.

De

De his, qui fidelium oblationes auferunt, vel vastant, aut sinè proprii Episcopi jussione dant, vel accipiunt.

V. Qui fidelium oblationes ab Ecclesiis, vel à jure Sacerdotum aufferunt, vel ablatas accipiunt, non solùm aliena vota disrumpunt, sed & sacrilegium operantur, nec non & Ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Quia Ecclesiæ aliquid fraudari, vel auferri, sacrilegium esse, à majoribus approbatur.

De Privilegiis Ecclesiarum, vel Clericorum non corrumpendis.

VI. Ut privilegia, quæ Ecclesiis, & Clericis ab antecessoribus nostris, vel à nobis concessa sunt, semper maneant incorrupta.

De Privilegiis Ecclesiarum.

VII. Ut Privilegia, quæ Sacrosanctis Ecclesiis, & Clericis à singulis Regibus, vel Episcopis, cæterisque rectoribus sunt concessa, semper maneant incorrupta.

Quòd sacrilegium sit, Ecclesiæ aliquid auferre, aut Sacerdotibus, vel ministris, aut ipso sancto cultui, locóque injuriam inferre. Cap. cx lege.

VIII. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias, earúmque res irruens, Sacerdotibus, ac Ministris, vel ipso cultui, locóque aliquid, quod non oportet, injuriæ inferat, Divini cultûs injuriam convictus, sive confessus reus, Capitali sententiâ noverit vindicandum. Nec expectetur, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. Sitque cunctis non solùm liberum, sed etiam laudabile, factas atroces Sacerdotibus, aut Ministris, injurias veluti publicum crimen persequi, ac de talibus reis, ultionem mereri.

Quòd hi, qui prædia Ecclesiastica diripiunt, vel vastant, sacrilegi sint, exiliòque damnandi.

IX. Ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia sibi cælestium secretorum dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda, exilio perpetuæ deportationis damnetur.

Quòd prædones Ecclesiæ sacrilegi sint, sicut Scripturæ testimonio comprobatur.

X. Sacrilegi sunt Ecclesiæ prædones, unde & in consilio Agathensi sub quarto Capitulo decretum habetur ità: Amico quidpiam rapere, furtum est; Ecclesiæ verò fraudari, vel abstrahi, subripique, sacrilegium. Omnes enim contra leges facientes, resque Ecclesiæ diripientes, Ecclesias, sacerdotésque contra Divinas Sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames, sacrilegique habendi sunt.

Quòd ea, quæ Domino consecrantur, ad jus Ecclesiasticum pertinent.

XI. Ea, quæ Domino offeruntur, vel consecrantur, ad jus pertinent Sacerdotum. Et sacrilegi sunt omnes, qui ea auferunt.

Quòd omnia, quæ Deo offeruntur, procul dubio & consecrantur.

XII. Omnia, quæ Domino offeruntur, procul dubio & consecrantur. Et non solùm sacrificia, quæ à Sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quidquid ei à fidelibus offeruntur, sive in mancipiis, sive in agris, vineis, silvis, pratis, aquis, aquarúmque decursibus, artificiis, libris, utensilibus, petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus, & immobilibus, vel quæcunque de his rebus ad laudem Dei fiunt, vel supplementum Sanctæ Ecclesiæ, ejúsque Sacerdotibus, atque ornatum præstare possunt, Deo, Ecclesiæque suæ à quibuscunque ultrò offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, & ad jus pertinent Sacerdotum. Et quia Christum, & Ecclesiam, unam personam esse veraciter agnoscimus, quæque Ecclesiæ sunt, Christi sunt, & quæ Ecclesiæ, vel in supradictis, vel in quibuscunque speciebus, sive pollicitationibus, sive pignoribus, sive scriptis, sive corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur. Et quæ ab Ecclesiâ ejus quocunque commento alienantur, vel tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minorando, sive diripiendo, Christo tolluntur. Et, si ab amico quippiam rapere, furtum est; præcipuè Christo Domino nostro, qui est Rex Regum

Regum, & Dominus Dominantium, aliquid auferre, vel alienare, vel subripere, vel vastare; sacrilegium est. Omnes námque Ecclesiæ Prædones manifestissimè sunt sacrilegi. Et nullus sacrilegus, nisi per puram, probatámque, atque publicam pœnitentiam, & per Ecclesiæ satisfactionem, Episcoporúmque per manûs impositionem, juxta Canonicas Sanctiones, reconciliationem, Regnum Dei possidebit, & non solùm à Regno Dei fit alienus, sed etiam à liminibus Sanctæ Ecclesiæ, & præcipuè ab illius, quàm læsit, usque ad prædictam satisfactionem extorris efficitur. Talium verò scelerum patratoribus, nisì post prædictam satisfactionem, nec vivis, nec mortuis communicare debemus. Quia, qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Qui non solùm sacrilegi, sed etiam fures sacrilegi, & lupi, atque homicidæ, pauperúmque necatores sunt, & insuper anathematis vinculo damnati, coram Deo & Sanctis ejus efficiuntur.

Ut Ecclesiarum privilegia, vel facultates, sive quidquid ad easdem pertinet, nullus invadere præsumat.

XIII. Præcipimus omnibus, ditioni nostræ subjectis, ut nullus privilegia Ecclesiarum, vel Monasteriorum infrangere, résque Ecclesiarum invadere, vel vastare, aut alienare, vel facultates earum diripere præsumat, nec sinè peccario possidere pertentet. Quia, sicut à Sanctis Patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dinoscitur, testante Sacrâ Scripturâ, quæ ait: Qui abstulerit aliquid Patri, vel Matri, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicida est. Pater noster sinè dubio Deus est, mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias, vel Ecclesiæ fraudat, vel rapit, sive vastat, vel alienat, homicida ante conspectum justi judicis esse deputabitur. De quo quidam sapientum dicit: qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.

Quod homicidæ ante Deum deputentur, qui res Ecclesiæ vastant.

XIV. Volumus omnes scire, quòd qui Christi, & Ecclesiæ pecunias auferunt, résque ejus fraudant, rapiunt, vastant, vel diripiunt, homicidæ ante Deum esse deputantur: quia res pauperum, quos Ecclesia pascere debet, diripiunt.

Baluzius Tomo I. Capitularium.

HÆC SUNT CAPITULA
SUB
CAROLO MAGNO
ANNI INCERTI,
EX DIVINARUM SCRIPTURARUM SCRIPTA, QUÆ ELECTI SACERDOTES CUSTODIENDA, ATQUE ADIMPLENDA CENSUERUNT.

I. UT unusquisque Sacerdos Ecclesiam suam cum omni diligentiâ ædificet, & Reliquias Sanctorum cum summo studio vigiliarum noctis, & Divinis officiis conservet.

II. Ut omnes Sacerdotes horis competentibus diei, & noctis, suarum sonent Ecclesiarum signa, & sacra tunc Deo celebrent officia, & populos erudiant, quomodo, aut quibus Deus adorandus est horis.

III. (a) Ut omnibus Festis diebus, & Dominicis, unusquisque Sacerdos Evangelium Christi populo prædicet.

IV. (b) Ut unusquisque Sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat, ut sciant, qualiter decimas totius facultatis Ecclesiis Divinis debitè offerant.

V.

(a) Sirmondo IV. (b) Sirmondo VI.

V. (*c*) Ut ipsi Sacerdotes populi suscipiant decimas, & nomina eorum, & quæcumque dederint, scripta habeant, & secundùm auctoritatem Canonicam coram testibus dividant, & ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem, secunda autem ad usum pauperum, adque peregrinorum, per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensant. Tertiam vero partem sibimetipsis soli Sacerdotes reservant.

VI. Ut unusquisque Sacerdos orationem Dominicam, & Symbolum populo sibi commisso curiosè insinuent, ac totius Religionis studium, & Christianitatis cultum eorum mentibus ostendant.

VII. (*d*) Ut cuncti Sacerdotes precibus assiduis pro vitâ & Imperio Domni (*e*) Imperatoris, & filiorum, ac filiarum salute orent.

VIII. (*f*) Ut unusquisque Sacerdos quotidianis adsistat orationibus pro Pontifice, cujus gubernatur regimine.

IX. (*g*) Ut nullus Sacerdos in domibus, vel aliis locis, nisi in Ecclesiis Deo dicatis, celebrare Missas audeat.

X. (*h*) Ut cunctis Sacerdotibus jus, & tempus baptismatis temporibus congruis, secundùm Canonicam Institutionem, cautissimè observetur.

XI. (*i*) Ut omnes Sacerdotes quibuscumque horis omnibus indigentibus Baptismum infirmitatis causâ diligentissimè tribuant.

XII. (*k*) Ut nullus Presbyter sacrum officium, sive Baptismale Sacramentum, aut aliquid bonorum Spiritualium, pro aliquo pretio vendere præsumat, ne vendentes, & ementes in templo columbas imitentur, ut pro his, quæ adepti sunt gratiâ Divinâ, non pretia concupiscant terrena, sed solùm Regni cœlestis gloriam promereantur accipere.

XIII. (*l*). Ut nullus Presbyter à sede propria Sanctæ Ecclesiæ, sub cujus titulo ordinatus fuit, ammonitionis causâ ad alienam pergat Ecclesiam, sed in eadem devotus usque ad vitæ permaneat exitum.

XIV. Ut nullus ex Sacerdotum numero ebrietatis initium(*) nutriet, nec alios cogat per suam jussionem inebriari.

XV. Ut nullus Sacerdos extranearum mulierum habeat familiaritatem, nec in suâ domu, in quâ ipse habitat, nullam mulierem unquam permittat habitare.

XVI. (*m*) Nulli Sacerdotum liceat fidejussorem esse, neque derelictâ propriâ lege, ad sæcularia judicia accedere præsumat.

XVII. (*n*) Nemo ex Sacerdotum numero arma pugnantium umquam portet, nec litem contra proximum ullam excitet.

XVIII. (*o*) Ut nullus Presbyter edendi, aut bibendi causâ ingrediatur in tabernis.

XIX. (*p*) Ut nullus Sacerdos quicquam cum juramento juret; sed simpliciter cum puritate & veritate omnia dicat.

XX. (*q*) Ut cuncti Sacerdotes omnibus, illis confitentibus eorum crimina, dignam pœnitentiam cum summâ vigilantia ipsis indicant: & omnibus infirmis ante exitum vitæ viaticum, & communionem Corporis Christi misericorditer tribuant.

XXI. (*r*) Ut secundùm diffinitionem Sanctorum Patrum, si quis infirmatur, à Sacerdotibus oleò sanctificato cum orationibus diligenter unguatur.

XXII. De Nonis & Decimis.

Volumus, atque jubemus, ut de omni conlaboratu, & de vino, & fœno fideliter, & pleniter ab omnibus nona, & decima persolvatur. De nutrimine verò pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate.

XXIII. De antiquis Ecclesiis, ut non rem suam habeant.

Ut nec Decimis, nec aliis possessionibus

(*c*) Sirmondo VII. (*d*) Sirmondo Imum Tomo II. Concil. Galliæ pag. 249.
(*e*) Mentio Caroli Imperatoris indicat, vel anno 801., vel posteriore hæc Capitula ab Episcopis congregatis statuta fuisse.
(*f*) Sirmondo II. (*g*) Sirmondo IX. (*h*) Sirmondo X.
(*i*) Sirmondo XI. (*k*) Sirmondo XII. (*l*) Idem.
(*m*) XVII. De Professione XXX. annorum Sirmondus interponit. (*) *Fortè* vitium.
(*n*) Sirmondo XVIII. (*o*) Sirmondo XIX. (*p*) Sirmondo XX.
(*q*) Sirmondo XXI. (*r*) Sirm. XXII. ex codice S. Vincentii Metensis.

onibus priventur, ità ut oratoriis tribuatur.

XXIV. De spiritalibus Filiolis.

Deinde præcipimus, ut unusquisque Compater, vel proximi, spiritales filios suos Catholicè instruant.

XXV. De Sacerdotibus.

Ut juxta Apostoli vocem irreprehensibiles sint, & moribus ornati, & nequaquam turpibus lucris deserviant, juxta illud, quod ait Scriptura: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Et à turpibus lucris, & usuris non solùm ipsi abstineant, verùm etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.

XXVI. De incestuosis.

Ut incestuosi juxta Canonicam sententiam pœnitentia mulctentur. Qui verò decimas, post crebras admonitiones, & prædicationes Sacerdotum, dare neglexerint, excommunicentur. Juramento verò eos constringi nolumus.

XXVII. De discretione in Corporis, & Sanguinis Domini perceptione.

Cavendum est enim, ne si nimiùm in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si verò indiscretè accipiatur, timendum est illud, quod ait Apostolus: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit.* Juxta ergo Apostoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere: ut videlicet abstinens se aliquot dicbus ab operibus carnis, & purificans corpus, animámque suam, præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo David, qui, nisi se confessus fuisset, abstinuisse se ab opere conjugali ab heri, & nudius tertius, nequaquam panes propositionis à Sacerdote accepisset,

Mansi Tomo I. Supplementi p. 773. 774.
Ex Martenii veterum Monumentorum Tomo VIII.

Baluzius Tomo I. Capitularium idem ediderat, sed alio ordine Capitulorum, pag. 357. 358. Nam quod hic est Caput *primum*, Baluzio & Sirmondo est *tertium*. Quod nobis est septimum, Baluzio & Sirmondo est primum.

Iterum Baluzius non habet, nisi Capitula XXI. Martenius XXVII.

CAPITULA
SUB
CAROLO MAGNO
ANNI INCERTI.

I.

Sicut Sancta Synodus Nicæna interdicit, nullus unquam Presbyter in domo suâ habitare secum permittat mulierem extraneam, præter matrem, & sororem, atque amitam, vel materteram, vel etiam secretum cubiculi, vel cellario nullus Presbyter aliquam fœminam adire permittat, quod si fecerit post hæc, sciat se honore Episcopatûs deponi: quia hæc frequenter secundùm Canonicè institutionem prohibuimus, & pleniter à Presbyteris observatum non fuit. Ideóque præcipimus, ut qui gradum honoris sui retinere vult, omnimodis à familiaritate extranearum mulierum se abstinere faciat, ut nulla occasio inimico pateat suggerendi peccatum, & famam malam à populo nullus eorum incurrat.

II. Ut nullus Presbyter derelictâ suâ Ecclesiâ sanguinum feminare præsumat ad domum quamlibet ullius fœminæ, vel Deo dicatam, vel laicam, sed domum Ecclesiæ suæ unusquisque suam oportunitatem agat, ut ibidem ad Ecclesiam suam semper inveniatur expetenti aliqua ministeria ejus causa.

III. Sicut dudum interdiximus, & Sancti Canones prohibent, nullus Presbyter arma portare audeat.

IV. Ut nullus Presbyter tabernas ingredi audeat ad bibendum: nec se misceat in tali conventu sæcularibus hominibus, ubi turpia verba audiat, aut loquatur, aut contentiones ibi aliquas audiat, aut interfit, sicut sæpe contingere solet.

V. Ut nullus Presbyter pro baptizandi

zandi causa, & communionem tribuendi aliquod pretium exactare faciat, nec in minimum, nec in maximum: quia gratis accepimus, gratis dare debemus: quia nec vendere debent donum, & gratiam Dei, quod gratis datur. Quod si fecerit, & ad nostram notitiam pervenerit, sciat, se post hæc à gradu sui ordinis periclitari.

VI. Ut Presbyteri vocati ad convivium à quolibet de fidelibus, contentiones inter se non habeant de ullâ re, nisi caritatis, & sobrietatis verba, & Deo placabilia, & continentiam honestam, ut det(*) & Sacerdotibus.

VII. Ut nullus Presbyter basilicam suam petat, & nullus Presbyter aliam Ecclesiam accipere audeat infra Parochiam ad Missam celebrandum, nisi illam, ubi ordinatus est, absque licentiam & permissionem Episcopi.

VIII. Ut unusquisque Presbyter omni hora, sive die, sive nocte, ad officium suum explendum paratus sit, si fortuitu aliquis infirmus ad baptizandum venerit, pleniter possit implere officium suum: & ab ebrietate se caveat, ne propter ebrietatem non valeat adimplere officium suum, neque titubet in eo.

IX. Ut unusquisque secundùm possibilitatem suam certare faciat de ornatu Ecclesiæ suæ, scilicet in patena & calice, planctam & albam, missale, lectionarium, martyrologium, pœnitentiale, psalterium, vel alios libros, quot potuerit, crucem, capsam, vel, ùt diximus, juxta possibilitatem suam.

X. Ut qui de homicidio confessi fuerint, jubeat eos Presbyter abstinere XI. dies ab Ecclesia, & Communione, antequam ab Episcopo reconcilientur, aut Episcopus eos Presbyteris reconciliare jusserit.

XI. Ut omnis Presbyter curam, & sollicitudinem agat, ne aliquis in infirmitate positus, ad extremum veniens, sinè viaticum permittat de hoc Sæculo exire eos, ad quos accedere potuerit: quòd si exinde negligens fuerit, periculum sui honoris subjacebit.

(*) *Fortè decet.*

XII. Ut unusquisque Presbyter ad suam Ecclesiam admonitionem aliquam, & exhortationem ad populum faciat, ut unusquisque se corrigat ab iniquitate, & transeat ad bonitatem, sicut scriptum est, declinaverit.

XIII. Ut in Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini semper aqua in calice misceatur.

XIV. Ut nullus Presbyter suam pecuniam ad usuram non donet, ne à quoquam plus recipiat, quàm commodaverit.

XV. Ut unusquisque Presbyter, si venerit ad infirmum, & ille jam privatus fuerit officium loquendi; si testes adsunt, qui eum audierunt dicere, quòd confessionem suam donare voluisset, omnia circa eum expleat secundùm ministerium suum, sicut circa pœnitentem adimplere debet.

XVI. Ut Presbyter negotiator non sit, nec per ullum turpiloquium pecunias congreget.

XVII. Ut ullus Presbyter alicubi fide jussor non existat.

XVIII. Ut nullus Presbyter ullum Clericum recipere præsumat de aliena Parochia.

XIX. Ut Presbyteri, quando ad infirmum accedunt, cum oleo consecrato veniant, & oleo sancto unguent eum in nomine Domini, & orent pro ipso, & oratio fidei, sicut scriptum est, salvet infirmum, & allevet eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittantur ei.

XX. Ut Presbyter non sinè Chrismate & Oleo sacrato ad baptizandum alicubi proficiscatur, neque sinè sacrificio, ut ubicumque contigerit, suum ministerium circa infirmos impleri possit. Et ipsum Oleum cum Chrismate, adque sacrificium cum omni custodia & reverentia, atque religione custodiat, nec per ebrietatem, aut per aliquod neglectum suum inhonoratum fiat sacrum illum suprà scriptum.

Ex MS. Andaginensis Monasterii S. Huberti. Mansi T. I. Supplementi pag. 761.

CAPI-

CAPITULA
SUB
CAROLO MAGNO
ANNI INCERTI.

I.

Primitus ergo quæ Christianæ legis adversa sunt, ea præponimus, scilicet qui orationem dominicam, & Symbolum fidei Christianitatis, memoriter non tenent, neque didicere volunt, eos notate, & ad præsentiam nostram veniant, seu majores, seu minores, sive nobiles, sive ignobiles omnes generaliter ante veniant, & dicant orationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum; ubi Catholicæ fidei plenitudo continetur: quia impossibile est sinè fide placere Deo.

II. Ut sic fidem uniuscujusque opera sequantur.

III. Ut si patrini, vel matrinæ, qui infantes de fonte suscipiunt, sive masculos, sive fœminas, si ipsum symbolum & orationem Dominicam sciunt, & filios & filias spirituales, quos, & quas de fonte susceperunt, pleniter instructos habeant de fide, de qua pro eis fidejussores extiterunt.

IV. Si omnes secundùm legem Domini, sive nobiles, sive ignobiles, uxores legitimè sortitas habent, non uxores ab aliis dimissas, non Deo sacratas, nonanes, non raptis, & contra parentum voluntatem habentibus, non parentum, neque propinquitatis alicujus adfinitate conjunctis, id est, primum non matris incestor, non sororis, non materteræ, id est, matris sororis, non amitæ, id est, sororis Patris, non privignæ, id est, filiastram, non fratris uxorem, non abunculi uxorem, non nepotis uxorem, non quis Patris uxorem concubito inlicito violet, non consobrinam, id est, in tertiam generationem, vel de una in tertiâ, de alia in quarta, vel ambabus in quartam generationem. Una lex, sive de viro, sive de fœmina, in istis generationibus conjunctis, sive aliquam fœminam, quam suus consobrinus, aut sobrinus in secundam, aut tertiam, aut quartam generationem accepit, id est, aut in tertium articulum, vel in quartum sibi de una parte in tertiam, & de alia in quarta pertinentes fuerunt, post obitum defuncti propinqui ejus, uxorem illius accipere non potest.

V. Ut inquiratur ab omnibus in Parochia nostra constitutis, si dies Dominicus secundùm suam venerationem veneratur, & colitur, ut nullus homo opera servile in die isto sancto faciat. Quod si fecit, ante nos veniat, & in præsentiâ nostrâ rationem deducat, si sua præsumptuositate, aut cupiditate alicujus rei adquirendum hoc opus servile fecit, aut sui Domini jussionem.

VI. Si festivitates Sanctorum, qui prædicantur ab Episcopo, & Presbyteris, quas colere debent, & feriatos habere, si custodiantur, an non; & qui eas festivitates in contempto habet, & ad Missam venire despicit, & operatur in illis diebus.

VII. Si legitima jejunia per quatuor tempora celebrantur ab omnibus, & jejunent.

VIII. Si dictum jejunium, propter aliquam necessitatem denuntiatum quis infringere ausus fuit, & non secundùm quod ei denuntiatum fuit à presbytero Ecclesiæ, vel à Comite, & Decanis, ut hoc sciamus, & ante nos veniant.

IX. Ut quisquis decimas pleniter non dedit de suâ conlaboratione, ut exinde ante nos rationes deducat, sive nobiles, sive servientes: & unusquisque sive Episcopus, sive Abba, sive Comes, sive vassus Dominicus, sive qui proprietate suâ habent, omnes suam familiam ante nos habeant, in locis, ubi per Epistolam nostram denuntiamus, si ità possibile fuerit.

X. Ut inquirantur sortilegi, & aurus pices, & qui menses & tempora observent, & qui omnia observant, & ità filacteria circa collum portant, nescimus quibus verbis scriptis & veneficiis, id est, quæ mulieres potiones aliquas donent, ut partes excutiant, & aliquas divinationes faciunt, & pro hoc, ut à maritis suis majorem amorem habeant.

Omnes

Omnes malificos ante nos, de qualibuscumque causis blasphemantur, ante nos adducere faciatis, ut causa eorum ante nos discutiatur.

XI. De homicidis, & perjuriis, id est, qui homicidia egerunt, & de perjuriis reprobati sunt, & pœnitentiam non egerunt, neque agunt: ut ipsi ante nos veniant, & si confessi fuerunt, quòd pœnitentiam exinde accipissent à presbyteris, dicant, qualem pœnitentiam agant, & qui presbyteri fuerunt, qui eos dijudicassent de furtis, aut de perjuriis, aut de homicidiis, quas in quibuscumque peccaverunt.

XII. Si alicubi in nostrâ parochiâ locus talis est, aut ad fontes, aut arbores, aut ad petras: si aliqui stulti ibi vota faciant, aut observent pro aliquam sanitatem, aut devotionem aliquam; ut illos nobis notos faciatis, & ante nos adducite, & si alia loca, infra nostram parochiam innotescere faciatis, & iterum cultores, & vota oblationum.

XIII. Ut si presbyteri aliqui infra nostra parochia recepti sunt, non à nobis ordinati, neque ab antecessoribus nostris; si aliquis eos receptos habet ad suam basilicam, ante nos eos venire faciat, quicumque eos habuerit.

XIV. De presbyteris, qui infra nostra parrochia constituti sunt, qualiter se habent: si infra suum officium se continent secundùm Canonicam auctoritatem, & admonitionem nostram, aut non: vel quale testimonium inter eos habent, id est, in populo, aut bonam famam, aut malam. Et si bona est fama, denuntietur, & sciatur omnibus. Et si mala est fama, depublicetur ab omnibus, non per invidiam, neque per alicujus mala persuasione, sed ex veritate proferendum.

XV. Admonendum est, ut inquiratur, quod dici nefas est, eos, qui incontinentes, & per maximam libidinem se circumferentes, etiam cum quadrupedibus miscentur: si aliquis talem hominem habuerit, aut Pastorem, aut qualiscumque sit, qui in hoc crimine inventus probatus fuerit, ante nos adducatur.

XVI. De his, qui commatres habent ad conjugium, de fonte, vel sacro Chrismate ab Episcopo consignatum, id est, de confirmatione; si publicè eas habent, aut si adulteratur; similiter de filiolis, quisquis eas de fonte suscepit, & cum ea adulteravit, vel ad manum Episcopi eam tenuerit, & postea in conjugium eam accepit, adulteravit.

XVII. Si quis vir filiastrum, aut filiastram ad manum Episcopi tenuit, id est, ad confirmationem, ubi septiformis gratia Sancti Spiritûs datur, si quis in tali conjugium, aut adulterium miscuerit, ante nos venire faciatis: & quia dicitis, quia multa erga religionem Christianitatis apud pagenses vestros geruntur, in quantum recordare potuimus, in his capitularis commemoravimus modò, quia Domino Deo auxiliante, Domini nostri Imperatoris licentia, præsentem me ostendo, ad omnia emendanda, & in his causis, quæ in præfatis capitulis denuntiantur, & in cæteris, in quibus ante me proferuntur.

Ex MS. Andaginensis Monasterii ante annos 800. scripto, Mansi T. I. Supplementi p. 771. 772.

CAPITULARE
CAROLI MAGNI
REGIS FRANCORUM.

Ex MS. Codice Bibliothecæ Chigianæ eruit Mabillonius, & vulgavit Martene vet. Monum. Tom. VII. pag. 5.

I. DE Metropolitanis, ut suffraganei Episcopi eis secundùm Canones subjecti sint; & ea, quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscunt, libenti

XIII. prima Capita hujus Capitularis eadem sunt cum XIII. primis Capitibus Capitularis Duriensis anni 779. pag. 239. quæ Goldastus retulit ad 847. quasi Lotharius eadem denuo promulgâsset: sed Amersbachius, Heroldus, Sirmoodus, Baluzius ad annum 779. referunt sub Carolo M. Rege, Synodali Concilio statuta, & promulgata, quæ miror à Clarissimis Editoribus posterioribus non observata, quasi nova Martene edidisset.

benti animo emendent, atque corrigant.

II. De Episcopis, ut, ubi in præsens ordinati non sunt, sinè tarditate ordinentur.

III. De Monasteriis, quæ regularia fuerunt, ut secundùm Regulam vivant; nec non & Monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, & unaquæque Abbatissa sinè intermissione in suo Monasterio resideat.

IV. Ut Episcopi Presbyteris & Clericis infra illorum Parochiam, vel de suo ministerio potestatem habeant, secundùm Canones facere.

V. Ut Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant ad regendum: & si de ipsis incestuosis aliquis post judicium Episcopi in ipso incestuoso iterum miserint, si alaudem habuerint, ipsam Fiscus Regis recipiat.

VI. Nulli liceat alterius Clericum recipere, nec ordinare in aliquo gradu, sinè dimissoria sui Episcopi, de cujus Parochia (exsistit.)

VII. De Decimis, ut unusquisque homo suam decimam donet, & per jussionem, & consilium Episcopi, in cujus Parochia fuerint, dispensentur.

VIII. De homicidis, & cæteris malefactoribus, qui legibus, aut pro pace facienda mori debent, nemo eos ad excusationem in Ecclesiam suam introire permittat: & si absque voluntate Pastoris ibidem introierit: tunc ipse, in cujus Ecclesia est, nullum victum ei donet, nec alium dare permittat.

IX. Ut latrones de infra emunitatem illorum Judices, & Advocati, ad Comitum placitum, quando eis annunciaverint, præsentent: & si dixerint, quòd illos latrones præsentare non potuissent; postquam eis denunciatum fuerit, nec pro nulla justitia dilatanda illis latronibus non consensissent, nec pro causa dilatationis de suâ potestate, vel de suo ministerio ipsos latrones præsentare debeant ad justitias faciendum. Similiter & vassi Dominici ipsum exemplum exinde sustineant, & qui supra scripta Sacramenta sinè perjurio jurare non potuerint, si beneficium habuerint, aut actum per ipsum perdant: & si beneficium non habuerint, bannum Dominicum solvant.

X. Si quis perjurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat, nisi manum perdat: & si ille, qui prius illi Sacramentum jurat, & de illo perjurio probatus fuerit, & aliqui de suis juratoribus dixerint, quod nesciens se sibi perjurâsset, aut hoc apud judicium Dei approbet verum esse: aut similiter manum perdat, de cujus causâ perjuria fecerit, sicut lex loci illius, ubi perjurium factum est, à longo tempore fuit: de quorum pretio emendare studeat; De furto videlicet, de minoribus causis instituimus, si ille homo, cujus causâ jurata fuerit, dicere voluerit, quòd ille, qui juravit, se sciens perjurâsset, stent ad crucem: & si ille, qui juravit, victus fuerit, quod se perjurâsset: suprascriptam sententiam sustineat. De majoribus verò causis lex, quam à longo tempore habuerunt, observetur.

XI. De vindicta & judicio in latrones, facto testimonio Episcoporum, absque peccato Comites facere possint, si ibi nec invidia, nec alia occasio mala, nec injuria non interposuerint, nisi vera justitia ad perficiendum, & pacem confirmandam: ut si quis latro de uno furto probatus fuerit, oculum perdat: & si de duobus furtis probatus fuerit, oculum perdat, & nasum ei cappilletur: & si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur. Et his duobus furtis, unde oculum unum, & nasum perdere deberet, constituimus, ut Domini servi illius secundùm legem, cui facta furta fuerint, solvere debeat: de tribus verò furtis, unde mori debet, mors illius furta excludat. Et sic omno sinè culpâ per invidiam, aut injustam occasionem, nisi per justitiam & pacem faciendam, hominem disfecerit, honorem suum perdat, & legibus, contra quem justè fecit, secundùm pœnam, quam intulit, emendet.

XII. De causis verò, quas bonæ memoriæ Genitor noster Pipinus in suis placitis & Synodis constituit, conservare volumus.

XIII. De rebus verò Ecclesiarum, quæ usque nunc per verbum Domini Regis homines sæculares in beneficium habuerunt, ut in antea sic habeant, nisi per verbum Domini Regis ad ipsas Ecclesias fuerint revocatæ: & si inde usque nunc

nunc à parte Ecclesiæ decima & nona exivit, & nunc in antea faciat. Et insuper illas Ecclesias de quinquaginta casatos solido uno reddat: de triginta medio solido uno reddat; & de viginti tremisse, & quisque nunc alium censum dedit, in antea sicut priùs fecit, ità faciat: & usque nunc nullum censum exivit, & ipsæ res Ecclesiæ, ubi sunt, censentur, & ubi non sunt, scribantur: & & sit discretio inter precarias de verbo Dominico factas, & inter eas, quas Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ eorum arbitrio, vel dispositione faciunt: ut liceat eis, quando quidem eis placuerit, res, quas beneficiaverint, ad partes ipsius Ecclesiæ recipere, facientes, ut unusquisque homo ad causam Dei in honore Deo fideliter, & firmiter deserviat.

XIV. Placuit nobis, Karolo magno Gloriosissimo Regi, ut vitia, quæ nostris temporibus in Sanctâ Dei Ecclesiâ emersa sunt, eradicentur & evellantur.

XV. Volumus igitur, præordinante Deo, Ecclesias nostras secundùm auctoritatem Canonicam ordinare, & ordinem Clericorum disponere.

XVI. Monasteria, quæ jam pridem regularia fuerunt, tam virorum, quàm puellarum, seu quæ sub nostro Dominio sita sunt, volumus, ut secundùm regulam disponantur, & vivant: & si Abbates, vel Abbatissæ sinè regulâ vivunt, seu inordinati inventi, vel inventæ fuerint; si correpti, vel correptæ emendare noluerint, abjiciantur: & de ipsâ congregatione, si digni inventi fuerint, Abbas, vel Abbatissæ eligantur: sin autem, aliunde & de Monasteriis regularibus similiter.

XVII. (*b*) De Xenodochiis verò, nobis pertinentibus, quæ bene ordinata sunt, ipsa permaneant: quæ verò destructa sunt, secundùm qualitatem temporum ad priorem cultum perducere cupimus: & ibi pauperes reficiantur, & per personas idoneas fiant ordinata, qui ea juxta Dominum regant, & de Eleëmosynis pauperum nihil subtrahant.

XVIII. De Ecclesiis baptismalibus ità censemus, ut per Presbyteros ordinatæ sint, & nullam violentiam ab Episcopis suis, aut suppositam ab Episcopis suis patiantur, sed secundùm Canonicam institutionem, & antiquam consuetudinem faciant.

XIX. Quando Episcopus suam Parochiam circumeat, ne plus ab ea exigat, vel capiat, nisi secundùm Canones, vel antiquam consuetudinem: & oppressionem ab Episcopis, ejusdémque hominibus ipsa plebs non patiatur: tam Episcopi, quàm Presbyteri, seu Diaconus, vel Abbas, & Monachi nullam venationem per se facere præsumant, aut ubi ipsi præsentes sunt: neque illa jocorum genera ante se fieri permittant, quæ contra Canonum auctoritatem veniunt.

XX. De stipendiis quoque Clericorum, ut tam redditus, vel oblationes fidelium pleniter secundùm Canones ipsi Clerici habeant.

XXI. Ut Præpositi cardinalium Ecclesiarum obedientes sint Episcopis suis, & Episcopi eos à suis, vel aliis justis utilitatibus expellere non præsumant absque culpa, justa ratione, & nulla eis per violentiam imponatur.

XXII. Propter ordinationes, vel consecrationes Presbyterorum, cæterúmque Clericorum, nulla nos præmia amodo accepturos promittimus, neque ab ipsis, neque à parentibus, vel amicis.

XXIII. Exenia quoque, quæ Ecclesiis noviter imposita sunt, amputanda, & non majora, quàm consuetudo fuerat, accipienda censemus.

XXIV. De decimis verò, quæ à populo in plebibus, vel baptismalibus Ecclesiis offeruntur, nulla exinde Pastori Ecclesiæ, vel Episcopo imponatur.

XXV. Nolumus, I. ut neque Abbates, aut Presbyteri, aut Diaconi, neque quislibet de Clero de personis suis ad publica, vel sæcularia judicia trahantur, vel distringantur: sed à suis Episcopis adjudicati justitias faciant. Si autem de possessionibus, seu Ecclesiasticis, seu propriis, super eos clamor ad judicem venerit; mittat judex clamantem cum misso suo ad Episcopum, ut faciat eum per

(*b*) Hæc & sequentia XVII. Capitula refert Baluzius ad annum 793. Eckhartus ad annum 783., quo Hildegardis Regina mortua est. Sed ea ipsa Capitula aliter ab iisdem, quàm hic, eduntur.

per advocatum justitiam recipere. Si verò talis aliqua contentio inter eos orta fuerit, quam per se pacificare non velint, aut non possint; tunc per advocatum Episcopi, qualem jusserit ipse, causa ipsa ante Comitem, vel judicem veniat, & ibi secundùm legem finiatur, ante posita persona Clericorum, sicut supra diximus.

XXVI. Ut Clerici, seu Monachi vagantes, sive de ipsa parochia, seu aliunde supervenientes, sinè consensu Episcopi à nemine suscipiantur.

XXVII. Ut Ecclesiæ baptismales ab his, qui debent, restaurentur, & singulis, prout ejus possibilitas fuerit, restaurandi mensura reputetur. Hoc ideo dicimus, quia in quibusdam locis quosdam per pecuniam consentientibus Magistris se subtrahant. Audivimus autem, homines Ecclesiasticos pro Ecclesiæ Ministerio ordinari oportere.

XXVIII. Ut placita publica, vel sæcularia, nec à Comite, nec à nullo Ministro suo, vel judice, nec in Ecclesia, nec in tectis Ecclesiæ circumjacentibus, vel cohærentibus nullatenus teneantur.

XXIX. Ut servi, Aldiones, libellarii antiqui, & alii noviter facti, qui non fraudem, neque per malum ingenium de publico servitio se subtrahentes, sed per solam necessitatem, & paupertatem terram Ecclesiasticam vel colunt, vel colendam suscipiunt, non à Comite, vel aliquo Ministro illius, ad ullam angariam, seu servitium publicum, vel privatum cogantur, vel compellantur; sed quidquid ab eis justè agendum est, à Dominò, vel Patrono suo ordinandum est. Si verò de aliquo crimine accusantur, Episcopus primò compelletur, & ipse per Advocatum suum, secundùm quod lex est, juxta conditionem singularum personarum justitiam faciat. Si verò culpabilis fuerit, sicut in capitulari Domini Imperatoris scriptum est, ità fiat. Cæteri verò liberi homines, qui vel commendationem, vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines justitiam faciant.

XXX. Audivimus etiam, quòd juniores Comitum, vel aliqui Ministri reipublicæ, sive etiam nonnulli fortiores vassi comitum, aliquas redhibitiones vel collectiones, quidam per pastum, quidam etiam sine pasto, quasi deprecando à populo exigere solent. Similiter quoque operas collectionis frugum, arare, seminare, ruinare, carrucare, vel cætera his similia à populo per eandem, & per alias machinationes exigere consuevêre, non tantùm ab Ecclesiasticis, sed etiam à reliquo populo, quæ justè removenda esse videntur, quia in quibusdam locis in tantum inde populus oppressus est, ut multi ferre non valentes, per fugam à Dominis, vel à Patronis suis lapsi fuerint, & terræ ipsæ in solitudinem redactæ sunt. Potentioribus autem vel ditioribus ex sponranea tantùm voluntate, vel mutuâ dilectione volentibus solatia præstare invicem, minimè prohibemus.

XXXI. De pontibus verò, vel reliquis similibus operibus, quæ Ecclesiastici per justitiam, & antiquam consuetudinem cum reliquo populo facere debent, hoc præcipimus, ut Rector Ecclesiæ interpellet ei, & solùm, quod possibilitas fuerit, sua portio deputetur, & per alios exactores Ecclesiastici homines non compellantur. Si verò opus suum constituto die impletum non habuerit; liceat Comiti, pro pœna præpositum operis pignorare juxta æstimationem, vel quantitatem perfecti operis, quousque perficiat. Comes autem, si neglexerit, à Rege, vel misso Regis judicandus est.

XXXI. De decimis, ut dentur, & dare nolentes, secundùm quod anno præterito d enuntiatum est, à ministris reipublicæ exigantur, id est, obligantur quatuor, vel octo homines, vel prout opus fuerit, de singulis plebibus juxta æqualitatem, ut ipsi inter Sacerdotes, & plebem testes existant, ubi datæ, vel non datæ fuerint. Hoc ideò, ne ibi juramentum aliquod faciendi necessitas contingat. Non tamen ideo tantos testes mittendum dicimus, ut ipsi semper in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit: sed, ut dum pluribus committitur, minùs graventur. In duobus autem, si affuerint, sufficere credimus. Negligentes autem à presbyteris admoneantur ante Ecclesias usque ad tertiam vicem, ut ipsam decimam dent. Quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur: & si tunc minimè emendave-

daverint, à ministris reipublicæ districti, singuli per caput sex solidos Ecclesiæ componant, & insuper decimam dare cogantur. Nam si iterum contemptores extiterint, tunc per publicam auctoritatem domus, vel casæ wissentur, (*) quousq; pro ipsa decima, sicut supra dictum est, satisfaciant. Quod si denuo rebelles, vel contradictores esse voluerint, & super wissam suam auctoritate intrare præsumpserint; tunc à ministris reipublicæ in custodiam mittantur, usque dum ad judicium publicum perducantur, & ibi secundùm legem ad Comitem, vel parte publica componant: reliqua autem, ùt supra dictum est de decimis, & sex solidos contra Ecclesiam satisfaciant. Hæc interim, ùt suprà dictum est, inter cætera pia Christianitatis opera servare convenit, quo usque in sequenti conventu medio Octobris, ùt condictum est, nisi fortè à Rege aliter præcipiatur, aliquid melius addendum, mutandum vel Deo Duce inveniatur.

XXXIII. Qui Subdiaconum occiderit, CCC. solidos componat, qui Diaconum, CCCC. qui Presbyteros, sexingentos, si Episcopum CCC. CCC. CCC. qui autem Monachum CCCC.

XXXIV. Si quis immunitati aliquod damnum fecerit CCC. CCC. solidos componat.

Mansi Supplementi T. I. à pag. 753. ad 758.

(*) Id est, claudantur signo publico.

CONCILIUM TREVERENSE,

Cujus mentio fit in Epistolâ Frotharii, Tullensis Episcopi, Interrogatoria ad Metropolitam Trevirens. de Synodali Concilio.

Anno Christi DCCCXIV. Leonis III. Papæ XX. Ludovici Pii Imp. anno I.

Domino Beatissimo, & unicæ dilectionis affectu colendo HETTI, supremâ largiente Providentiâ Treverorum Ecclesiæ Archi-Episcopo, Frotharius Episcoporum extimus, in Christo salutem.

TAnto ardore æstuo, vestræ Paternitatis sublimitatem intuendi, atque affandi, ac si multorum jam temporum labantur volumina, quibus vestro aspectu, vel vestris colloquiis perfrui nequiverim. Nam & inde me usquequaque fateor anxiari, quod nuper mihi de Palatio regredienti, defuit facultas, vobiscum loquendi. Unde & inexplebilibus desideriis ora dulcetudinis vestræ his in partibus citiùs invisere opto. Quapropter vestris litteris mihi significari expeto, quando huc pro legatione vobis injuncta venire, vel quando Synodale Concilium juxta modernam constitutionem debeatis convocare. De his ob id præcipuè sollicitus maneo, quia & ipse secundùm Imperiale præceptum ad providendas mansiones, in quibus legati suscipi debent, scilicet à monte Jovis usque Palatium Aquis ire debeo, & infra mensem Octobrem ingrediens ante solemnitatem Beati Andreæ domum regredi cupio. Sed si vos infra eumdem mensem has in partes proficisci cognoverò, præsens adesse curabo, ut vestri famulator, & adjutor in omnibus exsistens à vobis rursus, & in spiritalibus rebus congruum supplementum recipere merear. Nostri in omnibus reminiscentem, vos in Christo bene opto valere.

Andreas Duchesnius Tomo II. Histor, Franciæ pag. 719. ex quo Hardouin. Tomo IV. Conciliorum.



CONVENTUS, SEU PLACITUM PADERBRUNNÆ.

Anno Christi DCCCXV. Leonis III. Papæ XXI. Ludovici Pii II.

KAL. JULII IN SOLEMPNI CURIA, QUAM IN PATHERBRUN HABUIT LUDOVICUS KARULI F., FUNDATIO CORBEIÆ SAXONICÆ OB VOTUM PATRIS, ET LAUDABILEM PIETATEM REGIS, DECRETA, ET COEPTA EST.

FActum est autem eodem tempore, ut Serenissimus Imperator Ludovicus haberet Placitum in Saxonia, in loco, qui dicitur Patherbrunna, in secundo anno Regni sui, Incarnationis verò Domini octingentesimo decimo quinto. Tunc accessit præfatus Abba (*Adalhardus junior, Abbas Corbeiæ Franciçæ*) ad eum, & locutus est ei cum consilio, suadens, ut ad profectum Christianæ Religionis in eadem Provincia, Monasterium Monachorum construere juberet, quod, cùm Piissimus Princeps benignè suscepisset, placuit accersere Episcopum nomine Hathumarum, ad cujus Diœcesin pertinebat locus, (*a*) ubi construendum erat Monasterium, ut cum ejus fieret imperio, & voluntate, sicque factum est, ut ab ea die, & deinceps Religio Monachorum etiam in Religione Saxonica succresceret, atque proficeret. Eodem die remisit Dominus Imperator eidem Abbati omne servitium, quod ad se pertinebat, ut liberiùs sanctum opus implere quivisset.

Historia Translationis Reliquiarum S. Viti. In actis SS. Antverpiæ die 15. Junii.
Annales Corbeiæ Saxonicæ Francisci Paullini.
Chronicon Hildesheimense, Tomo III. Scriptor. Franciæ Duchesne.
Eginhardus in Chronico ad hunc annum.

(*a*) Corbeia Saxonica ad Visurgim, cœpta ædificari anno 815. in sylvæ Sollingensis loco, qui dicitur Hethi, paululum remoto ab ea sede, quam nunc obtinet Corbeia, Seminarium & Schola fuit magnorum Antistitum, & Sanctorum, & eruditorum Virorum. *Schatenus in Annal. Paderbornens. Eckhart. in historia Franciæ Orientalis ad hunc annum.*



CONCILIUM AQUISGRANENSE,

IN QUO EDITA EST FORMA INSTITUTIONIS CANONICORUM, ET SANCTIMONIALIUM, LUDOVICI PII JUSSU IN AQUISGRANI PALATIO CELEBRATUM ANNO CHRISTI DCCCXVI. INDICTIONE X. STEPHANI IV. PAPÆ ANNO I. LUDOVICI EJUSDEM PII REGIS ET IMPERATORIS III.

PRÆFATIO.

Cùm in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Christianissimus, ac Gloriosissimus HLUDOWICUS, superno munere Victor Augustus, anno Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI DCCCXVI. Indictione X. Anno siquidem

(*a*) Episcopos & Abbates CCCLXIII. convenisse Aquis, scribit Schatenus ex autore Anonymo, & hos inter Hildibaldus Coloniensis, Haystulphus Moguntinus Archi-Episcopi erant, Wal-

quidem Imperii sui tertio, Aquisgrani Palatio generalem, Sanctúmque convocasset Conventum, (a) & cœpisset secundùm ardentissimam erga Divinum cultum sibi cœlitùs inspiratam voluntatem, multa congrua, & necessaria de emendatione Sanctæ Ecclesiæ, illius videlicet amore, qui eam suo sancto, & pretioso redemit sanguine, eique se adfuturum usque ad consummationem pollicitus est sæculi, solerter, ac curiosè pertractare: eò usque inter cætera perventum est, ut eundem Sanctum & Venerabilem, Deo annuente, aggregatum Conventum consuleret, immò consulendo admoneret, super quibusdam Ecclesiarum Præpositis, qui partim ignorantiâ, partim desidiâ, subditorum curam parvipendebant, & hospitalitatem minùs justo diligebant; quid facto opus esset. Adjunxit etiam monendo, ut, quia Canonicorum vita sparsim in Sacris Canonibus, & in Sanctorum Patrum dictis erat indita, propter simplices quosque, minúsque capaces, aliquam ex iisdem Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum dictis institutionis formam pari voto, parísque consensu excerperent, per quam patenter Prælatorum & subditorum vita monstraretur: quatenus omnes, qui Canonica censentur professione, per viam propositi sui inoffenso gressu incederent, & in Christi militia devotiùs unanimes, atque concordes existerent. Sed ut in nutu divino fieret, Dominum in commune humiliter exorandum præmonuit, ut servorum suorum exoralibus pulsatus precibus, ejus admonitionitionem secundùm suam voluntatem fieri, suâque gratiâ eam præcedere, & subsequi dignaretur. Ad quam etiam admonitionem sacer conventus intimo gaudio repletus, expansis in Cælum manibus Creatori omnium gratias agens, benedixit. Quippe qui talem, tam pium, tamque benignum Ecclesiæ suæ Sanctæ Principem, cunctísque ejus necessitatibus Sanctissimum ac devotissimum prætulerit procuratorem. Suscipientes ergo libentissimè, hilaritérq; ejus saluberrimam, multis Deo miserante profuturam, admonitionem, licèt plerique, auxiliante Christo, devotè, ac religiosè cum sibi subjectis Canonicam servent institutionem, & in plerísque locis idem ordo plenissimè servetur: omnium tamen id animis sedit, ut secundùm ejusdem Principis admonitionem, unà Divino freti auxilio, & ejusdem piissimi Principis non modico adjuti juvamine, ejus videlicet liberalissimâ largitione, copiam librorum præ manibus habentes, ex canonicâ authoritate, & Sanctorum Patrum dictis, veluti ex diversis pratis quosdam flosculos carpentes, hanc institutionis formam excerperent, & Canonicis observandum conferrent: ut quorum fortè labore ob tarditatem ingenii, seu inopiam librorum sparsim digesta difficilè comprehendi posset, solerti studio in eodem opere breviter congesta perfacilè ab his reperiri possent: per quam, ùt præmissum est, & Prælati recto tramite incederent, & subditis normam vivendi absque ignorantiæ obstaculo salubriter nôssent præbere. Vigilanti ergo studio eamdem institutionis formam colligere studuerunt: in quâ plenissimè continetur, qualiter & prælati vivere, & subjectos regere, eísque ecclesiasticos sumptus administrare, & in Dei servitio constringere, bene operantes quoque ad meliora provocare, protervos quosque, & negligentes debeant corripere. Cùm igitur hujus institutionis formam, coram memorato Glorioso Principe prolatam, sacer conventus laudibus extulisset, & Ecclesiasticâ authoritate fulcitam, laudéque dignam, ac Sanctæ Ecclesiæ utillimam, atque proficiam consona voce prædicaret, nihilque in ea reprehensionis ab iis, qui sanum sapiunt, reperi posse profiteretur, ab eodem Victoriosissimo Principe, & ab omnibus, qui aderant, Deo gratias acclamatum est. Nec immeritò: quippe qui & occultâ suâ dispensatione, & gratissimâ inspiratione Principem, ut id fieri moneret, compulit, & ut ad effectum perduceretur, miserando adjuvit. Proinde omnium sententiâ statutum est, ab omnibus, qui in

candus Leodiensis, Meingardus Osnabrugensis, Theatgrimus Halberstadiensis, Wolffgerus Herbipolensis, Gerfridus Monasteriensis, Baduradus Paderbornensis Episcopi. *Annal. Paderbornensium Lib. II. ad h. annum.*

(a) Illmus Baronius & Cointius inducti ab auctore vitæ Ludovici Pii, & aliquibus Annalistis Francorum, Conventûs Aquisgranensis ad hunc annum non meminerunt: quos Pagius in critica corrigit ex Annalista Lambeciano, & Annalibus Hildesheimensibus.

in Canonicâ professione Domino militant, hanc institutionis formam, tot ecclesiasticorum virorum vigilanti studio congestam, dignísque præconiis laudatam, juxta virium possibilitatem, modis omnibus observandam: quatenus hanc, sive aliarum Sanctarum Scripturarum documenta sedulâ meditatione prælegentes & prælati, & subditi, vocatione, quâ vocati sunt, ope divinâ adminiculati, infatigabiliter ambulent, & pro tam piissimo Principe, qui ad lucrum animarum hoc sacrum, & venerabile Concilium ad hanc formam congregandam, & statuendam salutiferis admonitionibus excitavit, modernis, futurísque temporibus Dei immensam Clementiam jugiter exorent. Nam & in altero libello idem sacer conventus, eodem religiosissimo Augusto monente, quandam institutionis formulam ex Sanctorum Patrum dictis studiosè excerpsit, & in unum breviter, satisque congruenter congessit, & Sanctimonialibus, Canonicè degentibus, tenendam percensuit. In quâ continetur, quales eis Abbatissæ præferendæ sint, qualiter eisdem sanctimonialibus infra Claustra Monasterii vivendum, quid à Prælatis stipendiorum dandum, quibus documentis, & virtutum instrumentis exornandæ sint: quatenus hâc formulâ vivendi inspectâ, &, Deo sibi adjutorium præbente, humiliter susceptâ, & efficaciter impletâ cum bonorum operum lampadibus venienti sponso apparere, atque ejus thalamum ingredi mereantur.

INDEX CAPITUM

LIBRI I.

43. *Quòd*

43. *Quòd non oporteat demigrare.* Ejusd.
44. *Non transmigrandum de civitate in civitatem.* Conc. Chalcedonensis.
45. *De his, qui in Ecclesiis, in quibus provecti sunt, minimè perjurârunt.* Conc. Nic.
46. *De flectendo genu.* Ejusdem.
47. *De damnatis, & ministrare tentantibus.* Conc. Antiocheni.
48. *De Clericis damnatis.* Conc. Africani.
49. *De peregrinorum susceptione.* Conc. Antiocheni.
50. *Quòd non liceat Clerico in duarum civitatum Ecclesiis ministrare.* Conc. Chalc.
51. *Quòd non oporteat peregrinos Clericos sinè commendatitiis ministrare.* Ejusdem.
52. *Quòd sinè literis sacro ministerio servientes proficisci non debeant.* Conc. Laod.
53. *De Clericis à communione summotis, ab alio non recipiendis Episcopo.* Conc. Sard.
54. *Si quis Excommunicatus ante sententiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.* Conc. Carthag.
55. *De non sollicitandis Clericis alienis.* Conc. Sardic.
56. *De his, qui semel legerint in Ecclesiâ, ab aliis non posse promoveri.* Conc. Afric.
57. *Si qui Clerici ab Episcopis suis promoti, contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerunt.* Conc. Carth.
58. *Ut nullus alienum Clericum sollicitare, vel tenere præsumat, suo Episcopo non præbente consensum.* Leonis Papæ.
59. *Ut in Ecclesiis convivia minimè celebrentur.* Conc. Africani.
60. *Quòd nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.* Conc. Laodic.
61. *De avaritiâ.* Conc. Carthag.
62. *Quòd usuram non solùm Clerici exigere non debent, sed nec Laici Christiani.* Leonis Papæ.
63. *De his, qui esum carnium in Clero constituti diffugiunt.* Conc. Ancyrani.
64. *De numero certo Diaconorum.* Conc. Neocæsar.
65. *De his, qui abominantur eos, qui carnibus vescuntur.* Conc. Gangrensis.
66. *De his, quæ in usus pauperum conferuntur.* Ejusdem.
67. *De his, qui pro virginitate superbiunt.* Ejusdem.
68. *De his, qui dominico die jejunant, tanquam nihil præ cæteris differente.* Ejusd.
69. *De his, qui Ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvunt.* Ejusdem.
70. *De his, qui se à perceptione Sanctæ Communionis avertunt, & qui Excommunicatis per domos communicant.* Conc. Antioch.
71. *De his, qui ab aliâ parocciâ, præter conscientiam Episcoporum, suorum in aliis commorantur.* Ejusdem.
72. *De Clericis, vel Laicis excommunicatis.* Ejusdem.
73. *De Episcopis, & Clericis adeuntibus Imperatorem.* Ejusdem.
74. *De damnatis Episcopis, aut Clericis adeuntibus Imperatorem.* Ejusdem.
75. *Ut qui in Sacrario serviunt, usuras non exigant.* Conc. Laodic.
76. *De his, qui debeant in pulpito psallere.* Ejusdem.
77. *De honore, quem Presbyteris Diaconi, qui sub ipsis sunt, debeant exhibere.* Ejusdem.
78. *Quòd Diaconi non debeant benedicere, vel benedictionem dare.* Ejusdem.
79. *De Exorcistis, qui non sunt ab Episcopis ordinati.* Ejusdem.
80. *In Ecclesia prandia fieri non debere.* Ejusdem.
81. *Quòd præter Episcopi jussionem Clericus proficisci non debeat.* Ejusdem.
82. *Ut ad Sacrarium mulieres non introeant.* Ejusdem.
83. *Non licere Clericis, lubricis interesse spectaculis.* Ejusdem.
84. *Oblationes in domibus offerre non oportere.* Ejusdem.
85. *De Clericis, & Monachis, non manentibus in suo proposito.* Conc. Chalcedon.
86. *Quòd non oporteat Clericos, habentes invicem negotium, proprium Episcopum relinquere, & ad sæcularia judicia convocari.* Ejusdem.
87. *Quòd minimè Clericos transmigrare conveniat.* Ejusdem.
88. *Quòd non liceat Clericis, post mortem sui Episcopi, bona ejus diripere.* Ejusdem.
89. *Si quis Clericorum pauper promotus, in ordine postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subjiciat.* Conc. Carthagin.
90. *Ut Clerici tabernas, nisi in peregrinis, non ingrediantur.* Conc. African.
91. *Ut alienus Clericus minimè suscipiatur ab alio.* Ejusdem.
92. *Ut Clericus nec suo, nec alieno nomine fœnus exerceat.* Leonis Papæ.
93. *Ut Clerici nullas negotiationes inhonestas, & turpia lucra sectentur.* Gelasii Papæ.
94. *De vita Clericorum.* Hieron. ad Nep.
95. *De Institutione Clericorum.* Ejusd. ad Paulinum.

96. *Ex*

96. *Ex Epistola Hieronymi, ad Rusticum.*
97. *Quid distet inter Monachum & Clericum.* Ejusd. ad Heliodor.
98. *De vitâ Clericorum.* Ejusd. ad Oceanum.
99. *De Clericis.* Isidori.
100. *De regulis Clericorum.* Ejusdem.
101. *De generibus Clericorum.* Ejusdem.
102. *Quales oporteat Clericos esse.* Gregorii.
103. *De subjectis bonis sub pastorali regimine constitutis.* Ejusdem.
104. *De subditis.* Isidori.
105. *De invidis, & protervis subditis.* Greg.
106. *Quòd secundùm sermonem Prophetæ culpâ suâ peccant, qui Sacerdotum increpationes, perversâ voluntate contemnunt.* Prosperi.
107. *Cum quo damno animæ suæ ab Ecclesiâ, quæ pauperes pascit, accipiunt illi, qui sibi de suo sufficiunt.* Ejusdem.
108. *Qui sint, qui etiam cum profectu animæ suæ, opibus sustentantur Ecclesiæ.* Ejusd.
109. *Quid facere debeant Clerici, quorum infirmitas non potest sua contemnere.* Ejusd.
110. *Quæ sint vera gaudia, & veræ divitiæ, & quid impedimenti adferant bona præsentia amatoribus futurorum.* Ejusdem.
111. *Quomodo intelligatur, quod dicit Apostolus, qui in Sacrario operantur, qui de Sacrario non edant.* Ejusdem.
112. *De vitâ & moribus Clericorum.* August.
113. *Item* (a) *de vitâ & moribus Clericorum.* Ejusdem Lib. 2.
114. *Quæ præcepta specialiter Monachis, quæ generaliter cæteris conveniant Christianis.*
115. *Quòd Canonica institutio, Evangelicâ, & Apostolicâ authoritate fulta, cæteris supereminueat institutionibus.*
116. *Quid sint res Ecclesiæ.*
117. *Quòd diligenter munienda sint Claustra Canonicorum.*
118. *Ut in congregandis Canonicis modus discretionis sit tenendus.*
119. *De his, qui in congregatione sibi commissa solummodò ex familiâ Ecclesiæ Clericos aggregant.*
120. *Qui Clerici, in congregatione Canonicâ constituti, Ecclesiastica accipere stipendia debeant.*
121. *Ut in congregatione Canonicâ æqualiter cibus & potus accipiatur.*
122. *De mensurâ cibi & potûs.*
123. *Quod à Prælatis gemina pastio sit subditis impendenda.*
124. *Ut Canonici, sicut in cæteris, ità etiam in cultu vestium, modum teneant discretionis.*
125. *Ut Canonici cucullas Monachorum non induant.*
126. *Quâ authoritate horæ Canonicæ celebrentur, quas scire, ac religiosè observare Canonicos oportet.* Isidori.
127. *De Vespertinis.* Isidori.
128. *De Completis.*
129. *De Vigiliarum antiquitate.*
130. *De Matutinis.*
131. *Ut Canonici horas Canonicas religiosè observent.*
132. *Quòd cantantibus, & psallentibus Domino, Angelorum adsint præsidia.*
133. *Quales ad legendum, & cantandum in Ecclesiâ, constituendi sint.*
134. *Qui modus sit correptionis.*
135. *Ut erga pueros, qui nutriuntur, vel erudiuntur in congregatione Canonicâ, instantissima sit adhibenda custodia.*
136. *Ut omnes Canonici ad Completorium veniant.*
137. *De Cantoribus.*
138. *Quales vice Prælatorum in congregatione Canonicâ fungi debeant.*
139. *De Præpositis.*
140. *Qualis sit Cellararius constituendus.*
141. *Cui committi debeant stipendia pauperum.*
142. *De infirmorum ac senum cura fratrum.*
143. *Qualiter porta Canonicorum custodiatur.*
144. *Ut claustra Canonicorum diligenter custodiantur.*
145. *Epilogus breviter digestus.*

CON-

(a) Hactenus Capitula, ab Amalario Diacono ex Concillis, & Ss. PP. collecta, & ab Concilio Aquisgranensi probata; Reliqua XXXII. ab ipsomet Concilio sua auctoritate addita & præscripta.

CONCILII AQUISGRANENSIS

LIBER I.

Qui est de Institutione (*) Canonicorum.

CAPUT I.

De Tonsurâ Clericorum. Isidori.

TOnsuræ (*a*) Ecclesiasticæ usus à Nazaræis, nisi fallor, exortus est. Qui priùs crine servato, denuo post magnam vitæ continentiam, devotione completâ, caput radebant, & capillos in igne Sacrificii ponere jubebantur, scilicet, ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi, qui in Divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, Sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quippe & Ezechieli Prophetæ jubetur, dicente Domino: *Tu* (b) *Fili hominis, sume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum, & barbam.* Videlicet, quia & ipse Sacerdotali genere Deo in ministerium Sanctificationis deserviebat. Hoc & Nazaræos illos, (*c*) Priscillam & Aquilam, in Actibus Apostolorum primùm fecisse legimus: Paulum quoque Apostolum, & quosdam Discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu mirandi extiterunt. Est autem in Clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur: scilicet, ut hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus, ut comis rudibus enitescamus, *Exspoliantes* (d) *nos, juxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum,* (e) *qui renovatur in agnitione Dei.* Quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quòd verò detonso capite superiùs, inferiùs circuli corona relinquitur, Sacerdotium, regnúmque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem, latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit; utrumque itáque signum in capite Clericorum exprimitur, ut impleatur etiam corporis quâdam similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo perdocente: *Vos estis* (f) *genus electum, regale Sacerdotium.* Quæritur autem, cur sicut apud antiquos Nazaræos, non antè coma nutritur, & sic tondetur? Sed qui hæc exquirunt, advertant, quid sit inter illud Propheticum velamentum, & hanc Evangelii revelationem, de quâ dicit Apostolus: *Cùm* (g) *transieritis ad Christum, auferetur velamen.* Quod autem significabat velamen, interpositum inter faciem Mosis, & adspectum populi Israël, hoc significabat illis temporibus etiam coma Sanctorum. Nam Apostolus etiam *comam* (h) *pro velamento* esse dicit. Proinde jam non oportet, ut velentur crinibus capita eorum, qui Domino consecrantur, sed tantùm, ut revelentur: quia, quod erat occultum in Sacramento Prophetiæ, jam in Evangelio declaratum est.

II. *De Ostiariis.* Isidori.

Ostiarii (*i*) sunt, qui in veteri testamento Janitores templi vocabantur, qui præerant portis Hierusalem, quique ordinati per vices omnia interiora templi vel exteriora custodiebant. Hi denique inter Sanctum, & iniquum discernentes, eos tantùm in Ecclesiâ, qui sunt fideles, recipiunt. Intrare enim templum, nisi per hos, non possumus. Habent enim potestatem, tam bonos recipiendi, quàm rejiciendi indignos.

III. *De Lectoribus.* Isidori.

Lectorum (*k*) ordo formam & initium à Prophetis accepit. Sunt igitur Lecto-

(*) Amalarius, Diaconus Metensis, acceptis Libris è Palatio Imperatoris Capita Prima CXIII. hujus Libri condidit, quæ Synodus Aquensis approbavit, & addidit XXXII. universim 145. *Pagi ad h. annum ex Ademaro in Chronico.*

(*a*) Isidor. Eccles. Offic. Lib. 2. Cap. 4. (*b*) Ezech. 5. 1. (*c*) Act. 18.
(*d*) Ephes. 4. (*e*) Coloss. 3. [*f*] 1. Pet. 2. 9.
[*g*] 2. Cor. 3. 16. (*h*) 1. Cor. 11. 15. [*i*] Isidor. ibidem C. 14.
(*k*) Ibid. C. 11.

Lectores, qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur: *Clama*, (l) *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Isti quippe dum ordinantur, primùm de eorum conversatione Episcopus verbum facit ad populum: deinde coram plebe tradit eis codicem Apicum Divinorum, ad verbum Dei annuntiandum. Qui autem ad hujusmodi provehitur gradum, iste erit doctrinâ, & libris imbutus, sensuúmque, ac verborum scientiâ perornatus: ita ut distinctionibus sententiarum intelligat, ubi finiatur junctura, ubi adhuc pendeat oratio, ubi sententiâ extremâ claudatur. Sicque expeditus, vim pronuntiationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes, sensúmque promoveat, discernendo genera pronuntiationum, atque exprimendo proprios sententiarum affectus: modò indicantis voce, modò dolentis, modò increpantis, modò exhortantis, sive his similia, secundùm genus propriæ pronuntiationis, in quo magis illa ambigua sententiarum adhibenda cognitio est. Multa enim in Scripturis sunt, quæ, nisi proprio modo pronuntientur, in contrariam recidunt sententiam, sicuti est: *Quis* (m) *accusabit adversùs electos Dei? Deus, qui justificat?* quódque si confirmativè, non servato genere pronuntiationis sitæ, dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceret: Deúsne, qui justificat? Subauditur, non. Necesse est ergo in tantis rebus scientiæ ingenium, quo propriè singula, convenientérque pronuntientur. Propterea & accentuum vim oportet lectorem scire, ut noverit, in quâ syllabâ vox protendatur pronuntiantis. Plerúmque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant, & solent irridere nos imperitiæ hi, qui videntur habere notitiam, detrahentes & jurantes, penitus nos nescire, quod dicimus. Porrò vox lectoris simplex erit, & clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum: non humilis, nec adeò sublimis: (n) non fracta, non tenera, nihilque fœmineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantùm cum gravitatis specie. Auribus enim, & cordi consulere debet lector, non oculis: ne potiùs ex se ipso exspectatores magis, quàm auditores faciat. Vetus opino est, lectores pronuntiandi causâ præcipuam curam vocis habuisse, ut exaudiri in tumultu possit. Unde & dudum lectores præcones, vel proclamatores, vocabantur.

IV. *De Exorcistis.* Isidori.

In ordine (o) & Ministerio Ecclesiæ decet esse Exorcistas, secundùm officia, quæ in templo Salomonis erant disposita, quæque posteriùs sunt ab Esdrâ dispertita. Et invenimus eos, quos scilicet Esdras actores memorat templi, nunc esse Exorcistas in Ecclesiâ Dei. Fuerunt enim sub Esdra actores templi, servorum Salomonis filii, qui actum templi totius sub curâ suâ haberent, ac sacris oblationibus deservirent. Et cùm fuissent ex ordine & Ministerio templi, longè fuerunt ab officio Altaris Dei: quia nec Psalmistis, nec Ostiariis, nec sacrorum servis attingere licebat ad munera Altaris, nisi tantùmmodo Levitis. Quid ergo est? Nullam aliam curam habebant actores templi, nisi ad sartatecta facienda; ut quæcunque fuissent vexata in ædificiis templo, aut delapsa, per eosdem Actores de thesauris Dominicis reficerentur, atque excolerentur. Ergo actores templi, Exorcistæ sunt in templo Dei. Quomodo enim Actor prudens, & bonus scit, quis sit Domini sui census, & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia: sic & Exorcista redigit in suam diligentiam totius regni Domini secreta; ut memoriæ mandet de Scripturarum Sacramentis, unde exerceat donum, quod illi est à Spiritu Sancto concessum, secundùm Apostoli præconium, Exorcistas enim memorat Apostolus, cùm dicit: *Numquid omnes* (p) *donationes habent sanationum?* Hi enim cùm ordinantur, sicut ait Canon, accipiunt de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, accipientes potestatem, imponendi manus super Energumenos, sive Cathechumenos, sive baptizatos.

V. *De Acolytis.* Isidori.

Acolyti (q) græcè, latinè ceroferarii,

(l) Esaiæ 58. 1. (m) Rom. 8. 33. (n) Isidor. ibid. C. 13.
(o) Ibid. C. 13. (p) 1. Cor. 12. 30. Conc. Carthag. IV. D. XXIII. Exorcistarum.
(q) Etymol. Lib. 7. C. 12.

rii, dicuntur à deportandis cereis, quando legendum est Evangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de quâ in Evangelio legitur: *Erat lux*, (r) *quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.*

VI. *De Subdiaconibus.* Isidori.

Subdiaconi, (s) qui apud græcos Hypodiaconi vocantur, in Esdra inveniuntur, appellantúrque ibi Nathinæi, id est, in humilitate Domino servientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanaël, qui in Evangelio Joannis Divinâ proditione commonitus, salvatorem meruit confiteri. Quique etiam ad primum Divinitatis indicium fidelis enituit, protestante Domino, ac dicente: *Ecce verè Israëlita*, (t) *in quo dolus non est.* Denique isti oblationes in templo Domini suscipiunt à populis. Isti obediunt officiis Levitarum. Isti quoque vasa corporis & sanguinis Christi Diaconibus ad Altaria Domino offerunt. (u) De quibus quidem placuit Patribus, ut, quia Sacra Mysteria contrectant, casti & continentes sint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditiâ liberi, juxta quod illis, Prophetâ dicente, jubetur: *Mundamini*, (w) *qui fertis vasa Domini.* Hi igitur cum ordinantur, sicut Sacerdotes & Levitæ, manûs impositionem non suscipiunt: sed patenam tantùm, & calicem de manu Episcopi, & ab Archidiacono scyphum aquæ cum aquamanili, & manutergium accipiunt.

VII. *De Diaconibus.* Isidori.

Diaconorum (x) ordo à tribu Levi accepit exordium. Præcepit enim Dominus Mosi, ut post ordinationem Aaron Sacerdotis, & Filiorum ejus, rursus Levi tribus in Divini cultûs Ministerio ordinarentur, & consecrarentur Domino, pro omnibus primogenitis, & servirent pro Israël coram Aaron, & filiis ejus, in tabernaculo Dei, excubantes in templo die ac nocte. Ipsíque gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa ejus, & in circuitu tabernaculi castra ipsi rursus constituerent, & in promovendo tabernaculo ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti quinque annis, & supra, in tabernaculo servire, ipsis mandatum est. Quam regulam Sancti Patres & in novo testamento constituerunt. In Evangelio (y) autem primordia eorum, & in actibus Apostolorum ità leguntur: *Convocantes autem duodecim Apostoli multitudinem discipulorum dixerunt: non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Quid ergo est Fratres? Considerate ex vobis viros boni testimonii septem, plenos Spiritu Sapientiæ, quos constituamus in hanc rem. Nos verò orationi & ministerio sermonis instantes erimus. Et placuit sermo eorum omni multitudine. Et elegerunt statim Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu Sancto, Philippum, Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hi steterunt ante Apostolos. Et cùm orássent, imposuerunt illis manus. Verbúmque Dei crescebat, & multiplicabatur numerus credentium. Ex hinc jam decreverunt Apostoli, Apostolorúmque successores, per omnes Ecclesias septem Diacones ordinandos esse, qui sublimiore gradu cæteris proximè circa aram Christi, quasi columnæ Altaris assisterent, & non sinè aliquo septenarii numeri Mysterio: hi sunt enim, quos in Apocalypsi legimus, *septem Angeli* (z) *tubis canentes.* Hi sunt septem candebra aurea, hi voces tonitruorum: ipsi enim clarâ voce in modum præconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendis genibus, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendis. Ipsi etiam, ut aures habeamus ad Dominum clamant. Ipsi quoque Evangelizant. Sinè ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in Sacerdote consecratio, ità & in Ministro dispensatio Sacramenti est. Ille orare, hic psallere mandat. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere

(r) Joan. 1. 9.
(t) Joan. 1. 47.
(w) Esaiæ 52. 11.
(z) Apoc. 8. & 10.
(s) De Officiis Lib. 2. Cap. 10. 1. Esdr. 2. & 8.
(u) Conc. Carth. IV. D. XXIII. Subdiaconi.
(x) Isidor. Lib. cit. C. 8. (y) Cap. 6.

tollere calicem, nisi eis traditus fuerit à Diacono. Levitæ inferunt oblationes in altaria: Levitæ mensam Domini componunt: Levitæ operiunt arcam testamenti. Non enim omnes vident alta Mysteriorum, quæ operiuntur à Levitis; ne videant, qui videre non debent, & sumant, qui servare non possunt. Qui propterea altari albis induti adsistunt, ut cœlestem vitam habeant, candidíque ad hostias & immaculati accedant, mundi scilicet, corpore, & incorrupti pudore. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed potiùs eminenti castitate splendeant. Quales autem Diaconi ordinentur, Paulus Apostolus pleniffimè scribit ad Timotheum: Nam (*a*) cùm præmisisset de Sacerdotum electione, continuò subjunxit: *Diaconi similiter irreprehensibiles*, hoc est, sinè maculâ, sicut Episcopi. *Pudici* utique, id est, à libidine continentes: *non bilingues*, scilicet, ne conturbent pacem habentes. *Non multo vino dediti*: quia ubi ebrietas, ibi libido dominatur, & furor. *Non turpe lucrum sectantes*, ne de cœlesti ministerio lucra terrena sectentur. Est quippe & turpis lucri appetitio, plus de præsentibus, quàm de futuris cogitare. Post hæc subjecit: *Hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Hi utique, sicut Episcopi ante ordinationem probari debent, si digni sint, & sic postea ministrare.

VIII. *De Presbyteris.* Isidori.

Presbyterorum (*b*) ordo exordium sumpsit, ùt dictum est, à filiis Aaron. Qui enim Sacerdotes vocabantur in veteri testamento, hi sunt, qui nunc vocantur Presbyteri. Et qui nuncupabantur Principes Sacerdotum, nunc Episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur Seniores, quia Seniores ætate græci Presbyteros vocant. His enim, sicut Episcopis, dispensatio Mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione Divini Corporis & Sanguinis consortes cum Episcopis sunt, similiter & in doctrinâ populorum, & in officio prædicandi. Sed solùm propter auctoritatem Summi Sacerdotii, Clericorum ordinatio & consecratio reservata est, ne à multis disciplina Ecclesiæ vindicata, concordiam solveret, scandala generaret. Nam Paulus Apostolus, eosdem Presbyteros, ùt verè Sacerdotes, sub nomine Episcoporum ità asseverat, loquens ad Titum: *Hujus*, (c) inquit, *rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui. Si quis sinè crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sinè crimine esse.* Quâ sententiâ ostendit, etiam Presbyteros sub Episcoporum nomine taxari. Unde & ad Timotheum de ordinatione Episcopi, & Diaconi scribens, de Presbyteris (*d*) omninò tacuit, quia eos in Episcoporum nomine comprehendit. 2dus enim primo conjunctus est gradus. Sicut & ad Philippenses Episcopis & Diaconibus scribit, cùm (*e*) una civitas plures Episcopos habere non possit. Et in Actibus Apostolorum Presbyteros Ecclesiæ, iturus Hierosolymam, congregavit, quibus inter cætera ait: *Videte* (*f*) *gregem, in quo vos Spiritus Sanctus Episcopos ordinavit.* Unde etiam tales in Ecclesiâ Presbyteros constituendos esse, sicut Episcopos, & Apostolus ad Titum (*g*) loquitur, & Canones ipsi testantur: *Presbyteros autem merito, & sapientia dici, non ætate. Nam & Mosi præcipitur, ut eligat Presbyteros.* Unde & in Proverbiis dicitur: *Gloria* (h) *senum canities.* Quæ est hæc canities, haud dubium, quin Sapientia, de qua scriptum est: *Canities* (i) *hominum prudentia est.* Cúmque nongentos & ampliùs annos ab Adam, usque ad Abraham vixisse homines legerimus, nullus alius primus appellatus est Presbyter, id est, Senior, nisi Abraham, qui multò paucioribus annis vixisse convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam Presbyteri nominantur. Quod si ita est, mirum, cur insipientes constituantur.

IX. *De Sacerdotibus.* Isidori.

Veniamus (*r*) ergo nunc ad sacratissimos ordines, & singulariter demonstremus, quod est Sacerdotii fundamentum, vel quo authore Pontificalis ordo adolevit in sæculo. Initium quidem Sacerdotii Aaron fuit, quanquam & Melchise-

(*a*) 1. Timoth. 3. 8. (*b*) Isidor. ibid. Cap. 7. (*c*) Isid. L. c. Cap. 1. 5.
(*d*) 1. Timoth. 3. (*e*) Philipp. 1. (*f*) Act. 20. 28.
(*g*) Isid. L. c. Cap. 1. (*h*) Prov. 20. 29. (*i*) Sap. 4. (*r*) Isid. L. c. C. 5.

chisedech prior obtulerit Sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac, & Jacob. Sed isti spontaneâ voluntate, non Sacerdotali authoritate ista fecerunt. Cæterùm Aaron primus in lege Sacerdotale nomen accepit; primúsque stolâ indutus victimas obtulit, jubente Domino, ac loquente ad Mosem: *Accipe*, inquit, *Aaron*, (s) *& Filios ejus, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cúmque laveris Patrem cum filiis aquâ, indues Aaron vestimentis suis, id est, lineâ & tunicâ, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo, & pones tiaram in capite ejus, & laminam sanctam super tiaram; & oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingésque balteo, Aaron scilicet, & liberos ejus, & impones eis mitras, eríntque Sacerdotes mei religione perpetuâ.* Quo loco contemplari oportet, Aaron summum Sacerdotem, id est, Episcopum fuisse, & filios ejus Presbyterorum figuram præmonstrâsse. Fuerunt enim Filii Aaron & ipsi Sacerdotes, quibus meritò adstare debuissent Levitæ, sicut summo Sacerdoti. Sed hoc fuit inter Aaron summum Sacerdotem, & inter filios ejusdem Aaron, qui & ipsi erant Sacerdotes: Quod Aaron super tunicam accipiebat poderem, stolam sanctam, & coronam auream, mitram, & zonam auream, & superhumerale, & cætera, quæ suprà memorata sunt. Filii autem Aaron super tunicas lineas cincti tantummodò, & tiarati astabant Sacrificio Dei. Sed forsitan quæritur & hoc: cujus figuram faciebat Moses? Si enim filii Aaron Presbyterorum figuram faciebant, & Aaron summi Sacerdotis, id est, Episcopi; Moses cujus? Indubitanter Christi, & verè per omnia Christi: quoniam fuit similitudo Mediatoris Dei, qui est inter Deum & hominem JEsus Christus, qui est verus Dux populorum, verus Princeps Sacerdotum, & Dominus Pontificum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Hactenus de primordiis Sacerdotalibus in veteri testamento: in novo autem testamento post Christum Sacerdotalis ordo à Petro cœpit. Ipsi enim primùm datus est Pontificatus in Ecclesiâ Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus: *Tu es*, inquit, *Petrus*, (t) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: & tibi dabo claves Regni Cælorum.* Hic ergo ligandi, solvendique potestatem primus accepit, primúsque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Siquidem & cæteri Apostoli cum Petro par consortium honoris, & potestatis acceperunt. Qui etiam in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt; quibúsque decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum. Qui non jam ex genere carnis & sanguinis eliguntur, sicut primùm secundùm Ordinem Aaron, sed pro uniuscujusque merito, quod in eum gratia Divina contulerit. Sicut etiam ad Heli Dominus prænuntiavit, dicens: *Hæc* (u) *dicit Dominus Deus Israël: Dixi, domus tua, & domus Patris tui permanebunt coram me usque in æternum. Et nunc hæc dicit Dominus: Nequaquam, sed glorificantes me glorificabo. Qui me spernit, spernetur.* Quatuor enim sunt genera Apostolorum. Unum à Deo tantùm; ùt Moses. Alterum per hominem & Deum; ùt Josuë. Tertium tantùm per hominem, sicut his temporibus multi favore populi, & potestatum in Sacerdotium subrogantur. Quartum autem genus ecce est, sicut Pseudo-Prophetarum, & Pseudo-Apostolorum. Quid est autem nomen Apostolorum? Apostoli in latinâ linguâ Missi interpretantur; quia ipsos misit Dominus, evangelizare ad illuminationem omnium populorum. Episcopus autem, ùt quidam prudentium ait, nomen est operis, non honoris. Græcum (w) est enim, atque inde ductum vocabulum, quòd ille, qui præficitur, superintendit, curàm scilicet subditorum gerens: ἐπὶ quippe super; σκοπὸς autem intentio est; ergo Episcopum latinè super intendentem possumus dicere: ut intelligat, non se esse Episcopum, qui non prodesse, sed præesse dilexerit. Quod verò per manûs impositionem à præcessoribus Dei Sacerdotibus Episcopi ordinantur, antiqua est institutio. *Isaac* (x) autem Patriarcha Sanctus *ponens manum suam super caput Jacob benedixit ei.* Similiter & Jacob filiis suis benedictionem dedit. Sed & Moses super

(s) Exod. 29. 4. (t) Matth. 16. 18. (u) 1. Reg. 2. 30.
[w] Aug. de civ. Dei L. 19. C. 19. [x] Gen. 27. 78.

super caput (y) Josuë manum suam imponens, dedit ei Spiritum virtutis, & ducatûs in populo Israël. Sic & superimpletor legis, & Prophetarum Dominus noster, JESUS CHRISTUS, per manus impositionem Apostolos benedixit, sicut in Evangelio Lucæ scriptum est: *Et perduxit* (z) *illos trans Bethaniam: & elevavit manus suas, & benedixit eos. Factúmque est, cùm benedixisset illis, discessit ab eis: & ipsi reversi sunt in Hierusalem cum gaudio magno.* Et in Actibus Apostolorum ex præcepto Sancti Spiritûs (a) Paulo & Barnabæ ab Apostolis manus imposita est in Episcopatum, & sic missi sunt ad evangelizandum. Quod autem à triginta annis Sacerdos efficitur, ab ætate scilicet Christi sumptum est, ex quâ idem orsus est prædicare. Hæc enim ætas profectu jam non indiget parvulorum, sed perfectionis vi plena est, & robusta, & ad omne disciplinæ ac Magisteri exercitium præparata. Quòd verò unius virginalis matrimonii sint, qui eliguntur in ordine Pontificatûs, & in veteri lege mandatum est, & pleniùs scribit Apostolus, dicens: *Unius (b) uxoris virum.* Sacerdotem (c) quærit Ecclesia, aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate Sanctum. Digamus enim haud fertur agere Sacerdotium. Porrò, quòd Episcopus non ab uno, sed à cunctis Provincialibus Episcopis ordinatur, ideo institutum est, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ unius tyrannica auctoritas moliretur. Propterea ab omnibus convenientibus constituitur, ac non minùs, quàm à tribus præsentibus, cæteris tamen consentientibus testimonio literarum. Huic autem, dum consecratur, datur baculus, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur & annulus propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum. Nam multa sunt, quæ carnalium, minúsque intelligentium sensibus occultantes Sacerdotes, quasi sub signaculo condunt, ne indignis quibusque Sacramenta Dei aperiantur. Jam verò, quòd sæculares viri nequaquam ad ministerium Ecclesiæ assumantur, eadem auctoritas Apostolica docet, & dicit: *Manus* (d) *citò nemini imposueris.* Et iterum: *Non neophytum, ne in superbiam elatus* putet, se non tam ministerium humilitatis, quàm administrationem sæcularis potestatis adeptum: & in condemnationem superbiæ, sicut diabolus, per jactantiam dejiciatur. Quomodo enim valebit sæcularis homo Sacerdotii magisterium adimplere, cujus nec officium tenuit, nec disciplinam cognovit? Aut quid docere poterit, cùm ipse non didicerit? Nunc verò sæpe cernimus, plurimos ordinationem talibus facere: nec eligunt, quæ Ecclesiæ prosunt, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit: Et, ut deteriora dicam, qui ut ordinarentur, muneribus impetrârunt. Taceo de reliquis. Alii successores filios, vel Parentes faciunt, vel conantur posteris præsulatûs relinquere dignitatem, cùm hoc nec Moses, (e) amicus Dei, facere potuit, sed Josuë de aliâ tribu elegit, ut sciremus, Principatum in populo non sanguine defendendum esse, sed vitæ meritis. Interdum autem, & juxta meritum plebium eliguntur personæ Rectorum: unde noverint populi, sui fuisse meriti, regimen perversi suscepisse Pontificis. Quòd autem is, qui post Baptismum aliquo mortali peccato corruptus, ad Sacerdotium non provehatur, Lex ipsa testatur. Moses (f) enim in lege præcepit Sacerdotibus, *ne aliquod vitiatum ad aram Dei offerant.* Quod ipsum postea offerentibus Sacerdotibus Israël per Malachiam improperavit Deus, dicens: *Vos* (g) *Sacerdotes, qui polluistis nomen meum, & dixistis: in quo polluimus eum? Offerentes super altare meum panem pollutum, & offerebatis cæcum & languidum.* Unde (h) & in Numeris vitula rufa, cujus cinis expiatio est populi, non aliter jubetur offerri ad altare Domini, nisi quæ terrena opera non fecerit, jugúmque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura subjiciamus? Si enim is, qui in Episcopatu, vel Presbyterio positus, mortale aliquod peccatum admiserit, retrahitur: quantò magis ante ordinationem repudiari peccator inventus debet, ut non ordinetur? Quapropter quia

(y) Num. 27. 23.
(b) 1. Tim. 3. 2.
(e) Num. 27.
(h) Num. 19.
(z) Luc. 24. 50.
(c) Tit. 1.
(f) Levit. 1. & 2.
(a) Act. 13.
(d) 1. Tim. 5. 22.
(g) Malac. 1. 7.

quia lex peccatores à Sacerdotio removet, consideret se unusquisque: & sciens, quia potentes potenter tormenta patientur, retrahat se ab hoc non tam honore, quàm onere, & aliorum, qui digni sunt, locum non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis, atque instruendis de virtute populis præerit, necesse est, ut in omnibus Sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam quâ fronte subjectos arguere poterit, cùm illi statim possit correptus ingerere: antè doce te, quæ recta sunt, Episcope? Quapropter, qui negligit recta facere, desinat recta docere. Priùs quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum monere studet; ità ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctósque ad bonum opus, & doctrinâ, & opere provocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est: quia si Episcopi tantùm sit sancta vita, sibi soli potest prodesse sic vivens. Porrò si & doctrinâ fuerit eruditus, potest cæteros quosque instruere, & docere suos, & adversarios repercutere. Qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facilè possunt simplicium corda pervertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex, & apertus, plenus gravitate & honestate, plenus suavitate & gratiâ, tractans de Mysterio legis, de doctrinâ fidei, de virtute continentiæ, de disciplinâ justitiæ: unumquemque diversâ admonens exhortatione, juxta professionem, morúmque qualitatem: videlicet, ut pernoscat, quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus præ cæteris speciale officium est, scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari. Vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere: cum fratribus habere pacem, nec quemquam ex membris suis discerpere. Nullum damnare, nisi comprobatum: nullum excommunicare, nisi discussum. Quique ità humilitate pariter, & authoritate præstabit; ut nec per nimiam humilitatem suam, subditorum vitia convalescere faciat; nec per immoderatam auctoritatem severitatis potestatem exerceat: sed tantò cautiùs erga sibi commissos agat, quantò duriùs à Christo judicari formidat. Tenebit quoque illam supereminentem donis omnibus caritatem, sine quâ omnis virtus nihil est. Custos enim Sanctitatis caritas est: locus autem hujus custodis humilitas est. Habebit etiam inter hæc omnia & castitatis eminentiam, ità ut mens, Christi corpus confectura, ab omni inquinamento carnis sit munda & libera. Inter hæc oportet eum sollicitâ dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam providentiâ & distributione discreta. In quo etiam & hospitalitas ità erit præcipua, ut omnes cum benignitate, & caritate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelicum audire desiderant: *Hospes* (i) *fui, & suscepistis me*, quantò magis Episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum? Laicus enim unum, aut duos suscipiens, implebit hospitalitatis officium: Episcopus si omnes non receperit, inhumanus est. In negotiis autem sæcularibus dirimendis, oportet eum causam merito discernere, non gratiâ. Neque enim sic debet Episcopus suscipere potentem, ut contristet contra justitiam pauperem: neque pro paupere auferre justitiam à potente. Non defendat improbum, nec sancta (k) indigno committenda arbitretur: neque arguat, aut impugnet, cujus crimen non reprehendit. Erit quoque illi etiam juxta Apostolum, mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia, sive pudicitia, ut non solùm ab opere immundo se abstineat, sed etiam ab oculi, oris, & cogitationis errore. Ità ut dum nullum in se vitium regnare permittit, impetrare apud Deum veniam pro subditorum facinoribus valeat. Qui enim ista sectaverit, & Dei minister utilis erit, & perfectum Sacerdotium consummabit.

X. *Excerptum Beati Hieronymi ex Epistolâ ad Titum.*

Hujus rei (l) *gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas.* Reliquit discipulum Titum Cretæ, ut rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret, & si quid videbatur deesse, corrigeret: ipse pergens ad alias nationes, ut rursum

(i) Matth. 25. 36. (k) 1. Tim. 3. (l) Tit. 1. 5.

ſum in eis Chriſti jaceret fundamentum. Quod autem ait, *ut ea, quæ deſunt, corrigas*, oſtendit, necdum eos ad plenam veniſſe ſcientiam veritatis: & licet ab Apoſtolo correcti fuerint, tamen adhuc indigere correctione. *Et conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego tibi diſpoſui.* Diligenter Apoſtoli attendamus verba dicentis: *Ut conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego tibi diſpoſui.* Qui qualis Presbyter debeat ordinari, in conſequentibus diſſerens hic ait: *Si quis ſinè crimine eſt, unius uxoris vir*, &c. poſtea intulit: *Oportet enim Epiſcopum ſinè crimine eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem.* Idem ergo eſt Presbyter, qui Epiſcopus. Et antequam diaboli inſtinctu ſtudia & ſchiſmata in religione fierent, ac diceretur in populis: *Ego ſum Pauli, ego Appollo, ego autem Cephæ*, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, putabat ſuos, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Putat aliquis, non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii? Relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba, dicentis: *Paulus* (m) *& Timotheus ſervi Chriſti Jeſu, omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus, gratia vobis & pax*, & reliqua. Philippi una eſt urbs Macedoniæ. Et certè in una civitate plures, ùt nunc putatur, Epiſcopi eſſe non poterant. Sed quia eosdem Epiſcopos illo in tempore, quos Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis, quaſi de Presbyteris eſt locutus. Adhuc alicui hoc videatur ambiguum, niſi altero teſtimonio comprobetur. In actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, quòd, cùm veniſſet Apoſtolus Paulus Miletum, miſerit Epheſum, & convocaverit Presbyteros ejuſdem Eccleſiæ, quibus poſtea inter cætera ſit locutus: *Attendite* (n) *vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos, paſcere Eccleſiam Domini, quam adquiſivit per ſanguinem ſuum.* Et hic diligentiùs obſervate, quomodo unius civitatis Epheſi Presbyteros vocans, poſtea eoſdem Epiſcopos dixerit. Videamus igitur, qualis Presbyter, ſive Epiſcopus ordinandus ſit. *Si quis eſt ſinè crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſinè crimine eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem. Non protervum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri appetitorem.* Primùm itáque ſinè crimine ſit, quod puto alio verbo ad Timotheum, (o) irreprehenſibilem nominatum. Non qui eo tantùm tempore, quo ordinandus eſt, ſine ullo ſit crimine, & præteritas maculas novâ converſatione deleverit: ſed ex eo tempore, quo in Chriſtum renatus eſt, nulla peccati conſcientiâ mordeatur. Quomodo enim poteſt præſes Eccleſiæ auferre malum de medio ejus, qui in delictum ſimile corruerit? Aut quâ libertate corripere peccantem, cùm tacitus ſibi ipſe reſpondeat, eadem ſe admiſiſſe, quæ corripit? Primùm itaque dicendum eſt, quòd tam Sanctum ſit nomen Sacerdotii, ut nobis etiam ea, quæ extra nos ſunt poſita, reputentur: non quòd propter vitia noſtra Epiſcopi non ſimus, ſed quòd propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi ſimus. Quâ enim libertate poſſumus alienos filios corripere, & docere, quæ recta ſunt, cùm nobis ſtatim poſſit, qui fuerit correptus, ingerere, antè doce filios tuos? Aut quâ fronte extraneum corripio fornicantem, cùm mihi conſcientia mea ipſa reſpondeat: exhæreda ergo filium fornicantem, abjice filios tuos vitiis ſervientes? Cùm autem nequam filius in unâ tecum convivatur domo, tu audes de alterius oculo feſtucam detrahere, in tuo trabem non videns? Non itaque juſtus polluitur ex vitiis filiorum, ſed libertas ab Apoſtolo Eccleſiæ Principi reſervatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe tanquam Dei diſpenſatorem. Quæritur ergo inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur: & non comedens & bibens cum ebrioſis, percutiat ſervos & ancillas, ſed incertum Domini expectet adventum; & det

(m) Philipp. 1. 2. (n) Act. 20. 28. (o) 1. Tim. 3. 2.

det conservis in tempore cibaria. Inter villicum autem & familiam hæc sola distantia est, quòd conservus præpositus est conservis suis. Sciat itàque Episcopus & Presbyter, sibi populum esse conservum, non servum. Cætera quæ sequuntur, in nobis posita sunt. *Non protervum*, id est, non tumentem, & placentem sibi, quòd Episcopus sit: sed quasi bonum villicum, id requirentem, quod pluribus prosit. *Non iracundum.* Iracundus est, qui semper irascitur, & ad levem responsionis auram, atque peccati, quasi à vento folium commovetur. Neque verò, qui aliquando irascitur, iracundus est: Sed ille dicitur iracundus, qui crebrò hac passione superatur. Prohibet quoque Episcopum esse vinolentum, ne sensu occupato vel exaltet risum contra gravitatis decorem, & labiis dissolutis cachinnet: vel si paululum tristis cujusdam rei fuerit recordatus inter pocula, in singultus prorumpat & lacrymas. Longum est ire per singula, & insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Post vinolentiam etiam hoc præcepit, ne percussor sit. Quod quidem & simpliciter intellectum ædificat audientem, ne facilè manum porrigat ad cædendum, ne in os alterius verberandum insanus erumpat. Melius est autem, ut non percussorem illum esse dicamus, qui mansuetus & patiens, sciat in tempore, quid loquendum sit, quid tacendum, nec sermone inutili conscientiam percutiat infirmorum. Turpis quoque lucri appetitus ab eo, qui Episcopus futurus est, esse debet alienus. Sunt enim multi docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratiâ, qui totas domus subvertunt, & putant quæstum esse pietatem. *Melior (p) est* autem, juxta Salomonem, *modica acceptio cum justitiâ, quàm multa genimina cum iniquitate: & magis diligendum in paupertate nomen bonum, quàm in divitiis nomen pessimum.* Episcopus, qui imitator Apostoli esse cupit, habens victum & vestitum, his tantùm debet esse contentus. *Qui (q) Altario serviunt, de Altario vivant.* Vivant, inquit, & non, divites fiant. Unde & æs nobis excutitur de zonâ, & unâ tantùm tunicâ induimur, ne de crastino cogitemus. Turpis quoque lucri appetitio est, plus de præsentibus, quàm de futuris cogitare. Hucusque quid non debeat habere Episcopus, sive Presbyter, Apostoli sermone præceptum est: nunc è contrario, quid habere debeat, explicatur: *Sed hospitalem, bonorum amatorem, castum, justum, sanctum, continentem, abstinentem, obtinentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrinâ sanâ, & contradicentes arguere.* Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo denuntiatur. Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant: *Hospes (r) fui, & suscepistis me*, quantò magis Episcopus, cujus domus omnium commune debet esse hospitium? Laicus enim unum, aut duos, aut paucos suscipiens, implevit hospitalitatis officium: Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est. Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas quoque & benignitas præcipuè esse debent in Episcopo, & inter cunctos Laicos eminentia; sic & castitas propriè, & (ùt ità dixerim) pudicitia Sacerdotalis: ut non solùm ab opere se immundo abstineat, verùm à jactu oculi, & cogitationis errore mens, Christi corpus confectura, sit libera. Justus quoque Episcopus esse debet & Sanctus, ut justitiam in populis, quibus præest, exerceat, reddens unicuique, quod meretur, nec accipiat personam in judicio. Inter Laici autem, & Episcopi justitiam hoc interest, quòd Laicus potest apparere justus in paucis: Episcopus verò in tot exercere justitiam, quot & subditos habet.

XI. *Excerptum ex Epistolâ Hieronymi ad Oceanum.*

Si quis (s) Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus, non dignitatem: laborem, non delicias. Opus, quod per humilitatem decrescat, non intumescat fastigio. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse.* Id ipsum quoque ad Titum: *Si quis (t) est sine crimine.* Omnes virtutes in uno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in otioso verbo, reprehensione dignum est: quis ille, qui absque peccato, id

Kkk 2

(p) Prov. 16. 8. (q) 1. Tim. 6. (r) Matth. 25. 36.
(s) 12. Tim. 3. 1. (t) Tit. 1. 6.

id eſt, ſinè reprehenſione, verſetur in mundo? Sed futurus Paſtor Eccleſiæ talis eligitur, ad cujus comparationem rectè grex cæteri nominentur. Definiunt Rhetores Oratorem, qui ſit vir bonus, dicendi peritus. Ante vitam ſit lingua irreprehenſibilis, quæritur, ut doctus meritò ſuſcipiatur. Perdit enim auctoritatem dicendi, cujus ſermo opere deſtruitur. *Unius uxoris virum.* Certè de baptizatis ſermo eſt, nemo dubitet. *Sobrium, prudentem, ornatum, hoſpitalem, Doctorem, pudicum* &c. (*u*) Sacerdotes, qui miniſtrant in templo Dei, prohibentur vinum & ſiceram bibere, ne crapulâ & ebrietate aggraventur corda eorum: & ut ſenſus, officium exhibens Deo, vigeat ſemper, & tenuis ſit. Quod autem infert, *prudentem*, excludit eos, qui ſub nomine ſimplicitatis excuſant ſtultitiam Sacerdotum. Niſi enim cerebrum ſanum fuerit, omnia membra in vitio erunt. *Ornatum.* Qui vitia non habet, irreprehenſibilis appellatur: qui virtutibus pollet, ornatus eſt. Poſſumus & aliud intelligere ex hoc verbo, juxta illud Tullii: Caput eſt artis, decere quid facias. Sunt enim quidam ignorantes menſuram ſuam, & tantæ ſtoliditatis ac vecordiæ, ut & in motu, & in inceſſu, & in habitu, & in ſermone communi riſum ſpectantibus tribuant: & quaſi intelligentes, quid ſit ornatus, comunt ſe veſtibus & munditiis corporis, & lautiores menſæ epulas parant, cùm omnis iſtiuſmodi ornatus, & cultus ſordibus fœdior ſit. Quòd autem doctrina à Sacerdotibus expetatur, & veteris præcepta ſunt legis, & ad Titum pleniùs ſcribitur: (*w*) Innocens enim, & abſque ſermone converſatio, quantùm exemplo prodeſt, tantùm ſilentio nocet. Nam latratu canum, baculóque paſtoris, luporum rabies deterrenda eſt. *Non vinolentum, non percuſſorem.* Virtutibus vitia oppoſuit. Didicimus, quales eſſe debeamus: diſcamus, quales non eſſe debeant Sacerdotes. Vinolentia ſcurronum eſt, & comeſſatorum: ventérque mero æſtuans, citò deſpumat in libidines. In vino luxuria, in luxuriâ voluptas, in voluptate impudicitia eſt. Qui luxuriatur, vivens mortuus eſt: ergo qui inebriatur, & mortuus, & ſepultus eſt. Noë (*x*) ad unius horæ ebrietatem nudavit femora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Loth (*y*) per temulentiam neſciens libidini miſcet inceſtum: & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Percuſſorem autem Epiſcopum ille condemnat, qui dorſum poſuit ad flagella, & maledictus non remaledixit. *Sed modeſtum.* Duobus malis unum oppoſuit bonum, ut temulentia & ira modeſtiâ frænentur. *Non litigioſum*, *non avarum.* Nihil enim impotentius arrogantiâ ruſticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ſemper ad lites, in ſubjectum ſibi gregem tumidis ſermonibus tonant. Avaritiam in Sacerdote vitandam, & Samuel docet, Nihil (*z*) coram populo eripuiſſe ſe cuiquam probans: & Apoſtolorum paupertas, qui refrigeria ſumptuum à fratribus accipiebant, & præter victum, atque veſtitum, nihil ſe aliud, nec habere, nec velle gloriabantur. Quam ad Timotheum avaritiam, ad Titum turpis lucri cupiditatem notat. *Domum* (a) *ſuam bene regentem.* Non ut opes augeat, non ut regias paret epulas, non ut cælatas patinas ſtruat, non ut phaſides aves lentis vaporibus coquat, qui ad oſſa perveniant, & ſuperficiem carnium non diſſolvant artificii temperamento: ſed ut, quod populo præcepturus eſt, priùs à domeſticis exigat. *Filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.* Ne ſcilicet incontinentes imitentur filios Heli, (*b*) qui in veſtibulo templi cum mulieribus dormiebant. *Non neophytum*, *ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Heri Catechumenus, hodie Pontifex: heri in amphitheatro, hodie in Eccleſiâ: veſpere in circo, manè in altari: dudum fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator. Quod autem ait: *Ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli*, quis non exemplo verum probet? Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem, & manſuetudinem ruſticorum. Ignorat blanditias Chriſtianas, neſcit ſe ipſum contemnere. De dignitate transfertur ad dignitatem. Non jejunavit, non flevit, non mores ſuos ſæpe reprehendit, & aſſiduâ meditatione correxit. Non ſubſtantiam pauperibus erogavit. De Cathedrâ quodam modo duci-

(*u*) Levit. 10. (*w*) Tit. 1. 9. (*x*) Gen. 9.
[*y*] Gen. 19. [*z*] 1. Reg. 12. [*a*] Tit. 1. 7.
[*b*] 1. Reg. 2.

ducitur ad Cathedram, id est, de superbiâ ad superbiam. Judicium autem & ruina Diaboli nulli dubium, quin arrogantia fit. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum Discipuli, jam Magistri sunt. *Oportet autem eum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.* Quale principium, talis & clausula. Qui irreprehensibilis est, non solùm à domesticis, sed & ab alienis consono ore laudatur. Alieni extra Ecclesiam sunt Judæi, hæretici, atque gentiles. Talis ergo sit Pontifex Christi, ut qui religioni detrahunt, vitæ ejus detrahere non audeant. Hos in Sacerdotibus eligendis Canones observare oportet.

XII. *Augustini de Pastoribus Ecclesiæ.*

Qui Pastorum(*) nomina audire volunt, & Pastorum officium implere nolunt, quid ad eos per Prophetam dicitur, sicut lectum audivimus, recenseamns. Audite vos cum intentione, audiamus nos cum tremore: *Et factum* (c) *est Verbum Domini*, inquit Ezechiel, *ad me dicens: Fili hominis, propheta super Pastores Israël, & dic ad Pastores Israël.* Hanc lectionem modò, cùm legeretur, audivimus. Hinc cum vestrâ Sanctitate aliquid loqui decrevimus. Adjuvabit ipse, ut vera dicamus, si non nostra dicamus. Nam si nostra dixerimus, pastores erimus, pascentes nos, non oves. Si autem illius sunt, quæ dicimus, per quemlibet ipse vos pascit. Hæc dicit Dominus Deus: *O Pastores Israël, qui pascunt se solos.* Numquid non oves pascunt Pastores? Id est, non se pascunt Pastores, sed oves. Hæc prima causa est, quare arguantur isti Pastores, quia se ipsos pascunt, non oves. Qui sunt, qui se ipsos pascunt? De quibus Apostolus dicit: *Omnes* (d) *enim sua quærunt, non quæ JESU CHRISTI.* Nos enim, quos in loco isto, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundùm dignationem suam, non secundùm meritum nostrum constituit, habemus duo quædam: Unum, quòd Christiani sumus: Alterum, quòd Præpositi sumus. Illud, quòd Christiani sumus, propter nos est: quòd Præpositi sumus, propter vos est. In eo, quòd Christiani sumus, attenditur utilitas nostra; in eo, quòd Præpositi sumus, non nisi vestra. Et sunt multi, qui Christiani, & non Præpositi, perveniunt ad Deum faciliore fortasse itinere, & tantò fortè expeditiùs ambulantes, quantò minorem sarcinam portant. Nos autem excepto, quòd Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vitâ nostrâ: sumus etiam Præpositi, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostrâ. Ad hoc istam difficultatem propono, ut compatientes nobis, oretis pro nobis. Veniet enim dies, quo cuncta adducantur in judicium: & ille dies, si sæculo longè est, unicuique homini suæ vitæ ultimus prope est: tamen utrumque latere voluit Deus, & quando veniat finis sæculi, & quando fit in unoquoque homine hujus vitæ finis. Vis non timere diem occultum, dum venerit? Inveniat te paratum. Cùm ergo Præpositi ad hoc sint, ut his, qui subjecti sunt, consulant; nec ideo, quòd præsunt, omninò utilitatem suam attendant, sed eorum, quibus ministrant: quisquis ità præpositus est, ut in eo, quòd præpositus est, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. Ad hos sermo dirigitur. Audite tamquam oves Dei, & videte, quemadmodum vos securos fecerit Deus. Qualescunque sint, qui vobis præsunt, id est, qualescunque nos simus, vobis securitatem dedit, qui pascit oves Israel. Nam si Deus non deserit oves suas, & mali pastores debitas pœnas luent, & oves promissa percipient. Videamus ergò, quid alloquatur Pastores, se ipsos pascentes, non oves, sermo Divinus neminem palpans: *Ecce* (e) *lac consumitis, & lanis vos tegitis, & quod crassum est, interficitis, & oves meas non pascitis. Quod infirmum est, non confortâstis: & quod ægrotat, non corroborâstis: & quod tribulatum est, non colligâstis: & quod errabat, non revocâstis: & quod periit, non requisîstis: & quod forte fuit, confregîstis: . . . Et dispersæ sunt oves meæ, eò quod non sit pastor.* Dicitur ad Pastores pascentes se ipsos, non oves, quid diligant, quid negligant. Quid ergò diligunt? *Lac consumitis.* Propter quod & Apostolus dicit: *Quis* (f) *plantat vineam, & de fructu ejus non sumit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Invenimus ergo lac esse gregis, quicquid à plebe distribuitur præpositis, ad eorum sustentandum victum temporalem.

Kkk 3

(*) Aug. lib. ad Pastores. Tom. 10. (c) Ezech. 34. 2. (d) Philipp. 2. 21. (e) Ezech. 34. 3. (f) 1. Cor. 9. 7.

lem. Inde enim loquebatur Apoſtolus, cùm hæc diceret, quæ commemoravi. Et quidem Apoſtolus, quanquam elegerit manibus ſuis tranſigi, & nec ipſum lac quærere ab ovibus; tamen lactis percipiendi poteſtatem habere ſe dixit, & ſic Dominum diſpoſuiſſe, ut, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant. Et dicit, alios Coapoſtolos ſuos hac poteſtate uſos fuiſſe, non uſurpatâ, ſed datâ. Plus ille fecit, ut nec, quod debebatur, acciperet. Ipſe ergo donavit & debitum, ſed ab aliis non exegit indebitum. Ille plus fecit; fortaſſis enim ipſum ſignificabat, qui ægrum cùm adduceret ad ſtabularium, dixit: *Si quid* (g) *ampliùs erogaveris, in redeundo reddam tibi.* De his ergo, qui non indigent lacte gregis, quid plura dicamus? Miſericordiores ſunt, vel potiùs ipſius miſericordiæ officium largiùs impendunt. Poſſunt, & quod poſſunt, faciunt. Laudentur hi, nec damnentur illi. Nam & ipſe Apoſtolus datum non quærebat, fructuoſas tamen oves ſuas eſſe cupiebat, non ſteriles, ſinè lactis ubertate. Itaque cùm eſſet quodam tempore in magnâ indigentiâ, vinctus in confeſſione veritatis, miſſum eſt illi à fratribus, unde neceſſitati & indigentiæ ejus miniſtraretur. Reſpondit autem illis gratias agens, & dixit: *Bene* (h) *feciſtis communicantes neceſſitatibus meis. Ego enim didici, in quibus ſum ſufficiens eſſe. Scio & abundare, novi & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Veruntamen vos benefeciſtis uſibus mittere meis.* Sed ut oſtenderet in eo, quod illi benefecerunt, quid ipſe quæreret, ne inter illos eſſet, qui ſe ipſos paſcunt, non oves: non tam ſuæ gaudet ſubventum eſſe neceſſitati, quàm illorum gratulatur fœcunditati. Quid ergò ibi quærebat? Non quia quæro, inquit, datum, ſed requiro fructum. Non ut ego, inquit, explear, ſed ne vos inanes remaneatis. Qui ergò non poſſunt facere, quod Paulus, ut manibus ſuis ſe tranſigant, accipiant de lacte ovium: ſuſtentent ſuam neceſſitatem, ſed non negligant ovium infirmitatem. Non hoc ibi quærant tanquam commodum ſuum, ut ex neceſſitate penuriæ ſuæ videantur annuntiare Evangelium, ſed hominibus illuminandis parent lucem verbi veritatis. Sunt enim tanquam lucernæ, ſicut dictum eſt: *Sint* (i) *lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.* Et: *Nemo* (k) *accendit lucernam, & ponit eam ſub modio: ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Si ergo tibi lucerna accenderetur in domo, nónne adjiceres oleum, ne extingueretur? Porrò, ſi lucerna accepto oleo non luceret, non erat planè digna, quæ in candelabro poneretur, ſed quæ continuò frangeretur. Unde ergo vivitur, neceſſitatis eſt accipere, caritatis eſt præbere. Non tanquam venale ſit Evangelium, ut iſtud ſit pretium ejus, quod ſumunt, qui adnuntiant, unde vivant. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino. Non enim eſt idoneus populus, reddere mercedem illis, qui ſibi in caritate Evangelii ſerviunt. Non exſpectent illi mercedem, niſi unde & iſti ſalutem. Quid autem iſtis increpatur, unde arguuntur? Quia, cùm lac ſumerent, & lanis ſe tegerent, oves negligebant. Sua ergo tantùm quærebant, non quæ JESU CHRISTI. Sed quoniam diximus, quid ſit lac conſumere: quæramus, quid ſit lanis tegere. Qui præbet lac, potum præbet: & qui præbet lanam, honorem præbet. Iſta ſunt duo, quæ à paſtoribus quæruntur, qui ſe ipſos paſcunt, non oves. Commodum ſupplendæ neceſſitatis, & favorem honoris, & laudis quærunt. Etenim veſtimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem contegit. Eſt enim unuſquiſque homo infirmus. Et quid eſt, quiſquis vobis præeſt, niſi quod vos eſtis? Carnem portat, mortalis eſt, manducat, dormit, ſurgit, natus eſt, moriturus eſt. Si ergo cogites, quid ſit, ſecundùm ſe ipſum homo eſt: & tamen honorando eum velut Angelum, contegis, quod infirmum eſt. Videte, cujuſmodi indumentum acceperat à bonâ Dei plebe idem Paulus, cùm diceret: *Sicut Angelum* (l) *Dei excepiſtis me. Teſtimonium enim vobis perhibeo, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Sed cùm tantus illi honor exhibitus eſſet, num-

(g) Luc. 10. 35. (h) Philip. 4. 11. & 14. (i) Luc. 12. 35.
(k) Matth. 5. 15. [l] Gal. 4. 14. 15.

numquid propter ipsum honorem sibi exhibitum, ne fortè negaretur, & minùs ille, cùm argueret, laudaretur, pepercit errantibus? Nam si hoc fecisset, esset inter illos, qui se ipsos pascunt, non oves. Diceret ergo apud se ipsum: Quid ad me pertinet? Quisque quod velit, agat. Victus meus salvus est. Honor meus salvus est, & lac, & lana satis est mihi. Eat quisque, quà potest. Ergo integra tibi sunt omnia, si eat quisque, quà potest? Nolo te præpositum facere: unum te constituo de ipsâ plebe. Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Proinde ipse Apostolus cùm eis commemorat, quales fuerint erga illum, ne quasi oblitus eorum honorificentiæ videretur, testimonium perhibet, quòd sicut Angelum Dei susceperint eum: quod si fieri posset, oculos suos vellent eruere, & illi dare. Et tamen accedit ad ovem languidam, ad ovem putridam, secare vulnus, non parcere putredini. *Ergo*, inquit, *inimicus factus sum, vobis prædicans veritatem?* Ecce & accepit de lacte ovium, sicut pauló ante commemoravimus, & indutus est lanis ovium, sed tamen oves non neglexit. Non enim sua quærebat, sed quæ JESU CHRISTI. Absit ergo, ut dicamus vobis: vivite, ùt vultis: securi estote, Deus neminem perdet. Tantummodò Fidem Christianam tenete. Non perdet ille, quod redemit. Non perdet, pro quibus sanguinem fudit. Et si spectaculis volueritis oblectare animos vestros; ite, quid mali est? Et festa ista, quæ celebrantur per universam civitatem in lætitiâ convivantium, & publicis mensis, se ipsos, ùt putant, jocundantium, re verâ perdentium, ite, celebrate securi: magna est Dei misericordia, quæ totum ignoscat. Coronate vos rosis, antequam marcescant. In domo Dei vestri, quando volueritis, convivamini: implemini cibo & vino cum vestris. Ad hoc enim data est illa creatura, ut fruamini eâ. Non enim paganis & impiis dedit Deus, & vobis non dedit. Hæc, si dixerimus, fortè congregabimus turbas ampliores. Et si sunt quidam, qui sentiant, nos hæc dicentes non rectè sapere, paucos offendimus, sed multitudinem conciliamus. Quod si fecerimus, non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed nostra: erimus pastores pascentes nosmetipsos, non oves. Cùm autem dixisset, quæ diligant isti pastores, dicit & quæ negligant. Vitia enim ovium latè patent. Sanæ, atque crassæ oves perpaucæ sunt, id est, solidæ in cibo veritatis, utentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali illi pastores non parcunt talibus. Parum est, quòd illas languentes, & infirmas, & errantes, & perditas non curant. Etiam istas fortes & pingues necant, quantùm in ipsis est: & illæ, si vivunt, de misericordia Dei vivunt; tamen quantùm ad pastores malos attinet, occidunt. Quomodo, inquit, occidunt? malè vivendo, malum exemplum præbendo. An frustra dictum est Servo Dei eminenti in membris Summi Pastoris: *Circa omnes te ipsum* (m) *bonorum operum præbens exemplum, & forma esto fidelibus?* Attendit enim, ovis, etiam fortis, plerúmque præpositum suum malè viventem, si declinet oculos à regulis Domini. Intendit in hominem, incipit dicere in corde suo: si præpositus meus sic vivit, ego quis sum, qui non faciam, quod ille facit? occidit ovem fortem. Si fortem ergo occidit ovem, jam de cæteris quid faciet? qui illud, quod non ipse fructificaverat, sed forte, aut robustum invenerat, malè vivendo interfecit? Dico caritati vestræ, ac iterum dico, etsi vivunt oves, etsi fortes sunt oves in verbo Domini, & tenent illud, quod audierunt à Domino suo: *Quæ* (n) *dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite:* Tamen, qui in conspectu populi malè vivit, quantùm in illo est, eum, à quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus: & ille vivit, & iste homicida est. Quomodo cùm lascivus homo intendit in mulierem ad concupiscendum eam, ecce illa casta est, & moechatus est iste: Domini enim vera & aperta est sententia: *Quisquis* (o) *viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Non pervenit ad illius cubiculum, & in interiore suo cubiculo jam volutatur. Sic omnis, qui malè vivit in conspectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit etiam fortes oves. Qui ergo imitatur præpositum malum, moritur: qui non imitatur, vivit: tamen quantum ad illum pertinet, ambos occi-

(m) Tit. 2. 7. (n) Matth. 23. 3. (o) Matth. 25. 8.

occidit. *Et quod crassum est*, inquit, *interfecistis*, *& oves meas non pascitis.* Jam audistis, quid diligant: videte, quid negligant. *Quod infirmatum est*, *non confortâstis*: *& quod malè habuit*, *non corroborâstis*: *& quod contribulatum est*, *& quod confractum est*, *non colligâstis*: *& quod errabat*, *non revocâstis*: *& quod periit*, *non inquisîstis*, *& quod forte fuit*, *confregistis*, *interfecistis*, *occidistis.* Infirmatur ovis, id est, infirmum cor gerit, ut possit cedere tentationibus, incauto & imparato supervenientibus. Pastor negligens, quando sic credit talis, non illi dicit: *Fili*, (p) *accedens ad servitutem Dei*, *sta in justitia & timore*, *& præpara animam tuam ad tentationem.* Qui hæc enim loquitur, confortat infirmum, & ex infirmo facit firmum, ut non ille, cùm crediderit, prospera hujus sæculi speret. Si enim doctus fuerit sperare prospera sæculi, ipsâ prosperitate corrumpitur, supervenientibus adversitatibus sauciatur, aut fortassis extinguitur. Non ergo eum ædificat super petram, qui sic ædificat, sed super arenam ponit: *Petra autem erat Christus.* Christi passiones imitandæ sunt, non à Christianis deliciæ conquirendæ. Confortatur infirmus, cùm ei dicitur, spera. Imminent quidem tentationes hujus sæculi, sed ab omnibus te eruet Dominus, si ab illo non recesserit retrò cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illiniri, venit spinis coronari, venit opprobria audire, venit postremò ligno configi. Omnia hæc ille pro te: tu nihil pro illo, sed pro te. Quales autem sunt, qui timentes hos lædere, quibus loquuntur, non solùm non præparant ad imminentes tentationes, sed etiam promittunt felicitatem hujus sæculi, quam Deus ipsi sæculo non promisit? Ille prædicit labores super labores, usque in finem venturos ipsi sæculo; & tu vis ab ipsis laboribus exceptum esse Christianum? quia Christianus est, aliquid plus passurus est in hoc sæculo. Etenim ait Apostolus: *Omnes* (q) *qui volunt in Christo piè vivere*, *persecutionem patientur.* Jam si tibi placet pastor sua quærens, non quæ Jesu Christi, ille dicat: omnes, qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur: & tu dic, si in Christo piè vixeris, abundabunt tibi omnia bona. Et si filios non habes, suscipies, & nutries omnes, & nemo tibi morietur. Hæccine est ædificatio tua? Attende, quid facias, ubi ponas. Super arenam est, quod constituis. Venturus est imber, influxurus est fluvius, flaturus est ventus, & impingent in domum istam, & cadet, & fiet ruina ejus magna. Leva de arenâ, pone supra petram: in Christo sit, quem vis esse Christianum. Attendat ad passiones Christi indignas. Attendat illum sinè ullo peccato, quæ non rapuit, exolventem. Attendat scripturam dicentem sibi: *Flagellat* (r) *omnem filium, quem recipit.* Et tu dicis: fortè exceptus eris? si exceptus à passione flagellorum, à numero filiorum. Itane, inquies, flagellat omnem filium? Prorsus flagellat omnem filium, ut & unicum. Unicus ille de Patris substantiâ natus, æqualis Patri in formâ Dei, Verbum, per quod facta sunt omnia, non habebat, unde flagellaretur. Ad hoc carne indutus est, ut sinè flagello non esset. Qui ergo flagellat unicum sinè peccato, relinquit cum peccato adoptatum? In adoptionem vocatos nos esse Apostolus dicit: *Adoptionem* (s) *filiorum accepimus*, ut essemus unico cohæredes, essemus etiam hæreditas ejus. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Exemplum nobis proposuit in passionibus suis. Sed planè, ne in futuris tentationibus deficiat infirmus, nec falsâ spe decipiendus est, nec terrore frangendus. Dices ei: Præpara animam tuam ad tentationem. Et fortè incipit labi, contremiscere, nolle accedere. Habes & aliud: *Fidelis* (t) *Deus*, *qui non vos sinet tentari*, *suprà quàm potestis ferre.* Illud enim promittere, & prædicere venturas passiones, infirmum confirmare est. Timenti autem nimium, & ex hoc deterrito, cùm polliceris misericordiam Dei, non quia tentationes deerunt, sed quia non permittit tentari suprà, quàm ferre potest, fructum colligere est. Sequitur: *Quod infirmatum est*, inquit, *non confortâstis.* Pastoribus malis dicit, Pastoribus falsis, Pastoribus sua quærentibus, non quæ Jesu Christi, & commodo lactis & lanæ gaudentibus, oves omni-

(p) Eccles. 2. 1.
(q) 2. Tim. 3. 12.
(r) Hebr. 12. 6.
(s) Gal. 4. 5.
(t) 1. Cor. 10, 13.

omnino non curantibus. *Et quod malè habuit, non corroborâstis.* Inter infirmum, id est, non firmum, & ægrotum, id est, malè habentem, hoc mihi videtur interesse. Etenim inter ista, fratres, quæ distinguere utcumque conamur, fortè & nos possumus majori diligentiâ meliùs distinguere, & alius peritior, vel lumine cordis plenior. Interim ne fraudemini, quod sentio, loquor. Infirmo, ne accidat tentatio, & eum frangat, timendum est. Languens autem jam cupiditate aliquâ ægrotat, jam cupiditate aliquâ impeditur ab intrandâ viâ Dei, à subeundo jugo Christi. Qui ergo videntur fervere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt: qui verò aliquâ cupiditate malâ amatores mundi, ab ipsis bonis operibus revocantur, languidi, & ægroti jacent. Quippe, qui in ipsô languore tanquam sinè ullis viribus nihil boni possent operari. Sequitur: *Et quod* (u) *errabat, non revocâstis: & quod periit, non inquisîstis.* Hic inter manus latronum, & dentes luporum furentium utcumque versamur: & contumaces sunt oves, quia quæruntur errantes. Alienas se à nobis dicunt, errore suo, & perditione suâ. Quid nos vultis, inquiunt, quid nos quæritis? Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo: quia periisti, invenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare? Sic vis perire? Quanto meliùs ego nolo? Prorsus audeo dicere, importunus sum. Audio dicentem Apostolum: *Prædica* (w) *verbum, insta opportunè, importunè.* Quibus opportunè? Quibus importunè? Opportunè utique volentibus, importunè nolentibus. Prorsus importunus sum, audeo dicere. Tu errare? Tu vis perire? Ego nolo. Revocabo errantem, requiram perditam, velis, nolis, id agam, etsi me inquirentem laniant vepres sylvarum, per omnia angusta me coarctabo. Omnes sepes excutiam, quantum mihi virium terrens Dominus donat. Omnia peragrabo, revocabo errantem, requiram pereuntem. Timeo, ne negligens te, etiam, quod forte est, occidam. Vide enim quid sequitur: *Et quod forte fuit, confregîstis.* Si neglexero errantem, atque pereuntem, & eum, qui fortis est, delectabit errare, atque perire. Cupio lucra exteriora, sed timeo plùs damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum, attendit qui fortis est, cùm te perditum non requiro, & putat nihil esse, ire in hæresim? Non frustra ergo, cùm jam dixisset superiùs: quod crassum est, interfecistis: Hic iterum in novissimo posuit, & quod forte fuit confregîstis. Proinde audi, quid sequatur de istâ negligentiâ malorum, imò falsorum Pastorum: *Et dispersæ sunt oves meæ, eò quod non sit Pastor, & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cùm oves adhærent Pastori. Nam præsens est Pastor, sed malè agentibus non est Pastor: & inhærent Pastoribus, non Pastoribus, se ipsos videlicet, non oves pascentibus: & lethalis error consequitur. Eunt in Bestias deprædantes se, & de illarum morte se satiare cupientes. Tales enim sunt omnes, qui gaudent de erroribus alienis. Dispersæ sunt, & erraverunt oves meæ in omnem montem, & in omnem collem altum: hoc est, in omnem tumorem terrenæ superbiæ. Mons enim & collis, tumor terrenus, & superbia sæculi intelligitur. Sunt enim & montes boni, de quibus Propheta dicit: *Levavi* (x) *oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* In omnem montem, & in omnem collem, & in omnem faciem terræ lucent, & in omnem faciem terræ dispersæ sunt, omnia terrena sectantes. Ea, quæ in faciem terræ lucent, ipsa amant, ipsa diligunt. Nolunt mori, ut abscondatur vita eorum in Christo. Propterea Pastores audite sermonem Domini: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas, sicut visitat Pastor gregem suum.* Non curaverunt mali Pastores, non enim suo sanguine redemerunt. *Sicut visitat,* inquit, *Pastor gregem suum in diem.* In qualem diem? Cum fuerit nimbus & nubes, id est, in pluviâ, & in nebulâ. Pluvia & nebula, error sæculi hujus, caligo magna surgens de cupiditatibus hominum, & nebula valida conterens (*) terram. Et difficile est, ut non errent oves in ista nebula: sed Pastor non deserit eas, in-

(u) Ezech. 34. 4. (w) 2. Tim. 4. 2. (x) Psal. 120. 1. (*) *Fortè:* contegens.

inquirit eas, penetrat nebulam oculis validis, & acutissimis, non impeditur caligine nubium. Videt undique, errantem revocat. Tantum ut fiat, quod dicit in Evangelio: *Quæ* (y) *sunt oves meæ, audiunt vocem meam, & sequuntur me.* In medio ovium dispersarum: sic inquiram oves meas, & reducam eas ab omni loco, quò dispersæ sunt illic. In die nubis & nimbi, quando difficile est inveniri eas, tunc ego inveniam. Crassa est nebula, pinguis nimbus est; oculos ejus nihil latet. Et educam eas de gentibus, & colligam eas de regionibus, & inducam eas in terram earum, & pascam eas super montes Israël. Constituit super montes Israël Authores scripturarum Divinarum. Ibi pascite, ut securè pascatis. Quidquid inde audieritis, hoc vobis bene sapiat: quidquid extra est, respuite. Ne erretis in nebula, audite vocem Pastoris: colligite vos ad montes Scripturæ Sanctæ. Ibi sunt deliciæ cordis vestri. Ibi nihil venenosum, nihil alienum. Uberrima pascua sunt. Vos tantùm sanæ venite, sanæ pascimini in montibus Israël, & in rivis, & in omni habitatione terræ. A montibus enim, quos ostendimus, manaverunt rivi prædicationis Evangelicæ, cùm in omnem terram exivit sonus eorum. Et facta est omnis habitatio terræ pascendis ovibus læta, atque fœcunda. In pascuis bonis pascam eas, & in montibus altis Israël: & erunt stabula earum illic, hoc est, ubi requiescant, ubi dicant: bene est, verum est, & manifestum est. Non fallimur. In gloria Dei requiescent, tanquam in stabulis illis, & dormient, hoc est, requiescent in deliciis suis bonis, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Sequitur: quod enim primum curavit, iterum dicit: *Hæc dicit Dominus Deus: quod periit, inquiram: & quod erravit, revocabo: & quod imminutum, colligabo: & quod exanime est, confortabo: & quod pingue est, & forte, custodiam.* Quod non faciebant mali Pastores, se ipsos pascentes, non oves. Non ait Dominus, constitutam alios bonos Pastores, qui faciant hæc; sed ego, inquit, faciam: oves meas nulli committam. Securi vos fratres, securæ vos oves. Nobis videtur timendum, quasi desit bonus Pastor. Et addit sic: *Et pascam eas cum judicio.* Vide, quia sic solus pascit cum judicio pascens. Quis enim homo certum judicat de homine? Temerariis judiciis plena sunt omnia. De quo desperavimus, subitò convertitur, & fit optimus: de quo præsumpsimus, subitò deficit, & fit pessimus. Nec timor ergo noster certus est, nec amor noster certus. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo: tamen, utcunque ipse quid hodie; quid autem cras, nec ipse. Pascit ergo ille cum judicio, dispertiens propria propriis. Novit enim, quid agat. Cùm judicio pascit, quos judicatus redemit. Sequitur. Absint, ut desint modò boni Pastores. Absit à nobis, ut desint. Absit à misericordiâ ipsius, ut non eos gignat atque constituat. Utique si sunt bonæ oves, sunt & boni Pastores. Nam de bonis ovibus fiunt boni Pastores. Sed omnes boni Pastores in uno sunt, unum sunt. Illi pascant, Christus pascit. Sint ergo omnes in Pastore uno, & dicant vocem Pastoris unam, quam audiant oves & sequantur Pastorem suum, & non illum, aut illum, sed unum. Et omnes in illo unâ voce dicant, diversas voces non habeant.

XIII. *De Pastoribus animarum, quales in Ecclesiâ eligi debeant.* Gregorii.

Cùm rerum (z) necessitas exposcit, pensandum valde est, ad culmen quisque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc ritè perveniens qualiter vivat, & bene vivens, qualiter doceat, & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quantâ consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Priùs ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium, quod non à quærente suscipitur, vita commendet. Ac deinde necesse est, ut Pastoris bonum, quod vivendo ostenditur, loquendo propagetur. Ad extremum verò superest, ut perfecta quæque opera consideratione propriæ infirmitatis deprimat, ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Esaias quoque ait: *Clama,* (a) *ne cesses: sicut tuba*

(y) Joan. 10. 17.
(a) Esa. 58. 1.
(z) Pastoralis. p. 1. in Prooëmio.

ba exalta vocem tuam. Præconis namque officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos (*b*) ergo, si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Fortes, perseverantésque doctores, velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, Sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntient, & quasi intromissi circuli arcam Domini portent. Vectibus arcam Testamenti portare, est bonis Doctoribus Sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deduci. Qui auro quoque jubentur operiri, ut cùm sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. Necesse est igitur, ut, qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis arcæ semper jubentur, ut cùm portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet, cùm spiritale aliquid à subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cùm quæstionem debet enodare. Circulis arcæ fœderis vectes inhæreant, ut Doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sinè mora elevent, si quidquid necesse est, protinus docent. Unde bene primus Pastor Ecclesiæ Pastores cæteros admonet, dicens: *Parati* (c) *semper estote, ad satisfactionem de ea, quæ in nobis est, spe.* Ac si apertè dicat, ut ad portandam arcam mora nulla præpediat, vectes à circulis nunquam recedant. Sancti (*d*) viri, dum præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendant: Nec præesse gaudeant hominibus, sed prodesse. Sciant enim, quòd antiqui Patres nostri, non tam Reges hominum, quàm Pastores pecorum fuisse memorantur. Cum Noë Dominus, filiisque ejus post diluvium diceret: *Crescite* (e) *& multiplicamini, & implete terram.* Subditur: *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus naturâ prælatus est. Idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, non ab homine timeatur; quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cuncti, (*f*) qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis. Nam sicut præfati sumus, antiqui Patres nostri Pastores pecorum, & non Reges hominum fuisse memorantur. Necesse est ergo, ut Rectores à subditis timeantur, quando ab iisdem Deum minimè timeri deprehendunt: ut humanâ saltem formidine peccare metuant, qui Divina judicia non formidant. Nequaquam Præpositi ex subjectorum timore superbiant, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quærunt. In eo autem, quòd metum sibi à perversè viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet, ex quâ parte bestiales sunt subditi, ex eâ debent etiam formidini jacere substrati. Facies Sanctæ Ecclesiæ sunt hi, qui in locis regiminum positi apparent primi, ut ex eorum specie honor. sit fidelis populi, etiam si quid in corpore latet deforme. Qui nimirum prælati plebibus, plangunt culpas infirmantium, séque sic de alienis lapsibus, ac si de propriis affligunt. Sæpe rectores boni, dum quosdam vident ad veniam post culpas redire, quosdam verò in iniquitate persistere, occulta omnipotentis Dei judicia mirantur, sed penetrare nequeunt. Obstupescunt enim, (*g*) quæ non intelligunt. Ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritaliter vivit: qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Ipse nihilominus ad dignitatem pastoralis officii debet provehi, qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur: qui per pietatis viscera citiùs ad ignoscendum flectitur, sed non plùs, quàm decet, ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur: qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis, ùt propria deplorat: qui ex affectu cordis alienæ

[*b*] Pastor. p. 2. Cap. 11. [*c*] 1. Pet. 3. 14. (*d*) Moral. Lib. 21, Cap. 10.
(*e*) Gen. 9. 2. (*f*) Pastor. part. 2. Cap. 16.
(*g*) Pastor. Lib. 1. Cap. 10.

alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis provectibus lætatur. Ad dignitatem Pontificialis Excellentiæ rectè pervenit, qui ita se imitabilem cæteris in cunctis, quæ agit, insinuat, ut inter eos non habeat, quod saltem de transactis mens erubescat: qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare: qui orationis usu experimento jam didicit, quod obtinere à Domino, quæcunque poposcerit, possit: cui prophetica voce jam quasi specialiter dicitur: *Adhuc* (*) *loquente te, dicam, ecce adsum.* Si fortasse quisquam veniat, ut pro se ad intercedendum nos apud potentem quempiam virum, qui sibi iratus, nobis verò est incognitus, ducat, protinus respondemus: ad intercedendum venire non possumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem, de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit; quâ mente apud Dominum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum nescit? Aut ab eo quomodo aliis veniam postulat, qui, utrum sibi sit placatus, ignorat? Quâ in re est adhuc aliud solicitiùs formidandum, ne, qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti liquidò novimus, quia cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, iratus animus ad deteriora provocatur. Qui adhuc terrenis desideriis adstringitur, caveat, ne districti iram judicis graviùs accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Solerter se quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat: ne is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.

XIV. *Ut indigni ac imperiti ad pastorale Magisterium accedere non præsumant.* Gregorii.

Sunt (*b*) plerique Pastorum, qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerunt, docere concupiscunt. Qui pondus magisterii tantò levius æstimant, quantò vim magnitudinis illius ignorant. Ut quia indocti, ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, à præcipitationis suæ ausibus in ipsâ locutionis januâ repellantur. Nulla ars doceri præsumitur, nisi intentâ priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium quâ temeritate suscipitur, quando ars est artium, regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe, qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Sunt nonnulli, qui intra Sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris. Videri Doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, attestante Veritate: *Primos* (i) *recubitus in cœnis, primas in conventibus cathedras quærunt*: qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad humilitatis magisterium ex solâ elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Contra indignos Pastores Dominus per Prophetam queritur, dicens: *Ipsi* (k) *regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* Ex se namque, & non ex arbitrio Summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam Divinitus vocati, sed suâ cupiditate accensi culmen regiminis rapiunt potiùs, quàm assequuntur. Inutiles Sacerdotes internus judex & providet, & non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat. Unde ad se quibusdam, & post miracula venientibus, dicit: *Recedite* (l) *à me operarii iniquitatis: Nescio, qui estis.* Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cùm per Prophetam dicitur: *Ipsi* (m) *Pastores ignoraverunt intelligentiam.* Quos rursus Dominus detestatur, dicens: *Et tenentes* (n) *legem, nescierunt me.* Et nesciri ergo se ab eis veritas conqueritur, & nescire se principatum nescientium se protestatur: quia profectò hi, qui ea, quæ sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante, qui ait: *Si quis* (o) *autem ignorat, ignorabitur.* Plerúmque Pastorum impe-

(*) Isaiæ 58.
(*b*) Greg. in Prol. Pastoralis.
(*i*) Matth. 23. 6.
(*k*) Oseæ 8. 4.
(*l*) Luc. 13. 17.
(*m*) Esaiæ 56. 11.
(*n*) Hier. 2. 8.
(*o*) 1. Cor. 14. 38.

imperitia meritis congruit subjectorum: quia quamvis lumen scientiæ suâ culpâ exigente non habeant: districto tamen judicio agitur, ut per eorum ignorantiam etiam hi, qui sequuntur, offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit: *Si cæcus* (p) *cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis mysterio denuntiat, dicens: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summâ facie positi, providendi itineris officium susceperunt. Quibus hi nimirum, qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur: quia cùm lumen scientiæ perdunt, qui præeunt, profectò ad portanda peccatorum onera curvantur, qui sequuntur. Indigni quippe tanti reatûs pondera fugerent, si veritatis sententiam sollicitâ cordis aure pensarent, qui ait: *Qui* (q) *scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Ne temerare sacra regimina, quisquis his impar est, audeat: & per concupiscentiam culminis ducatum suscipiat perditionis. Hinc enim piè Jacobus prohibet, dicens: *Nolite* (r) *plures Magistri fieri, fratres mei.* Hinc ipse Dei, hominúmque Mediator regnum percipere vitavit in terris: qui supernorum quoque spirituum scientiam sensúmque transcendens, ante sæcula regnat in cœlis. Plerúmque adversitatis magisterio sub disciplinâ cor premitur: quod, si ad regiminis culmen eruperit, in elationem protinus usu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se priùs considerans, fugerat: mox, ut regni gubernacula suscepit, intumuit: honorari namque coram populo cupiens, dum reprehendi publicè noluit, ipsum tamen, qui in Regem se unxerat, abscidit. David Propheta, Authoris sui judicio penè in cunctis actibus placens, mox, ut pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit: factúsque est in morte viri crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ enerviter fuerat flexus. Et, qui malis antè piè noverat parcere, in bonorum quoque nece post didicit sinè obstaculo retractationis anhelare. Priùs quippe ferire deprehensum persecutorem noluit, & post cum damno desudantis exercitûs etiam devotum militem extinxit. Quem profectò ab electorum numero culpa longiùs raperet, nisi hunc ad veniam flagella revocâssent. Plerumque qui subire magisterium (s) pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt. Et quamvis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna pertractant. Fitque, ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sibi ipsa de se mens sæpe mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat: de mundi autem gloriâ non amare, quod amat. Sæpe mens principari appetens, fit ad hoc pavida, cùm quærit: audax, cùm pervenerit. Tendens enim, ne non perveniat, trepidat: sed repentè perveniens jure sibi hoc debitum, ad quod pervenerit, putat. Cumque percepto principatûs officio perfrui sæculariter cœperit, libenter obliviscitur, quidquid religiosè cogitavit. Necesse est enim, ut cùm cogitatio extra usum ducitur, protinus mentis oculus ad opera transacta revocetur: ac penset quisque, quid subjectus egerit. Et repentè cognoscit, si Prælatus bona agere, quæ proposuerit, possit. Quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire. Nescit laudem, cum suppetit, fugere; qui ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. Nequaquam vincere avaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tenditis, cui sufficere propria nec soli potuerunt. Ex anteactâ ergò vitâ se quisque inveniat, ne in appetitu se culminis imago cogitationis illudat. Plerumque in occupatione regiminis ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari rectè navem & imperitus dirigit: turbato autem tempestatum fluctibus etiam peritus se nauta confundit. Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis, in quâ dum cogitationum semper procellis navis cordis quatitur, huc, illucque incessanter impellitur, ut per repentinos excessus oris & operis, quasi per obvianția saxa frangatur? Inter hæc, quæ protulimus, quid

(p) Matt. 15. 14. (q) Matt. 18. 6. (r) Jac. 3. 1.
(s) Greg. l. cit. C. 9.

quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat? Ille si omnino renititur, caveat, ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est, percepta dona sub otio lenti corporis abscondere. At contra iste, cùm regimen appetit, attendat, ne per exemplum pravi operis Pharisæorum more ad ingressum Regni tendentibus obstaculum fiat. Qui juxta vocem (t) Magistri, nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Considerandum quoque est, quia cum causam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere passiones vivunt, quâ præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?

XV. *De indignis Præpositis.*

Isidori.

Non sunt (u) promovendi ad regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subjacent. Hinc est, quod præceptum est David, non ædificare visibile templum, quia sanguinum vir belli frequentiâ esset. Quâ figurâ illi spiritaliter admonentur, qui vitiorum adhuc corruptioni sunt dediti, ne templum ædificent, hoc est, Ecclesiam docere præsumant. Non debet honorem ducatûs suscipere, qui nescit subjectis tramite vitæ melioris præire. Neque enim quisque ad hoc præficitur, ut subditorum culpas corrigat, & ipse vitiis serviat. Qui se indignum ad Episcopatum existimat, locum ejus, qui dignus est, occupare non præsumat. Nam tam Sanctum est Sacerdotii nomen, ut nullâ vitiorum notâ maculari se sinat. Graviùs enim condemnabitur, qui indignus suscipit, quod non meretur. Qui regimen Sacerdotii contendit appetere, ante in se discutiat, si vita honori sit congrua. Quod si non discrepat, humiliter ad id, ad quod vocatur, accedat. Reatum quippe culpæ geminat, si quis cum culpâ ad Sacerdotale culmen adspirat. Uniuscujusque casus tantò majoris est criminis, quantò priusquam caderet, majoris erat virtutis. Præcedentium namque magnitudo virtutum crescit ad cumulum sequentium delictorum. Plerique Sacerdotes suæ magis utilitatis causâ, quàm gregis præesse desiderant: nec ut prosint, præsules fieri cupiunt: sed magis, ut divites fiant, & honorentur. Suscipiunt enim sublimitatis culmen, non pro pastorali regimine, sed pro solius regiminis, vel honoris ambitione: atque abjecto opere dignitatis, solam nominis appetunt dignitatem. Dum mali Sacerdotes Deo ignorante non fiant, tamen ignorantur à Deo, ipso per Prophetam testante: *Principes* (w) *extiterunt, sed non cognovi.* Sed hic nescire Dei, reprobare est: nam Deus omnia novit.

XVI. *De indoctis Præpositis.*

Isidori.

Sicut iniqui (x) & peccatores ministerium Sacerdotale assequi prohibentur, ità indocti & imperiti, à tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt: isti suâ ignaviâ iniquos corrigere nesciunt. Quid enim docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Ignorantia quippe Præsulum, vitæ non congruit subjectorum: *Cæcus enim,* (y) *si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Sacerdotes indoctos per Esaiam Prophetam ità Dominus improbat: *Ipsi,* inquit, *Pastores* (z) *ignoraverunt intelligentiam.* Et iterum: *Speculatores ejus cæci omnes,* id est, imperiti Episcopi: *Nescierunt,* inquit, *universi canes muti, non valentes latrare:* hoc est, plebes commissas non valentes, resistendo malis, per verbum doctrinæ defendere.

XVII. *De his, qui in regimine prodesse possunt, sed idem officium per quietem proprium refugiunt.* Gregorii.

Sunt (a) nonnulli, qui nimia virtutum dona percipiunt, & pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur. Qui studio castitatis mundi, abstinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, authoritatis fortitudine erecti districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum, si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerúmque dona adimunt, quæ non pro-

(t) Matth. 23. 13. (u) Lib. 3. Sententiarum. Cap. 34. (w) Oseæ 8. 4.
(x) Isidor. l. cit. C. 35. (y) Matth. 15. 14. (z) Esa. 56. 11.
(a) Greg. Pastor. Lib. 1. Cap. 5.

pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua & non aliorum lucra cogitant, ipsis se, quæ privata habere appetunt, bonis privant. Hinc itaque ad Discipulos Veritas dicit: *Non potest* (b) *civitas abscondi super montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Hinc Petro Dominus ait: *Simon* (c) *Joannis, amas me?* Qui cùm se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me, pasce oves meas.* Si ergo dilectionis est testimonium, cura pastionis: quisquis virtutibus pollens, gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non amare. Si nostri, sicut proximi, curam gerimus, quasi utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui verò sua cogitans, utilitatem proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt. Secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt: de quo si districtè judicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Quâ enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum: quando ipse summi Patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est, ad publicum nostrum? Sunt nonnulli, qui ex sola humilitate refugiunt, ne his, quibus se impares æstimant, præferantur: quorum profectò humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim verè est humilis, qui superni nutûs arbitrio, ut debeat præesse, intelligit, & tamen contemnit. Divinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cùm sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus & aliis prosit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire.

XVIII. *De præposito Ecclesiæ.* Isidori.

Vir (d) Ecclesiasticus & crucifigi mundo, per mortificationem propriæ carnis debet, & dispensationem Ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat. Multis intercipit satanas fraudibus eos, qui vitæ & sensûs utilitate præstantes, præesse & prodesse aliis nolunt: & dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, consultius arbitrantes, otiosam vitam degere, quàm lucris animarum insistere. Quod tamen decepti agunt, per argumentum Diaboli, fallentis eos per speciem boni: ut, dum illos à pastorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis, & exemplis instrui poterant. Viri Sancti nequaquam occupationum sæcularium curas appetunt: sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt. Et quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant: sed timentes occultam dispensationem Dei suscipiunt, quod fugiunt: exercent, quod vitare noscuntur. Intrant enim ad cor, & ibi consulunt, quid velit occulta voluntas Dei: seséque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant cervicem cordis jugo Divinæ dispensationis.

XIX. *Quòd Sacerdotes Sancti contemplativæ vitæ fieri participes possunt.* Prosperi.

Qui diligenter (e) de vitâ contemplativâ considerat, & sufficienter instructus intelligit, quando, & ubi possit ejus perfectio comprehendi: non dubitabit, Ecclesiarum Principes vitæ contemplativæ posse, & debere fieri sectatores. Quia sive secundùm opinionem quorundam nihil aliud sit vita contemplativa, quàm rerum latentium futurarúmque notitia: sive vacatio ab omnibus occupationibus mundi, sive divinarum studium literarum, sive, quod his probatur esse perfectius, ipsa visio Dei: non video, quid impedimenti Sanctis Sacerdotibus possit afferri, quò minùs ad hæc quatuor, quæ commemoravi, perveniant. Duo enim, imum & ultimum, id est, rerum latentium, futurarúmque notitia, & ipsa visio Dei, incomparabiliter præstantiora erunt in illa

(b) Matth. 5. 14. (c) Joan. 21. 15.
(e) Prosp. de vita contempl. L. 1. Cap. 13.
(d) Isidor. Lib. 3. Sent. Cap. 33.

illâ vitâ Beatâ, quam in istâ diversis erroribus implicatâ? Quandoquidem tam rerum omnium notitia, quàm ipsa Dei substantia plenè, ac perfectè videbitur. Duo autem media, vacationem videlicet ab omnibus occupationibus mundi, & divinarum studium literarum, etiam hic possunt habere pontifices. Sed illi, qui se ab omnibus implicamentis negotiorum sæcularium removentes, non torpent otio, sed insistunt perfectionis suæ negotio, & ab stultitiâ sapientiæ sæcularis aversi, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, cælestia sapiunt, terrena despiciunt, contradicentes sanæ doctrinæ redarguunt, obedientes instituunt, sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores, incumbunt: & tam suis, quàm omnium, qui per eos erudiuntur, provectibus clari, hic quidem velut gustum quendam contemplativæ vitæ, quò ad eam ferventiùs provocentur, accipiunt: sed ibi jam in æternum felices effecti, de ejus perfectione gaudebunt. Proinde non inflantur, quia hic omnium fidelium Catholicorum honorantur ut Capita: sed lætantur potiùs, quia ibi Christi, qui est Sacerdotum, ac omnium fidelium caput, clariora membra futuri sint. At si, quod absit, sæcularibus negotiis implicati, fundorum terminos, sinè termino cupiditatis extendant, ac se passim exquisitis deliciis addicant, quæ animam corpúsque debilitant: si gloriam non Christi, sed suam, decepti vulgi adulantis honoribus, quærant: plúsque de se alienæ linguæ, quà suæ conscientiæ credant: si omne gaudium suum, non in futurorum remuneratione, nec in sanctitate vitæ, sed in suâ tantùm dignitate constituant, & dum tales esse, quales creduntur, amant, nunquam sibi displiceant: ac placentes sibi, non sint de suâ correctione solliciti: quis non intelligat tales, si in talibus perseverent, nec se ante finem præsentis vitæ emendent, contemplativæ vitæ participes esse non posse? Ad quam non perveniunt, nisì qui studuerint esse, quod facti sunt, nec affectant videri, sed esse, quod sunt. Non alienis laudibus, sed moribus suis eximii: nec solùm de suâ dignitate, sed potiùs de sacerdotalis vitæ nobilitate conspicui: qui sunt non appellatione tenus, sed virtute pontifices, vitæ contemplativæ capaces, & gaudiorum cælestium cohæredes.

XX. *De doctrinâ & Exemplis præpositorum.* Isidori.

Tam (*f*) doctrinâ, quàm vitâ clarere debet Ecclesiasticus Doctor. Nam doctrina sinè vita arrogantem reddit: vita sinè doctrina inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ità, ut, quod docet verbo, instruat exemplo. Vera enim est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quàm si bonum, quod sermone quisque prædicat, explere opere negligat. Tunc enim prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Unusquisque Doctor, & bonæ actionis, & bonæ prædicationis habere debet studium. Nam alterum sinè altero non facit perfectum. Sed præcedat justus bene agere, ut sequenter possit bene docere. Sicut in numismate metallum, figura, & pondus inquiritur, ità in omni Doctore Ecclesiastico quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat. Per qualitatem igitur metalli doctrina: per figuram similitudo Patrum: per pondus humilitas designatur. Qui ergo ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit.

XXI. *De humilitate præpositorum.* Gregorii.

Sit rector (*g*) discretus in silentio, utilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ità indiscretum silentium hos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sit rector (*h*) bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per Zelum justitiæ erectus: ut & bonis in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratûs agnoscat: quatenùs & honore suppresso æqualem se subditis bene viventibus deputet, & erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet. Omnes homines natura æquales genuit: sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas, quæ accessit ex vitio, divino Judicio dispensatur: ut, quia omnis homo æquè stare

(*f*) Isidor. Lib. 3. Sent. Cap. 36. (*g*) Greg. Pastor. Lib. 2. Cap. 4. (*h*) Ibid. Cap. 16.

ſtare non valet, alter regatur ab altero. Unde cuncti, qui præſunt, non in ſe poteſtatem debent ordinis, ſed æqualitatem penſare conditionis: nec præeſſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe: quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam noverit, & impugnare. Bene hanc regit, qui ſcit per illam ſuper culpas erigi, ſcit & cum illâ cæteris æqualitate componi. Quam tamen poteſtatem rectè diſpenſat, qui ſollicitè noverit, & ſumere ex illâ, quod adjuvat, & expugnare, quod tentat: & æqualem ſe cum illâ cæteris cernere, & tamen ſe peccantibus zelo ultionis anteferre. Prædicator quiſque ſtudeat, ut minas potentium ratiocinatione mitiget, & oppreſſorum anguſtias, quantum prævalet, ope levet: ut foris reſiſtentibus opponat patientiam, & intus ſuperbientibus exhibeat cum patientiâ diſciplinam: ut erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à juſtitiæ ſtudio non enervet: ſic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limitem fervendo tranſcendat. Rectoris officium eſſe debet, ut ingratos beneficiis ad amorem provocet, ut gratos quoque miniſteriis in amore ſervet: ut proximorum mala, cùm corrigere non valet, taceat: & quæcunque corrigi loquendo poſſunt, ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat.

XXII. *De humilitate Præpoſitorum.*

Iſidori.

Qui (*i*) præficitur ad regimen, taliter erga diſciplinam ſubditorum præſtare ſe debet, ut non ſolùm authoritate, verùm etiam humilitate clareſcat, ſed tamen ità in eo erit virtus humilitatis, ne diſſolvatur vita ſubditorum in vitiis: atque ita authoritas aderit poteſtatis, ne per tumorem cordis ſeveritas exiſtat immoderationis. Hæc eſt in Dei Sacerdotibus vera diſcretio, quâ nec per libertatem ſuperbi, nec per humilitatem fiunt remiſſi. Hinc eſt, quòd Sancti cum multa conſtantia redarguerunt etiam Principum vitia: in quibus cùm ſumma eſſet humilitas, loco tamen neceſſario, liberè tranſgreſſores juſtitiæ increpabant. Aliquando etiam ſubditis nos oportet animo eſſe humiliores, quoniam facta ſubditorum judicantur à nobis, noſtra verò Deus judicat. Agnoſcat Epiſcopus ſervum ſe eſſe plebis, non Dominum. Verùm hæc caritas, non conditio exigit.

XXIII. *De doctrinæ diſcretione.*

Iſidori.

Non omnibus (*k*) una eadémque doctrina eſt adhibenda: ſed pro qualitate morum, diverſa exhortatio erit Doctorum. Nam quoſdam increpatio dura, quoſdam verò exhortatio corrigit blanda. Sicut periti medici ad varios corporis morbos diverſo medicamine ſerviunt, ità, ut juxta vulnerum varietates, medicina diverſa ſit; ſic & Doctor Eccleſiæ ſingulis quibuſque congruum doctrinæ remedium adhibebit, & quid cuique oporteat pro ætate, pro ſexu, ac profeſſione, adnuntiabit. Non omnibus ea, quæ ſunt clauſa, aperienda ſunt. Multi ſunt enim, qui capere non poſſunt: quibus, ſi indiſcretè manifeſtentur, ſtatim aut detrahunt, aut negligunt. Prima quippe prudentiæ virtus eſt, eam, quam docere oporteat, exiſtimare perſonam. Rudibus populis, ſed carnalibus, plana atque communia, non ſumma atque ardua prædicanda ſunt, ne immenſitate doctrinæ opprimantur potiùs, quàm erudiantur. Unde & Apoſtolus Paulus ait: *Non potui* (*l*) *vobis loqui, quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus; tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam.* Carnalibus quippe animis, nec alta nimis de cæleſtibus, nec terrena convenit prædicare: ſed mediocriter, ut initia eorum, morésque deſiderant, edoceri. Cum corvus ſuos pullos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit: ſed tantumdem attendit, donec paterno colore nigreſcant, & ſic illos frequenti cibo reficit. Ità & Eccleſiæ Doctor ſtrenuus, niſi eos, quos docet, viderit ad ſuam ſimilitudinem pœnitentiæ confeſſione nigreſcere, & nitore ſæculari depoſito, lamentationis habitum de peccati recordatione induere, utpote adhuc exterioribus, hoc eſt, carnalibus, non aperit intelligentiæ ſpiritalis profundiora myſteria: ne, dum audita non capiunt, priùs incipiant contemnere, quàm venerari mandata cæleſtia. Aliter eſt agendum erga eos, qui noſtro committuntur regimini, ſi offendunt:

[*i*] Iſidor. Lib. 3. Sent. Cap. 42. (*k*) Iſidor. Lib. 3. Sent. Cap. 43.
(*l*) 1. Cor. 3. 1.

dunt: atque aliter cum his, qui nobis commissi non sunt. Qui, si justi sunt, venerandi sunt: si verò delinquunt, pro solâ caritate, ùt locus est, corripiendi sunt: non tamen cum severitate, sicut hi, qui nobis regendi sunt commissi. Priùs docendi sunt seniores plebis, ut per eos infra positi faciliùs doceantur. Unde & Apostolus: *Hæc*, inquit, *commenda* (m) *fidelibus hominibus, qui idonei sunt & alios docere*. Ingenium boni Doctoris est, incipere à laudibus eorum, quos salubriter objurgatos corrigere cupit, sicut Apostolus (n) ad Corinthios facit, quos à laudibus inchoat, & increpationibus probat. Sed & erant apud Corinthios, qui & laude, & increpatione digni essent. Ille verò indiscretè loquitur, qui sic utraque omnibus loquitur, ut omnibus utraque convenire videantur.

XXIV. *Qualiter Prælati subjectos doceant, ac semetipsos discretâ circumspectione prævideant.* Gregorii.

Quia (o) igitur, qualis esse debeat Pastor, superiùs ostendimus: nunc qualiter doceat, demonstremus. Non una eadémque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt. Et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit: & panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo Doctorum: ut & ad sua singulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi, ut ità dixerim, quædam in citharâ tensiones tractæ chordarum? Quas tangendi artifex, ut non sibimetipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat: & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Doctor quisque, ut in una virtute caritatis cunctos ædificet, ex una doctrina, non unâ eadémque exhortatione, tangere corda audientium debet. (p) Doctor etenim, qui loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eâdem necessitate compellitur summa demonstrare. Illa namque vox libentiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat? Quia, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. Hinc enim per Prophetam Dominus dicit: *Super* (q) *montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion*. Ut videlicet, qui cælesti prædicatione utitur, ima terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantóque faciliùs subditos ad meliora pertrahat, quantò per vitæ meritum de supernis clamat. Rectè etiam Sacerdos superhumerale ex auro, hyacintho, & purpurâ, cocco bis tincto, & bysso retorta factum habere præcipitur: ut quanta virtutum diversitate clarescere debeat, demonstretur. In Sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui Hyacinthus, qui æthereo colore resplendet, adjungitur, ut per omne, quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cælestium surgat: ne, dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro videlicet, Hyacintho, ac purpuræ bis tinctus coccus adjungitur, ut ante interni judicis oculos omnia virtutum bona ex caritate decorentur, & cuncta, quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet caritas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi ex duplici tincturâ fulgescit. Qui sic ad authoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat: vel sic proximorum curam exequitur, ut à Divino amore torpescat: qui unum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Cùm rector se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur, attendat: ne, si inordinatè ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & cùm fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat. In Evangelio Veritas ait: *Habete sal* (r) *in vobis, & pacem habete inter vos*. Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne in ejus eloquio audientium

(m) Tim. 2. 2. (n) 1. Cor. 1 (o) In Prologo Lib. 3. Pastor.
(p) Pastor. Lib. 2. Cap. 3. (q) Esaia 40. 9. (r) Marc. 9. 49.

tium unitas confundatur. Hinc Paulus ait: *Non plus* (s) *sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Ne igitur Rector incautus ad loquendum proruat, hoc, quod jam præmisimus, per semetipsam Discipulis veritas clamat: *Habete sal* (t) *in vobis, & pacem habete inter vos.* Ac si figuratè per habitum Sacerdotis dicat: mala punica tintinnabulis jungite, ut per omnia, quæ dicitis, unitatem fidei cautâ observatione teneatis. Sacerdos semper vocem prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: (*) *Audiatur sonitus, quando ingreditur, aut egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Sacerdos in tabernaculum ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti judicis exigit, si sinè prædicationis sonitu incedit. Aptè tintinnabula vestimentis Pontificis describuntur inserta. Vestimenta etenim Sacerdotis, quid aliud, quàm recta opera debemus accipere, Prophetâ attestante, qui ait: *Sacerdotes* (v) *tui induantur justitiam?* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque opera Sacerdotis clament. Nos quia infirmi homines sumus, cùm de Deo hominibus loquimur, debemus primùm meminisse, quid sumus: ut ex propriâ infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmos fratres consolemur. Consideremus igitur, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus: aut tales aliquando fuimus, etsi jam Divinâ gratiâ operante non sumus: ut tantò eos temperantiùs corde humili corrigamus, quantò nosmetipsos veriùs in his, quos emendamus, agnoscimus. Si nos Sacerdotes tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt, quos emendare curamus: ne cor nostrum fortè superbiat, & de ipsâ innocentiâ in pejus ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus: quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus. Quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum, quod habemus, accipimus: ita illis quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posteriùs etiam possint ipsa bona, quæ nos ante accepimus prævenire. Quis enim crederet, quod per Apostolatûs meritum Saulus lapidatum Stephanum præcursurus erat, qui in morte ejus lapidantium vestimenta servabat? His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, & tunc demum delinquentium iniquitates increpare.

XXV. *De Doctorum silentio.* Isidori.

Pro malo (w) merito plebis aufertur doctrina prædicationis: pro bono merito audientis tribuitur sermo Doctoris. In potestate divinâ consistit, cui velit Deus doctrinæ verbum dare, vel cui auferre: & hoc aut pro dicentis, aut pro audientis fit merito, ut modo pro culpâ plebis auferatur sermo Doctoris, modò verò pro utilitate rectoris tribuatur. Nam & bonus docet bonum, & malus malum: & bonus malum, & malus bonum: quod tamen fit juxta meritum populorum. Non omnia tempora congruunt doctrinæ, secundùm Salomonis sententiam, dicentis: *Tempus* (x) *tacendi, & tempus loquendi.* Non quidem per timorem, sed per discretionem propter malorum incorrectibilem iniquitatem, nonnunquam electos oportet à doctrinâ cessare. Interdum Doctores Ecclesiæ calore caritatis ardentes conticescunt à docendo, quia non est, qui audiat, testante Propheta: *Civitates* (y) *Austri clausæ sunt, & non est, qui aperiat.* Qui docendi accipit officium, interdum ad tempus facta proximi taceat, quæ statim corrigere nequaquam existimat. Nam si corrigere potest, & dissimulat, verum est, quòd consensum alieni erroris habeat. Plerique sancti Doctores pro mali pertinaciâ, quia iniquos emendare nequeunt, his tacere disponunt: sed calorem Spiritûs, quo aguntur, ferre non sustinentes iterum in increpationes prosiliunt impiorum.

XXVI. *Quòd nihil prosit Sacerdoti, etiamsi bene vivat, si malè viventes tacendo non arguat.* Prosperi.

Quod (z) verò dicit Apostolus: (**) Ut nos formam debeamus exhibere fidelibus. Quid valebit, si is, cui vel exhortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est, bene vivendo se imitandum

(s) Rom. 12. 3. (t) Marc. 9. 49. (w) Lib. 3. Sent. Cap. 44. (x) Eccl. 3. 7. (z) De vitâ Contemplat. Lib. 1. Cap. 10.

(*) Exod. 28. (v) Psal. 131. 16. (y) Hiere. 13. 19. (**) 2. Thess. 3. 9.

dum bonis exhibeat; & malos tacendo non arguat? Ad hoc enim, nisi me fallit opinio, sanctè vivendum est Sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet. Si, quod prædicat fieri debere, non faciat, aut si, quod non facit, prædicare præsumpserit, nihil apud eos, qui ejus vitam novêre, proficiet. Quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut non solùm bene vivendo alios exemplo suæ conversationis instituat; sed etiam fiducialiter prædicando singulis ante oculos peccata sua constituat: quæ pœna maneat duris, quæ gloria obedientibus, ostendat. Nullius salutem desperando contemnat, animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: *Ut lugeam* (a) *multos ex his, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam.* Et iterum: (b) *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quapropter sciens, quòd si quibuslibet divitibus, ac potentibus malè viventibus parcat, aut foveat eos; perdat simul & pereat: & sanctè debet vivere propter exemplum, & piè docere propter suæ administrationis officium: certus, quòd ei nihil sua justitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur. Quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sui sceleris dabit. Ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubescat, aut metuat; cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit. Et quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior, nisi hoc Dominus per Ezechielem Prophetam sub cujusdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: *Et tu* (c) *fili hominis, speculatorem dedi te, domui Israël.* Nec hoc transeunter debemus audire, quòd Sacerdotem speculatorem appellat: ut sicut speculatoris est, de loco editiore prospicere, & plus omnibus contemplari, ità Sacerdos debet esse propositi sublimitate celsior cunctis, ac majoris scientiæ habere gratiam, quâ possit sub se viventes instruere. Videamus jam, quid divinus sermo contineat. *Audies*, inquit, *sermonem* (d) *ex ore meo, & annuntiabis eis ex me*: Ut hoc dicat Sacerdos, quod ex divinâ lectione didicerit, quod illi Deus inspiraverit, non, quod præsumptione humani sensûs invenerit. Annuntiabis eis, inquit, *ex me*. Ex me, & non ex te. Mea verba loqueris eis, non est, quod ex eis, tanquam de tuis infleris. Ex me, inquit, eis annuntia. Sed jam, quid annuntiet, audiamus: *Si me dicente ad impium, impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius à viâ suâ, ipse impius in iniquitate suâ morietur. Sanguinem verò ejus de manu tuâ requiram.* Quid expressius, quid apertius potest dici? Si impio, inquit, locutus non fueris, ut se ab impietate custodiat, & ille perierit; sanguinem ejus de manu tua requiram. Hoc est dicere: si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate suâ convertatur, & vivat: & te, qui non increpâsti, & ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus à fide, qui sententiæ isti non credat.

XXVII. *De Pastoribus non rectè gradientibus.* Gregorii.

Sunt (e) nonnulli, qui solerti curâ spiritalia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repentè docent, quæ non opere, sed meditatione didicerant. Et quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit, ut, cùm Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Per Prophetam Dominus contra contemptibilem Pastorum scientiam queritur, dicens: *Cùm ipsi* (f) *limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris conculcabatis: & oves meæ, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.* Aquam quippe limpidissimam Pastores bibunt, cum fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam perturbare, est sanctæ meditationis studia malè vivendo corrumpere. Aquam scilicet, Pastorum turbatam pedibus, oves bibunt, cùm subjecti quique non sectantur verba, quæ audiunt, sed sola, quæ conspiciunt, exempla pravitatis imitantur. Qui cùm dicta sitiunt, quæ per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Nemo amplius

(a) 2. Cor. 12. 21. (b) 2. Cor. 11. 29. (c) Ezech. 3. 17.
(d) Ezech. 3. (e) Past. L. 2. C. 2. (f) Ezech. 34. 18.

pliùs nocet in Ecclesiâ, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem Sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentiâ ordinis peccator honoratur. Qui ad Sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exemplo: melius profectò fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm sacra officia in culpâ cæteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum, si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Sæpe suscepta (g) cura regiminis cor per diversa diverberat: & impar quisque invenitur ad singula, dum confusâ mente dividitur ad multa. Unde quidam Sapiens providè admonet, dicens: *Fili*, (h) *ne in multis sint actus tui.* Quia videlicet nequaquam plenè in unumquemque operis ratione colligitur, dum mens per diversa sparsa partitur. Cúmque foras per insolentem curam trahitur, à timoris intimi soliditate vacuatur. Dum mens in exteriorum fit dispositione solicita, sui est solummodò ignara: & scit multa cogitare, se nesciens. Nam cùm plus, quàm necesse est, se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere, obliviscitur, quò tendebat: ità, ut ab studio suæ inquisitionis aliena, ne ipsa quidem, quæ patitur, damna consideret, & per quanta delinquat, ignoret. Ezechias Rex (i) peccare se minimè credidit, cùm venientibus ad se alienigenis, cellas aromatum ostendit: sed in damnatione secuturæ prolis ex eo iram judicis pertulit, quod se licenter facere existimavit. Sæpe dum multa suppetunt, dumque agi possunt, subjecti, quæ acta sunt, admirantur, in cogitatione se animus elevat, & planè in se iram judicis provocat, quamvis per iniqua foris opera non erumpat. Intus quippe est, qui judicat, intus, qui judicatur. Cùm ergo in corde delinquimus, latet hominibus, quid apud nos agimus: sed tamen ipso judice teste peccamus. Hæc proferentes, non potestatem regiminis reprehendimus: sed ab appetitu illius cordis infirmitatem munimus, ne imperfecti quique culmen arripere regiminis audeant: & qui in planis stantes titubant, in præcipiti pedem ponant. Cæcus Pastor est, (k) qui supernæ lumen contemplationis ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam dirigendo conspicit, quo gressum operis ponat, nescit. Claudus verò rector est, qui quidem, quò pergere debeat, adspicit: sed per infirmitatem montis vitæ viam perfectè non valet tenere, quam videt: quia ad virtutis statum, dum fluxâ consuetudine non erigitur, quò per desiderium enititur, illuc gressus efficaciter non sequuntur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores, fœtorésque discernimus. Rectè ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Sed sunt nonnulli, qui dum æstimari se hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plùs quàm necesse est, exercentes, ex nimiâ subtilitate falluntur. Unde hic (l) quoque subditur: *Vel grandi & torto naso.* Nasus etenim grandis, & tortus, est discretionis subtilitas immoderata. Quæ dum plùs, quàm decet, excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede, vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atque à bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc, non ùt claudus, saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus verò est, quem terrenæ solicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat, sed solis his, quæ in infimis calcantur, intendat. Qui etsi aliquando aliquid ex bono Patriæ cælestis audierit, ad hoc nimirum perversæ consuetudinis pondere prægravatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ sollicitudinis usus curvum tenet. Lippus namque est, cujus quidem ingenium ad agnitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt: sed humore defluente infirmatæ palbebræ grossescunt. Quæ quia infusione crebrâ atteruntur, acies pupillæ vitiatur. Et sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu pravorum actuum cali:

(g) Greg. L. 2. Past. Cap. 4.
(h) Eccl. 11. 10.
(i) Esaiæ 39.
(k) L. 2 Past. Cap. 11.
(l) Levit. 21.

caligant. Lippus itaque eſt, cujus ſenſum natura exacuit, ſed cònverſationis pravitas confundit. Cui bene per Angelum dicitur: *Collyrio* (m) *inunge oculos tuos, ut videas.* Collyrio quippe oculos, ut videamus, inungimus, cùm ad cognoſcendam veri luminis claritatem, intellectûs noſtri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus. Albuginem tolerans, nihil videt: albuginem habet Sacerdos in oculo, qui veritatis lucem videre non ſinitur, quia arrogantiâ ſapientiæ, ſive juſtitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra, videt: albuginem tolerans, nihil videt: quia videlicet ſenſus humanæ cogitationis, ſi ſtultum ſe, peccatorémque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit: ſi autem candorem ſibi juſtitiæ, ſive ſapientiæ tribuit, à luce ſe ſupernæ cognitionis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo ſe apud ſe per arrogantiam exaltat; ſicut de quibuſdam dicitur: *Dicentes* (n) *enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Jugem verò habet ſcabiem in corpore, cui carnis petulantia ſinè ceſſatione dominatur in mente. In ſcabie etenim fervor viſcerum ad cutem trahitur, per quam rectè luxuria deſignatur: quia ſi cordis tentatio uſque ad operationem proſilit, nimirum fervor intimus uſque ad cutis ſcabiem prorupit. Et foris jam corpus ſauciat, quia dum in cogitatione voluntas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quaſi enim cutis prutiginem Paulus curabat abſtergere, cùm dicebat: *Tentatio* (o) *vos non apprehendat, niſi humana.* Ac ſi apertè diceret: humanum quidem eſt, in corde tentationem perpeti: dæmoniacum verò eſt, tentationis certamine in operatione ſuperari. Impetiginem quoque habet in corpore, quiſquis avaritiâ vaſtatur in mente. Quæ ſi in parvis non compeſcitur, nimirum ſinè menſurâ dilatatur. Impetigo quippe ſinè dolore corpus occupat, & abſque occupati tædio excreſcens, membrorum decorem fœdat: quia & avaritia captivam animam, dum quaſi delectat, exulcerat: dum adipiſcenda quæque cogitationi objicit, ad inimicitias accendit: & dolorem in vulnere non facit, quia æſtuanti animo ex culpâ abundantiam promittit. Decor membrorum per impetiginem perditur, quia aliarum quoque virtutum per avaritiam pulchritudo depravatur. Et quaſi totum corpus exaſperat, quia per univerſa vitia animum ſupplantat, Paulo atteſtante, qui ait: *Radix* (p) *omnium malorum eſt cupiditas.* Ponderoſus eſt, qui turpitudinem non exercet opere, ſed tamen ab hac cogitatione continua ſinè moderamine gravatur in mente. Qui nequaquam uſque ad opus quidem nefarium rapitur, ſed ejus animus voluntate luxuriæ ſinè ullo repugnationis obſtaculo delectatur. Vitium quippe eſt ponderis, cùm humor viſcerum ad virilia labitur, quæ profectò cum moleſtiâ dedecoris intumeſcunt. Ponderoſus ergo eſt, qui totis cogitationibus ad laſciviam defluens, pondus turpitudinis geſtat in corde. Et quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente: nec ad uſum boni operis in aperto valet aſſurgere, quia gravat hunc in abditis pondus turpe. Quiſquis ergo quolibet horum vitio ſubigitur, panes Domino offerre prohibetur: ne profectò diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria devaſtant. Cùm (q) Sacerdos non agit bona, quæ loquitur, ei etiam ſermo ſubtrahitur, ne loqui audeat, quod non operatur, ſicut per Prophetam dicitur: *Peccatori* (r) *autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Unde etiam deprecatur, dicens: *Et ne* (s) *auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque.* Perpendit namque, quòd omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore ſuo non auferri petiit, quid aliud, quàm gratiam bonæ operationis quæſivit? Ac ſi apertè diceret: à bono opere errare me non ſinas, ne, dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. Plerumque Doctor, (t) qui docere audet, quod negligit agere, cùm deſierit bona loqui, quæ operari contempſit, docere ſubjectos incipit prava, quæ agit: ut juſto omnipotentis Dei judicio in bono jam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recuſat: quatenus, dum mens ejus terreno amori intenditur, de terrenis rebus

(m) Apoc. 3. 18. (n) Rom. 1. 22. (o) Cor. 10. 13.
(p) 1. Tim. 6. 10. (q) Moral. XI. Cap. 9. (r) Pſal. 49. 16.
(s) Pſal. 118. 43. (t) Moral. XI. Cap. 10.

rebus semper loquatur: unde in Evangelio Veritas dicit: *Ex abundantia* (v) *enim cordis os loquitur. Bonus homo, de bono thesauro profert bona, & malus homo, de malo thesauro profert mala.* Hinc & Joannes ait: *Ipsi* (w) *de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur.*

XXVIII. *De negligentiâ Sacerdotis, qui doctrinæ suæ agendo contraria, personam non potest implere Doctoris.*

Prosperi.

Recolite (x) ergo, quanta & qualia, me audiente atque probante, dicere solebatis de administratione Pontificis, qui populi sibi commissi curâ post habitâ, ardentiùs bona præsentia desiderat, quàm futura: & oblitus, quòd non solùm de se, sed etiam de grege sibi credito rationem Pastori Pastorum omnium reddet, sua, suorúmque detrimenta non cogitat. Quem non delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificant, sed de se tantùm, plerúmque autem nec de se omnino sollicitus, quid à suis boni, malive geratur, ignorat. Qui non prædicat perseverantiam justis, pœnitentiam pravis, contemptum mundi conversis, futuras pœnas aversis. Qui non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ, futurum cogitare judicium, quod ipse fortè non cogitat. Amatoribus mundi, *Nolite* (y) *diligere mundum*: si eum mundi amor oblectat. Ambitiosis, ambitioni jam finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat. Ebriosis, ebrietatem cavete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat. Sumptuosis dapibus gravidus, non potest suis abstinentiam laudare, quam calcat. Vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniæ. Inimicitiarum tenax, non valebit animos diffidentium sacerdotali tranquillitate componere. Justitiam prædicare judicibus erubescit, quam ipse personæ potentis favore corrumpit: nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit: & quidquid boni non facit, aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi authoritatem, contrarietate suæ actionis, aut amittit, aut minuit.

XXIX. *De his, qui bene docent, & malè vivunt.* Isidori.

Interdum (z) Doctoris vitâ etiam ipsa verax Doctrina vilescit. Et qui non vivit, sicut docet, ipsam quam prædicat, veritatem contemptibilem facit. Arcus perversus est lingua Magistrorum docentium bene, & viventium malè: & ideo quasi ex perverso arcu sagittam emittunt, dum suam pravam vitam proprio linguæ ictu confodiunt. Qui bene docet & malè vivit, tanquam æs, aut cymbalum, sonum facit aliis, ipse tamen sibi manet insensualis. Qui bene docet, & malè vivit, quod docet, bene viventibus proficit: quòd verò malè vivit, se ipsum occidit. Sicut Sacerdos, qui si dignè se agit, ut Sacerdotem decet, ministerium ejus, & ipsi, & aliis utile est. Indignè autem vivens, aliis quidem utilis est loquendo, se autem interficit pravè vivendo. Ac per hoc, quod in illo mortuum est, proprium ejus est: quod verò vivit in eo, id est, sacrum ministerium, alienum est. Qui bene docet, & malè vivit, videtur ut cereus, qui aliis bonam novit lucem præstare, se verò in malis suis consumere atque extinguere. Qui bene docet, & malè vivit, videtur bonum malo conjungere, lucem tenebris miscere, veritatem mendacio mutare.

XXX. *De exemplis pravorum Sacerdotum.* Isidori.

Sæpe (a) per quos justitia docetur, per ipsos peccati morbus irrepit, & mors ad plebes pertransit: scilicet vel dum mala docent, vel dum faciunt prava. Plerique Sacerdotes & Clerici pravè viventes, forma cæteris in malum existunt, qui in bonis exemplum esse debuerunt. Hi enim quoscunque exemplo malæ conversationis suæ perdunt, de illis rationem sine dubio reddituri sunt. Ex carnalium præpositorum exemplo plerúmque fit vita deterior subditorum; & plebis merito fiunt tales Sacerdotes, qui exemplo deteriore popu-

(v) Matth. 12. 35. (w) 1. Joan. 4. 5.
(x) De vitâ Contempl. Lib. 1. Cap. 15. (y) 1. Joan. 2. 15.
(z) Lib. 3. Sent. Cap. 37. (a) Ibid. Cap. 38.

populum destruant, non ædificent. Ex merito enim plebis nonnunquam Episcopi depravantur, quatenus procliviùs corruant, qui sequuntur. Capite languescente cætera corporis membra inficiuntur. Unde & scriptum est: *Omne caput* (b) *languidum & omne cor mærens, à plantâ pedis usq; ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Caput enim languidum, Doctor est agens peccatum: cujus malum ad corpus pervenit, dum eo vel peccante, vel pravè docente, pestifer languor ad plebes subditas transit. Deteriores sunt, qui sive doctrinis, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his, qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Hi enim ea, quæ extra nos, sed tamen, quæ nostra sunt, auferunt. Corruptores verò morum propriè nos ipsos diripiunt: quoniam divitiæ hominum mores eorum sunt. Multùm ergo distant damna morum, à damnis temporalium rerum, dum ista extra nos sint, mores verò in nobis.

XXXI. *De Præpositis carnalibus.* Isidori.

Providentiâ (c) plerúmque divini consilii ordinantur præpositi, mundana, & exteriora sectantes, ut dum temporalibus rebus se totos impendunt, spiritales tutiorem vitam contemplationis exerceant. Quia duræ sunt quietè vivere volentibus sarcinæ curarum Episcopalium, providet sæpe Deus curis deditos sæcularibus ad susceptionem regiminis: ut dum hi exteriora sine tædio procurant, spiritales rebus interioribus sine impedimento rerum terrenarum deserviant. Dei ergo ordinem accusant, à quo instituuntur, qui Episcopos condemnant, dum minùs spiritalia, sed magìs terrena sectantur. Ex divini enim tabernaculi dispositione, ob injurias mundi ferendas & turbines, quosdam institui Episcopos, sæcularibus curis insistentes: ut hi, qui interiùs superna desiderant, nullo terreno obsistente negotio, liberiùs hoc, quod amant, intendant. Non est itaque judicandus à plebe rector inordinatus, dum magìs noverint populi, sui fuisse meriti, perversi regimen suscepisse pontificis. Nam pro meritis plebium disponitur à Deo vita rectorum. Exemplo David peccant, ad comparationem Principum, qui ex merito plebis prævaricantur. (d) Sententia damnantur Cham filii Noë, qui suorum præpositorum culpas in publico produnt, sicut Cham, qui Patris pudenda non operuit, sed deridenda monstravit. Habituri sunt Sem meritum & Japhet, qui reverenter operiunt, quæ Patres suos excessisse cognoscunt. Si tamen Patrum facta non diligant, sed tantùm operiant, nec imitentur. Nam sunt, qui præpositos suos perversè judicant, dum terrenis studiis eos plus viderint esse intentos, si vel parum jam ipsi de spiritualibus cognoverint. Rectores ergo judicandi à Deo sunt, à suis autem subditis nequaquam judicandi sunt, exemplo Domini, qui per se vendentes columbas, & nummulariorum mensas proprio evertit flagello, & projecit à templo. Vel etiam sicut dicit Psalmista. *Deus stetit* (e) *in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos discernit.* Quod si à fide exorbitaverit rector, tunc erit arguendus à subditis. Pro moribus verò reprobis tolerandus magìs, quàm distringendus à plebe est.

XXXII. *Luctuosa descriptio carnaliter viventium Sacerdotum.* Prosperi.

Sed nos (f) præsentibus delectati, dum in hac vitâ commoda nostra & honores inquirimus, non ut meliores, sed ut ditiores, nec ut sanctiores, sed ut honoratiores simus, cæteris præesse festinamus. Nec gregem Domini, qui nobis pascendus, tuendúsque commissus est, sed nostras voluntates, Dominationem, divitias, & cætera blandimenta carnaliter cogitamus. Pastores dici volumus, nec esse contendimus. officii nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituum feras à grege dilacerando non pellimus: & quod eis remanserit, ipsi consumimus, quando peccantes divites vel potentes, non solùm non arguimus, sed etiam veneramur, ne nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant. Ac sic muneribus eorum & obsequiis capti, imò per hæc illis addicti, loqui

(b) Esaiæ 15.
(c) Isid. lib. cit. Cap. 30.
(d) Gen. 9.
(e) Psal. 81, 1.
(f) De vitâ Contempl. L. 1. C. 21.

loqui eis de peccato suo, aut de futuro judicio formidamus: & ideò minaciter superbiam nostram divinus sermo contundit, sed noster auditus nihil, unde proficiamus, admittit; quia præsentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiam nostram maneat in æternum, nolumus cogitare. In Pastores ergo ista dicuntur, de quorum nobis inani appellatione blandimur: Hæc dicit Dominus Deus: *Væ Pastoribus* (g) *Israël, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à Pastoribus? Lac comedebatis & lanis operiebamini. Quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidâstis, & quod ægrotum, non sanastis; quod fractum est, non alligastis: & quod abjectum, non reduxistis: quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabitis eis, & cum potentiâ: & dispersæ sunt oves meæ, eò quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri.* Et paulò post: *Propterea, Pastores, audite verbum Domini: Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quod non esset Pastor: neque enim quæsierunt Pastores gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, & gregem meum non pascebant. Propterea, Pastores, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant ampliùs Pastores semetipsos.* Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sinè intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit? Sed quia omnia, quæ Deus observari voluit, tam apertè posuit, & ità sui nominis authoritate firmavit, ut ea faciliùs, quod dictu quoque nefas est, contemnamus, quàm nos non intelligere, vel non credere, tam aperta & divina fingamus. Quando audimus, hæc dicit Dominus, quis non futurum esse credat, quod dicit Dominus, nisi qui Deo non credit? Quod autem dicit, væ Pastoribus; istud væ pro maledicto poni, & Pastorum nomine nos significari, quis non intelligat, nisi qui futurum non cogitat? Greges Domini pascendos Pastores facti suscipimus, & nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quod foveat, & augeat nostras voluptates, attendimus. Lac & lanas ovium Christi, videlicet oblationes quotidianas, ac decimas fidelium, gaudentes accipimus: & curam pascendorum gregum, ac reficiendorum, à quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus. Non sanamus spiritali consilio peccatis infirmum: non facerdotali ope consolidamus, aut reficimus diversis tribulationibus fractum: non ad viam salutis revocamus errantem: non requirimus sollicitudine pastorali veniæ desperatione jam perditum, ad hoc tantùm potentes effecti, ut nobis in subjectos dominationem tyrannicam vindicemus, non ut afflictos contra violentiam potentum, qui in eos ferarum more sæviunt, defendamus. Inde est, quòd non tam à potentibus hujus mundi, quàm à nobis, quod pejus est, nonnulli graviter fatigati depereunt: quos se de manu nostrâ Dominus requisiturum terribiliter comminatur, dicens: *Requiram oves meas de manu Pastorum, & cessare eos faciam, ut ultrà jam non pascant greges meos.* Quod quid est aliud, quàm Pastores, qui semetipsos, non greges meos pascunt, sublimitate suæ dignitatis expoliabo, & inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, projiciam? Horum & his similium consideratione perterritus Propheta: *Timor* (h) *& tremor, inquit, venerunt super me, & contexerunt me peccatorum meorum tenebræ. Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam?* Et hoc est totum, propter quod imperitiæ meæ, ac futuri finis recordatus ingemui, & volui, sarcinâ Episcopatûs mei depositâ, elongare fugiens, & manere in solitudine, & ibi expectare Dominum, qui salvum me faceret à pusillanimitate meâ, & ab ipsâ intolerabilium mihi sollicitudinum tempestate.

XXXIII. *De iracundis Doctoribus.* Isidori.

Iracundi (i) Doctores, per rabiem furoris disciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis convertunt: & unde emendare subditos poterant, inde potiùs vulnerant. Ideo sinè mensurâ ulciscitur culpas Præpositus iracundus: quia cor ejus dispersum in rerum curis, non colligitur in amorem unius Deitatis. Mens

(g) Ezech. 35. 2. (h) Psal. 54. 6.

(i) Lib. 3. Sent, Cap. 40.

Mens enim soluta in diversis, catenâ caritatis non adstringitur: sed malè laxata, malè ad omnem occasionem movetur.

XXXIV. *De zelo pastoralis officii ergo subditos.* Gregorii.

Omnis (*k*) spiritalis zelus Doctoris animum frigit: quia valde cruciatur, dum infirmos quosque æterna deserere, & rebus temporalibus delectari conspicit. Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum, sicut Psalmista ait: *Zelus* (l) *domûs tuæ comedit me.* Paulus Apostolus zelo animarum cruciatus, dicebat: *Quis infirmatur,* (m) *& ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror.* Ipsum suum cor, quod animarum zelo succenderat, quid aliud, quàm quasi sartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat: quod enim urebatur, sartago erat. Inardescebat enim & coquebatur, quia incendebatur amaritudine, sed virtutum alimenta præparabat ex suâ afflictâ cogitatione. Sed quid est, quod Ezechiel Propheta (*n*) eandem sartaginem inter se, & civitatem murum ferreum ponit, nisi quod idem fortis zelus, qui nunc in mente Doctoris agitur, in die extremi judicii, inter eum & animam, quam à vitiis zelatur, testis est? Ut etsi audire is, qui docetur, noluerit, Doctor tamen pro zelo, quem exhibet, de authoris negligentiâ reus non fit? Murum ergo ferreum Propheta inter se & civitatem ponit: quia in ultionis tempore, inde Doctor à damnationis periculo munitur, unde nunc per zelum custodiæ cordis frixuram patitur. Quantum frixura cordis, quæ spiritali zelo agitur, omnipotenti Domino Deo placeat, apertè ostenditur, cùm offerri per legem simila in Sacrificium jubetur. Scriptum quippe est: *In sartagine* (o) *oleo conspersâ frigetur, offerétque eam calidam in odorem suavissimum Domino Sacerdos, qui Patri jure successerit, & tota cremabitur in Altari.* Tunc simila in sartagine frigitur, cum munda mens justi per zeli sancti ardorem crematur. Quæ conspergi oleo præcipitur, id est, caritatis misericordiâ misceri, quæ in conspectu omnipotentis Dei ardet & lucet. Conspergatur ergo oleo mens, quæ in sartagine frigitur: quia sancti zeli districtio necesse est, ut ex misericordiæ virtute & ardeat, & clarescat. Amat enim eundem ipsum, quem insequi videtur. Unde & calida in odorem suavissimum Domino offerri præcipitur: quia, si amorem zelus non habet, ea, quæ de sartagine offertur, calorem simila amisit. Notandum valde est, quis similam offerri præcipitur, videlicet Sacerdos, qui Patri jure successerit. Ille enim Sacerdos Patri jure succedit, qui se esse omnipotentis Domini Filium, moribus demonstrat, atque à nobilitate intima operum suorum ignobilitate non discrepat. Quæ in altari tota cremari præcipitur, ut videlicet holocaustum fiat. Simila itaque in sartagine, est munda mens justi, in zeli spiritalis afflictione, quæ per sollicitudinem animarum frigitur: & non solum sacrificium, sed etiam holocaustum Domino esse deputatur. Sumamus igitur sartaginem ferream, & ponamus eam murum ferreum inter nos & civitatem, id est, assumamus zelum fortem, ut inter nos & auditoris nostri animum, inveniamus hanc postmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inventuri sumus, si tunc eum fortiter tenemus, videlicet docendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando verò etiam severiùs agendo. De quâ severitate per Ezechiëlem rectè subditur: *Et obfirmabis* (p) *faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem.* Quid est, obfirmare faciem ad Jerusalem in latere descriptam, nisi ut ei animæ, cui cælestis pacis visionem Doctor denuntiat, si adhuc eam infirmari in suis actibus conspicit, remissiorem & clementiorem se minimè ostendat? Unde scriptum est: *Filiæ* (q) *tibi sunt? serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Infirmæ quippe animæ, atque ad appetitum mundi deditæ, aliquando meliùs ex severitate servantur, ut obfirmata facies, id est, per severitatis custodiam ab omni spe frivolæ remissionis abducta, inconstantem animam terreat, atque à delectatione vitiorum, districtionis vigore constringat. Quod, cùm à Doctore agitur, semper necesse est,

(*k*) Lib. 1. Super. Ezech. hom. 12. (*l*) Psal. 68. 10. (*m*) 2. Cor. 11. 29.
(*n*) Cap. 4. (*o*) Levit. 6. 21. 22. (*p*) Ezech. 4. 3.
(*q*) Eccl. 7. 26.

est, ut dulcedo & humilitas in corde teneatur; quatenus & multùm amet, & nunquam contra eum per elationem superbiat: cui tamen amorem suum & humilitatem pro utilitate ejus prodere recusat. Sequitur. *Et circumdabis eam.* Circumdat Doctor auditoris animam, cùm omne, quod in hac vitâ agitur, in tentationum laqueos apponi posse denuntiat: ut dum ubique fit mens pavida, ubique circumspecta, quantò timidior, tantò vigilantior vivat. Ipse (*r*) namque zelus rectitudinis, dum inquietudine mentem agitat, ejus mox aciem obscurat, ut altiora in commotione non videat, quæ bene priùs tranquilla cernebat. Sed inde subtiliùs ad alta reducitur, unde ad tempus, ne videat, reverberatur. Nam ipsa recti æmulatio, æterna post paululum in tranquillitate largiùs aperit, quæ hic interim per commotionem claudit: & unde mens turbatur, ne videat, inde proficit, ut ad videndum verius clarescat. Sicut infirmati oculo, cum collyrium immittitur, lux penitus negatur. Sed inde eam post paululum veraciter recipit, unde hanc ad tempus salubriter amittit. Nunquam verò commotioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cœli faciem obducunt, nec turbatus fons respicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriè ostendit: quia, quo ejus unda palpitat, in eo se spem similitudinis obscurat. Sed cùm per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne hæc eadem, quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur: nec quasi Domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustiùs contra vitia erigitur, cùm subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus servire contemnit. Et tantò se impudentiùs dilatat, quantò impatientiæ vitium virtutem putat. Unde necesse est, ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in ultione peccati, tempus, modúmque considerans, surgentem animi perturbationem subtiliùs retractando restringat, animositatem reprimat, & motus fervidos sub æquitate disponat: ut eò fiat justior ultor alienus, quo priùs extitit victor suus. Qui zelo rectitudinis movetur, sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse, qui corrigit, per patientiam crescat, ut fervorem suum transcendendo dijudicet, ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis longè à rectitudine aberret.

XXXV. *Quòd Sacerdotes nihil proprium* (*) *habeant, & Ecclesiæ facultates, tanquam communes, Deo rationem reddituri suscipiant.* Prosperi.

Expedit (*s*) facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriæ sunt, sed communes, Ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus, quæ habuit, dimissis, aut venditis fit rei suæ contemptor, cùm Præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium, quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator. Denique Sanctus Paulinus, ut ipsi meliùs nostis, ingentia prædia, quæ fuerant sua, vendita pauperibus erogavit. Sed cùm postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensavit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sinè impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profectò communia, possidere. Quid Sanctus Hilarius? Nónne & ipse omnia sua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito perfectionis suæ fieret Ecclesiæ Arelatensis Episcopus, quod illa tunc habebat Ecclesia, non solùm possedit, sed etiam accep-

(*r*) Moral. Lib. 5. Cap. 30.

(*) Ex hoc Capitulo, & Capitulis CXX. CXXI. CXXII. liquet, Canonicis suaderi, ut facultates, quas ex patrimonio, aut alio justo titulo possident, relinquant, & vel Pauperibus, vel Ecclesiæ dent: cæterùm nullo voto paupertatis astringebantur, & nonnulli Canonici bona sua & domos retinebant, etsi parciùs de communi massa perciperent, ut infra dicetur: *Thomassinus vet. & nova disciplina Parte III. Lib. III. Cap. VII.* ubi respondet S. Petro Damiani Canonicos proprietarios illimitatè damnanti. *Van Espen Parte I, Tit. VII. Cap. I.* *Eckhart. Historia Franciæ Lib. XXVIII. Nro. CXXII.*

(*s*) De vitâ contempl. Lib. 2, Cap. 9.

acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit. Isti ergo tam Sancti, támque perfecti Pontifices, factis evidentibus clamant, posse, & debere fieri, quod fecerunt. Qui utique homines, tam sæcularium, quàm Divinarum literarum sinè ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiæ debere contemni, nunquam eas haberent, qui omnia sua reliquerant. Unde datur intelligi, quòd tanti, àc tales viri, qui volentes fieri Christi discipuli, renuntiaverunt omnibus, quæ habebant, non ut possessores, sed ut procuratores facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcircò scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisì vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere: nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare: quando nihil aliud sit, habentibus dare, quàm perdere.

XXXVI. *De disciplinâ Sacerdotum, in his, qui delinquunt.* Isidori.

Sacerdotes (*t*) pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant, testante Domino ad Prophetam: *Speculatorem* (u) *Domui Israël dedi te. Si non fueris locutus, ut se custodiat impius à viâ suâ ille in iniquitate suâ morietur. Sanguinem verò ejus de manu tuâ requiram.* Sic enim (*w*) Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, & licet eos delinquentes admonuit, sed tamen non, ùt oportebat, redarguit. Sacerdotes exquirere debent peccata populorum, & sagaci sollicitudine unumquemque probare juxta testimonium Domini ad Jeremiam loquentis: *Probatorem,* (*x*) inquit, *dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis vias eorum.* Sacerdotes studio corrigendi facta perscrutati debent subjectorum, ut emendatos lucrifacere possint. Sicut autem peccatorem convenit argui, ita justum non exulcerari. Sacerdotes curam debent habere, de his, qui pereunt, ut sacerdotali redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles existunt, ab Ecclesia separentur. Atrociter arguuntur, qui decipiendo peccantes non solùm non arguunt pro peccato, sed etiam adulanter decipiunt, dicente Prophetâ: *Et erunt,* (y) *qui beatificant populum istum seducentes: & qui beatificantur, præcipitati.* Atrociter iterum arguuntur, qui peccantem non recipiunt, sed despiciunt, & spernunt, nec alterius delictum, tanquam proprium, ingemiscunt. De talibus per Esaiam Dominus comminans dicit: *Qui dicunt,* (z) *recede à me: non appropinques mihi, quia immundus es, isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die.* Inde est, (*a*) quod & Apostolus omnibus omnia factus est, non imitatione erroris, sed compassionis miseratione, scilicet, ut ita vitia aliena fleret, quemadmodum si tali & ipse implicaretur errore. Boni Pastores populi debent delicta deflere, & totos se planctibus tradere, imitantes Jeremiam Prophetam, dicentem: *Quis dabit* (b) *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* Tanquam ptopria igitur delicta, plebis peccata Sacerdos flere debet: sed affectu compatiendi, non actione commissi. Nonnulli Præsules gregis quosdam pro peccato à communione ejiciunt, ut pœniteant: sed quali forte vivere debeant, ad melius exhortando non visitant. Quibus congruè increpans sermo Divinus comminatur: *Pastores,* (c) *qui pascunt populum meum, vos dispersistis gregem meum: ejecistis, & non visitastis eos; ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.* Bonorum studia Sacerdotum multâ diligentiâ etiam parva plebium facta perquirunt, ut, dum in minimis subditorum peccatis se acerrimos præstant, de majoribus malis cautos sibi subditos, ac sollicitos faciant. Sicut medici morbos imminentes curandos suscipiunt, futuros verò ne irrepant, medicinæ objectu quâdam præscientiâ antecedunt: ita & Doctores boni sic ea, quæ malè acta sunt, resecant, ut ea, quæ admitti possunt, ne perpetrentur doctrinâ succurrente præveniant. Qui blando ser-

(*t*) Lib. 3. Sent. Cap. 46.
(*x*) Jerem. 6. 27.
[*a*] 1. Cor. 9.
(*u*) Ezech. 3. 17.
[*y*] Esa. 9. 16.
[*b*] Jerem. 9. 1.
(*w*) 1. Reg. 2. 4.
[*z*] Esa. 65. 5.
(*c*) Hieron. 23. 1.

sermone castigatus non corrigitur, acriùs necesse est, ut arguatur. Cum dolore enim abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Admonitus secretim, si corrigi de peccato negligit, publicè arguendus est: ut vulnus, quod occultè sanari nescit, manifestè debeat emendari. Manifesta peccata non sunt occultâ correctione purganda. Palàm enim sunt arguendi, qui palàm nocent, ut dum apertâ objurgatione sanantur, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum unus corripitur, plurimi emendantur. Necesse est enim, ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quàm pro unius licentiâ multi periclitentur. Ita erga delinquentem sermo est proferendus, sicut ejus, qui corripitur, expostulat salus. Quod si opus est, aliquam medicamenti salutem verbo increpationis aspergere, lenitatem tamen corde opus est retinere. Doctores nonnunquam duris feriunt increpationibus subditos, qui tamen à caritate eorum, quos corripiunt, non recedunt. Sæpe Ecclesiæ censura arrogantibus videtur esse superbia: & quod à bonis piè fit, crudeliter fieri putatur à pravis: quia non discernunt recto oculo, quod à bonis rectò fit animo. Notandum ab omni Pontifice vehementer, ut tantò cautiùs erga commissos agat, quantò duriùs à Christo judicari formidat. Nam sicut scriptum est: (*d*) *In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Quotidie namque omnes delinquimus, & in multis erroribus labimur. Qui enim in nostris delictis clementes sumus, in alieno peccato rigorem tenere, nequaquam debemus. Multi aliorum vitia cernunt, sua non adspiciunt. Et cùm ipsi maximis criminibus obnoxii teneantur, minora peccata fratribus non dimittunt. Hypocritæ trabem in oculo suo consistentem non sentiunt, & hærentem festucam in lumine fratris intendunt. Faciliùs reprehendimus vitia aliena, quam nostra. Nam sæpe, quæ perversa in aliis judicamus, in nobis nocibilia minùs esse sentimus: & quod in aliis reprehendimus, agere ipsi non erubescimus. Faciliùs vitia uniuscujusque, quàm virtutes intendimus: nec quid boni quisque gesserit, agnoscere, sed quod malè gerit, perscrutamur.

XXXVII. *De collatâ Episcopis potestate ligandi, atque solvendi.* Gregorii.

Prædicatores (*e*) sancti, qui districtum Dei Judicium metuunt, animarum judices fiunt: & alios damnant & liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Ecclesiâ Episcopi locum tenent: solvendi atque ligandi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor Pontificalis, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ. Plerúmque contingit, ut ipse judicii locum teneat, cui ad locum vita minimè concordat. Ac proinde sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpè in solvendis, ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit, ut ipsa & ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum meritis exercet. Sæpe fit, ut erga quemlibet proximum odio vel gratiâ moveatur Pastor. Judicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur: Unde rectè per Prophetam dicitur: *Mortificabant* (*f*) *animas, quæ non moriuntur, vivificabant animas, quæ non vivunt.* Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat: & non victurum vivificare nititur, qui reum à supplicio absolvere conatur. Deus omnipotens (*g*) ut nos à præcipitatâ sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, *Clamor Sodomorum* (h) *& Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverit, an non est ità, ut sciam.* Omnipotens itaque Deus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare. Quid hoc exemplo nisi nos admonemur, ne ad proferendam sententiam umquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim

(*d*) Matth. 7. 2. (*e*) Homil. XXVI. in Joan. 20. (*f*) Ezech. 13. 19.
(*g*) Moral. Lib. 19. Cap. 14. (*h*) Gen. 18. 20.

passim dicta sinè probatione credamus? (*i*) Causæ videlicet pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque solvendi potestas exercenda. Videndum est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm interni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit & vivificavit, dicens: *Lazare (k) veni foras.* Et postmodùm is, qui vivus egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: *Cùmque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis suis; solvite eum, & sinite abire.* Scilicet ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Sub magno moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrum justè, an injustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is, qui subest, & cùm injustè forsitan ligatur, obligationis suæ sententiam ex aliâ culpa mereatur. Pastor quisque vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè: nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat, ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbiâ, culpa, quæ non erat, fiat.

XXXVIII. *De Episcopis, qui pro ordinatione Sacerdotii munera libenter accipiunt.*

Gregorii.

Nonnulli (*l*) Episcoporum donum accepti Spiritûs, in usum solent negotiationis inflectere, & miraculorum signa ad avaritiæ obsequium declinare. Hinc est enim, quod Simon (*m*) per impositionem manûs edita miracula conspiciens percipere donum Spiritûs Sancti pecuniâ voluit: scilicet, ut deteriùs venderet, quod malè comparâsset. (*n*) Redemptor noster flagello de resticulis facto, de templo turbas ejecit, cathedras vendentium columbas evertit. Columbas quippe vendere, est impositionem manûs, quâ Spiritus Sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui nummorum quidem præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humanâ gratiâ largiuntur, atque de largitate eâdem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt: quia de impenso officio Sanctitatis, nummum favoris expetunt. Unde bene, cùm justum virum describeret Esaias Propheta, ait: *Qui excutit (o) manus suas ab omni munere.* Neque enim dicit, qui excutit manus suas à munere; sed adjunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ; munus quippe ab obsequio, est subjectio indebitè impensa; munus à manu, pecunia est. Munus à linguâ, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Plerumque fit, ut quisquis eorum, vel bona corporalia ab hominibus accipere contemnat: sed quia hæc non accipit, majores ab eis recipere laudes quærat. Et fortasse munus se accepisse non existimat, qui bona corporalia accipere recusat. Sicut scriptum est superiùs, aliquando munus à manu, aliquando verò ab ore porrigitur. Nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit: qui autem verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Plerúmque Sacerdos, etsi exteriora dona, quæ terrenæ forsitan necessitati congruunt, pro impositione manuum accipere recusat: plus est, quod sibi retribui appetit, cum ultrà meritum laudari desiderans, munus ab ore quærit.

XXXIX. *De Subintroductis mulieribus.*

Ex Concilio Nicæno.

Interdixit (*p*) per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, subintroductam habere mulierem: nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspiciones effugiunt.

XL.

(*i*) Homil. 26. in Joan. 20. (*k*) Joan. 11.
(*l*) Homil. 4. in Evang. Matth. 10. *Misit Dominus.* (*m*) Act. 8. (*n*) Joan. 2.
(*o*) Esa. 33. 15. (*p*) Concilium Nicænum Can. 3.

XL. *De Clericis usuras accipientibus.* Ex eodem Concilio.

Quoniam (q) multi sub regulâ constituti, avaritiam, & turpia lucra sectantur, obliti que divinæ scripturæ dicentis: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, mutuum dantes, centesimas exigunt: justè censuit sancta & magna Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex inventione aliquâ, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est, sescupla, exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratiâ, dejiciatur à clero, & alienus existat à regulâ.

XLI. *De Privilegiis Presbyterorum.* Ex eodem Concilio

Pervenit ad sanctum, magnúmque Concilium: quod in quibusdam locis & civitatibus Presbyteris gratiam sacræ Communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos sacra oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in suâ Diaconi mensurâ permaneant, scientes, quòd Episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem Presbyteris habeantur. Per ordinem ergo post Presbyterum gratiam sacræ Communionis accipiant, aut Episcopo eis, aut Presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat: quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

XLII. *De excommunicatis, quomodo tractandi sint, & quomodo Concilia quot annis celebranda.* Ex eodem Concilio.

De his (s) qui Communione privantur, seu ex Clero, seu ex laico ordine ab Episcopis, per unamquamque Provinciam sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones: & sic, qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequò vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem ante quadragesimam paschæ, ut omni dissensione sublatâ, munus offeratur Deo purissimum: secundum verò circa tempus Autumni.

XLIII. *Quòd non oporteat demigrare.* Ex eodem Concilio.

Propter (t) multam perturbationem, & seditiones, quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam videtur admissa, ità ut de civitate ad civitatem, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Si quis autem post diffinitionem sancti & magni Concilii, tale quid agere tentaverit, & se hujuscemodi negotio mancipaverit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ, cui fuit Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus.

XLIV. *Non transmigrandum de civitate in civitatem.* Ex Concilio Chalcedon.

De his, (u) qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis, aut Clericis, placuit, ut Canones, qui de hac re à sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

XLV. *De his, qui in Ecclesiis, in quibus provecti sunt, minimè perdurarunt.* Ex Concilio Nicæno.

Quicumque (w) temerè ac periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoscentes Ecclesiasticam regulam, discedunt ab Ecclesiâ Presbyteri, aut Diaconi, vel quicumque sub regulâ prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed om-

[q] Ex eodem Concilio can. 17. [s] Concil. Nicæni can. 6.
(t) Conc. Nicæni can. 15. (u) Conc. Chalcedon. can. 5. [w] Conc. Nicæni can. 16.

omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari. (x) Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in suâ Ecclesiâ ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit is, qui regulæ mancipatur, ordinatio hujuscemodi irrita comprobetur.

XLVI. *De flectendo genu.* Ex eodem Concilio.

Quoniam (y) sunt quidam in die Dominico genu flectentes, & in diebus pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere.

XLVII. *De damnatis, & ministrare tentantibus.* Ex Concilio Antiocheno.

Si quis (z) Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive Episcopus, juxta præcedentem consuetudinem, sive Presbyter aut Diaconus; nullo modo liceat ei nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis. Sed & communicantes ei omnes abjici de Ecclesia, & maximè si postea, quam didicerint, adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint.

XLVIII. *De Clericis damnatis.* Ex Concilio Africano.

Et illud (a) petendum, ut statuere dignetur, ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interpositâ pœnâ damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant.

XLIX. *De peregrinorum susceptione.* Ex Concilio Antiocheno.

Nullus (b) peregrinorum sinè pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur epistolis.

L. *Quòd non liceat Clerico in duarum civitatum Ecclesiis ministrare.* Ex Concilio Chalcedonensi.

Non licere (c) Clericum in duarum civitatum conscribi simul Ecclesiis, sed in quâ ab initio ordinatus est, non ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad suam Ecclesiam, in quâ primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. (d) Si verò quis jam translatus est ex aliâ in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum, quæ sub eâ sunt, aut Ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos verò, qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & universalis hujus Synodi quidquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare, decrevit Sancta Synodus, à proprio hujusmodi gradu excidere.

LI. *Quòd non oporteat peregrinos Clericos sinè commendatitiis ministrare.* Ex eodem Concilio.

Peregrinos (e) Clericos & Lectores in alia civitate, præter commendatitias literas sui Episcopi, nusquam penitus ministrare debere.

LII. *Quòd sinè literis sacro ministerio servientes proficisci non debeant.* Ex Concilio Laodicensi.

Quòd (f) non oporteat Sacerdotem, vel Clericum sinè literis proficisci Canonicis.

LIII. *De Clericis, à communione summotis, ab alio non recipiendis Episcopo.* Ex Concilio Sardicensi.

Osius (g) Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placet, ut sive Diaconus, sive Presbyter, sive quis Clericorum ab Episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & sciêrit ille, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abjectum; non oportet, ut ei communionem in-

(x) III. D. LXXI. Si quis ausus. (y) Conc. Nicæni can. 20. (z) Conc. Antioch. can. 4.
(a) Conc. Africani can. 29. (b) Conc. Antiocheni can. 7.
(c) Conc. Chalcedonens. can. 10. qu. 1. Clericum in duas. (d) Qu. 2. Si quis jam translatus.
(e) Conc. Chalcedon. can. 13. (f) Conc. Laodicensis can. 41. (g) Conc. Sardic. can. 16.

indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt: Hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet.

LIV. *Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.*

Ex Concilio Carthaginensi.

Item (*h*) placuit universo Concilio, ut, qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive Episcopus, sive quilibet Clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

LV. *De non sollicitandis Clericis alienis.*

Ex Concilio Sardicensi.

Januarius (*i*) Episcopus dixit: Illud quoque statuat Sanctitas vestra, ut nulli Episcopo liceat alterius Episcopi civitatis Ministrum Ecclesiasticum sollicitare, & in suis Parochiis ordinare. Universi dixerunt: Placet, quia ex his contentionibus solet nasci discordia: & ideo prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

LVI. *De his, qui semel legerint in Ecclesiâ, ab aliis non posse promoveri.* Ex Concilio Africano.

Item placuit, (*k*) ut quicunque in Ecclesia vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad Clericatum non teneatur. Et subscripserunt. Aurelius Episcopus, Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consensi, & perlecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

LVII. *Si qui Clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerunt.* Ex Concilio Carthagin.

Item placuit, (*l*) ut quicunque Clerici, vel Diaconi, pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.

LVIII. *Ut nullus alienum Clericum sollicitare, vel tenere præsumat, suo Episcopo non præbente consensum.* Ex Decretali Leonis Papæ.

Alienum (*m*) Clericum invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi fortè ex placito caritatis id inter dantem, accipientémque conveniat. Nam gravis injuriæ reus est, qui de fratris Ecclesiâ id, quod est utilius, aut pretiosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque, si intra Provinciam res agatur, transfugam Clericum de Ecclesiâ suâ, Metropolitanus redire compellet. Si autem longiùs recessit, sui præcepti authoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

LIX. *Ut in Ecclesiâ convivia minimè celebrentur.* Ex Concilio Africano.

Ut nulli (*n*) Episcopi, vel Clerici in Ecclesiâ conviventur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantùm fieri potest, prohibeantur.

LX. *Quòd nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.* Ex Concilio Laodicensi.

Quòd (*o*) non oporteat sacro ministerio deditos, à Presbyteris usque ad Diaconos, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, id est, usque ad Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, & Ostiarios, & ex numero continentium & Monachorum, ingredi tabernas.

LXI. *De avaritiâ.* Ex Concilio Carthaginensi.

Aurelius (*p*) Episcopus dixit: Avaritiæ cupiditas, quam rerum omnium malarum matrem esse, nemo est, qui dubitet, proinde inhibenda est: & ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos Patrum statutos transcendat. Nec omnino cuiquam Clericorum

(*h*) Conc. Carthaginen. can. 29.
(*i*) Conc. Sardicensis can. 18.
(*k*) Conc. Africani can. 57.
(*l*) Conc. Carthaginen. can. 31.
(*m*) Leo Epist. 82. ad Anastasium Thess. Cap. 9. XIX. Qu. 2. Alienum Clericum.
[*n*] Conc. Africani can. 9.
(*o*) Conc. Laodic. D. XLIV. Non oportet Clericum.
(*p*) Conc. Carthagin. can. 5.

corum liceat, de quilibet re fœnus accipere. Quanquam novellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcuræ ſunt, vel ſub genere latent, inſpectæ à nobis formam accipient. Cæterùm, de quibus apertiſſimè divina Scriptura ſanxit, non eſt differenda ſententia, ſed potiùs exequenda. Proinde, quod in laicis reprehenditur, id multò magis debet in Clericis prædamnari. Univerſum Concilium dixit: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit ſine periculo.

LXII. *Quòd uſuram non ſolùm Clerici exigere non debent, ſed nec Laici Chriſtiani.*

Ex Decretali Leonis Papæ.

Nec hoc (*q*) quoque prætereundum eſſe duximus, quoſdam lucri turpis cupiditate captos, uſurariam exercere pecuniam,& fœnore velle diteſcere. Quod nos, non dicam, in eos, qui ſunt in Clericali officio conſtituti, ſed in Laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acriùs in eos, qui fuerint confutati, decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

LXIII. *De his, qui eſum carnium in Clero conſtituti diffugiunt.* Ex Concilio Ancyritano.

Hi, (*r*) qui in Clero ſunt Presbyteri, & Diaconi, & à carnibus abſtinent, placuit eas quidem contingere, & ita, ſi voluerint, continere. Quòd ſi in tantum eas abominantur, ut nec olera, quæ cum eis coquuntur, exiſtiment comedenda, tanquam non conſentientes regulæ, ab ordine ceſſare debebunt.

LXIV. *De numero certo Diaconorum.* Ex Concilio Neocæſarienſi.

Diaconi (*s*) ſeptem eſſe debent juxta Regulam, licet & valde magna ſit civitas. Idipſum autem & Actuum Apoſtolorum liber inſinuat.

LXV. *De his, qui abominantur eos, qui carnibus veſcuntur.* Ex Concilio Gangrenſi.

Si quis (*t*) carnes edentem, præter ſanguinem & idolis immolatum, & ſuffocatum,cum religione & fide condemnat, velut ſpem propter hujuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit.

LXVI. *De his, quæ in uſus pauperum conferuntur.* Ex eodem Concilio.

Si quis (*u*) dederit, vel acceperit oblata præter Epiſcopum, vel eum, qui conſtitutus eſt ab eo, ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus; & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.

LXVII. *De his, qui pro virginitate ſuperbiunt.* Ex eodem Concilio.

Si quis (*w*) ex his, qui virginitatem propter Dominum ſervant, extollitur adversùs conjugatos, anathema ſit.

LXVIII. *De his, qui dominico die jejunant, tanquam nihil præ cæteris differente.*

Ex eodem Concilio.

Si quis (*x*) propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam, in die Dominico jejunat, anathema ſit.

LXIX. *De his, qui Eccleſiaſtica jejunia abſque neceſſitate diſſolvunt.* Ex eodem Concilio.

Si quis (*y*) eorum, qui continentiæ ſtudent, abſque neceſſitate corporeâ, tradita in commune jejunia, & ab Eccleſiâ cuſtodita, ſuperbiendo diſſolvit ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit.

LXX. *De his, qui ſe à perceptione Sanctæ Communionis avertunt, & qui excommunicatis per domos communicant.*

Ex Concilio Antiocheno.

Omnes, (*z*) qui ingrediuntur Eccleſiam Dei, & Scripturas Sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, ſed pro quâdam intemperantiâ ſe à perceptione ſanctæ communionis avertunt, hi de Eccleſia removeantur, quamdiu per confeſſionem pœnitentiæ fructus oſtendant, & precibus indulgentiam conſequantur.

LXXI.

[*q*] Leo Epiſt. 1. XIV. Qu. 4. Nec hoc prætereundum. (*r*) Conc. Ancyritani can. 13.
[*s*] Conc. Neocæſarienſis can. 14. D. XCIII. Diaconi ſeptem. Act. 6.
[*t*] Conc. Gangrenſis can. 2. D. XXX. Si quis carnem. [*u*] Ibid. can. 8.
(w) Ibid. can. 10. 4. D. XXX. Si quis propter Deum.
[*x*] Ibid. can. 18. 7. D. XXX. Si quis tanquam hoc.
[*y*] Ibid. can. 19. 8. D. XXX. Si quis eorum. [*z*] Conc. Antiocheni can. 2.

LXXI. *De his, qui ab aliâ parochiâ, præter conscientiam Episcoporum suorum, in aliis commorantur.* Ex eodem Concilio.

Si quis (*a*) Presbyter, aut Diaconus, & omnino quilibet ex Clero Parrochiam propriam deserens, ad aliam properavit, dein omnino demigrans, in alia parrochia per multa tempora nititur immorari, ulteriùs ibidem non ministret: maximè si vocanti suo Episcopo, & regredi ad propriam parrochiam commonenti, obedire contempserit. Quòd si in hac indisciplinatiône perdurat, à ministerio modis omnibus removeatur, ità ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Si verò pro hac causâ damnatum alter Episcopus susciplat, hic etiam à communi coerceatur Synodo, velut, qui Ecclesiastica constituta dissolvat.

LXXII. *De Clericis excommunicatis, vel Laicis.* Ex eodem Concilio.

Si quis (*b*) à proprio Episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo: aut certè ad Synodum, quæ congregatur, occurrens, pro se satisfaciat.

LXXIII. *De Episcopis, & Clericis adeuntibus Imperatorem.* Ex eodem Concilio.

Si quis (*c*) Episcopus, aut Presbyter, aut quilibet regulæ subjectus Ecclesiæ, præter consilium, & literas Episcoporum Provinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abjici oportere, non solùm à communione, verùm & ab honore, cujus particeps videtur existere; quia venerandi Principis auribus molestiam tentavit inferre contra leges Ecclesiæ. Si igitur adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio Metropolitani, & cæterorum Episcoporum, qui in eadem Provincia commorantur. Qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.

LXXIV. *De damnatis Episcopis, aut Clericis, adeuntibus Imperatorem.* Ex eodem Concilio.

Si quis (*d*) à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad majus Episcoporum converti Concilium: & quæ putaverint habere justa, plurimis Episcopis suggerant, eorúmque discussiones ac judicia præstolentur. Si verò hæc parvi pendentes, molesti fuerint Imperatori, hos nullâ veniâ dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus opperiri dijudicamus.

LXXV. *Ut qui in Sacrario serviunt, usuras non exigant.* Ex Concilio Laodicensi.

Quòd (*e*) non oporteat Sacerdotes & Clericos fœnerantes usuras, vel, quæ dicuntur sescupla, id est, & summam capitis, & dimidium summæ, percipere.

LXXVI. *De his, qui debeant in ambone, id est, in pulpito psallere.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*f*) non oporteat ampliùs præter eos, qui regulariter Cantores existunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in Ecclesiâ psallere.

LXXVII. *De honore, quem Presbyteris Diaconi, qui sub ipsis sunt, debeant exhibere.* Ex eod. Concilio.

Quòd (*g*) non oporteat Diaconum coram Presbytero sedere, sed jussione Presbyteri sedeat. Similiter autem & Diaconus in honore habeatur ab obsequentibus, id est, Subdiaconis, & omnibus Clericis.

LXXVIII. *Quòd Subdiaconi non debeant benedicere, vel benedicta tribuere.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*h*) non oporteat Subdiaconos

(*a*) Conc. Antiocheni can. 3. 24. VII. qu. 1. Si quis Presbyter.
(*b*) Ibid. can. 6. 2. XI. qu. 3. Si quis à proprio.
(*c*) Ibid. can. 11. 21. XXIII. qu. 8. Si quis Episcopus.
(*d*) Ibid. can. 12. 2. XXI. qu. 5. Si quis à proprio Episcopo.
(*e*) Conc. Laodicensis can. 6. 9. D. XLVI. Non licet fœnerari.
(*f*) Ibid. can. 15. (*g*) Ibid. can. 20. 15. D. XCIII. Non oportet.
(*h*) Ibid. can. 25. 26. D. XCIII. Non oportet Subdiaconos.

nos panem dare, & calicem benedicere.

LXXIX. *De Exorcistis, qui non sunt ab Episcopis ordinati.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*i*) hi, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quàm in domibus, exorcizare non possint.

XXC. *In Ecclesia prandia fieri non debere.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*k*) non oporteat in domiciliis divinis, id est, in Domini Ecclesiis, convivia, quæ vocantur agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus sternere.

XXCI. *Quòd præter Episcopum Clericus proficisci non debeat.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*l*) non oporteat Sacerdotem, vel Clericum, præter jussionem sui proficisci Pontificis.

XXCII. *Ut ad Sacrarium mulieres non introeant.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*m*) non oporteat ingredi mulieres ad altare.

XXCIII. *Non licere Clericis, lubricis, vel publicis spectaculis interesse, nec congruere penitus Christianis, commessationibus interesse.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*n*) non oporteat Sacerdotes, aut Clericos, quibuscunque spectaculis in scenis, aut in nuptiis interesse: sed antequam thymelici ingrediantur, exurgere eos convenit, atque inde discedere. Nec oporteat Sacerdotes, aut Clericos, ex collatis, vel commessationibus convivia celebrare. Hoc autem nec Laicis posse congruere.

XXCIV. *Oblationes offerri in domibus non oportere.* Ex eodem Concilio.

Quòd (*o*) non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel Presbyteris,

XXCV. *De Clericis, & Monachis, non manentibus in suo proposito.* Ex Concilio Chalcedonensi.

Qui (*p*) semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quò minùs redeant ad hoc, quod propter Dominum primitus elegerunt, anathematizari.

XXCVI. *Quòd non oporteat Clericos, habentes invicem negotium, proprium Episcopum relinquere, & ad sæcularia judicia convocari.*

Ex eodem Concilio.

Si quis (*q*) Clericus adversùs Clericum habet negotium, non deserat Episcopum proprium, & ad sæcularia percurrat judicia: sed priùs actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certè consilio ejusdem Episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, Canonicis correptionibus subjacebit. Quòd si Clericus habet causam adversùs Episcopum proprium, vel adversùs alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quòd si adversùs ejusdem Provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur.

XXCVII. *Quòd minimè Clericos transmigrari oporteat.* Ex eodem Concilio.

Clericos (*r*) in Ecclesiâ ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius civitatis Ecclesiam statutos fieri non oportet, sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias admittentes Provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt.

XXCVIII.

(*i*) Conc. Laodicensis can. 26. 2. D. LX. Non oportet exorcizare.
(*k*) Ibid. can. 28. 4. D. XLII. Non oportet in Basil.
(*l*) Ibid. can. 42.
(*m*) Ibid. can. 44.
(*n*) Ibid. can. 54. de Consec. Dist. 5. Non oportet Ministros.
(*o*) Ibid. can. 54. 10. D. XLIV. Non oportet.
(*p*) Conc. Chalcedon. can. 7. 20. qo. 3. Eos, qui semel.
(*q*) Ibid. can. 9. 46. XI. qo. 1. Si Clericus.
(*r*) Ibid. can. 10. 4. D. LXXI. Clericos in suis.

XXCVIII. *Quòd non liceat Clericis, post mortem sui Episcopi, bona ejus diripere.* Ex eodem Concilio.

Non (s) licere Clericis post obitum sui Episcopi, res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est Canonibus constitutum. Quòd si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.

XXCIX. *Si quis Clericorum pauper promotus, in ordine postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subjiciat.* Ex Concil. Carthaginensi.

Item (t) placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatûs, vel Clericatûs sui, agros, vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in Ecclesia eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. Quòd si à suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tamquam reprobi, judicentur.

XC. *Ut Clerici tabernas, nisi in peregrinis, non ingrediantur.* Ex Concilio Africano.

Ut Clerici (u) edendi, vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

XCI. *Ut alienus Clericus minimè suscipiatur ab alio.* Ex eodem Concilio.

Epigonius (w) Episcopus dixit: In multis Conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum est à vestra prudentia, beatissimi Fratres, ut Clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus, præter ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus.

XCII. *Ut Clericus nec suo, nec alieno nomine fœnus exerceat.* Ex Decretali Leonis Papæ.

Illud (x) etiam duximus præmonendum, ut sicut non suo, ità nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet. Indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc solùm aspicere & exercere debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter, & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

XCIII. *Ut Clerici nullas negotiationes inhonestas, & turpia lucra sectentur.* Ex Decretali Gelasii Papæ.

Consequens (y) fuit, ut illa quoque, quæ de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiavit, non prætereunda putaremus, id est, plurimos Clericorum negotiationibus inhonestis & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes Evangelicam lectionem, quâ ipse Dominus (z) noster negotiatores è templo verberatos flagellis, asseritur expulisse: nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: *Nemo militans* (a) *Deo, implicat se negotiis sæcularibus*: Psalmistam quoque David surdâ dissimulantes aure cantantem: *Quoniam* (b) *non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* Proinde hujusmodi aut ab indignis post hæc quæstibus noverint abstinendum, & ab omnibus cujuslibet negotiationis ingeniis, cupiditatéque cessandum, aut in quocúnque gradu sint positi, mox à Clericalibus officiis abstinere cogantur: quoniam domus Dei domus orationis & esse debet & dici, ne officina negotiationis, & spelunca potiùs sit latronum.

XCIV. *Excerptum ex Epistola S. Hieronymi Presbyteri* ad Nepotianum de vitâ Clericorum.

Petis à me, Nepotiane carissime! literis transmarinis, & crebrò petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta bene vivendi, & quâ ratione is, qui sæculi militiâ derelictâ, cæperit esse Clericus, rectum Christi tramitem teneat, ne ad diversa vitiorum diverticula rapiatur. Scio quidem ab avunculo tuo Beato Heliodoro, qui nunc Pontifex Christi est, te & didicisse, quæ sancta sunt, & quo-

(s) Conc. Chalcedon. can. 22. 43. XII. qu. 2. Non liceat Clericis.
(t) Conc. Carthagin. can. 32. (u) Conc. Africani can. 7.
(w) Ibid. Can. 21. (x) Leonis Papæ Epist. 1. Cap. 4.
(y) Gelasii Papæ Epist. I. Cap. 15. 2. D. XXCVIII. Consequens. (z) Matth. 21.
(a) 2. Tim. 2, 4. (b) Psal. 70. 16.

quotidie discere, normámque te ejus exemplo habere virtutum. Sed & nostra, qualiacúnque sunt, suscipe: & libellum hunc libello illius copulato, ut cùm ille te monachum erudierit, hic Clericum doceat esse perfectum. Igitur Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum: & nominis definitione prolatâ, nitatur esse, quod dicitur. Si enim Cleros græcè, latinè sors appellatur; propterea vocantur Clerici, quia de sorte sunt Domini, vel, quia Dominus ipse sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, & ipse possideatur à Domino. Qui possidet Dominum & cum Propheta dicit: *Pars* (c) *mea Dominus*, nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratiâ: si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus; nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis; & altari serviens, altaris oblatione sustentor; habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequor. Obsecro itaque te, & repetens iterum, iterúmque monebo, ne officium Clericatûs genus antiquæ militiæ putes: id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militiâ: nec plus habeas, quàm quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: *Cleri eorum* (d) *non proderunt eis.* Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conviva noverit. Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. *Corrumpunt* (e) *mores bonos confabulationes pessimæ.* Tu aurum contemnis, alius diligit. Tu calcas opes, ille sectatur. Tibi cordi est mansuetudo, silentium, secretum: illi loquacitas, attrita frons, fora placent, & plateæ, & medicorum tabernæ. In tantâ morum discordiâ, quæ potest esse concordia? Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto manseris, nec in præteritâ castitate confidas. Nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum de possessione suâ mulier ejecerit. Ægrotanti tibi sanctus quilibet frater assistat, & germana; vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quòd si hujusmodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæque personæ; multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat Eleëmosynæ. Scio quosdam convaluisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat, cujus vultum attendis frequenter. Si propter officium Clericatûs aut vidua visitatur, aut Virgo: nunquam domum solus introeas, talésque habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si acolytus, si psaltes te sequitur, non ornetur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum solâ secretè, & absque arbitro, vel teste non sedeas. Si familiariùs est aliquid loquendum, habet nutricem majorem domus, virginem, viduam, maritatam. Non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caveto omnes suspiciones: & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Crebra munuscula, & sudariola, & vasculos, & vestes ori applicatas, & oblatos, ac degustatos cibos, blandásque ac dulces literulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meúmque desiderium, Christus est. Natus in paupere domo, & tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem satiare ventrem poteram, nunc similam & mella fastidio. Novi & genera, & nomina piscium: in quo litore concha lecta sint, calleo: saporibus avium discerno Provincias: & ciborum raritas, ac novissimè damna ipsa delectant. Tu quidem divinas scripturas sæpiùs lege, immò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce, quod doceas. Obtine eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrinâ sanâ

(c) Psal. 15. 5. (d) Jerem. 12. 13. (e) 1. Cor. 15. 33.

sanâ & contradicentes revincere. Permane in his, quæ didicisti, ac credita sunt tibi, sciens, à quo didiceris, semper paratus ad satisfactionem omni poscenti te rationem de eâ, quæ in te est, spe. Non confundant opera sermonem tuum, ne, cùm in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manúsque concordent. Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suspice. Amare filiorum; timere servorum est. *Si pater (f) sum*, inquit, *ubi est honor meus? Si Dominus ego sum, ubi timor meus est?* Melius est, carissime, non habere, quod tribuas, quàm impudenter petere, quod des. Sed & genus arrogantiæ est, clementiorem te velle videri, quàm Pontifex Christi est. Non omnia possumus omnes. Alius in Ecclesiâ oculus est, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, & cætera. Lege Pauli Epistolam ad Corinthios, quomodo *diversa membra unum corpus* efficiunt. (g) Nec rusticus tamen & simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil noverit: nec peritus & eloquens linguâ æstimet sanctitatem: multóque melius est è duobus imperfectis, rusticitatem habere sanctam, quàm eloquentiam peccatricem. Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt: marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur; & ministrorum Christi nulla electio est. Nunc verò portemus crucem Christi, & divitias lutum putabimus. Quid miramur, quòd Christus vocat iniquum Mammona? (h) quid suspicimus & amamus, quòd Petrus se non habere testatur? Convivia tibi detestanda sunt secularium, maximè horum, qui honoribus tument. Turpe est, ante fores Sacerdotis Christi, Crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare: judicémque Provinciæ meliùs apud te prandere, quàm in palatio. Quòd si obtenderis, facere te hæc, ut roges pro miseris, atque subjectis: judex seculi plus defert Clerico continenti; quàm diviti: & magis Sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes. Aut si talis est, qui non audiat Clericos, nisi inter phialas, libenter carebo hujuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro judice, qui magis potest, & citiùs subvenire. *Melius est enim confidere in Domino, quàm confidere in homine. Melius est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.* Numquam vinum redoleas, ne audias illud Philosophi: hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Vinolentos Sacerdotes (i) & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. *Qui altario serviunt, vinum, & siceram non bibent.* (k) Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, sive illa, quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctísque frugibus aqua pinguior coloratur. Quidquid inebriat, & statum mentis evertit, fuge similiter ùt vinum. Nec hoc dico, quod Dei creatura à nobis damnetur. Siquidem & Dominus vini potator est appellatus (l): & Timotheo dolenti stomachum, (m) vini modica sorbitio relaxata est. Sed modum pro ætatis & valetudinis, & corporum qualitate exigimus in potando. Quod si absque vino ardeo adolescentiâ, & inflammor calore sanguinis, succulento, validóque sum corpore; libenter carebo poculo, in quo suspicio veneni est. Pulchrè dicitur apud Græcos, sed nescio, utrùm apud nos æquè resonet: pinguis venter, non gignit sensum tenuem. Tantum tibi jejuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi jejunia pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa. Quid prodest, oleo non vesci, & molestias quasdam, difficultatésque ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tot hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane. Audio præterea, quosdam contra rerum hominúmque naturam, aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarúmque succum non calice sorbere, sed

(f) Malach. 1. 6. (g) 1. Cor. 12. (h) Act. 3.
(i) Tit. 1. (k) Levit. 10. 9. (l) Matth. 11.
(m) 1. Tim. 5.

ſed conchâ. Fortiſſimum jejunium eſt aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua vivimus, quaſi publicum & commune, jejunium non putatur. Cave, ne hominum rumuſculos aucuperis, ne in offenſam Dei populorum laudem commutes. *Si adhuc*, inquit Apoſtolus (*n*), *hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Deſiit placere hominibus, & ſervus factus eſt Chriſti. Per bonam & malam famam, à dextris, & à ſiniſtris Chriſti miles gradltur: nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate: & læta contemnit, & triſtia. Per diem ſol non urit eum, neque luna per noctem. Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, & oſtentui habere phylacteria: & conſcientiâ repugnante, Phariſaica ambitione circumdari. Inde pendet Evangelium, inde Lex & Prophetæ. Fidelis mecum lector intelligis, quid taceam, & quid magìs tacendo loquar. Tot te regulæ, quot ſpecies gloriarum percurrant. Quantò melius erat, hæc non in corpore, ſed in corde geſtare? Et Deum habere fautorem, non aſpectus hominum? Vis ſcire, quales Dominus quærat ornatus? Habeto juſtitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem. His cæli plagis includere, hæc te quadriga velut aurigam Chriſti, ad metam concita ferat. Nihil hoc monili pretioſius, nihil hac gemmarum varietate diſtinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris: & ornamento tibi ſunt, & munimento: gemmæ vertuntur in ſcuta. Cave quoque, ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id eſt, ne aut ipſe aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. *Sedens*, inquit, *adversùs fratrem tuum loquebaris* detrahendo, *& adversùs filium matris tuæ ponebas ſcandalum.* &c. (*o*) Parce à detractione linguæ, cuſtodi ſermones tuos, & ſcito, quia cuncta, quæ de aliis loqueris, tua ſententia judicaris: & in his ipſe deprehendendus eris, quæ in aliis arguebas. Neque verò illa juſta eſt excuſatio: referentibus aliis injuriam facere non poſſum. Nemo invito auditori libenter refert. Officii ergo tui ſit, cariſſime! non ſolùm oculos caſtos ſervare, ſed & linguam. Numquam de mulierum formis diſputes, nec quid in cujuſquam domo agatur, alia domus per te noverit. Omnium Chriſtianorum domos, quaſi proprias ama. Faciliùs contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatur ad prandium, & non recuſat. Nunquam petentes, raró accipiamus rogati. *Beatius enim eſt magis dare, quàm accipere.* Neſcio enim, quo modo etiam ipſe, qui deprecatur, ut tribuat, cùm acceperis, viliorem te judicat. Et mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſteriùs veneratur. Procuratores atque diſpenſatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo eſſe poſſunt Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? Amico rapere quippiam furtum eſt: Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt. Accepiſſe pauperibus erogandum, & eſurientibus plurimis, vel cautum eſſe velle, vel timidum, aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid exinde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat. Alter fame torquetur, & tu judicas, quantum ventri ejus ſatis ſit. Aut divide ſtatim, quod acceperis: aut ſi timidus diſpenſator es, dimitte largitorem, ut ſua ipſe diſtribuat. Nolo, ſub occaſione meâ, ſacculus tuus plenus ſit. Nemo mea meliùs me ſervare poteſt. Ipſe eſt optimus diſpenſator, qui nihil ſibi reſervat. Coëgiſti me, Nepotiane cariſſime! talia ſcribendo confodiendum me omnium linguis prodere. Aut enim nihil ſcribendum fuit, ne hominum judicium ſubiremus, quod tu facere prohibuiſti: aut ſcribentes nôſſe, adversùm nos cunctorum maledicorum tela eſſe torquenda. Quos obſecro, ut quieſcant, & deſinant maledicere. Non enim, ùt adverſariis, ſed ùt amicis ſcripſimus. Nec invecti ſumus in eos, qui peccant, ſed ne peccent, monuimus: neque in illos tantùm, ſed in nos ipſos ſeveri judices fuimus, volentéſque feſtucam de oculo alterius tollere, noſtram priùs trabem ejecimus. Nullum læſi, nullius nomen meâ ſcripturâ deſignatum eſt. Neminem ſpecialiter meus ſermo pulſavit. Generalis de vitiis diſputatio eſt. Qui mihi iraſci voluerit, priùs ipſe de ſe, quòd talis ſit, confitebitur.

XCV.

[*n*] Gal. 1. 10. (*o*) Pſal. 49. 20.

XCV. *Excerptum* B. Hieronymi *de institutione Clericorum.* Ex Epistolâ ad Paulinum Presbyterum.

Obsecro te, Carissime, ut multitudines hominum, & officia, & salutationes, & convivia, veluti quasdam catenas fugias voluptatum. Sit vilis tibi & vespertinus cibus. Olera & legumina, interdúmque pisciculos pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quæret magnopere, de quàm pretiosis cibis stercus conficiat. Quidquid post gulam non sentitur, idem tibi sit, quod panis & legumina. Semper in manu tua sacra lectio sit. Frequenter orandum, & flexo corpore mens erigenda ad Dominum. Crebræ vigiliæ, & ventre vacuo sæpiùs dormiendum. Rumusculos & gloriolas, & palpantes adulatores, quasi hostes fuge: pauperibus & fratribus refrigeria sumptuum manu propriâ distribue. Humilitatem vestium tumenti animo non appetas. Sæcularium & maximè potentium consortium devita. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Non multùm distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianum: Templum Christi, anima credentis est: illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illâ Christum suscipe. Nescio, quomodo plus placeat mundo, qui Christo displicet.

XCVI. Ejusdem. *Ex Epistola ad Rusticum.*

Dico autem, si Clericatûs titillat te desiderium, disce, quod possis docere, & rationalem hostiam offer Christo. Ne sis miles, antequam tiro: ne priùs Magister sis, antequam discipulus. Non est humilitatis meæ, neque mensuræ, judicare de Clericis, & de Ministris Ecclesiarum sinistrum quippiam dicere. Habeant illi ordinem & gradum suum: quem si tenueris, quomodo tibi in eo vivendum sit, editus ad Nepotianum liber docere te poterit. Volo ergo, ut sinè intermissione, oratio, & vigil tibi sit sensus, nec vagis cogitationibus patens. Corpus pariter & animus tendatur ad Dominum. Iram vince patientiâ. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus, quæ, si pectori insederint, dominabuntur tuî, & te deducent ad delictum maximum. Fac aliquid operis, ut semper te Diabolus inveniat occupatum. Memento, quia & Apostoli Christi, habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent: & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia. Ità ergo age, & vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nullâ sorde commacules, ut ad altare Christi, quasi de thalamo virgo procedas, & habeas deforis bonum testimonium. Fœminæ, quæ nomen tuum noverint, vultum nesciant. Cùm ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex civitatis ad Clericum adlegerint; agito, quæ Clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores: quia in omni conditione & gradu, optimis mixta sunt pessima. Multo tempore disce, quod doceas. Ne credas laudatoribus tuis, imò irrisoribus aurem, ne libenter accommodes.

XCVII. Ejusdem. *Ex Epistola ad Heliodorum, quid distet inter Monachum & Clericum.*

Monachum autem perfectum esse nolle, delinquere est. Sed de hoc gradu pulsus provocabis ad Clericos. An de his aliquid audeam dicere, qui certè in suis urbibus commorantur? Absit autem, ut quidquam de his sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus: qui claves regni cælorum habentes, ante judicii diem judicant, qui sponsam Domini sobriâ castitate conservant. Sed & alia, quæ ante perstrinxi, Monachi causa est, alia Clericorum. Clerici oves pascunt, ego pascor. Illi de altario vivunt: mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cùm in Evangelio anum viduam, duo, (g) quæ sibi sola supererant, æra mittentem, laudaverit Dominus. Mihi ante Presbyterum sedere non licet: Illi, si peccavero, licet tradere me satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini JEsu. Et in veteri quidem lege,

Ppp

(g) Marth. 16. & 18.

lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperâsset, (q) aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subjectâ, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spiritali mucrone truncatur: aut ejectus de Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur.

XCVIII. Ejusdem. *Ex Epistolâ ad Oceanum, de vitâ Clericorum.*

Deprecatus es, ut tibi breviter exponerem, qualiter Clerici victitare deбeant. Hinc me plerique è maledictis æmulis præstolantur, quia non sileo veritatem. Prima quidem tentamenta sunt Clericorum, fœminarum frequentes accessus. Iste sexus reprehensibiles exhibet Clericos. Quid tibi reverâ cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici aratores ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, si contra dispositum fidei, cum fœminis habitare contendis. Et quia, ùt arbitror, concupiscis irreprehensibilis inveniri, testimonio bono munire. Numquid in choro Apostolorum fœminæ affuerunt? Prohibe virgines tecum commorari, etiam, quæ de genere tuo sunt. Diligis eas? exteriùs ordina, frequenter visita junctus obsequio Clericorum, ne dum secretaliter, ac solus ingrederis, macules testimonium tuum. Aliter namque conjugati, aliter continentes edocentur Ecclesiasticum subire ministerium & onus. Fœminarum cum Clericis nullo pacto conjuncta præcipitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivúmque genus est fœmina. Cùm proximat stipula, incendit ignem. Flammigero igne percutit fœmina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego judico, si cum viris fœminæ habitant, viscarium non deerit diaboli, qui ex eis auspicatus est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat: si alligaverit quis ignem in sinu suo, vestimenta ejus non comburentur? Aut si quis ambulaverit super carbones ignis, pedes suos non comburet? Mihi crede, non potest toto corde habitare cum Domino, qui fœminarum accessibus copulatur. Sed dicis: *Qui ambulat*, (r) inquit, *simpliciter, ambulat confidenter.* Bene & argutè. Sed oportet testimonium bonum habere ab his, qui foris sunt. Licet coram Domino incedas, tamen coram hominibus bona providenda sunt: quia astutiores sunt filii tenebrarum, super filios lucis. Cùm à te hoc genus non amputatur, das reprehendentibus te locum. Ipse te detrahentium morsibus tradidisti, si agapetarum consortium non dimiseris. Benignus es? gaudeo. Pudicus? Falsum est. Si pudicitiam quæris, fœminam, quam videris bene conversantem, mente dilige, non corporali frequentes ornatu. Non vestis tenera Clericum facit, aut Sacerdotem, sed casta mentis intentio. Hæc enim devotionem honoris in te custodit. Honorem quidem gloriosiùs boni operis fama conservat. Sacerdotes quippe decet, vel cæteros quidem Clericorum gradus, ùt suprà dictum est, à fœminis segregari. Si igitur generis gratiâ judicas easdem nullo pacto dimittere, memento, quod Thamar ab Amnon (s) fratre suo corrupta sit. Idipsum persequor, Dilectissime! ubi unius est tabernaculi conversatio, carnis non facilè tollitur delectatio. De duobus enim, quod unus desiderat, si loqui non potest, vel tentatur. Remotio igitur viri castitatis collocat arma, construit in melioribus castra, pudoris honorem consolatur. Potuit enim & Maria Mater Domini de choro Apostolorum non discedere, si liceret. Tecla post tentationem passionis Antiochiæ, à Paulo prohibetur pariter pergere. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. Non invideo caritati: sit tibi cum castis virginibus longæva dilectio. Tunc in bono meritum collocabis, & famam meliorabis. Sed de congregatione puellarum pulchrè censeo, in hebdomada secunda vilitatione ad benedicendam congregationem convenies, sed non solus, ne rumigeruli linguis te lacerantibus macerent. Alienam enim cupiunt vicini discutere vitam, non suam. Propterea dignè accipe nostrorum præcepta verborum, & monita humilitatis, quæ fraterno affectu, calamo imperante expressimus, dulciter lege. Jam verò, ut reprehensibilis Divini Altaris non sit Sacerdos, pauca de reliquis Apostoli testimoniis, quantùm Dominus donat, exponam. Sufficiant superiores causæ, quæ dictæ sunt. Verùm ne aliquis minùs intelligens, ad Episcopos sentiat

(q) Deut. 17. (r) Prov. 10. 9. (s) 2. Reg. 13.

tiat Apostolum fuisse locutum; quid de Diaconibus ad Timotheum præceptum est, quid de Presbyteris ad Titum, commemorare delectat. Sed prætereundum non est, superiorem explanare sententiam. *Unius uxoris virum* & nova, & vetus præceptio Sacerdotem censuit eligendum. Quia digamos ad ministerium plerique Episcopi applicuerunt, sic asseruerunt: Concubina fuit illa, hæc uxor. Quasi non hæc eadem sint commercia fœditatis in illa, quæ in hac exercentur, quæ uxor asseritur. Aut quia conjugii tabulas non fecit, concupiscentia alia non fuit. Nullo pacto digamos, vel concubinarum catenis insertos decet subire Sacerdotii ministerium. In Levitico (*t*) scriptum est, ac præfinitum, quales eligi debeant Sacerdotes. Si ergo Clericus monogamus fuerit, & uxor ejus digama, noli eum ad ministerium applicare. Hæc Tito præcepta idem Apostolus de ordinandis Clericis dedit. (*u*) Et quia liber finem exspectat, ad id redeamus, unde digressi sumus. Nec si dux, aut tres pariter Dei ancillæ morentur, solum ad eas decet ingredi Sacerdotem. Si quis hæc præcepta non observaverit, hostis est animæ suæ. Quod si post nostra monita agapetas aliquis Clericus ampliùs quæsierit amare, quàm Christum, secundùm synodalem regulam conveniatur, & præcepta Patrum in Nicæa (*w*) diffinita ei legantur. Jam verò, si conventus, prædicta fugerit, & reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus est. Germinant enim fœminæ spinas cum viris habitantes, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt. Proh nefas! dolor est dicere, sed præterire non decet. Christo istæ noverunt nubere, non Clericis. Clericum solitudo facit, non publicum. Lege, quia talis debet esse solitarius, qualem Jeremias descripsit: *Sedebit* (x) *solitarius, & tacebit.* Et quia JEsus relictis Apostolis solus ibat orare. (*y*) Mariam in penetralibus Angelus solam invenit, non cum agapeta loquentem, & illa virilem introitum trepidavit. *Hospitalem* (z) præcepit Apostolus Clericum ordinandum. Hoc præcepto Pater Abraham & Loth (*a*) Angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt: sic & Onesiphorus Paulum doctrinæ fontem suscepit. Hæc imitationes sint vestræ, & ne sinatis incolam præterire, qui apud vos non comederit panem. Sequitur: *Non percussorem.* Non enim pugilem describit Apostolus, sed qui conscientias non percutiat singulorum. Sit modestus, non inflerur, non inebrietur, suæ domui bene præsit: perquam erit horribile, si domui Clerici detrahatur. Lædit Sacerdotis opinionem in plebe, quando de proximis ejus malè loquitur populus. Super omnia præcepit boni testimonii Clericos fundamenta componere, ut bonorum operum testificatio casto confirmetur affectu.

XCIX. Isidori. *Ex libro officiorum. De Clericis.*

Itaque omnes, qui in Ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt, generaliter Clerici nominantur. Cleros autem, vel Clericos hinc appellatos, Doctores nostri dicunt, quia Matthias: *Sorte electus est,* (*b*) quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Sic & omnes, quos illis temporibus Ecclesiarum Principes ordinabant, sorte eligebant. Nam Cleros sors interpretatur. Unde & hæreditas græcè cleronomia appellatur, & hæres cleronomus. Proinde ergo cleros vocari ajunt, eò quòd in sorte hæreditatis Domini dentur, vel pro eo, quòd ipse Dominus sors eorum sit, sicut de eis scriptum est, loquente Domino: *Ego* (c) *hæreditas eorum.* Unde oportet, ut, qui Deum hæreditare possident, absque ullo impedimento sæculi Deo servire studeant, & pauperes Spiritu esse contendant, ut congruè illud Psalmistæ dicere possint: *Dominus* (*d*) *pars hæreditatis meæ.*

C. *De regulis Clericorum.* Isidori.

His (*e*) igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vitâ seclusi, à mundi voluptatibus se se abstineant. Non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant: privata non tantùm pudica, sed & sobria colant. Usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupatio-

(*t*) Levit. Cap. 21.
(*u*) Tit. 1.
(*w*) Conc. Nicæn. can. 3.
(*x*) Thren. 3.
(*y*) Matth. 14.
(*z*) Tit. 1.
(*a*) Gen. 18. & 19.
(*b*) Act. 1.
(*c*) Num. 18. 20. Deut. 18. 1.
(*d*) Psal. 15. 5.
(*e*) De Officiis Lib. 2. C. 2.

nes lucrorum, fraudísve cujusquam studium appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum, fugiant: sæcularia officia, negotiáque abjiciant: honorum gradus per ambitiones non subeant: pro beneficiis medicinæ Dei, munera non accipiant. Dolos, & conjurationes caveant, odium & æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant: non vagis oculis, non infræni linguâ, aut petulanti tumidóque gestu incedant, sed pudorem, ac verecundiam, mentis simplici habitu, incessúque ostendant. Obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum penitus execrentur: viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant. Contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò in doctrinâ, in lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim esse debent, quicunque divinis cultibus se se mancipandos student, scilicet, ut, dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

CI. *De generibus Clericorum.* Isidori.

Duo (*f*) sunt genera Clericorum, unum Ecclesiasticorum, sub regimine Episcopali degentium: alterum Alcephalorum, id est, sine capite, qui quem sequantur, ignorant. Hos neque inter Laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos religio retentat divina: sed solutos, atque oberrantes, sola vaga vita complectitur: quique, dum nullum metuentes, explendæ voluptatis suæ licentiam consectantur, quasi animalia bruta, libertate, ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, qui nec equi, nec homines, mixtúmque, ùt ait Poëta, (*g*) genus, prolésque biformis: quorum quidem sordidâ atque infami numerositate, satis supérque nostra pars occidua pollet. (*)

CII. *Quales oporteat Clericos esse.* Gregorii.

Clericus admonendus est, quatenus sic vivat, ut bonum exemplum vitæ suæ sæcularibus præbeat. Et in Clero, si quid justè reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravatur. Clerici discant, ut quæ à senioribus suis jubentur, impleant, ut humiliter eorum imperiis subjaceant, ut nec subjectio eos conterat, nec locus superior extollat. Clerici discant, quòd ante occulti arbitri oculos per humilitatem & obedientiam sua interiora componant: quatenus non cum reprobis puniantur, sed cum electis æterna præmia sortiantur. Admonendi sunt Clerici, ut tantò circa se solicitiùs vivant, quantò eos aliena cura non implicat. Dicendum est Clericis, ne præpositorum suorum vitam temerè judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter videant: ne, unde rectè mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt Clerici, ne cùm culpam suorum præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant: sed sic eorum prava apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent: quia facta præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cùm rectè reprehendenda judicantur. Pleròsque Clericos, impudentiæ vitio, non nisi increpatio dura compescit: quia cùm se delinquere nesciunt, necesse est, ut à plurimis increpentur.

CIII. *De subjectis bonis sub pastorali regimine constitutis.* Gregorii.

Admonendi (*h*) sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temerè judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident: ne, unde rectè mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt subditi, ne, cùm culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant: sed sic, si qua valde eorum sunt prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent. Quod meliùs ostendimus, si Davidis (*i*) factum ad medium deducamus.

(*f*) De Officiis Lib. 2. C. 3.
(*h*) Pastor Lib. 3. Admon. 5.
(*g*) Æneid. 6.
(*i*) 1. Reg. 24.
(*) Al. polluitur.

camus. Saul quippe persecutor, cùm ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat. Cúmque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum Domini non deberet: qui tamen occultè surrexit, & oram chlamydis ejus abscidit. Quid per Saul, nisi mali rectores? Quid per David, nisi boni subditi designantur? Saülem igitur ventrem purgare est, pravos præpositos conceptam in corde malitiam, usque ad opera miseri odoris ostendere, & cogitata apud se noxia, factis exterioribus exequendo monstrare. David namque Saülem ferire metuit, quia piæ subditorum mentes, ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cùm de imperfectione reprehendunt. Boni subditi, quando pro infirmitate se se abstinere vix possunt, ut extrema quædam, atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter, loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt: quia videlicet, dum prælatæ dignitati saltem innoxiè & latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem secant. Sed tamen ad semetipsos redeunt, séque vehementissimè vel de tenuissimâ verbi laceratione reprehendunt. Unde bene & illic scriptum est: *Post hæc David percussit* (k) *cor suum, eò quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Facta præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cùm rectè reprehendenda judicantur. Si quando verò contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat. Et cùm quis præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium, à quo sibi prælatus est, perhorrescat. Nam cùm in præpositos delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moses cùm contra se, & Aaron, conqueri populum cognovisset, ait: *Nos enim* (l) *quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Admonendi sunt benevoli subditi, ut sic alienis bonis congaudeant, quatenus habere & propria concupiscant: sic proximorum facta diligendo laudent, ut ea etiam imitando multiplicent. Ne si in hoc præsentis vitæ stadio ad certamen alienum devoti fautores, sed pigri spectatores adsistant, & post certamen sine bravio remaneant, qui nunc in certamine non laborant: & tunc eorum palmas afflicti respiciant, in quorum nunc laboribus otiosi perdurant. Valde quippe peccamus, si aliena bene gesta non diligimus: sed nihil mercedis agimus, si ea, quæ diligimus, in quantum possumus, non imitamur. Dicendum est benevolis subditis, quia si imitari bona minimè festinant, quæ laudantes approbant; sic eis virtutum sanctitas, sicut stultis spectatoribus ludicrarum artium vanitas placet. Illi namque aurigarum, ac histrionum gesta favoribus efferunt: nec tamen tales esse desiderant, quales illos conspiciunt esse, quos laudant. Mirantur eos placita egisse, sed tamen similiter devitant placere. Dicendum est benevolis subditis, ut cùm proximorum facta conspiciunt, ad suum cor redeant: & de alienis actibus non præsumant, ne bona laudent, & agere recusent. Graviùs quippe extremâ ultione feriendi sunt, quibus placuit, quod imitari noluerunt.

CIV. *De subditis.* Isidori.

Propter (m) peccatum primi hominis humano generi pœna divinitus illata est servitutis, ità, ut quibus adspicit non congruere libertatem, his misericordiùs irroget servitutem. Et licet peccatum humanæ originis per Baptismi gratiam cunctis fidelibus dimissum sit, tamen æquus Deus ideo discrevit hominibus vitam, alios servos constituens, alios dominos, ut licentia malè agendi servorum, potestate dominantium restringatur. Nam si omnes sine metu fuissent, quis esset, qui à malis quempiam prohiberet? Et inde in gentibus Reges, Principésque electi sunt, ut terrore suo populos à malo coërcerent, atque ad rectè vivendum legibus subderent. Quantum attinet ad rationem, non est personarum acceptio apud Deum, qui mundi elegit ignobilia, & contemptibilia, & quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret, ne glorietur omnis caro, hoc est, carnalis potentia

(k) II. Reg. 24. 6. (l) Exodi 16.

(m) Lib. 3. Sent. Cap. 17.

tia coram illo. Unus enim Dominus æqualiter, & dominis fert consultum, & servis. Melior est subjecta servitus, quàm elata libertas. Multi enim inveniuntur Deo liberè servientes, sub Dominis constituti flagitiosis: qui, etsi subjecti sunt illis corpore, prælati tamen sunt mente.

CV. *De invidis, & protervis subditis.* Gregorii.

Plerumque (n) subditi sub pastorali regimine constituti, dum valde de se elati præsumunt, exprobrando cæteros dedignantur, dum singulariter summa existimant cuncta, quæ agunt. Subtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera protervorum, ut, in quo sibi placent, ostendantur, quia Deo displicent. Tunc protervos meliùs corrigimus, cùm ea, quæ bene egisse se credunt, malè acta monstramus: ut, unde adepta gloria creditur, inde utilis confusio subsequatur. Nonnunquam subditi, cùm se vitium proterviæ minimè perpetrare cognoscunt, compendiosiùs ad correctionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris, & ex latere requisitæ, improperio confundantur: ut ex eo, quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbè, quod defendunt. Cùm protervè Paulus Corinthios (o) adversùm se temerè videret inflatos, ut alius Apollo, alius Pauli, alius Cephæ, alius Christi se esse diceret, incestûs culpam in medium deduxit, quæ apud eos & perpetrata fuerat, & incorrepta remanebat, dicens: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita, ut uxorem Patris quis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit.* Ac si apertè dicat: Quid vos per proterviam, hujus, vel illius dicitis, qui per dissolutionem negligentiæ nullius vos esse monstratis? Admonendi sunt invidi subditi, ut perpendant, quantæ cæcitatis sint, qui alieno profectu deficiunt, alienâ exaltatione contabescunt: quantæ infelicitatis sint, qui melioratione proximi deteriores fiunt: dúmque augmenta alienæ prosperitatis adspiciunt, apud semetipsos anxiè afflicti, cordis sui peste moriuntur. Quid invidis infelicius, quos, dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua fecissent. Nostra nimirum (p) sunt bona aliorum, quæ, etsi imitari non possumus, amamus in aliis: & amantium fiunt, quæcunque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, caritas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera, nostra sinè labore facit. Dum se invidi à livore minimè custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur. De illo namque scriptum est: *Invidiâ* (q) *Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Quia enim ipse cælum perdidit, condito hoc homini invidit: & damnationem suam perditus, adhuc alios perdendo cumulavit. Cognoscant invidi, quantis lapsibus subcrescentis ruinæ subjaceant: quia dum livorem à corde non projiciunt, ad apertas operum nequitias devolvuntur. Nisi enim Cain invidisset acceptam fratris hostiam, minimè pervenisset ad ejus extinguendam vitam. Unde scriptum est: *Et respexit* (r) *Dominus ad Abel, & munera ejus, ad Cain verò, & ad munera ejus non respexit. Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* Itaque livor sacrificii, fratricidii seminarium fuit. Nam quem meliorem se esse doluit, ne utcumque esset, amputavit. Dicendum est invidis, quia dum se istâ intrinsecus peste consumunt, etiam quidquid in se aliud boni habere videntur, interimunt. Unde scriptum est: *Vita carnium,* (s) *sanitas cordis: putredo ossium invidia.* Per livoris vitium ante Dei oculos pereunt, etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per invidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire. Ille est verè humilis subjectus in bonis, qui non est defensor in malis. Nam dum de malis suis subjectus arguitur, & contra verba arguentis accenditur, quando de bonis suis quasi humiliter titubat, per humilitatis vocem ornari appetit, non doceri.

CVI.

(n) Pastor. P. III. Admon. 9.
(o) 1. Cor. 5.
(p) Greg. ibid. & Moral. Lib. 6. Cap. 4.
(q) Sapient. 2. 24.
(r) Gen. 4. 4.
(s) Prov. 14. 30.

CVI. *Quòd secundùm sermonem Prophetæ culpâ suâ pereant, qui Sacerdotum increpationes, perversâ voluntate contemnunt.* Prosperi.

Ad hæc, (*t*) quæ prædicta sunt, ego tunc: Sic, inquam, ista, invidiosis questibus jactas, & in suggillationem Pontificum, vel certè ipsius Pontificatûs exaggeras, quasi non, ubi ista legisti, quibus rationabiliter permoveris; ibi etiam illa sint, quæ à vobis prætermissa, breviter in excusationem officii sacerdotalis attingemus. Post illa verba, quibus negligentium finis Sacerdotum ostenditur, de Pontifice officium suum curante, Propheta sic loquitur: *Si autem* (u) *annuntiante te ad impium, ut à viis suis convertatur, non fuerit conversus à viâ suâ; ipse impius in iniquitate suâ morietur, & tu animam tuam liberâsti.* Hîc certè satis evidenter ostenditur, quòd, sive proficiant, sive non proficiant auditores, tacere eis non debeant Sacerdotes: nec ideo rei sint, si fortè eorum verba populi non audiunt, vel audita contemnunt, sed, si ab eis corrigendis absistunt. Quia si nec exemplo vitæ Præpositorum suorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendari proficiunt, ipsi sibi causa suæ perditionis existunt, & Doctores suos, quorum exempla simul ac verba despiciunt, involvere criminibus suis omnino non poternut. Quod idem Propheta evidentiùs alio loco prosequitur, dicens: *Speculator* (w) *cùm viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo: audiens, quisquis ille est, sonum buccinæ, & non se observaverit, venerítque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonum buccinæ audivit, & non se observavit, sanguis ejus in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam salvabit.* Hîc quoque quid agere debeat, qui fungitur speculatoris officio, divinus sermo satis ostendit: scilicet, ut quando viderit venientem gladium super terram, hoc est, iram Dei super peccatores, operibus terrenis addictos, omnino non taceat, atque eis, quamdiu inhæserint iniquitatibus suis, imminere Divinæ indignationis interitum, denuntiare non desinat, sed clarè ac publicè arguat: quia hoc Buccinæ nomen insinuat, ut se à suis criminibus emendantes, supplicium futuræ damnationis effugiant. Quòd si corripientem, si iram futuram, quæ contemptoribus jam imminet, nuntiantem homines terreni despiciunt: sanguis eorum in ipsis erit, & Sacerdos, qui eis peccata eorum non tacuit, pœnæ, quæ eos expectat, particeps esse non poterit.

CVII. *Cum quo damno animæ suæ ab Ecclesiâ, quæ pauperes pascit, accipiant illi, qui sibi de suo sufficiunt.*

Prosperi.

Nec illi, (*x*) qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem Spiritus sanctus dicit: *Peccata* (y) *populi mei comedunt.* Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ità possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata, suscipiunt. Ipsi quoque pauperes, si se possunt suis artificiis, aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis & infirmus accipere; ne fortè Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes, etiam nihil indigentes, accipiant, gravata, illis, quibus debet, subvenire non valeat. Qui autem Ecclesiæ serviunt, & labori suo, velut debita, reddi oportere credentes, ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt; nimis carnaliter sapiunt, si putant, quòd Ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potiùs præmia æterna percipiant. Sæcularis quippe militia, quia cælestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat. Unde satis indignum est, si fidelis & operosa devotio Clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quòd si quilibet minister Ecclesiæ non habeat, unde vivat, non ei reddat hic, sed necessaria præstet Ecclesia, ut in futuro præmium laboris recipiat, quod in hac vitâ jam spe Dominicæ promissionis expectat. Illi quoque, qui velut idonei, nihil sibi quidem dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt; non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui Ecclesiam, quam juvare de propriis

(*t*) De vitâ Contempl. L. 1. Cap. 12. (*u*) Ezech. 33. 9. [w] Ezech. 33. 2.
(*x*) De vitâ Contempl. Lib. 2. C. 10. (*y*) Osee. 4. 8.

propriis facultatibus debuerant, suis expensis insuper gravant: propter hoc fortassis in congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes excipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant. Quòd si aliquid de fructibus suis Ecclesiæ, velut pro ipsa expensa sua contulerint, non se præferant inani jactantiâ illis, quos nihil habentes pascit & vestit Ecclesia: quia perfectior est ille, qui se mundi rebus exspoliat, aut, qui, cùm nihil habuerit, nec habere desiderat; quàm ille, qui ex multis, quæ possidet, Ecclesiæ aliquid præstat, ac se de eo, quod præstiterit, forsitan jactat. Dura sunt, quæ dico, nec ego diffiteor, dura sunt, sed observare nolentibus. Cæterùm si fiant ista, quæ difficilia non facientibus sunt, statim facilia facientibus fiunt. Non ergo ea, quæ nolumus observare, impossibilitas nobis facit dura, sed novitas. In usum veniant, & neminem frequentata conturbabunt. Nam quæro, quid sit eorum, quæ dixi, difficile? Ut homo id, quod opus non habet, ab Ecclesiâ non accipiat? An, ut, quod habet, sine causâ contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere, ut habeat, unde vivat; ut quid accipit, unde rationem reddat? Ut quid peccatis alienis sua multiplicat?

CVIII. *Qui sint, qui etiam cum profectu animæ suæ, opibus sustentantur Ecclesiæ.*

Prosperi.

Itaque (z) Sacerdos, cui dispensationis cura commissa est, non solùm sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis, accipit à populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut reliquit, aut Ecclesiæ rebus adjunxit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ità, ut unde pauperibus subministrat, inde & ipse tanquam pauper voluntarius vivat. Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas, aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis, vitæ necessaria, sive in domibus suis, sive in congregatione viventes, accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas.

(z) De vitâ Contempl. Lib. 2. Cap. 12.
(b) De vitâ Contempl. Lib. 2. Cap. 13.

CIX. *Quid facere debeant Clerici, quorum infirmitas non potest sua contemnere.*

Prosperi.

Illi (a) autem, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint, si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua, quia & ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum, quæ labori, vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt. Quod si putant, ideo accipi debere eorum, quæ conferuntur Ecclesiæ, portionem, ne eam videantur abjicere, se verò non posse sua relinquere, quod eis deforme sit, inter suos pauperes reddi: noverint esse deformius, possessores de Eleëmosynis pauperum pasci.

CX. *Quæ sint vera gaudia, vel veræ divitiæ, & quid impedimenti adferant bona præsentia amatoribus futurorum.*

Prosperi.

Heu (b) quàm subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit: quantâ cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi avidi, unde justiùs gaudeamus: aut ne cupientes augeri divitiis, noverimus, quas, quibus incomparabiliter præferamus. Nam gaudere quidem bonum est: sed qui gaudet, si non inde gaudet, unde debet, non potest bonum esse, quod gaudet. Si quidem gaudet & raptor, cùm desiderata rapuerit: gaudet & ebriosus, cùm exoptatæ occasionem potationis invenerit: gaudet & adulter, cùm ad delectationem fruendi corporis concupiti pervenerit. Sed cùm sit gaudere bonum; de his, atque de hujuscemodi gaudere grande est malum. Hæc & his similia sunt, unde nos gaudere vult mundus, cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt, quæ repudiare debemus, ut de bonâ conscientiâ, de sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & de promissione futuri regni, ineffabiliter gaudeamus. Ditari quoque divitiis, grande est bonum. Sed inde ditari, unde non debeas, non est habenda facultas, sed detestanda calamitas. Nihil est enim calamitosius, nihilque miserius eo,

[a] De vitâ Contempl. Lib. 2. Cap. 12.

eo, qui iniquis acquisitionibus crescit, quem locupletem fraudes faciunt, atque rapinæ. Istæ nobis sunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare possunt pariter & munire: quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere: quæ nos contra impetus hostiles armant, à mundo distерminant, Deo commendant, ditant animos nostros, atque nobilitant: nobiscum sunt, intra nos sunt. Divitiæ nostræ credendæ sunt, pudicitia, quæ nos pudicos, justitia, quæ justos, pietas, quæ pios, humilitas, quæ humiles, mansuetudo, quæ mansuetos, innocentia, quæ innocentes, puritas, quæ puros, prudentia, quæ prudentes, temperantia, quæ temperantes, & caritas, quæ nos facit Deo & hominibus caros, virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc sunt non omnium, sed Sanctorum Sanctæ Virtutes: non divitum superborum, sed humilium pauperum facultates: patrimonium cordium, divitiæ incorruptibiles morum: quibus non abundant nisi, qui illis carnalibus ex corde renuntiant. Quæ quamvis & ipsa sint bona, utpote à bono Deo creata, tamen quia sunt bonis malisque communia, student ea Spirituales viri contemnere, quò possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria, pervenire. Quoniam non est tale bonum, quod habent & mali, quale illud, quod non habent, nisi boni. Corporale bonum, quando habent iniqui, ipsorum est præmium: quando habent justi, non est eorum præmium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio fit exercitium justi, & injusti supplicium: quia & justus desiderio cælestium captus, omnia temporalia, sive habeat, sive amittat, omnino non sentit. Et iniquus id, quod cum delectatione habuit, sine dolore non perdit. Propterea igitur eis, qui militant Deo, fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ. Quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine curâ non servant, sine anxiâ delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit: *Volo vos* (c) *sine sollicitudine esse.* Et: *Radix omnium malorum avaritia. Quam* (d) *quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Ac sic census iste terrenus eis, à quibus vitiosè diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. Quapropter expedit, facultates Ecclesiæ possideri, ut inde vivant, qui non sæculo, cujus gaudia fugitiva repudiant, sed Deo deserviunt, cujus ineffabilia bona desiderant.

CXI. *Qualiter intelligatur, quod dicit Apostolus, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt.*
Prosperi.

De talibus (e) dicere videtur Apostolus: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altario deserviunt, cum altari participant.* Qui, nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum vellet intelligi, nunquam secutus adjungeret: *Ità & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* De Evangelio vivunt, qui nihil proprium habere volunt: qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Quid est aliud de Evangelio vivere, nisi laborantem inde, ubi laborat, necessaria vitæ percipere? Apostolus tamen, qui sic Evangelium prædicavit, ut nec de Evangelio viveret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter eloquitur: *Ego autem nullo horum usus sum.* Et quare hoc dixerit, secutus aperuit, dicens: *Expedit mihi mori magis, quàm ut gloriam meam quis evacuet.* Evacuari dicit gloriam suam, si ab eis, quibus prædicabat, voluisset accipere vitæ temporalis expensam. Nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro recipere. Si ergo ille, qui nihil habebat, noluit de Evangelio, ubi laborabat, sed suis manibus vivere, ne gloriam suæ mercedis amitteret: quid nos, qui propria nolumus, amore possidendi, non vivendi necessitate, relinquere, & accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?

CXII. *De vitâ & moribus Clericorum.*
Augustini.

Propter quod volui & rogavi hesterno

Q q q

(c) 1. Cor. 7. 32. (d) 1. Tim. 6. 10.
(e) De vitâ Contempl. Lib. 2. Cap. 14. 1. Cor. 9. 13.

sterno die, ut hodie frequentiùs conveniretis, hoc est, quod dicturus sum. Vobiscum hic vivimus, & propter vos vivimus, & intentio, votúmque nostrum est, ut apud Christum vobiscum sine fine vivamus. Credo autem ante oculos vestros esse conversationem nostram, ut & nos dicere fortassis audeamus, quamvis multùm illi impares, quod dixit Apostolus: *Imitatores* (f) *mei estote, sicut & ego Christi.* Et ideo nolo, ut aliquis de nobis inveniat malè vivendi occasionem. *Providemus* (g) *enim bona*, ait idem Apostolus, *non solùm coram Deo*, *sed etiam coram hominibus.* Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete, quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt, conscientia & fama. Conscientia tibi, fama proximo est necessaria. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est, maximè in loco isto positus, de quo dicit Apostolus, scribens ad discipulum suum: *Circa omnes* (h) *te ipsum bonorum operum præbe exemplum.* Ut ergo non vos diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis; Nôstis omnes, aut penè omnes, sic nos vivere in eâ domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantùm possumus, imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum: *Nemo* (i) *dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia*, quia fortè aliqui vestrûm non sunt tam diligentes vitæ nostræ scrutatores, ut hoc, sic noverint, quomodo volo vos nôsse: dico, quid sit, quod breviter dixi. Ego, quem Deo propitio videtis Episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem, ùt multi vestrûm noverunt. Quærebam, ubi constituerem Monasterium, & viverem cum fratribus meis. Spem quippe omnem sæculi reliqueram, & quod esse potui, nolui: non quæsivi tamen, quod sum. *Elegi in domo Dei abjectus esse magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ab eis, qui diligunt sæculum, secrevi me: sed eis, qui præsunt populis, non me coæquavi: nec in convivio Domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem, & abjectum. Et placuit illi dicere mihi, ascende sursùm. Usque adeò autem timebam Episcopatum, ut quoniam cœperat esse jam alicujus momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illo accederem: Cavebam hoc, & agebam, quantùm poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. Sed, ùt dixi, Dominus servo contradicere non debet. Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in Monasterio, quasi securus, quia locus habebat Episcopum. Apprehensus Presbyter factus sum, & per hunc gradum ad Episcopatum perveni. Non attuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum his indumentis, quibus illo tempore vestiebar, & quia hoc disponebam esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto & voluntate meâ, beatæ memoriæ senex VALERIUS, dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere compares meos, nihil habentes, sicut habebam nihil, & imitantes me, ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent & illi, qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus: commune autem nobis esset magnum & uberrimum prædium ipse Deus. Perveni ad Episcopatum: vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus, sive transeuntibus. Quod si non fecisset Episcopus, inhumanus diceretur. Si autem ista consuetudo in Monasterio permissa esset, indecens esset: & ideo volui habere in domo ista Episcopii mecum Monasterium Clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostrâ habere aliquid proprium. Sed fortè aliqui habent, nulli licet. Si qui habent, faciunt, quod non licet. Bene autem sentio de fratribus meis, & semper bene credens, ab hac inquisitione dissimulavi: quia & ista quærere, quasi malè sentire videbatur. Noveram enim, & novi, omnes, qui mecum viverent, nôsse propositum nostrum, nôsse legem vitæ nostræ. Venit ad nos etiam presbyter Januarius, qui videbatur sua honestè erogando quasi consumpsisse, sed non consumpsit. Reman-sit

(f) 1. Cor. 4. 16. & 11. 1. (g) Rom. 12. 17. (h) Tit. 2. 7.
(i) Act. 2. & 4.

sit illi quædam pecunia, id est, argentum, quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius, Deo propitio, in Monasterio fœminarum, & bonæ spei est. Gubernet illam Dominus, ut impleat, quod de illâ speramus, in illius misericordia, non in ejus meritis. Et quia infra annos erat, & de suâ pecuniâ nihil facere poterat; quamvis enim videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis: factum est, ut ipsum argentum quasi puellæ servaretur, ut, cùm ad legitimos annos veniret, faceret inde, quod virginem Christi deceret, quando optimè jam facere posset. Dum hæc expectantur, cœpit ille morti propinquare. Qui diu tanquam de suo vivens, quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, inquam, fecit Presbyter socius noster, nobiscum manens, de Ecclesiâ vivens, communem vitam profitens. Testamentum fecit, hæredes instituit. O dolor illius societatis, O fructus natus de arbore, quam non plantavit Dominus! sed Ecclesiam scripsit hæredem. Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet. Nihil habebat? Testamentum non faceret. Habebat aliquid? non se nostrum socium, quasi Dei pauperem fingeret. Magnus mihi inde dolor est fratres. Dico caritati vestræ. Propter hunc dolorem statui, hæreditatem ipsam in Ecclesiâ non suscipere. Filiorum ipsius sit, quod reliquit. ipsi inde faciant, quod voluerint. Videtur enim mihi, quia, si eam suscepero, in isto facto, quod mihi displicet, & quod doleo, ejus particeps ero. Hoc volui non latere caritatem vestram. Filia ipsius in Monasterio est fœminarum, & filius ipsius in Monasterio virorum est. Ambos exheredavit: illam cum laude, istum cum elogio, id est, cum vituperatione. Commendavi autem Ecclesiæ, ut non accipiant ipsas portiunculas, quæ pertinent ad exheredatos, nisi, cùm ad legitimam ætatem pervenerint. Hoc eis reservat Ecclesia. Deinde litem dimisit inter filios suos, in quâ laboro. Puella dicit, meum est, nôstis, quia hoc dicebat semper Pater meus. Puer dicit, credatur Patri meo, quia moriens mentiri non potuit. Et ista contentio, quale malum est? Sed si pueri ipsi servi Dei sunt, litem hanc inter illos citò finimus. Audio illos, ùt Pater, & fortè meliùs, quàm Pater ipsorum. Videbo, quid sit juris. Sicut Dominus voluerit, cum paucis fratribus fidelibus honoratis, Deo propitio, de numero vestro, id est, de plebe istâ, audio inter illos causam, & sicut Dominus donaverit, finio. Tamen, rogo vos, nemo me reprehendat, quia ejus hæreditatem nolo suscipiat Ecclesia. Primò, quia factum illius detestor. Deinde, quia institutum meum est. Multi laudant, quod dicturus sum, sed aliqui & reprehendunt: utrisque facere satis difficile est. Audistis modò cum Evangelium legeretur: (k) *Cantavimus vobis, & non saltastis: planximus, & non luxistis. Venit Joannes Baptista non manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet.* Venit *Filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, potator vini, & amicus publicanorum.* Quid ergo facio inter illos, qui parant me reprehendere, & dentes in me ducere, si suscepero hæreditates eorum, qui filios suos irati exheredant? Iterum, quid sum facturus eis, quibus canto & nolunt saltare, qui dicunt, ecce, quare nemo donat Ecclesiæ Hipponensi aliquid? Ecce, quare non eam faciunt, qui moriuntur, hæredem? Quia Episcopus Augustinus de bonitate sua (laudando enim mordent, labiis mulcent, & dentem figunt) donat totum, non suscipit. Planè suscipio. Profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur in filio suo, & moriens exheredat eum, si viveret, non eum placarem? Non ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto, hæreditatem? Sed planè, si faciat, quod sæpè hortatus sum. Unum filium habet? Putet Christum alterum: duos habet? Putet Christum tertium: decem habet? Christum undecimum faciat, & suscipio. Quia ergo feci hoc in quibusdam rebus, jam volunt bonitatem meam, vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, ut alio modo me reprehendant, quia oblationes devotorum hominum nolo suscipere. Considerent, quàm

Qqq 2

(k) Matth. 11, 17.

quàm multa fuſceperim. Quid opus eſt ea numerare ? Ecce unam dico, filii Juliani hæreditatem ſuſcepi. Quare? quia ſinè filiis defunctus eſt. Bonifacii hæreditatem ſuſcipere nolui, non miſericordiâ, ſed timore. Naviculariam nolui eſſe Eccleſiam Chriſti. Multi ſunt quidem, qui etiam de navibus acquirunt. Tamen una tentatio ſi eſſet, ſi iret navis & naufragaret, homines ad tormenta daturi eramus : ut de ſubmerſione navis ſecundùm conſuetudinem quæreretur, & torquerentur à judice, qui eſſent de fluctibus liberati. Sed non eos daremus. Nullo pacto enim hoc facere deceret Eccleſiam. Onus ergo fiſcale perſolveret, ſed unde perſolveret ? Enthecam nobis habere non licet. Non eſt Epiſcopi ſervare aurum, & revocare à ſe mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures triſtes relinquamus, quia, ut poſſimus dare omnibus, non habemus. Non habemus ergo enthecam. Propter naufragium ergo hoc vitandum feci, non donando. Nemo ibi me laudet, ſed nemo & vituperet. Planè, quando donavi filio, quod iratus Pater moriens abſtulit, beneſeci. Laudent, qui volunt : parcant, qui laudare nolunt. Quid pluribus fratres mei? Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum : immò, Deo propitio, neminem inveniat. Quàm laudabile factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelii Carthaginenſis, quomodo implevit os omnium, qui ſciunt, laudibus Dei ? Quidam, cùm filios non haberet, neque ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi uſu fructu, donavit Eccleſiæ. Nati ſunt illi filii, & reddidit Epiſcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere : ſed jure fori, non jure cæli. Sanè etiam hoc noverit caritas veſtra, dixiſſe me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat, aut eroget, aut donet, aut commune illud faciat. Eccleſiam habet, per quam nos Deus paſcit. Et dedi dilationem uſque ad Epiphaniam propter eos, qui vel cum fratribus ſuis non diviſerunt, & dimiſerunt, quod habent, apud fratres ſuos : vel nondum de re ſuâ aliquid egerunt, quia expectabatur ætas legitima. Faciant inde, quod volunt, dum tamen ſint pauperes mecum, ſimul expectemus miſericordiam Dei. Si autem nolunt, qui fortè nolunt, certè ego ſum, qui ſtatueram, ſicut nôſtis, nullum ordinare Clericum, niſi, qui mecum vellet manere : ut ſi vellet diſcedere à propoſito, rectè illi tollerem Clericatum, quia deſereret ſanctæ ſocietatis promiſſum, cœptúmque conſortium. Ecce in conſpectu Dei & veſtro muto conſilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus & Eccleſia ejus, maneant, ubi volunt, & ubi poſſunt ; non eis aufero Clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum eſt, quis neſciat? Malum eſt, cadere à propoſito : ſed pejus eſt, ſimulare propoſitum. Ecce, dico, audite : qui ſocietatem communis vitæ jam ſuſceptam, quæ laudatur in Apoſtolorum Actibus (*l*) deſerit, à voto ſuo cadit, à profeſſione ſanctâ decidit. Obſervet judicem, ſed Deum, non me : ego ei non aufero Clericatum. Quantum ſit periculum, ante oculos ejus poſui, faciat, quod vult. Novi enim, quia ſi aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt ſuffragatores, & hìc, & apud Epiſcopos, qui dicant : quid mali fecit ? Non poteſt tecum tolerare vitam iſtam : extra Epiſcopium vult manere, de proprio vivere : ideóne debet perdere Clericatum? Ego ſcio, quantum mali ſit, profiteri ſanctum aliquid, nec implere. *Vovete*, (*m*) inquit, *& reddite Domino Deo veſtro.* Et : *Melius* (*n*) *eſt non vovere, quàm vovere, & non reddere.* Virgo eſt, etſi nunquam fuerit in monaſterio, & virgo ſacra eſt ; nubere illi non licet, eſſe in monaſterio, non compellitur. Si autem cœpit eſſe in monaſterio, & deſeruit, & tamen virgo eſt, dimidia ruit. Sic & Clericus duas res profeſſus eſt, & Sanctitatem & Clericatum ; interiùs Sanctitatem. Nam Clericatum propter populum ſuum Deus impoſuit cervicibus ipſius. Magis onus eſt, quàm honor. Sed quis ſapiens, & intelligit hæc ? Ergo profeſſus eſt Sanctitatem, profeſſus eſt communiter vivendi ſocietatem ; profeſſus eſt, quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Si ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimi-

(*l*) Cap. 2. & 4. (*m*) Pſal. 75. 12. [*n*] Eccl. 5. 4.

dimidius & ipse cecidit. Quid ad me? non eum judico. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit. Si intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo habeat necessitatem simulandi. Scio, quomodo homines ament Clericatum. Nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere: habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem. Sed videat, utrum habere possit felicitatis æternitatem. Sufficiant hæc nunc interim caritati vestræ: quod egero cum fratribus meis, annuntiabo vobis. Spero enim bona, quod omnes mihi libenter obediant, nec inventurus sum aliquos habere aliquid, nisi aliquâ necessitate religionis, non occasione cupiditatis. Quod ergo egero post Epiphaniam, caritati vestræ in Domini voluntate nuntiabo. Et quomodo litem finiero inter duos fratres, filios Presbyteri Januarii, non vobis tacebo. Multa locutus sum, date veniam loquaci senectuti, sed timidæ infirmitati. Ego sicut videtis, per ætatem modò senui: sed per infirmitatem corporis olim senex fui. Tamen, si Deo placet, quod dixi, modò ipse det vires, non vos desero. Orate pro me, ut quantum inest anima in hoc corpore, & qualescumque vires suppetunt, in verbo Dei serviam vobis. Amen.

CXIII. Sermo II. *De vitâ & moribus Clericorum.* Augustini.

Caritati vestræ de nobisipsis hodie sermo reddendus est. Quod enim ait Apostolus: *Spectaculum* (o) *facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Qui nos amant, quærunt, quod laudent in nobis: qui autem nos oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in utroque medio constituti adjuvante Domino Deo nostro, & vitam nostram, & famam nostram sic custodire debemus, ut non erubescant de detrectatoribus laudatores. Quomodo autem vivere velimus, quomodo Deo propitio jam vivamus, quamvis de Scripturâ Sanctâ multi noveritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis, ubi descripta sit forma, quam desideramus implere. Dum ergo recitatur, vos intentissimos esse volo, ut post ejus recitationem, quod constitui loquar, Domino donante, intentioni vestræ. Cúmque Diaconus Lazarus legeret: *Cum* (p) *orâssent, motus est locus, in quo erant congregati, & impleti sunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur Verbum Dei cum fiduciâ omni volenti. Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum: & nemo eorum, quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Et virtute magnâ reddebant testimonium Apostoli resurrectionis Domini JESU, gratiáque magna erat super omnes illos. Neque enim egens quisquam fuit inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia illorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Distribuebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Cùm Lazarus Diaconus recitaret, & Episcopo codicem tradidisset, Augustinus Episcopus dixit: Et ego legere volo: plus enim me delectat hujus verbi esse lectorem, quàm verbi mei disputatorem. Cùm orâssent, motus est locus, in quo erant congregati, & impleti omnes Spiritu Sancto, loquebantur Verbum Dei cum fiduciâ omni volenti. Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum. Et nemo eorum, quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant ill's omnia communia. Et virtute magnâ reddebant testimonium Apostoli resurrectionis Domini JEsu, gratiáque magna erat super omnes illos. Neque enim egens quisquam fuit inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum, vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Distribuebantur autem singulis, prout cuique opus erat. Cúmque Episcopus legisset, dixit: Audistis, quid velimus, orate, ut possimus. Contigit autem quædam necessitas, ut hæc diligentiùs agerem. Quoniam sicut jam nôstis, Presbyter in nostrâ societate constitutus, quali societati perhibet testimonium lectio, quam modò, cùm recitaremus, audistis; moriens testamentum fecit, quia habuit, unde faceret. Erat, quod diceret suum, cùm in eâ societate viveret, ubi nemini licebat dicere aliquid suum, sed

(o) 1. Cor. 4. 9.

(p) Act. 4. 31.

sed esse illis omnia communia. Si quis dilector & laudator noster apud detractorem nostrum prædicaret istam societatem, & diceret, cum Episcopo Augustino sic vivunt omnes cohabitatores ejus, quomodo scriptum est in Actibus Apostolorum, continuò ille detractor caput movens, dentem promovens, diceret: ità verò, sic ibi vivitur, quomodo dicis? Quare mentiris? Quare falsâ laude honoras indignos? Nonne ibi modò in eorum societate positus Presbyter testamentum fecit, & quod habuit, quomodo voluit, disposuit, & reliquit? Certè omnia ibi sunt communia! Certè nemo dicit aliquid suum! Sub his verbis, quid ageret laudator meus? Nónne os ejus quasi plumbo oppillaret ille detractor? Nónne illum laudâsse pœniteret? Nónne reverentiâ perfusus, & illius sermone confusus, vel nobis, vel testatori illi malediceret? Hæc fuit necessitas, ut ad illam diligentiam veniremus. Nuntio ergo vobis, unde gaudeatis. Omnes Fratres & Clericos meos, qui mecum habitant, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Patricium nepotem meum, tales inveni, quales desideravi. Sed sunt, qui de suâ qualicunque paupertate, quod statuerant, nondum fecerunt. Hi sunt Valens Subdiaconus, & paulò ante dictus nepos meus Subdiaconus. Et matris vita impediebat, quia indè vivebat. Exspectabatur in illo etiam legitimæ ætatis accessus, ut, quod faceret, firmissimè faceret. Nondum autem fecit, quia ipsos agellos habet cum suo fratre communes, & subindivisos eos possident. Sic autem eos cupit Ecclesiæ conferre, ut inde alantur, qui sunt in proposito sanctitatis, quousque in hac vitâ degunt. Scriptum est enim, & hoc Apostolus loquitur: *Quisquis* (q) *autem suis, & maximè domesticis, non providet, fidem denegat, & est infideli deterior.* Adhuc autem sunt ei mancipia similiter cum fratre communia, nondum divisa. Disponit ea manumittere: non potest, antequam dividantur: quid enim ad se pertineat, adhuc ignorat. Ad ipsum sanè, quia major est, pertinet divisio, & ad fratrem ejus electio, & ipse frater ejus Deo servit, & Subdiaconus est cum Sancto Fratre meo, & Coepiscopo Severo in Ecclesiâ Milevitana. Hoc agitur, hoc sinè dilatione peragendum est, ut illi servuli dividantur, & manumittantur, & sic det Ecclesiæ, ut eorum excipiat alimentum. Nepos autem meus, ex quo conversus est, & mecum esse cœpit, impediebatur & ipse aliquid de agellulis suis agere invitâ usufructuariâ matre sua, quæ hoc anno defuncta est. Inter ipsum & sorores ejus sunt quædam, in Christi adjutorio citò finienda, ut & ipse faciat, quod Dei servum decet, & quod ipsa professio, & ista exigit lectio. Diaconus Faustinus (sicut penè omnes nôstis) hic de militiâ sæculi ad monasterium conversus est. Hic baptizatus, inde Diaconus ordinatur. Sed quia exiguum est, quod videtur possidere, sicut juris periti loquuntur, jure, non corpore, reliquerat illud, & ab ejus fratribus tenebatur. Nunquam inde cogitavit, ex quo conversus est, nec ipse aliquid quæsivit à fratribus suis, nec ab illo aliquid est quæsitum. Modò quia ventum est ad hunc articulum temporis, cum consilio meo divisit ipsam rem: & dimidiam donavit fratribus suis, dimidiam Ecclesiæ pauperi, in loco eodem constitutæ. Diaconus Severus, sub quâ Dei disciplinâ & flagello sit, nôstis: lumen tamen non perdidit mentis. Unam domum hic emerat propter matrem & sororem suam, quas de suâ patriâ huc desiderabat adducere, emerat autem non suâ pecuniâ, quam non habebat, sed ex consolatione religiosorum virorum, quos mihi quærenti etiam nominans indicavit. De ipsâ non possum dicere, quid fecerit, aut quid disponet, nisi, quia ipse totum in meâ posuit voluntate, ut quidquid ipse vellem, hoc inde fieret. Sed habet quasdam causas cum matre suâ, quarum causarum me judicem poscit: ut cum illæ causæ fuerint terminatæ, fiat de ipsâ domo, quod ego voluero. Quid autem velle potero, Deo regente, nisi, quod justitia jubet & pietas postulat? Habet etiam in Patriâ suâ aliquos agellos: disponit eos sic distribuere, ut etiam illic in ipso loco positæ pauperi largiatur Ecclesiæ. Diaconus Hipponensis homo pauper est, quid alicui conferat, non habet: tamen de laboribus suis, antequam esset Clericus, emerat aliquos servulos, hodie illos in conspectu vestro manumissurus est Episcopalibus gestis. Diaconus Eradius ante vestros

(q) 1. Tim. 5. 8.

vestros oculos versatur : opera ejus lucent coram oculis nostris : De opere ejus & expensa pecunia memoriam Sancti Martyris habemus. De pecuniâ suâ emit etiam possessionem ex consilio meo. Nam ipsam pecuniam volebat per manus meas erogari, sicuti mihi placeret. Ego, si pecuniæ avidus essem, aut necessitates ipsas meas, quas pro pauperibus habeo, in hac caussâ plus curarem, pecuniam acciperem. Quare ? dicit aliquis. Quia possessio illa, quæ ab illo empta, & Ecclesiæ donata est, adhuc nihil præstat Ecclesiæ. Minus enim habebat ad pretium. Et quia mutuatus fuerat, hoc de ejus adhuc fructibus redditur. Homo sum senex: quantus mihi de illâ possessione potest fructus accedere ? Numquid promitto mihi tot annos esse victurum, donec suum pretium illa persolvat? Quod ergo vix diu partibus reddit, de proximo haberem totum, si accipere voluissem. Non feci, aliud attendi. Fateor enim vobis, & ipsa suspecta mihi adhuc ætas fuit : ac verebar, ne fortè, ut sunt homines, matri ejus hoc displiceret, & diceret, inductum à me fuisse adolescentem, ut bona ejus paterna consumerem, & eum egentem relinquerem. Ideo volui ejus pecuniam, in illâ possessione servari, ut si aliquid (quod Deus avertat) aliter, quàm volumus, evenisset, redderetur villa, ne culparetur Episcopi fama. Scio enim, quantum vobis sit necessaria fama mea. Nam mihi sufficit conscientia mea. Emit etiam spatium ab ista postea Ecclesiâ, notum vobis: & suâ pecunia ædificavit domum, & hoc nôstis. Ante paucos dies, priusquam sermonem de hac re haberem vobiscum, eam donavit Ecclesiæ. Expectabat enim, ut eam perficeret, & perfectam donaret. Fabricandi autem domum necessitas illi nulla erat, nisi quia cogitavit matrem suam huc esse venturam. Si antè venisset in re filii sui habitaret : modò si venerit, in opere filii sui habitabit. Testimonium ei perhibeo : pauper remansit, sed in caritatis possessione permansit. Aliqui servuli ei reliqui fuerant, jam quidem in Monasterio viventes, quos tamen Gestis Ecclesiasticis manumissurus est hodie. Nemo ergo dicat, dives est, nemo existimet, nemo malè loquatur, nemo se ipsum & animam suam dentibus laniet. Pecuniam nullam habet servatam, unam, quam debet, restituat. Cæteri, id est, Subdiacones pauperes sunt, Deo propitio, misericordiam Dei expectant. Unde ipsi faciant, non habent : nullas habentes facultates, finierunt mundi cupiditates. Vivunt nobiscum in societate communi. Nemo eos distinguit ab eis, qui aliquid attulerunt. Caritatis unitas præponenda est terrenæ commodo hæreditatis. Restant Presbyteri. Sic enim ad eos gradatim ascendere volui. Citò dixerim, pauperes Dei sunt, nihil ad domum societatis nostræ attulerunt, nisi ipsam, quâ nihil est carius, caritatem. Verumtamen quoniam scio, natos fuisse rumores de divitiis ipsorum, non à me ad aliquid compellendi, sed vobis meo sermone purgandi sunt. Vobis dixi, qui fortè nescitis. Nam vestrûm plurimi sciunt. Presbyterum Leporium, quamvis sæculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem, cunctis, quæ habebat, relictis, inopem suscepi. Non, quia nihil habuit, sed quia jam fecerat, quod lectio ista persuadet. Hic non fecit, sed nos scimus, & ubi fecit. Unitas Christi est, Ecclesia una est. Ubicunque fecit opus bonum, pertinet & ad nos, si congaudeamus. Hortus est unus, ubi nôstis. Ibi Monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo serviunt. Ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum. Et ad quem? dixerit aliquis: Ad illud, quod ibi est, Monasterium. Sed, quod verum est, usque ad hoc tempus curam pro illis ità gerebat, ut sumptriculos, quibus sustentantur, apud se haberet, & eis ipse, ut videbatur, impenderet. Sed ne propter hoc daretur locus hominibus suspiciones suas rodentibus, & ventrem non implentibus, hoc placuit & mihi, & ipsi, ut sic se illi transigant, quasi iste jam de sæculo exiêrit. Numquid enim, cùm obierit ipse, illis dispensaturus est aliquid ? Melius est, ut videat illos bene versantes, & regente Deo, in disciplinâ Christi viventes, ut de illis tantummodò gaugaudeat, non eorum necessitatibus occupetur. Pecuniam non habet, quam suam dicere possit. Habebat Xenodochium ædificandum, quod modò videtis ædificatum. Ego illi injunxi, ego jussi: obtem-

obtemperavit mihi libentissimè, & sicut videtis, operatus est. Quomodo etiam meo jussu Basilicam ad octo martyres fabricavit, de his, quæ per vos Deus donavit. Cœpit enim de pecuniâ, quæ data erat Ecclesiæ propter Xenodochium. Et, cùm cœpisset ædificare, ut sunt religiosi desiderantes opera sua in Cœlo scribi, adjuverunt, prout quisque voluit, & fabricavit. Opus ante oculos habemus. Omnis homo, quid factum sit, videt. De pecuniâ, quia non habet, mihi credant. Dentem compescant, ne frangant. Emerat de ipsâ pecuniâ Zenodochii quandam domum in carraria, quam sibi existimabat propter lapides profuturam. Sed lapides ejus domûs, fabricæ necessarii non fuerunt, quoniam aliunde provisi sunt. Domus ergo ipsa sic remansit. Pensionem præstat, sed Ecclesiæ, non presbytero. Nemo ampliùs dicat, in domum Presbyteri, ad domum Presbyteri, ante domum Presbyteri. Ecce ubi est domus Presbyteri: ubi est domus mea, ibi Presbyteri. Alibi non habet domum, sed ubicunque habet Deum. Quid ampliùs quæritis, nisi quia me illud memini etiam promisisse, ut ad vos perferrem, quid egissem inter duos, fratrem videlicet & sororem, filios Januarii Presbyteri, quia orta inter illos fuerat controversia pecuniaria :. sed tamen sicut inter fratres, salvâ, Deo propitio, caritate. Promiseram ergo audire, ut inter illos, quidquid esset judicandum, finirem. Paraveram me judicem, sed antequam judicarem, ipsi, quod judicaturus eram, finiêrunt. Non inveni, unde judicarem, sed unde lætarer. Acquieverunt omnino concorditer voluntati meæ, & consilio meo, ut pares essent in pecuniâ, quam reliquit Pater eorum, Ecclesiâ renunciante, post sermonem meum. Locuturi sunt homines. Sed & quodlibet homines loquantur, qualicúnque aurâ flante perducetur inde aliquid ad aures meas : & si tale fuerit, ut sit iterum necesse nos purgare, respondebo maledicis; respondebo detractoribus, respondebo incredulis, non nobis credentibus præpositis suis. Respondebo, ut potero, quod Dominus dederit. Interim modò non est necesse, quia nihil fortè dicturi sunt. Qui nos amant, liberè gaudebunt : qui nos oderunt, tacitè dolebunt : tamen si linguas exercuerint, audient Deo propitio vobiscum responsionem meam, non litem meam. Non enim homines nominaturus sum, & dicturus, ille hoc dixit, ille sic detraxit : cum fortasse etiam ad me falsa, quia & hoc potest fieri, perferantur. Veruntamen quæcunque perlata fuerint, si oportere videbitur, loquar inde caritati vestræ. Ante oculos vestros volo sit vita nostra. Scio, quia quærentes licentiam malè faciendi, quærunt sibi exempla malè viventium, & multos infamant, ut socios invenisse videantur. Ideo, quod nostrum est, fecimus, plus quid faciamus, non habemus. Ante vestros oculos sumus, nullius aliquid desideramus, nisi bona opera vestra. Et vos exhortor Fratres mei, si aliquid vultis Clericis dare, sciatis, quia non debetis vitia eorum fovere contra me. Omnes offerte, quod vultis, offerte de voluntate vestrâ. Quod commune erit, distribuetur unicuique, prout cuique opus erit. Gazophylacium attendite, & omnes habebimus. Valde me delectat, si ipsum fuerit præsepe nostrum, ut nos simus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det birrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune. De communi accipiam mihi ipsi, cùm sciam commune me velle habere, quidquid habeo. Nolo talia offerat sanctitas vestra, quibus ego solus, quasi decentiùs utar. Offeratur mihi verbi gratiâ birrum pretiosum. Fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum. Modò dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo Patris mei, vel in illâ sæculari professione meâ. Non decet. Talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare, qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter Diaconus, & Subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod & facere soleo, ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis sit commune, vendo & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam, talem det, de quâ non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosâ veste erubesco : quia non decet hanc professionem

nem, non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Etiam illud dico, si fortè in nostrâ domo, in nostrâ societate æger est aliquis, vel post ægritudinem, ut necesse sit eum ante horam prandii reficere, non prohibeo religiosos, vel religiosas mittere eis, quod videtur, ut mittant. Prandium tamen & cœnam extra nemo habebit. Ecce dico, auditis? Audiunt. Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra ista præcepta nostra facere, parùm est, ut dicam, non mecum manebit, sed nec Clericus erit. Dixeram enim, & scio me dixisse, ut si nollent suscipere socialem vitam mecum, non illis tollerem Clericatum: sed seorsùm manerent, & seorsùm viverent, quomodo nôssent, Deo viverent, & tamen ante oculos posui, quantùm mali sit à proposito cadere. Malui enim habere cæcos, vel claudos, quàm plangere mortuos. Qui enim Hypocrita est, mortuus est. Quomodò ergo, quicúmque voluisset, extrà manere, & de suo vivere, & ei tollerem Clericatum: ità modò, quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis cum Hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat Testamentum, sed delebo eum de tabulâ Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me, quò voluerit, sit certè ubi potuerit. Adjuvabit me Dominus, ut ubi ego Episcopus sum, ille Clericus esse non possit. Audistis? Audierunt. Sed spero in Deum nostrum & misericordiam ejus, quia, sicut dispositionem meam istam hilariter acceperunt, sic eam purè fideliterque servabunt. Dixi aliquid suum non habere Presbyteros cohabitatores meos, inter quos est & Presbyter Barnabas. Sed & de illo audivi quædam fuisse jactata. Ante omnia, quia emit villam à dilecto & honorabili filio meo Eleusino, Hoc falsum est. Monasterio donavit ille, non vendidit. Ego sum testis. Quid ampliùs quæratis ignoro. Ego sum testis. Donavit ille, non vendidit. Sed dum non creditur donare potuisse, creditus est vendidisse. Beatus homo, qui tam bonum opus fecit, ut non crederetur. Tamen vel modò credite, vel detractores audire libenter desinite. Jam dixi, ego sum testis. Dictum est de illo, quòd anno præpositurae suæ per industriam debita fecerit, ut dum volo ego reddi debita, darem illi licentiam poscendi fundum Victorianensem, tanquam dixisset mihi, ut reddam debita mea, da mihi in decem annos fundum Victorianensem. Et hoc falsum est: sed fuit, unde rumor nasceretur. Fecit debita reddenda, à nobis reddita sunt partim, unde potuerunt. Remansit aliquid, quod non debebatur etiam Monasterio illi, quod per ipsum Deus instituit. Cùm ergo remansisset, cæpimus quærere, unde debitum redderemus. Ad conductionem ipsius fundi nullus accessit, nisi quadraginta solidorum offerens pensionem. Sed vidimus fundum ampliùs posse dare, ut celeriùs debitum redderetur. Et commisi fidei ejus, ut de ipsâ conductione lucra non requirerent fratres: sed quidquid daret fundus, de ipsis fructibus imputarent ad debitum. Fide agitur. Paratus est Presbyter, ut alium constituam, qui de fructibus fratribus reddat. Ex numero vestro sit aliquis, cui hoc committam, ex numero ipsorum, qui ad nos talia pertulerunt. Sunt enim in vobis homines religiosi, si qui eum rumorem falsò reprehensum esse doluerunt, & tamen crediderunt factum. Ex ipsis ergo aliquis veniat ad nos, suscipiat possessionem. Omnes fructus pretiis suis fideliter vendat, ut reddi possit faciliùs, quod debetur, & hodie recedat inde cura Presbyteri. Locus etiam ipse, ubi Monasterium constitutum est, à memorato honorabili filio meo Eleusino, ipsi presbytero Barnabæ donatus est. Antequam ordinaretur Presbyter, in ipso loco Monasterium instituit. Sed tamen, quia nomine ipsius donatus erat locus, mutavit instrumenta, ut nomine Monasterii possideatur. De fundo Victorianensi, ego rogo, ego peto, ut si quis religiosus est, fide agat, & exhibeat Ecclesiæ istam operam, ut citò debitum reddam. Quod si nemo de Laicis fuerit inventus, ego præpono alium, iste illuc non accedet. Quid vultis ampliùs? Nemo laceret servos Dei, quia non expedit lacerantibus. Servis Dei quidem merces falsis detractionibus crescit, sed crescit etiam pœna detrahentibus. Non sinè causâ dictum est, *Gaudete* (r) *& exultate*, quando detrahunt de vobis dicen-

(r) Matth. 5. 12.

centes falsa: *Quia merces vestra magna est in Cælis.* Nolumus cum detrimento vestro magnam habere mercedem. Minus ibi habeamus, & tamen vobiscum ibi regnemus. Amen.

EXPLICIT.

Quia ergo constat, Sanctam Ecclesiam prædictorum Patrum exempla sequi debere, quorum noscitur documentis post Apostolica instituta ubertim coruscare: debent non solùm prælati imitando, verùm etiam subditi obsequendo usquequaque studere, qualiter eorum exemplis & doctrinis parentes, ad felicitatis gaudia, quò illi præcesserunt, valeant pervenire. Quoniam sicut hi, qui eorum doctrinis & exemplis summâ devotione obediunt, æternis gaudiis inferuntur: ità nimirum ea sectari nolentes, æternis suppliciis mancipantur. Memoratas itaque sanctorum Patrum sententias, quibus Clericalis ordo ad bene vivendum instruitur, sedulè perlegat, & diligenter pertractet, quisquis Canonicam professus est vitam. Quas, cùm bene perscrutatus fuerit, patenter inveniet, quod illi non enervatè, sed religiosè vivendum sit.

CXIV. *Quæ præcepta specialiter Monachis, quæ generaliter cæteris conveniant Christianis.*

Propter quorundam Simplicium verba, qui religiosis, & eruditis viris se se admonentibus ac redarguentibus plerumque objicere solent, solos Monachos Scripturarum Sanctarum præcepta observare debere; operæ pretium duximus, quædam Evangelica, atque Apostolica quàm brevissimè ad medium deducere præcepta, ut hæc hujuscemodi imperiti homines audientes, hisque aurem cordis accommodantes, intelligant, quæ sibi, quæ Monachis conveniant, observare præcepta. Qui enim mente & corpore vult contemnere sæculum, & pauperem sequi Christum, audiat ipsum dicentem in Evangelio: *Si vis* (s) *perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me.* Et iterum: *Omnis,* (t) *qui reliquerit domum, aut fratres, aut Patrem, aut Matrem, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ad discipulos autem: *Vos,* inquit, *qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Hæc & hujuscemodi præcepta solis specialiter congruunt Monachis: & quanto singularia, tanto & præcipua. Dicit etiam idem Salvator generaliter omnibus: *Omnis,* (u) *qui venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et iterum: *Qui* (w) *amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Et: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et iterum: *Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et iterum: *Omnia,* (x) *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et iterum: *Attendite,* (y) *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum.* Item: *Thesaurizate* (z) *vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.* Item: *Attendite* (a) *vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Item: *Dico* (b) *autem vobis, nolite resistere malo.* Et: *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Item: *Omnis,* (c) *qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit racha, reus erit Concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Item: *Nolite* (d) *jurare, neque per cælum, neque per terram. Sit autem sermo vester: est, est, non, non.* Item: *Omne* (e) *verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* Item: *Si quis te percusserit in dextera maxilla, præbe illi, & alteram.* Item: *Estote* (f) *misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Item: *Si peccaverit* (g) *in te frater tuus, dimitte ei septies: & non solùm septies, sed usque septuagies septies.* Item: *Si non remiseritis hominibus de cordibus vestris, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Item: *Quærite* (h) *primùm Regnum Dei,* &

(s) Matth. 19. 21.
(t) Ibid. 29.
(u) Luc. 14.
(w) Matth. 10. 37.
(x) Matth. 7. 12.
(y) Matth. 6. 1.
(z) Matth. 6. 20.
(a) Luc. 21. 34.
(b) Matth. 5. 39. & 44.
(c) Ibid. 22.
(d) Ibid. 34.
(e) Matth. 12. 36.
(f) Luc. 6. 36.
(g) Matth. 18. 22. & 35.
(h) Matth. 6. 33.

& justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Et cuidam diviti: *Si,* (i) inquit, *vis ad vitam ingredi, serva mandata,* id est, *non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, honora Patrem tuum, & Matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et cuidam legis Doctori, se interroganti, quod esset mandatum magnum in lege, ait: *Diliges* (k) *Dominum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ: hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ.* Paulus quoque Apostolus dicit: *Qui* (l) *diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Idem item: *Patientes* (m) *estote ad omnes; videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper, quod bonum est, sectamini invicem, & in omnes. Hæc enim est voluntas Dei. Omnia autem probate, quod bonum est, tenete. Ab omni specie malâ abstinete vos.* Item idem: *Mortificate* (n) *membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam.* Item idem: *Nunc autem deponite & vos iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, & turpis sermo de ore vestro non procedat.* Item idem: *Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem.* Item idem: *Nolite mentiri invicem.* Item idem: *Si consurrexistis* (o) *cum Christo, quæ sursùm sunt, quærite:* Item idem: *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Item idem: *Omnis* (p) *amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.* Item idem: *Fornicatio,* (q) *& omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Item idem: *An nescitis,* (r) *quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, Deus non irridetur: quia neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, Regnum Dei possidebunt.* Item idem: *Omnis* (s) *fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei.* Item idem: *Imitatores* (t) *mei estote, sicut & ego Christi.* Item idem: *Pacem* (u) *sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum.* Item idem ad Timotheum: *Discedat,* (w) inquit, *omnis ab iniquitate, qui nominat nomen Domini.* Apostolus quoque Joannes ait: *Nolite* (x) *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: quia, si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Item idem: *Qui dicit,* (y) *se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Item ipse: *Omnis,* (z) *qui odit fratrem suum, homicida est: & omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Jacobus autem Apostolus ait: *Quicunque* (a) *voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Multa quidem & innumera legalia, Prophetica & Evangelica, atque Apostolica poterant proferri documenta, quibus infatigabiliter, atque inexcusabiliter devotio famulari debet Christiana: sed propter eos, quos supra memoravimus, hæc pauca breviter adnumerare studuimus, qui insipienter asserunt, solos Monachos arctam sectari debere viam, cùm utique Dominus arctam & angustam viam dicat esse, quæ ducit ad vitam, & nemo, nisì per eam in vitam ingredi possit æternam. Non solùm igitur Monachis & Clericis, verùm etiam omnibus, qui Christiano censentur vocabulo per hanc arctam & angustam intrandum est viam. Quid ergo arctius, quàm id, quod præcipitur: *Diligite* (b) *inimicos vestros, &, nolite resistere malo: &, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: &, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo;* & cætera talia? Hæc quippe arta sunt, sed saluberrima: & quantò artiora, tantò potiora & eminentiora. Oportet itaque omnes

(i) Matth. 19. 17.
(k) Matth. 22. 37.
(l) Rom. 13. 8. 9.
(m) 1. Thess. 5. 14.
(n) Coloss. 3. 5.
(o) Ephes. 4. 32.
(p) Ibid. 31.
(q) Ephes. 5. 3.
(r) 1. Cor. 6. 9.
(s) Ephes. 5. 5.
(t) 1. Cor. 4. 6.
(u) Hebr. 12. 14.
(w) 2. Tim. 2. 19.
(x) 1. Joan. 2. 15.
(y) Ibid. 6.
(z) 1. Joan. 3. 15.
(a) Jac. 4. 4.
(b) Matth. 5.

omnes, *qui* (c) juxta Apostolum, *in Christo baptizati sumus*, *Christúmque induimus*, *in novitate vitæ ambulare*, sempérque ante oculos ponere pactum, quod cum Deo in Baptismate fecimus, ubi abrenuntiavimus Satanæ, & omnibus pompis ejus, & omnibus operibus ejus. Quod pactum tunc irritum fit, cùm in fide quis permanendo, vitiis, aut à fide exorbitando, idolorum cultibus, aut hæresum erroribus implicatur. Quia ergo, sicut scriptum est: *Corpus*, (d) *quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, & fragilitas humana post Baptismi gratiam peccatorum sordidatur illecebris, eadémque peccata Baptismatis iteratione nequaquam deleri possunt: necesse est, ut pœnitentiæ lamentis, & Eleemosynarum largitionibus, & cæteris bonorum operum executionibus, quàm celerrimè deleri procurentur. Et quia unus est Pater noster, & Magister, & Dominus, una Fides, unum Baptisma, una Mater Sancta Ecclesia; instanter & vigilanter ab omnibus certandum est, quanquam diversorum donorum modis curratur, qualiter unà ad sanctam & supernam Hierusalem matrem nostram tendamus, quo sinè fine cum Domino vivere mereamur. Illud quoque sciendum, quia quantò quisque se in præsenti sæculo pro Christi amore abjectiorem fecerit, tantò magìs in futuro feliciorem remunerationem percipiet.

CXV. *Quòd Canonica institutio, Evangelicâ, & Apostolicâ authoritate fulta, cæteris supereminéat institutionibus.*

Quia evidenti authoritate liquet, Canonicam institutionem cæteris præstare institutionibus, debent, necesse est, qui hujus professionis censentur nomine, procurare, qualiter in semetipsis eandem institutionem vitâ & moribus exornent potiùs, quàm dehonestent. Quoniam, qui tantæ authoritatis institutione pollent, & se aliis imitabiles præbere debent, verendum est, ne, si, quod absit, à proposito exorbitaverint, Regno Dei indigni fiant. Quanquam enim Canonicis, quia in Sacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat (*) linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, proprias res & Ecclesiæ cum humilitate, & justitiâ habere, quod Monachis, qui secundùm regularem institutionem, arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est: non tamen in cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus, eorum à Monachorum distare debet vita. Monachi námque, qui Evangelicum præceptum sequentes, distractis, atque renuntiatis Patrimoniis, sua Christo dedêre, meritò de facultatibus Ecclesiæ subsidium accipiunt temporale: ut quia toto mentis desiderio cælestia appetunt, sic in hac peregrinationis viâ sumptibus Dominicis sustententur, quatenus ad ea, quæ contempserunt, minimè redire qualibet necessitatis causâ compellantur. Et quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est, illos copiosioribus Ecclesiæ sumptibus, quàm Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licitè utuntur rebus, indigere. *Unusquisque* (e) enim, ùt ait Apostolus, *proprium donum habet à Deo.*

CXVI. *Quid sint res Ecclesiæ.*

Res Ecclesiæ, sicut à Sanctis Patribus traditur, & in superioribus Capitulis continetur, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore & Christi amore succensi ob animarum suarum remedium, & cælestis patriæ desiderium suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur: pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti curâ providendum est his, qui ejus facultates administrant, ne eas in suos solummodò usus convertant, sed magis juxta possibilitatem rerum, Christo famulantium, immò eorum, in quibus Christus pascitur, & vestitur, curam gerere, penitus non negligant. Sed & sententia Beati Hieronymi non solùm Prælatis, sed etiam cæteris, qui rebus utuntur Ecclesiæ, vigilanter perpendenda est, qui ità in commentario Matthæi Evangelistæ ait: " Omnes igitur, qui stipe templi, & his, " quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, ab- " utuntur in aliis rebus, quibus suam ex-

[c] Rom. 6. (d) Sap. 9. 15.
(*) Observa discrimen inter Monachos & Canonicos Sæculi IX.
(e) 1. Cor. 7. 7.

" expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & Sacerdotum, redimentium " mendacium, & Salvatoris sanguinem. Ergo res Ecclesiæ pauperibus & militibus Christi stipendiariæ debent intelligi. Unde totis nisibus Prælatis satagendum est, ut Sanctorum Patrum dictis, & exemplis obsequentes, de rebus sibi commissis, ut præmissum est, & subditos gubernent, & pauperes foveant, cunctisque utilitatibus, ac necessitatibus Ecclesiæ fideliter administrando consulant, quatenus de fideli administratione ab ipso, cujus ministri esse noscuntur, ineffabiliter remunerari mereantur.

CXVII. *Quòd diligenter munienda sint Claustra Canonicorum.*

Præpositorum officii est, ut subditorum mentes Sanctarum Scripturarum Lectionibus assiduè muniant, ne lupus invisibilis aditum inveniat, quo ovile Domini ingredi, & aliquam ovium surripere valeat. Et quanquam ab his hoc instantissimè spiritaliter fieri oporteat; necesse est tamen, ut claustra, in quibus Clero sibi commisso canonicè vivendum est, firmis undique circumdent munitionibus, ut nulli omnino intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus. Sint etiam interiùs dormitoria, refectoria, cellaria, & cæteræ habitationes, usibus fratrum in unâ societate viventium necessariæ. Qui verò hæc, quæ præmissa sunt, juxta quod possibilitas suppetit, agere renuerit, impar, minúsque idoneus ad cætera Ecclesiastica officia peragenda habendus est. Et quanquam divinâ ultione sit dignus, synodali tamen est sententiâ feriendus.

CXVIII. *Ut in congregandis Canonicis modus discretionis sit tenendus.*

Cavendum summopere Præpositis Ecclesiarum est, ut in Ecclesiis sibi commissis non plures admittant Clericos, quàm ratio sinit, & facultas Ecclesiæ suppetit: ne si indiscretè & extraordinariè plures aggregaverint; nec ipsos gubernare, nec cæteris Ecclesiæ necessitatibus, ut oportet, valeant adminiculari. Sunt namque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui numerosam Cleri congregationem volunt habere, cui nec animæ, nec corporis curant solatia exhibere. Hi namque taliter aggregati, dum à Prælatis stipendia necessaria non accipiunt, neque Canonicum servant ordinem, nec divinis officiis insistunt: claustra, societatémque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi & lascivi, gulæ & ebrietati, & cæteris suis voluptatibus dediti. Quidquid sibi libitum est, licitum faciunt. Proinde Præpositis solerter providendum est, ut in hoc negotio modum discretionis teneant. Scilicet, ut nec plus, quàm oportet, & possibilitas Ecclesiæ suppetit, in congregationem admittant: nec eos, quos rationabiliter gubernare possunt, causâ avaritiæ abjiciant.

CXIX. *De his, qui in congregatione sibi commissâ solummodo ex familiâ Ecclesiæ Clericos aggregant.*

Sunt nonnulli, qui tantùm ex familiâ Ecclesiasticâ Clericos in sibi commissis congregant Ecclesiis: & hoc ideo facere videntur, ut si quando eis aliquid incommodum fecerint, aut stipendia opportuna subtraxerint, nihil querimoniæ contra se objicere præsumant; timentes scilicet, ne aut severissimis verberibus afficiantur, aut humanæ servituti denuò crudeliter addicantur. Hoc autem non ideo dicitur, ut ex familiâ Ecclesiæ probabilis vitæ in congregatione non sint admittendi, præsertim, cùm apud Deum non sit personarum acceptio: sed potiùs, ut, propter quam intulimus occasionem, nullus Prælatorum seclusis nobilibus, viles tantùm in suâ congregatione admittant personas.

CXX. *Qui Clerici, in congregatione Canonicâ constituti, Ecclesiastica accipere stipendia debeant.*

Quia Sanctorum Patrum supra notatæ sententiæ docent, Clericos non divitiarum sectatores esse, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere; non ab re putavimus, nonnulla Capitula libri Prosperi ad medium, & exempli causâ deducere, in quibus ità legitur:
" Qui (f) Ecclesiæ serviunt, & ea, quibus
" opus non habent, aut libenter acci-
" piunt, aut exigunt, nimis carnali-
" ter sapiunt." Item ibi: Satis quippe
" indignum est, si fidelis & operosa de-
" votio Clericorum propter stipendium
sæcu-

(f) De vitâ Contempl. Lib. 2. Cap. 10.

" sæculare, præmia sempiterna contemnat." Item ibi: Si propter hoc non " vult sua quisque relinquere, ut habeat, unde vivat: ut, quid accipit, " unde rationem reddat? Ut quid peccatis alienis sua multiplicat? His igitur & cæterorum Patrum dictis diligenter animadversis, studeant necesse est Clerici in accipiendis Ecclesiasticis sumptibus suum evitare periculum. Proinde, qui & suas, & Ecclesiæ habent facultates, & utilitatem Ecclesiæ, aut interiùs, aut exteriùs conferunt; accipiant in congregatione cibum & potum, & partes eleëmosynarum, & his contenti sint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur; perpendentes sententiam Prosperi, quâ dicitur: "Qui (g) " sua possident, & dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde " pauper victurus erat, non accipiunt. Hi verò, qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesiæ habent possessiones, & magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt, accipiant in canonicâ congregatione victum & vestitum, & Eleëmosynarum partes: quia de talibus ità in libro Prosperi scribitur: " Clerici, (h) quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in congregatione viventes, necessaria vitæ " accipiant: quia ad ea accipienda non " eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas. Porrò si tales fuerint, qui nec suas, nec Ecclesiæ velint habere possessiones, horum necessitatibus providentissimâ gubernatione de facultatibus Ecclesiæ debent subvenire Prælati, attendentes illud Prosperi: " (i) " Quod habet, inquit, Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commune habet, sed & illorum curam nihilominùs " gerere debet, quos aut infirmitas, aut " senectus aggravat, quos etiam constat " olim in utilitatibus Ecclesiæ desudâsse.

CXXI. *Ut in congregatione Canonicâ æqualiter cibus & potus accipiatur.*

Solet in plerisque Canonicorum congregationibus irrationabiliter atque indiscretè fieri, ut nonnulli Clerici, qui divitiis affluunt, & aut parum, aut nihil utilitatis Ecclesiæ conferunt, majorem cæteris divinum strenuè peragentibus officium annonam accipiant: cùm hoc ità fieri debere nusquam nec in auctoritate Scripturarum, nec in traditionibus Sanctorum Patrum possit quoquo modo sancitum reperiri. Sed quia hujuscemodi factum nullâ authoritate fulcitur, sed magìs gulæ, imò avaritiæ causâ constat esse inolitum: restat, ut falce justitiæ resecetur, & æquitatis censurâ ab iisdem locis, in quibus fit, prorsus abdicetur. Est nempe rationabile justúmque coram Deo & hominibus, ut in unâquâque Canonicâ congregatione à minimo usque ad maximum, cibum & potum omnes æqualiter accipiant, hi videlicet, qui propter aliquam utilitatem in numero Canonicorum fuerint admissi. Quanquam enim plerique subditorum à Prælatis, rebus quibuslibet aliis plùs cæteris meritò soleant honorari, in hac tamen societate, seclusâ personarum acceptione una debet cibi & potûs æqualitas esse.

CXXII. *De mensurâ cibi & potûs.*

Illud quoque congruentissimè & rationabiliter tenendum esse censuimus, ut in singulis locis, in quibus socialiter canonicè Domino militatur, panem, & pulmentum, & Eleëmosynarum partes æqualiter Canonici accipiant. Et quanquam decentissimum foret, ut similiter æquè potum acciperent, non tamen id æqualiter in omnibus locis, nec Ecclesiarum diversissimæ facultates, nec terrarum qualitates, nec eventuum sinunt fieri posse varietates. Unde necessarium duximus, ut in hoc negotio modum discretionis tenendum describeremus. Quapropter communi voto, communíque consensu Sacro Conventui statuere placuit, ut, in omnibus locis majoribus scilicet, & minoribus, accipiant singuli Canonici per singulos dies libras vini quatuor. In locis verò, ubi majores facultates sunt Ecclesiæ, verbi gratiâ, tria, aut quatuor, aut certè octo; & eò ampliùs millia mansi: si eadem regio vini ferax fuerit, accipiant per singulos dies quinque libras vini, si tamen sterilitas impedimento non fuerit temporis. Si verò vinifera plenè non fuerit, tres libras vini, & tres cervisiæ. Et si penitùs vini ferax non fuerit, accipiant libram vini, & quinque libras cerevisiæ. In mediocribus enim locis mille aut mille quingentos, vel certè duo

(g) Ibid. Cap. 11. (h) Ibid. Cap. 12. (i) Ibid. Cap. 9.

duo millia mansos habentibus, si Regio (ùt præmissum) vini ferax fuerit, quatuor libras vini: & si plenè vini ferax non fuerit, duas libras vini, & tres potûs ex diversis materiis confecti. Quod si etiam vini ferax minimè fuerit, quatuor libras memorati potûs, & libram vini accipiant. Porrò in minoribus locis, ducentos aut trecentos mansos habentibus, accipiant duas libras vini. Quòd & si eadem Regio, ùt jam dictum est, vineis caruerit, tribuantur eis tres libræ cerevisiæ, & si facultas suppetit, libra vini. Licet enim in nonnullis Provinciis copia desit vini, satagendum est tamen Prælatis, ut ex circumjacentibus viniferis Provinciis vinum habeant. Quoniam quanquam in plerisque Regionibus vineæ non sint, abundat tamen Sancta Dei Ecclesia, Domino attribuente, aliarum rerum copiis, è quibus industriâ Prælatorum ex aliis Provinciis vinum adipisci, sibique subditis juxta facultatem pocula conferre possunt. In locis igitur, ubi per modicæ sunt res Ecclesiæ, aut fortè quorundam abstractu valdè attenuatæ, pauci numero, magni tamen constituantur officio; quibus saltem præmissa minor mensura sine difficultate dari possit. Diebus verò festis, sicut moris est Ecclesiæ, juxta quod meliùs Prælati possunt, fratribus cibum, potúmque ministrent. In his itaque locis, ubi fortè nonnulli Prælati piorum Prælatorum imitantes Exemplum magis subditis dare soliti sunt, nullatenus bonum, quod faciunt, obmittant. Sed & si cui ob æternam retributionem magis subditis supererogare libuerit, hilariter, quod potuerit, tribuat. Sin autem, nullatenus mensuram prædictam absque inevitabili causâ eis subtrahat. Quando igitur tempus sterilitas vini extiterit, sicut crebrò peccatis præpedientibus solet, & Prælati, quantùm debent, dare vinum Canonicis nequiverint, id quod dederint, sic discretè & temperatè distribuant, ut omnes communiter eo utantur. Non autem id murmurantes, sed magis cum gratiarum actione, quod dari potest, accipiant, & socialiter in sancto proposito perseverent. Idcirco prospicere sibi debent Canonici, ut vinum, aut quemlibet alium potum, in Eleëmosyna sibi datum in communi recondant cellario: quatenus imminente hujuscemodi sterilitatis tempore, suis eo suffragentur communiter necessitatibus. Non tamen eis propter hoc à Prælatis potus debitus penitus subtrahatur, si est, unde detur. Qui verò & suis, & Ecclesiæ abundant rebus, instante sterilitatis tempore, eis, quos pauperes pascit Ecclesia, suis facultatibus cum caritate & humilitate, suffragari procurent, ut juxta Apostolum: *Frater* (k) *fratrem adjuvet, & ambo consolentur.* Non tamen ob id se superbiendo extollant; quia sicut in libro Prosperi legitur: " Non se debent hujuscemodi in" ani jactantiâ præferre his, quos nihil " habentes pascit ac vestit Ecclesia: " Illud interea semper caveant Prælati, ne id, quod dare debent, aut possunt, quâlibet dissimulatione, aut tenacitate subditis subtrahant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur: relictóque Ecclesiastico officio incipiant indisciplinatè vivere, & propriis voluptatibus deservire: & Prælati, qui eis necessaria largiendo, à Domino remunerari poterant, districtè & severè judicentur. Dent quippe eis pulmentum, juxta quod vires suppetunt, & loca eis congrua attribuant, in quibus nutrimina fiant, unde necessaria pulmenta habeant, exceptis his, quæ de Ecclesiæ villis, vel oblationibus fidelium accipiunt. Habeant itaque iidem Canonici hortos olerum, unde cum cæteris additamentis aliquod pulmentum quotidie in refectorio sibi vicissim ministrent. Propter diversitates namque, & inæqualitates mensurarum, quæ apud plerosque non æquè secundùm Domini legem, sed secundùm uniuscujusque Provinciæ usum habentur, mensuram cibi, & potûs ponderis ratione Canonicis dandam esse censuimus. Et hoc ideo, quia cum hujuscemodi mensuræ diversissimæ & inæquales soleant haberi, publicum tamen pondus Provinciis, civitatibus, metallisque inditum nihil diversitatis aut inæqualitatis pâti debet: quatenus sicut idem pondus æquum permanet, ità etiam eadem mensura æquè illis tribuatur. Noverint tamen generaliter omnes, libram non ampliùs, quàm duodecim unciis constare debere.

CXXIII.

(k) Rom. 15.

CXXIII. *Quod à Prælatis gemina pastio sit subditis impendenda.*

Solerter Prælatis satagendum est, ut eos, quibus præsunt, verbis, & exemplis ad bene vivendum informent: fixóque corde tenendum, ne eos, quasi proprios, sed ut Domini sui gregem tractare meminerint, juxta illud, quod Petro dicitur: *Si* (l) *diligis me, pasce oves meas.* Meas, inquit, non tuas. Et hoc ideo dicimus, quia sunt nonnulli, qui oves Christi, non amore Christi, sed suæ vel gloriæ, vel dominationis, vel quæstûs gratiâ pascunt. Sed & hoc vigilanter perpendere debent, quòd eadem pastio gregis Dominici, non uniformi, sed multimodâ est sollicitudine gerenda: scilicet, quia & terrena subsidia diligenter illis præbere, & exempla virtutis simul cum verbo prædicationis debent sollicitè impendere. Quapropter studeat unusquisque Prælatus, ut familiæ Christi annonam spiritalem, carnalémque fideliter subministret, ut effici mereatur ille Evangelicus servus, de quo dicitur: *Fidelis* (m) *servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.* Ergo sicut subditis necessaria corporis tribuunt, ità nihilo minùs studere debent, ut iidem religiosissimè ordinem Canonicum servent, & Prælatis suis ac Magistris honorem debitum humiliter impendant. Ut horis Canonicis Divinum officium devotissimè expleant. Intus forísque non solùm habitu & actu, sed etiam ipso incessu irreprehensibiles existant. Ut non otio vacent, non vaniloquiis inserviant, non detractionibus, & cæteris vitiorum illecebris incumbant: sed potiùs aut orationi, aut lectioni, aut quibuslibet Ecclesiæ, aut certè propriis utilitatibus vacent; aut etiam doctrinis sanis, & diversarum artium erudiantur disciplinis: ità videlicet, ut nullus in congregatione inutilis, aut otiosus existens, stipendia Ecclesiæ inofficiosè accipiat. Ut quotidie ad collationem veniant; ubi & hanc institutionem, & aliarum Scripturarum Sanctarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate admissi suscipiant: ubi etiam de communi profectu & utilitate Ecclesiæ pertractent. Ut omnes in dormitorio, nisi quem infirmitas, aut senectus id facere prohibuerit, dormiant. In refectorio quotidie unà reficiantur, nisi fortè quem necessitas abesse compulerit, & hoc non sinè licentiâ Magistri fiat. Illis quoque comedentibus, & silentium religiosè tenentibus continuatim legatur lectio, & ab his intentissimè audiatur. Ut vicissim in refectorio, & cæteris communibus necessitatibus, sibi fraternitatis officio serviant. Ut nullus foras, nisi per licentiam, egrediatur, egressus quoque, nullum de se detractioni locum det, sed magis imitabilem se cunctis exhibeat. Hanc igitur geminam pastionem Prælati sibi commissis ovibus impendere instanter procurent, utpote pro animabus eorum Domino rationem reddituri. Quatenus videlicet eas Pastori omnium Christo, summo Pontifici, secum in tremendi examinis die illæsas præsentantes, non cum reprobis, & Divinâ ultione feriendis damnentur, sed potiùs cum electis Pastoribus, perpetuâ felicitate à Domino remunerentur.

CXXIV. *Ut Canonici, sicut in cæteris, ità etiam in cultu vestium, modum teneant discretionis.*

Quærere potiùs Deum cultum cordis, quàm corporis, evidentibus Scripturæ Sanctæ patet indiciis. Proinde Canonicis totis viribus elaborandum est, ut & indumenta virtutum habeant interiùs, & per immoderatum cultum caveant dehonestare Religionis dignitatem exteriùs. Quantùm etiam à superfluo, & immoderato cultu vestium, se compescere debeant, multis Sanctorum Patrum documentis perdoceri potest. Dicit enim Beatus Hieronymus in Epistolâ ad Eustochium: " Sunt quidam mei ordinis, quibus omnis cura est de vestibus, si bene oleant, si pes laxâ pelle non folleat, Crines calamistri vestigio rotantur, digiti de anulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales, inquit, cùm videris, sponsos magìs æstimato, quàm Clericos." Et B. Gregorius: " (n) Nemo, inquit, æstimet in luxu, atque in studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia, si hoc culpa non esset, nullo modo Joannem Dominus de

[l] Joan. 21. 17. (m) Matth. 24. 45. Luc. 12. 42.
(n) Hom. 6. in Evangel.

" de vestimenti sui asperitate laudâsset. " Si cultus vestium culpa non esset, ne- " quaquam Paulus Apostolus per Episto- " lam fœminas à pretiosarum vestium " appetitu compesceret, dicens: *Non in* " (o) *veste pretiosa*. Pensandum nobis " summopere est de cultu vestium, quæ " culpa sit hoc etiam viros appetere, à " quo curavit Pastor Ecclesiæ & fœminas " prohibere. " Quapropter oportet Canonicos Sanctarum Scripturarum auctoritati parere, Sanctorúmque Patrum documenta vigilanter perpendere, ut humilitatem, quam corde gestant, actu, habitu, incessu, ipsâ etiam equitatione, religiosissimè demonstrent, plúsque velint sanctâ conversatione, eximiisque moribus, quàm ornatu vestium, fulgere. Si enim more conjugatorum in se ornandis, nitore vestium, faleris equorum, cæterísque humanæ vanitatis rebus abusi fuerint, scilicet, ut se similibus uti debere contendant, in quo eorum conversatio à laicorum distare videbitur? Decet porrò, ut eorum talis sit vestium cultus, qui occasione vanitatis careat, & nihil novitatis, nihil superfluitatis redoleat, nihilque reprehensionis, aut detractionis habeat. Non enim specialiter præsumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus, id est, nec plùs justo cultior vestis, nec insolita, atque deformis: quia in utroque illorum, aut elationis, aut certè simulationis noxa patescet. Inter utrumque enim virtus discretionis moderatissimè tenenda est. Quæ plenissimè in vitâ B. Augustini, in laudem illius prolata, ità legitur: " Ve- " stis (p) ejus & calceamenta, vel le- " ctualia, ex moderato, & competenti " habitu erant, nec nitida nimiùm, nec " abjecta plurimùm: quia his plerique, " vel jactare se se insolenter homines so- " lent, vel abjicere, ex utroque, non, " quæ JEsu Christi, sed, quæ sua sunt, " quærentes. At iste, ùt dixi, medium " tenebat, neque ad dextram, neque ad " sinistram declinans.

CXXV. *Ut Canonici cucullas Monachorum non induant.*

Reprehensibilem, & Ecclesiasticâ emendatione dignum apud pleró sque Canonicos inolevisse comperimus usum, eo quod contra morem Ecclesiasticum, cucullas, quibus solis Monachis utendum est, induant, cùm itaque illorum habitum penitus usurpare non debeant, à quorum proposito quodammodò distant: quia sicut indecens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ità nimirum inhonestum, & valdè indecorum est, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. Habitus namque singulorum ordinum idcircò in Ecclesiâ ab invicem discreti sunt, ut his visis, cujus propositi sit gestans, vel in quâ professione Domino militet, liquidò cognoscatur. Nam & Domini lege *vir* (q) *muliebrem & mulier virilem* prohibetur *induere vestem*, scilicet, ut uterque sexus sibi convenienti veste indutus incedat. Sicut enim turpe est virum vestem muliebrem, & mulierem vestem virilem induere: ità valde indecorum est, Canonicum vestem monasticam induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. Et quia hujuscemodi usus nullâ auctoritate approbatur, sed potiùs ab his, qui sanum sapiunt, meritò reprehenditur, & repudiatur, oportet, ut abhinc, ne fiat, penitus inhibitum sit.

CXXVI. *Excerptum ex Libro Officiorum* Isidori. *Quâ authoritate horæ Canonicæ celebrentur, quas scire, ac religiosè observare Canonicos oportet.*

Horam (r) tertiam, sextam, & nonam, Daniel & tres pueri (s) supplicationibus devoverunt, scilicet, ut ab ortu Diei in tempus supplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reverentiam declararent: paritérque à tertia & sexta, usque inde ad nonam, per lucis intervalla ratis dimensionibus terminata, Trinitas ter in die rogata coleretur. Illud etiam occurrit ad probationem Venerabilis Trinitatis, quòd Spiritus Sanctus hora tertia, hoc est, suo loco, & numero, & tempore descendit ad terras, impleturus gratiam, quam Christus promisit. Nam & sextâ horâ Christus passus, in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim Sacramento legitimis ad precem temporibus per ternas horas Trinitatis perfectio, aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur. Licèt, & si computetur diurna celebri-tas,

(o) 1. Tim. 2. (p) Vit. S. Aug. Cap. 22. (q) Deut. 22.
(r) Lib. 1. C. 19. (s) Dan. 6.

tas, per quaternarium uſque in veſpertinum officium, hoc eſt, quater ternis ſignificatur, quia mundus quadrifariò diviſus in Trinitate ſalvatus. Siquidem & in nocte ſtationes vigiliæ militaris in quatuor partes diviſæ, ternis horarum ſpatiis ſecernuntur, ut & in ipſis nocturnis, mundialibúſque officiis Trinitatis Myſterium veneretur.

CXXVII. *De Veſpertinis.*

Veſpertinum (*t*) diurni finis officium, & alternæ lucis occaſus eſt. Cujus ex veteri Teſtamento ſolennis eſt celebratio. Denique (*u*) hoc tempore veterum ſacrificia offerri, adolerique altario aromata & thura mos erat. Teſtis eſt Hymnidicus ille, Regio ac Sacerdotali perfunctus officio, dicens: *Dirigatur* (w) *oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* In novo quoque Teſtamento eo tempore Dominus, & Salvator noſter cœnantibus Apoſtolis myſterium ſui corporis & ſanguinis initio tradidit, ut tempus ipſum ſacrificii, veſperum oſtenderet ſæculi. Proinde in honore ac memoriâ tantorum Sacramentorum, his temporibus adeſſe nos decet Dei conſpectibus, & perſonare in ejus cultibus, orationum noſtrarum illi ſacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exultantes. Veſperum autem nominatum à ſidere quod veſper vocatur, & decidente ſole exoritur. De quo Propheta dicit: *Et* (x) *veſperum ſuper filios hominum prodire facis.*

CXXVIII. *De Completis.*

De completis (*y*) autem celebrandis, id etiam in Patrum invenitur Exemplis, David Prophetâ dicente: *Si aſcendero* (z) *in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Dei Jacob.* Quis non ſtupeat tantam in Dei amore animi devotionem, ut ſomnum ſibi, ſinè quo utique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum in pectore ſuo Rex & Propheta reperiret? quæ res nos debet fortiter admonere, ut ſi ipſi locus Domini eſſe volumus, & tabernaculum ejus, aut templum cupimus haberi, in quantum poſſumus, Exempla Sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur, quod legitur: *Dormierunt* (a) *ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.*

CXXIX. *De Vigiliarum antiquitate.*

Antiqua (*b*) eſt vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus ſanctis. Iſaias denique Propheta exclamat ad Dominum dicens: *De nocte* (c) *vigilat Spiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua ſunt ſuper terram.* Item David, & Regio, & Prophetico ſanctificatus unguento, ità canit: *Media* (d) *nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtitiæ tuæ.* Hoc namque tempore vaſtator Angelus tranſiens primogenita Ægyptiorum percuſſit. Unde & nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admiſceamur. Iisdem etiam horis venturum ſe eſſe in Evangelio Salvator aſſeruit. Unde ad vigilandum auditores ſuos exuſcitans dicit: *Beati* (e) *ſervi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Et ſi *veſpertinâ* (f), inquit, *horâ venerit, & ſi mediâ nocte, & ſi galli cantu, & invenerit eos vigilantes, Beati ſunt ſervi illi. Itaque & vos eſtote parati, quia neſcitis, quâ horâ filius hominis venturus eſt.* Siquidem nec verbis ſolùm docuit vigilias, ſed etiam confirmavit exemplo: nam teſtatur Evangelium: *Quia erat* (g) *Jeſus pernoctans in oratione Dei.* Paulus quoque & Silas in cuſtodiâ publicâ: *circa* (h) *medium noctis orantes*, hymnum audientibus cunctis dixiſſe memorantur. Ubi repente terræ motu facto, & concuſſis carceris fundamentis, & januæ ſponte apertæ, & omnium vincula ſunt ſoluta. Unde oportet his horis pſallendi, orandique frequentiam nos in Sanctis habere Officiis, finémque noſtrum, vel ſi advenerit, ſub tali actu expectare ſecuri. Eſt autem quoddam genus hæreticorum, ſuperfluas æſtimantium ſacras vigilias, & Spiritali opere infructuoſas, dicentium jura temerari divina, qui noctem fecit

[t] Iſidor. Ibid. C. 20:
[x] Job. 38. 32.
(a) Pſal. 75. 6.
(d) Pſal. 118. 62.
(g) Luc. 6. 12.
[u] Exod. 29.
[y] Iſidor. Ibid. Cap. 21.
(b) Iſidor. Ibid. C. 22.
(e) Matth. 24. 46.
(h) Actor. 16. 25.
(w) Pſal. 140. 2.
[z] Pſal. 131. 3. 4. 5.
(c) Eſa. 26. 9.
[f] Luc. 12. 38.

fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici græco sermóne Nyctages, hoc est, somniculosi vocantur.

CXXX. *De Matutinis.*

De matutinorum (*i*) antiquitate & authoritate testis est idem David Propheta, dicens: *In matutinis* (k) *meditabor in te, quia fuisti adjutor meus*: & alibi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Cassianus autem dicit (*l*) matutinæ solemnitatis officium, novo adhuc tempore institutum, primitus in Bethlehem Monasterio, ubi Dominus noster Jesus Christus pro redemptione humanæ salutis ex Virgine nasci dignatus est: sicque ex illo per universum mundum ejusdem celebrationis invaluit consuetudo. Diluculo autem proinde oratur, quòd resurrectio Christi celebretur. Matutinâ autem luce radiante, Dominus & Salvator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus. Siquidem & eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cùm justi & omnes ab hac temporali morte, quasi à sopore somni resurgentes, evigilabunt.

CXXXI *Ut Canonici horas Canonicas religiosè observent.*

Studeant summoperè Canonici, prædictas horas vigilantissimâ curâ custodire, & in his divinum officium humiliter, ac devotè persolvere. Mox enim ut auditum fuerit signum, festinatò omnes ad Ecclesiam conveniant, quam non pompaticè, aut inhonestè, vel incompositè, sed cum reverentiâ & Dei timore ingrediantur. Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, sed religiosissimè illis standum & psallendum est. Sunt etenim quidam Clericorum, qui in sæcularibus negotiis & discrepationibus penè totum infatigabiliter deducunt diem, & mox, ut Ecclesiam ad divinum officium peragendum intraverint, ità fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant: sed potiùs sedentes non divinis, sed vanis solent instare loquelis, ac sæcularia verba, & quod nefas est dictu, turpia & obscœna invicem proferunt. Oportet itaque, ut ab his, qui faciunt, & ab illis, qui eos fortè imitari volunt, iste execrabilis usus radicitus evellatur: quia secundùm Domini sententiam: *Domus* (m) *ejus, domus orationis vocanda est.* Omnes igitur ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigent & linguam, & in Ecclesiâ cum timore, & veneratione stantes, aut orent, aut cantent, aut legant, aut audiant. Verba verò turpia, & livida ac sæcularia, nec ipsi proferant, nec alios proferre sinant. Quinimò laudes Deo in commune persolventes, pro suis, populorúmque, quorum oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent. Debent quoque juxta Apostolum primò omnium ab his fieri: *Obsecrationes* (n) *orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim*, inquit Apostolus, *bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Caveant etiam, ne pro requie sibi in locis divino cultui mancipatis concessâ otio torpeant: sed magis in persolvendis divinis laudibus promptiores, ac devotiores existant: ut per hanc quietem benè operantes, ad eam, quæ fine caret, pervenire valeant. Qui verò has horas frequentare, & in his, ùt dignum est, cœleste neglexerit officium persolvere, dignâ invectione corripiatur, ut & ipse emendetur, & cæteri timorem habentes hujuscemodi negligentiam caveant. Sed quoniam aliud est, ex toto omittere, aliud pigrè occurrere, qui segniter, aut tardè ad matutinum, aut ad aliud quodlibet divinum obsequium peragendum occurrerit, dignum est, ut non cum aliis in choro, sed omnium ultimus, aut certè ut erubescere discat, in loco hujuscemodi negligentibus à Prælatis constituto stet: foris verò nullatenùs remanere præsumat, ne otio & fabulis vacet, & à Dei laudibus penitus alienus existat. Custodes præterea Ecclesiæ harum horarum distinctiones benè norint, ut scilicet signa certis temporibus pulsent. Luminaria verò cum omni diligentiâ concinnanda provideant, sitque

Sss 2

(*i*) Isidor. Ibid. Cap. 23. (*k*) Psal. 62. 7. (*l*) Cassian. de Instit. Cœnob. Lib. 3. Cap. 4.
(*m*) Matth. 21. (*n*) 1. Tim. 2.

que eorum ſtudii, ut nihil de ſibi commiſſis rebus Eccleſiæ pereat.

CXXXII. *Quòd cantantibus, & pſallentibus Domino, Angelorum adſit præſentia.*

Pſallentium in Eccleſiâ Domino mens concordare debet cum voce, ut impleat illud Apoſtoli: *Pſallam* (o) *ſpiritu, pſallam & mente.* Quoniam quamvis ubique Dominum per potentiam divinitatis noverimus eſſe, præcipuè tamen eum, cum divino aſſiſtimus officio, per gratiam nobis credimus adeſſe. De quâ re Beda venerabilis Presbyter in expoſitione Evangelii Lucæ ità dicit: "Non latet " Angelos crebrò electis inviſibili adeſſe " præſentia, ut eos vel ab hoſtis callidi " defendant inſidiis, vel majori cæleſtis " deſiderii gratiâ ſuſtollant, Apoſtolo atteſtante, qui ait: *Nonne* (p) *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Maximè tamen angelici nobis ſpiritus adeſſe credendi ſunt, cùm divinis ſpecialiter mancipamur obſequiis, id eſt, cùm Eccleſiam ingreſſi, vel lectionibus ſacris aurem accommodamus, vel pſalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam Miſſarum ſolemnia celebramus. Unde ait Propheta: *In conſpectu* (q) *Angelorum pſallam tibi.* Nec dubitari licet, ubi corporis & ſanguinis Dominici geruntur myſteria, ſupernorum civium adeſſe conventus. Unde ſtudendum ſolerter eſt, ut, cùm Eccleſiam, vel ad Divinæ laudis debita ſolvenda, vel ad agenda Miſſarum ſolemnia intramus, ſemper Angelicæ præſentiæ memores, cum timore & veneratione competenti, cæleſte compleamus officium: ne, ſi, quod abſit, id negligenter, aut inhoneſtè vel tepidè expleverimus, & ad perficiendum pigri advenerimus, in ſententiam, quâ dicitur: *Maledictus* (r) *homo, qui opus Dei fecerit negligenter*, miſerabiliter labamur. Ergo ſolerti induſtriâ nobis obſervandum eſt, ne quid in Eccleſiâ ineptum, ne quid perverſum, ne quid indecens, aut cogitatione, aut verbis, aut actibus perpetremus, quatenus & conſpectu Angelorum digni efficiamur, & Dominus ad nos veniens, non quod condemnet in nobis, ſed potiùs, quod remuneret, inveniat.

CXXXIII. *Quales ad legendum, & cantandum in Eccleſiâ, conſtituendi ſint.*

Tales ad legendum, cantandum, & pſallendum in Eccleſiâ conſtituantur, qui non ſuperbè, ſed humiliter debitas Domino laudes perſolvant, & ſuavitate lectionis, ac melodiæ & doctos demulceant, & minùs doctos erudiant; plúſque velint in lectione, vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vaniſſimam adulationem. Qui verò hæc doctè peragere nequeunt, erudiantur priùs à Magiſtris: & inſtructi, hæc adimplere ſtudeant, ut audientes ædificent.

CXXXIV. *Qui modus ſit correptionis?*

Quanquam contemptores Canonicarum inſtitutionum Epiſcopali præcipuè judicio plectendi ſint, quâ pœna, ut ait Beatus Auguſtinus, in Eccleſiâ nulla major eſſe poteſt; demonſtrandum tamen eſt, qualem cæteri Prælati, qui illis dignitate inferiores eſſe noſcuntur, in locis ſibi commiſſis, in quibus canonicè vivitur, erga ſubjectos quoſque delinquentes, & ea, quæ propriè ad eorum propoſitum pertinent, obſervare nolentes, adhibere debeant correptionis modum. Sed quia omnis ætas, vel uniuscujuſque intelligentiæ capacitas, proprias debet habere menſuras, & juxta modum culparum, menſura extendenda eſt correptionum, & hæc omnia jure in Prælatorum pendent judicio, quo & diſcretiſſimè temperanda ſunt: neceſſe eſt, ut idem Prælati circa delinquentes medici peritiſſimi imitentur factum: ſcilicet, ut adhibita magnæ diſcretionis curâ, quid cuique congruat, quidve conveniat, adhibeant: hoc ſummoperè perpendentes, ut juxta quantitatem vulnerum, exhibeant fomenta curationum, quatenùs nec alteri dent, quod noceat, nec alteri ſubtrahant, quod juvat. Omiſſis igitur his, quorum ætati delinquenti parcendum non eſt, ſed potiùs juxta Salomonem, *Eorum* (s) *Litera, ne indureſcant, virgis aſſiduè tundenda ſunt;* qualiter erga cæteros delinquentes juxta auctoritatem Divinam, & Sanctorum Patrum

(o) 1. Cor. 14. (p) Heb. 1. 14. (q) Pſal. 137. 2.
(r) Hierem. 48. 10. (s) Eccli. 30.

Patrum exempla, traditionésque id fieri oporteat, strictim, brevitérque ostendatur. Si quis frater in congregatione Canonicâ constitutus, horas Canonicas frequentare neglexerit, Ecclesiámque non religiosè, sed pompaticè vel incompositè intraverit, & opus Dei negligenter executus fuerit, ad collationem venire distulerit, obedientiam à Magistris sibi injunctam agere recusaverit, in legendo, vel cantando, vel in cæteris Ecclesiasticis disciplinis juxta vires studium non exhibuerit, ad mensam non necessitate, sed vitio tardè occurrerit, è claustris sinè licentiâ exierit, per licentiam verò ingressus, contra constitutum sibi placitum moras fecerit, in plateas ire, aut in biviis residere tentaverit, in dormitorio aliquid indecens, aut inhonestum, verbis aut actibus perpetraverit, alicubi, nisi in dormitorio, cum cæteris absque causâ inevitabili dormire præsumpserit, fratribus caritatis officio obedienter servire neglexerit, *discordiam*, *quam* (dicente Scriptura) *Dei* (t) *anima detestatur*, inter fratres seminaverit, & huic institutioni contumax, aut superbus, seu murmurans, aut in aliquo contrarius extiterit, & cætera hujuscemodi agere tentaverit: hic primò secundùm Dei præceptum, non solùm semel, & secundò ac tertiò, quinimò crebriùs admoneatur: & si his admonitionibus non cessérit, publicâ objurgatione corripiatur. Quod si & his renisus fuerit, cæteris sibi alimentis interdictis, pane tantùm usque ad dignam satisfactionem utatur, & aqua. Si verò nec sic se correxerit, separetur à mensâ, & à societate fratrum in choro psallentium removeatur, & seorsim in loco hujuscemodi negligentibus à Prælatis constituto, stare cogatur, ut saltem rubore sequestrationis emendetur. Dein si his modis correptus incorrigibilis extiterit, & ætas permiserit, quia juxta Salomonis vocem *Stultus* (u) *verbis non corrigitur*, congrua ei verberum adhibeatur castigatio, quibus utpotè filius verberetur, quatenus secundùm Beati Gregorii sententiam, qui jubentis verba non audiunt, verberibus admoneantur, ut ad bona desideria pœnæ trahant, quos præmia non invitant. Cæterum si talis fuerit, quem aut ætas, aut qualitas personæ verberari non siverit, publicâ objurgatione, & continuâ jejuniorum afflictione, & sequestrationis rubore, hujusmodi corripiatur, usque dum digna pœnitentiæ satisfactione veniam consequatur. Si verò utérque, & qui flagellatur, & quem flagellari ætas, aut qualitas personæ prohibent, adhuc incorrigibiles extiterint: sit locus intra claustra Canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, & secundùm modum culpæ castigentur, ut juxta Apostolum *Traditi* (w) *satanæ in interitum carnis Spiritus salvus fit in die Domini.* Quod si etiam tot saluberrimis admonitionibus & castigationibus necdum paruerint, fiat pro eis ab omni congregatione communis oratio, ut à Domino sanentur. Postremò si prorsus inemendabiles, & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum serpant contagia dira, necesse est, ut à cæterorum societate, utpote oves morbidæ, secreti, ante præsentiam deducantur Episcopi, ut ab eo Canonicâ authoritate publicè damnentur. Si verò quis in Collegio Canonicorum culpam criminalem admiserit, huic nulla est danda dilatio, quin aut sponte pœnitentiam pro admisso crimine gerat, aut si id agere refutaverit, coram Episcopo deducatur, ut ab eo publicâ mulctetur pœnitentiâ. Meminisse enim oportet rectores, quia columba est in Divinis Scripturis Ecclesia appellata, quæ non unguibus lacerat, sed alis piè percutit. Unde etiam illis summoperè observandum est, ut, sicut præmissum est, juxta modum culparum, & personarum, atque ætatum, omnino ipsa temperata sit correptio, ut nec vitium desidiæ inolescat, nec correptio mansuetudinis modum excedat, nc, ùt ait B. Maximus, aut solutior lenitas conniventiam præbeat peccati, aut immoderata severitas à lapsu non revocet delinquentem. Sed & hoc illis nihilominùs cavendum est, ne errata delinquentium alicujus rei livore feriant, sed potiùs, ùt ait Beatus Augustinus, sint *criminum persecutores*, & *hominum liberatores. Oderint vitia*, *diligant homines. Oderint*, *quod instinctu diaboli ingestum est*, *diligant*, *quod Dei bonitate creatum est.* Teneant in manu baculum, & virgam. Baculum vide-

(t) Prov. 6. (u) Prov. 18. & 29. (w) 1. Cor. 5.

videlicet, quo aliorum virium imbecillitates spiritaliter sustentent: virgam verò, quâ vitia delinquentium Zelo rectitudinis feriant. Delinquentibus interea, & excommunicatis fratribus nequaquam cæteri fratres debent favere, aut eos suis adulationibus decipere, aut eorum errata defendere: sed potiùs opem ferre, ut æqualitatis censura districtè corrigantur.

CXXXV. *Ut erga pueros, qui nutriuntur, vel erudiuntur in congregatione Canonicâ, instantissima sit adhibenda custodia.*

Solerter Rectores Ecclesiarum vigilare oportet, ut pueri & adolescentes, qui in Congregatione sibi commissâ nutriuntur vel erudiuntur, ità jugibus Ecclesiasticis disciplinis constringantur, ut eorum lasciva ætas, & ad peccandum valdè proclivis, nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in hujuscemodi custodiendis, & Spiritaliter erudiendis talis à Prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summâ gerat industriâ, eósque ità arctissimè constringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis Spiritalibus induti, & Ecclesiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandóque dignè possint promoveri. Libuit præterea ob ædificationem congruam, & instructionem negotii, de quo agitur, quandam Sanctorum Patrum sententiam huic operi inserere, quæ ità se habet: prona est omnis ætas ab adolescentiâ in malum. Nihil incertius, quàm vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut, si quis in Clero puer est, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur & lubricæ ætatis annos non in luxuriâ, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo Seniori, quem & Magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant, &c. His ità præmissis oportet, ut probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater verò, cui hæc cura committitur, si eorum curam parvi penderit, & aliud quàm oportet, docuerit, aut eis in aliquo cujuslibet læsionis maculam ingesserit, severissimè correptus, ab officio amoveatur: & fratri alii id committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet.

CXXXVI. *Ut omnes Canonici ad Completorium veniant.*

Expletis religiosissimo obsequio horis competentibus, diurnis officiis, ab omnibus Canonicis, dato signo, devotissimè ad Completorium celebrandum veniendum est. Quo completo, oportet, ut non epulis, & potationibus, vanisque inserviant loquelis, sed his penitus postpositis, humiliter, & honestè dormitorium petant: & nequaquam duo in uno, sed singuli in singulis lectis quiescant. Lucerna quoque in eodem dormitorio noctis tempore jugiter ardeat. Nihil denique inhonestum, aut indecens in dormitorio geratur ab aliquo, nec quispiam aliquem inquietare præsumat, nec ad verba inutilia & otiosa prorumpere cogat. Hujus verò Capituli contemptor specialiter à Prælatis & Magistris severissimè corripiatur.

CXXXVII. *De Cantoribus.*

Studendum summoperè cantoribus est, ne donum, sibi divinitus collatum, vitiis fœdent, sed potiùs illud humilitate, castitate, & sobrietate, & cæteris Sanctarum virtutum ornamentis exornent: quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam, amorémque cælestium, non solùm sublimitate verborum, sed etiam suavitate tonorum, quæ dicuntur, erigat. Cantorem autem, sicut traditum est à Sanctis Patribus, & voce & arte præclarum, illustremque esse oportet, ità ut per oblectamenta dulcedinis animos incitet audientium. &c. Cantores itaque non propter donum sibi collatum se cæteris superbiendo præferant, sed humiliter socios exhibeant. Et providendum est illis, quando temperatè, quandóque submissè divinum agatur officium: scilicet, ut secundùm numerum Clericorum, & officii qualitatem, & temporis prolixitatem, cantum protendant, & voces moderentur cæterorum. Sonum etiam vocalium literarum benè, atque ornatè perstrepant. His verò, qui hujus artis minùs capaces sunt, donec erudiantur, meliùs convenit, ut sileant, quàm cantare volendo, quod nesciunt, alio-

aliorum voces dissonare compellant. Psalmi nàmque in Ecclesiâ non cursim & excelsis, atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed planè, ac dilucide & cum compunctione cordis recitentur: ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur. Quoniam, quamvis cantilenæ sonus in aliis officiis excelsâ soleat edi voce, in recitandis tamen Psalmis hujuscemodi vitanda est vox. Constituantur interea seniores fratres, probabilioris scilicet vitæ, qui tempore statuto vicissim *cum cantorum schola* sint, ne hi, qui discere debent, aut otio vacent, aut inanibus, & supervacuis fabulis instent. Si verò cantores superbi extiterint, & artem, quam divinitus adjuti didicerint, aliis insinuare renuerint, graviter, ac severè judicentur, ut emendati, atque correcti talentum, sibi à Deo collatum, aliis erogare procurent. Hujuscemodi autem correptionis modus erga eos, qui quarumlibet artium disciplinis eruditi sunt, & de talento, sibi divinitus collato, magìs se aliis superbiendo præferre, quàm id cum caritate insinuare gestiunt, à Prælatis obnixè tenendus est.

CXXXVIII. *Quales vice Prælatorum in congregatione Canonicâ fungi debeant.*

Oportet Ecclesiæ Prælatos, ut de congregatione sibi commissâ tales eligant boni testimonii fratres, in quibus onera regiminis securè possint partiri. Quibus etiam talem conferant potestatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes Canonicâ censurâ corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare. Non enim constituendi sunt personaliter, aut eo ordine, quo in collegio fratrum admissi sunt; sed secundùm vitæ meritum, & Spiritualium donorum prærogativam. Qui & in congregatione assidui sint & fratrum curam pervigili studio gerant: & sicut alios præcedunt magisterio, ità nimirùm innocentis vitæ informent exemplo, ut juxta Apostolum (*x*) exemplo sint cæteris in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Qui etiam, si prioratus sui causâ intumescere cœperint, & curam fratrum nihili penderint, si crebro admoniti incorrigibiles extiterint, à ministerio propellantur, aliique in loco illorum, qui id strenuè peragere possint, substituantur.

CXXXIX. *De Præpositis.*

Quamvis omnes, qui præsunt, præpositi ritè dicantur, usus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratûs curam sub aliis Prælatis gerunt. Hi tamen, qui juxta hunc morem præpositi vocantur, tales, & tam strenui constituendi sunt, qui & vitæ probabilis sint, & ea, quæ sibi injuncta sunt, fideliter, humilitérque expleant. Et pro eo, quod aliis Prælati sint, nequaquam parvi pendant canonica instituta: sed quantò plus implicantur in fratrum curis, tantò magìs studeant cælestibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi utiles esse, & de ministerio sibi commisso fideliter prodesse. Ea verò, quæ fratribus dare debent, cum caritate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fideli administratione gradum bonum acquirant. Erga hujuscemodi verò delinquentes, & obedientiam sibi commissam benè non administrantes modus superiùs comprehensus tenendus est.

CXL. *Qualis sit Cellarius constituendus.*

Debet procurare Prælatus, ut fratribus cellarium, non vinolentum, non superbum, non tardum, non prodigum, sed moribus honestum, ac Deum timentem constituat. Qui & stipendia fratrum fideliter servet, & diligenti curâ administret, & in administrando nullatenus fratres contristet. Cui etiam pistrinum fratrum committendum est, ut illud ità vigilantissimâ curâ custodiat, ne ministri ibidem deputati, annonam fratrum, aut furtim subripiendo, aut alio quolibet modo negligenter vivendo, dissipent. Hi verò famuli eligantur de fidelissimâ Ecclesiæ familiâ, & his officiis diligenter erudiantur, ut scilicet & pistoriâ arte, & fidei puritate necessitatibus fratrum opportunissimè valeant suffragari. Eadem quoque forma de cocis servanda est. Inutiles denique inobedientes cellarii, secundùm superiùs comprehensam sententiam judicentur.

CXLI.

(*x*) 1. Tim. 4.

CXLI. *Cui committi debeant stipendia pauperum.*

Evangelicis, atque Apostolicis instruimur documentis, in colligendis hospitibus ante omnia operam dare debere, ut meritò de nobis dicatur à Domino: *Hospes* (y) *fui*, *& collegistis me*, &c. Proinde oportet, ut Prælati Ecclesiæ præcedentium Patrum exempla sectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus Ecclesiæ tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios juxta possibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Ecclesiæ villis ibidem conferuntur. Sed & Canonici, tam de frugibus, quàm etiam de omnibus eleemosynarum oblationibus, in usus pauperum decimas libentissimè ad ipsum conferant hospitale. Et boni testimonii de ipsâ congregatione frater constituatur, qui hospites, & peregrinos adventantes, utpote Christum in membris suis, suscipiat, eisque necessaria libenter pro viribus administret: qui etiam ea, quæ in usus pauperum cedere debent, nequaquam in suos usus reflectat: ne cum Judâ, loculos Domini furante, sententiam damnationis excipiat. Sed & Prælatorum debet vigilare industria, ne eum, cui hospitale pauperum committitur, res pauperibus deputatas in aliquo minuere, aut his, quasi beneficiario munere concessis, sinant uti, quod à Prælatis quibusdam, curam pauperum parvi pendentibus, fieri comperimus. Clerici námque, si aliis temporibus nequeunt, saltem quadragesimæ tempore pedes pauperum in competenti lavent hospitali, juxta illud Evangelicum: *Si ego* (z) *Dominus & Magister lavi vobis pedes, quantò magis vos debetis alter alterius lavare pedes?* &c. Quapropter expedit, ut in competenti loco hospitale sit pauperum, ubi perfacilis ad illud veniendi conventus possit fieri fratrum. Quòd si is, cui hospitale commissum est, curam pauperum neglexerit, eorúmque res in suos usus retorserit, quanquam divinâ ultione dignus sit, feveriùs tamen, quàm cæteri delinquentes, à Præpositis judicandus, & à ministerio removendus est. Nec immeritò: quippe qui & pretia peccatorum, & alimenta pauperum, & thesaurum cælo recondendum, suis (quod fas non fuit) aptavit usibus.

CXLII. *De infirmorum, ac senum cura fratrum.*

Quamvis Canonicis proprias licitum sit habere mansiones, debet tamen à Prælato mansio infirmorum & senum intra claustra Canonicorum fieri, ut, qui suam fortè non habent, in eâdem suam aptissimè possint tolerare imbecillitatem: quatenus ibidem, & subsidiis Ecclesiasticis, quibus indigent, & fratrum adminiculis, misericorditer sustentrentur. Erga quos oportet, ut cæteri fratres magnam exhibeant caritatem: scilicet, ut eis compatiendo subveniant, & assiduis visitationibus, & Scripturarum Sanctarum consolationibus, nec non & propriarum rerum facultatibus, adminicula necessaria præbeant, ut impleatur in eis illud Evangelicum: *Infirmus* (a) *fui*, *& visitâstis me.*

CXLIII. *Qualiter porta Canonicorum custodiatur.*

Eligatur necesse est, à Prælato, ex congregatione sibi commissâ frater probabilis vitæ, cui officii sit portam Canonicorum cum summâ obedientiâ & humilitate, competenti tempore claudere, ac reserare, ut nulli per eam, nisi per licentiam, aditus pateat intrandi, aut exeundi. Cui etiam observandum est, ne eis, quibus cordi est plus otiis vacare, quàm divinis obsequiis incubare, foras evagandi locum præbeat, & eorum nugarum, quod nefas est, particeps fiat. Debet præterea advenientes quosque cum caritate suscipere, & Priori adventum eorum, causámque nuntiare. Expleto námque vespertino, & completorio officio, observatisque portis, claves earum idem portarius, ei, qui vicem Prælati tenet, ferat, ut nulli horis incompetentibus intrandi, aut exeundi maneat facultas: quas etiam ab eodem in crastinum tempore accipiat constituto. Si verò inobediens, atque protervus idem repertus fuerit portarius, sicut de aliis ministris negligentibus superiùs dictum est, judicetur.

CXLIV. *Ut claustra Canonicorum diligenter custodiantur.*

Oportet claustra Canonicorum ità diligenter custodiri, ut grex Dominicus fraternâ concorditer truatur pace: & si quem-

(y) Matt. 25. 36. (z) Joan. 13. 14. (a) Matth. 25. 36.

quemlibet Prælatus, aut qui ejus vice fungitur, aut fortè quilibet alius spiritalis frater intra claustra quempiam inhonestè agentem, aut extra in biviis, & plateis otio, vanisque confabulationibus vacantem, repererit, primò secretâ admonitione eum corripiat, & post, si necesse fuerit, coram fratribus idem negligens acriùs judicetur, ut deinceps emendatus in melius proficiat. Fœminis námque non solùm in mansionibus, & claustris Canonicorum prandendum, aut requiescendum non est, quin potiùs nec in ea intrandi, excepto in Ecclesiam, ulla tribuenda facultas, quia valde hoc à Sanctis Patribus legitur inhibitum. Si quid verò caritatis officio illis attribuendum est, extra claustra constituatur locus, in quo id accipiant: Nullus tamen fratrum cum ipsis, nisi testes coram fuerint, loquatur. Qui verò secùs, quàm præmissum est, agere tentaverit, ità severiter à Prælatis, & Magistris corrigatur, ut cæteris, ne quid tale agere pertentent, exemplo correptionis sibi exhibitæ terrorem incutiat.

CXLV. *Epilogus breviter digestus.*

Quanquam à Sanctis Patribus in superioribus hujus libelli partibus satis sit dilucidatum, qualiter Clerici vivere debeant, adeò, ùt, qui hæc,quæ superiùs comprehensa sunt, sedulâ meditatione perlegerit, perspicuè in his reperire valeat, qualis ejus debeat esse fidei devotio, actuum morúmque exornatio, ac divinorum cultuum executio: propter plerosque tamen simplices, minúsque capaces hæc strictim, brevitérque replicanda pernecessarium duximus: ut, qui hæc aut legere, aut fortè ab aliis lecta plenè intelligere nequiverint, utantur hac defloratiunculâ, utpote calatho diversorum florum vernantium nectare referto, & discant, quid illis agendum, quídque vitandum sit. Legalibus interea institutis, & Evangelicis saluberrimis monemur Præceptis, ut Dominum Deum nostrum totis præcordiis diligamus, & proximum, tanquam nosmetipsos &c. Si igitur ab omnibus fidelibus his salutiferis præceptis totis nisibus est favendum: quantò magis ab his, qui divinis cultibus mancipati sunt, & aliis exemplo virtutum condimentum esse debent? Proinde oportet, ut primò omnium Dominum Deum diligant, ex toto corde, ex totâ animâ, totâ virtute, & proximos tanquam se ipsos: & nosse, quia in his duobus præceptis tota Lex pendet, & Prophetæ. Non occidant, neque fratrem oderint, quia (ùt ait Apostolus) *qui* (b) *fratrem suum odit, homicida est.* Non adulterent, non furtum faciant, non concupiscant rem alienam, non falsum testimonium dicant, &, quod sibi nolunt fieri, alteri ne faciant. Non sint superbiâ tumidi, non detractionibus assueti, non ebrietati servientes, non luxuriâ enervati, non iracundiâ turbidi, non quibuslibet aliis vitiis substrati, non vaniloqui, non invidi, non somnolenti, non pigri, non murmuratores, non susurrones, non vinolenti, non multum edaces. Fraudes & dolositates caveant: usuris nequaquam inserviant. Non jurent, ne fortè perjurent. Malum pro malo non reddant. Cùm in se aliquid boni viderint, Deo, & malum cùm viderint, sibi deputent. Discordiam fugiant, & quos discordantes invenerint, ad caritatis concordiam revocent, & juxta vocem Psalmistæ, [c] declinent à malo, & faciant bonum. Attendant & Apostolum prohibentem: *Non*, inquit, *in* (d) *commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum JEsum Christum.* Animadvertant enim, quòd ab his vitiis ab Apostolo prohibitis omnium vitiorum seges emergat: & quòd horum morborum mater superbia sit. Oportet etiam, ut animam, corpúsque suum ab omni inquinamento carnis, & spiritûs custodiant, ut juxta Apostolum (e) integer spiritus eorum, & anima & corpus, sine querelâ in adventu Domini nostri JESU Christi servetur. Sobriè, justè, & piè vivant, sæcularia negotia prorsus abjiciant: quia juxta eundem Apostolum, *Nemo* (f) *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Jejunium ament, hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentes consolentur. Amori Christi nihil præponant,

(b) 1. Joan. 3. [c] Psal. 33.
(e) 1. Thess. 5. (f) 1. Tim. 2.

(d) Rom. 13. 13.

ponant, caritatem non derelinquant: pacem, si fieri potest, cum omnibus hominibus habeant: diem judicii timeant, vitam æternam spiritaliter concupiscant. Spem suam Deo committant, proprio Episcopo in omnibus secundùm Canonicam Institutionem obtemperent, Magistros suos non temerè reprehendant. Postremò doctrinis spiritalibus operam dent. Lectionibus, Psalmis, Hymnis, Canticis, & cæterorum bonorum operum exercitiis jugiter incumbant. In dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant: In refectorio pariter reficiantur, quotidie ad collationem veniant. Mox, ùt signum datum fuerit, ad Ecclesiam omnes festinatò veniant, & horas Canonicas non negligenter, sed cum omni religione pariter celebrent. Ecclesiam non pompaticè, sed reverenter ingrediantur. In choro non cum baculis stent, vaniloquiis nequaquam insistant, sed cum omni devotione, & veneratione divinæ servitutis opus peragant, scientes Angelorum præsentiam semper illic adesse. E claustris non nisi per licentiam egrediantur, egressi irreprehensibiliter vivant, ut ab his, qui foris sunt, bonum testimonium habeant, & religionem, ac propositum suum actibus illicitis nequaquam maculent, sed potiùs omnes, quibus se conjunxerint, sale sapientiæ & bonorum operum exemplis condiant. Contubernia fœminarum nullatenus appetant; non vanis oculis, aut petulanti, tumidóque gestu, ac dissolutis renibus incedant: non spectaculis, non pompis sæcularibus intersint; non aleæ, non quibuslibet venationibus inserviant. Apostoli námque instructi documento, quo ait: *Non* (g) *in veste pretiosa*, nequaquam pretiosis delectentur vestibus. Caveant summoperè, ne extra claustra moras faciant, nisi prout sibi à Priore constitutum fuerit, & opportunitas temporis dictaverit. Intrà claustra positi, non otio vacent, sed aut divinis officiis, aut propriis utilitatibus, aut certè Magistrorum jussionibus pareant. Ne otio torpentes ab Apostolo audiant: *Qui* (h) *non vult operari, nec manducet.* Seniores spiritaliter juniores diligant: juniores senioribus obsequium dignum exhibeant. Doctiores minùs doctis nequaquam se præferant, sed magis eos cum caritate ædificent: neque hi, qui nobilitate generis, aut virtutum donis pollent, cæteris se tumidè superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi caritatis officio serviant. Quibus etiam in refectorio comedentibus, & religiosè silentium tenentibus, continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant, & castigent, pueros & adolescentes negligentes verborum disciplinis corripiant. Singuli juxta capacitatem suam, diversarum artium erudiantur disciplinis, ut nullus in Collegio Canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus comedat. Tales quippe esse, immò & taliter conversari decet omnes, qui divinis officiis se mancipârunt. Quapropter studeant hæc breviter collecta sedulâ meditatione perlegere, & memoriæ commendare, & divinâ adjuvante gratiâ juxta vires adimplere, quò faciliùs, & liberiùs majora à Sanctis Patribùs edita exequi valeant. Vocatione ergo, quâ vocati sunt, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, ambulent: quatenus divinis jussionibus obtemperantes, ad Christum, in cujus sorte esse noscuntur, qui via, veritas, & vita est, eo opitulante, pervenire mereantur.

(g) 1. Tim. 8. (h) 2. Thess. 3.

CONCILII AQUISGRANENSIS
LIBER II,
QUI EST DE INSTITUTIONE SANCTIMONIALIUM.

Hanc Constitutionem sacer Conventus anno Incarnationis Domini DCCCXVI. Indictione X. anno siquidem Gloriosissimi LUDOVICI IMPERATORIS tertio, in Aquisgrani Palatio, eodem monente Prin-

Principe, ob animarum sanctimonialium, canonicè degentium, salutem Divinâ inspirante Gratiâ, & Sanctorum Patrum auctoritatibus, velut ex pratis vernantibus quosdam flosculos collegit, & in unum congessit, atque communi voto, communíque consensu, Sanctimonialibus tenendam, observandámque percensuit.

INDEX CAPITUM LIBRI II.

CAPUT I.

AUdi Filia (a) *& vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* In quadragesimo quarto Psalmo Deus ad animam loquitur humanam : ut secundùm exemplum Abrahæ exiens de terra sua, & de cognatione sua, relinquat Chaldæos, qui, quasi dœmonia, interpretantur. Et habitet in Regione viventium, quam alibi Propheta suspirat dicens : *Credo* (b) *videre bona Domini in terra viventium.* Verùm non sufficit tibi exire de Patria tua, nisi & obliviscaris populi, & domûs Patris tui. ITEM IBI. non expedit apprehenso aratro respicere post tergum, nec de agro reverti domum, nec post Christi tunicam ad tollendum aliud vestimentum tecta descendere. Grande miraculum! Pater Filiam cohortatur, ne meminerit Patris. *Vos* (*) *de Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere*, dicitur ad Judæos : & alibi : *Qui* (**) *facit peccatum, ex diabolo est.* Tali primum parente generati nigri sumus: & post pœnitentiam nec dum culmine vir-

[a] Psalmo 44.
(b) Psalmo 26.
(*) Joan. 8.
(**) Joan. 3.

virtutis aſcenſo dicimus: *Nigra* (c) *ſum, ſed & formoſa, Filiæ Jeruſalem.* Exivi de domo infantiæ meæ, oblitus ſum Patris, renaſcor in Chriſto. Quid pro hoc mercedis accipio? ſequitur: *Et* (d) *concupiſcet Rex decorem tuum.* Hoc ergo magnum illud eſt Sacramentum. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt ambo, jam non, ut ibi, in unâ carne, ſed in uno Spiritu. Non eſt ſponſus tuus arrogans, non ſuperbus, Æthiopiſſam duxit uxorem. Statim ut volueris ſapientiam veri audire Salomonis, & ad eum veneris, confitebitur tibi cuncta, quæ novit; & inducet te Rex in cubiculum ſuum: & mirum in modum, colore mutato, ſermo tibi ille conveniet: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata?* ITEM IBI. Nolo tibi venire ſuperbiam de propoſito, ſed timorem. Onuſta incedis auro, latro vitandus eſt. Stadium eſt hæc vita mortalibus, hîc contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur. *Et* (e) *inebriatus* (inquit Dominus) *gladius meus in cælo:* & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat, & ſpinas, quam ſerpens comedit? *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs principatus, & poteſtates hujus mundi, & rectores tenebrarum harum, adversùs ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus.* Magnis inimicorum circumdamur agminibus: hoſtium plena ſunt omnia. Caro fragilis, & cinis futura poſt modicum, pugnat ſola cum pluribus: cùm autem fuerit diſſoluta, & venerit Princeps mundi iſtius, & invenerit in ea nihil, tunc ſecura audiet per Prophetam: *Non* (f) *timebis à timore nocturno, & ſagitta volante per diem, & à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt.* Quod ſi eorum te multitudo turbaverit, & ad ſingula incitamenta vitiorum cœperis æſtuare, & dixerit tibi cogitatio tua, quid faciemus? reſpondebit tibi Eliſæus. *Noli* (g) *timere, quoniam plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* SEQUITUR IN EADEM. Quamdiu hoc fragili corpuſculo detinemur: quamdiu habemus Theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & concupiſcit Spiritus adversùs carnem, & caro adversùs Spiritum, nulla eſt certa victoria. Adverſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens, aliquem devorare quærens circuit. Non quærit diabolus homines infideles, non eos, qui foris ſunt, & quorum carnes Rex Aſsyrius in olla ſuccendit, ſed de Eccleſia Chriſti rapere feſtinat. *Non* (h) *venit Salvator pacem mittere ſuper terram, ſed gladium.* ITEM POST PAUCA. Si poſt nuditatem, jejunia, famem, carcerem, flagella, ſupplicia, in ſemet reverſus Apoſtolus exclamat: *Infelix* (i) *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Tu te putas ſecuram eſſe debere? Cave, quæſo, ne quando de te dicat Deus: *Virgo Iſraël cecidit, & non eſt, qui ſuſcitet eam.* Audenter loquar. Cùm omnia poſſit Deus: ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœna, ſed non vult coronare corruptam. Timeamus illam Prophetiam, ne in nobis etiam compleatur: *Virgines* (k) *bonæ deficient.* Obſerva, quid dicat. *Virgines bonæ deficient:* quia ſunt & Virgines malæ. *Qui* (l) *viderit* (inquit) *mulierem ad concupiſcendam eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Perit ergo & mente Virginitas. Iſtæ ſunt Virgines malæ, Virgines carne, non Spiritu: Virgines ſtultæ, quæ oleum non habentes excluduntur à ſponſo. Si autem & illæ, quæ Virgines ſunt, ob alias tamen culpas Virginitate corporum non ſalvantur: quid fiet illis, quæ proſtituerunt membra Chriſti, & mutaverunt templum Sancti Spiritûs in lupanar? Illico audient: *Deſcende* (m) *ſede in terra, Virgo filia Babylonis: ſede in terra, non eſt Tronus filiæ Chaldæorum: non vocaberis ultra mollis, & delicata.* Rectiùs fuerat ſubiiſſe conjugium, ambulâſſe per plana, quàm ad altiora tendentem in profundum inferni cadere. ITEM POST PAUCA. Non ſolvatur faſcia pectoralis: ſed ſtatim ut libido titillaverit ſenſum, & blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus

(c) Cantic. 1.
(d) Pſal. 44.
(f) Pſal. 90.
(g) 4. Reg. 6.
(i) Amos. 5.
(k) Ibidem 8.
(m) Iſai. 47.
(e) Iſai. 34.
(h) Rom. 7.
(l) Matth. 5.

pamus in vocem: *Dominus* (n) *Auxiliator meus, non timebo, quid faciat mibi caro.* Et cùm paulùlum interior homo inter vitia, & virtutes cœperit fluctuare, dicito: *Quare* (o) *tristis est anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quia confitebor illi, salutare vultûs mei, & Deus meus.* Nolo finas cogitationem crescere: nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine: audi Psalmistam loquentem: *Filia* (p) *Babylonis misera! beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit, & illidet parvulos tuos ad petram.* Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem; ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui statim, ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & elidit eos ad petram: petra autem erat Christus. ITEM IBI. Si autem hæc sustinent illi, qui exeso corpore solis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ delitiis fruitur? Nempe illud Apostoli: *Vivens* (q) *mortua est.* Si quid itaque in me potest esse consilii, si experto creditur; hoc primùm moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversùs adolescentiam prima arma sunt dœmonum. Nec sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facilè aliis caremus vitiis, hic hostis intus inclusus est, quocunque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum, & adolescentia, duplex incendium voluptatis. Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Paulus ad Timotheum: *Jam* (r) *noli* (inquit) *aquam bibere, sed vino modico utere, propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Vide, quibus causis vini potio concedatur: ut ex hoc stomachi dolor, & frequens medeatur infirmitas, & ne nobis forsitan de ægrotationibus blandiremur, modicum præcepit esse sumendum, Medici potiùs consilio, quàm Apostoli. Alioquin idem Apostolus alibi se dixisse meminerat: *Et* (s) *vinum, in quo est luxuria:* Et: *Bonum est bonum vinum non bibere, & carnem non manducare.* Noë vinum bibit, & inebriatus est, rudi adhuc sæculo, & tunc primùm plantata vinea, inebriare vinum forsitan nesciebat. Et ut intelligas Scripturæ in omnibus Sacramentum (margaritum quippe est sermo Dei, & ex omni parte forari potest) post ebrietatem nudatio femorum obsecuta est, libido juncta luxuriæ. Priùs enim venter extenditur, & sic cætera membra concitantur. Manducavit enim populus, & bibit, & surrexerunt ludere. Loth amicus Dei in monte salvatus, & de tot millibus populi solus justus inventus inebriatur à filiabus suis. Et licèt illæ putarent genus humanum defecisse, & hoc facerent liberorum magis desiderio, quàm libidinis, tamen sciebant virum justum hoc, nisi ebrium, non esse facturum. Denique, quod fecerit, ignoravit. Et, quamquam voluntas non sit in crimine, error in culpa est. ITEM IN EADEM. Innumerabilia sunt de Scripturis responsa Divina, quæ gulam damnent, & simplices cibos præbeant. Verùm quia nunc non est propositum de jejuniis disputare, & universa exsequi sui est tituli & voluminis, hæc sufficiant pauca de pluribus. Alioquin ad exemplum horum poteris tibi ipsa colligere, quomodo & primus de Paradiso homo, ventri magis obediens, quàm Deo, in hanc lacrymarum dejectus est vallem: & ipsum Dominum Satanas fame tentaverit in deserto; & Apostolus clamitet: *Esca* (t) *ventri, & venter escis: Deus autem, & hunc, & illas destruet.* Et de luxuriosis: *Quorum* (u) *Deus venter est.* Idem enim colit unusquisque, quod diligit. Ex quo sollicitè providendum est, ut, quos saturitas de Paradiso expulit, reducat esuries. Quodsi volueris respondere, te nobili stirpe generatam, semper in delitiis, semper in plumis, non posse à vino, & esculentioribus cibis abstinere, nec his legibus vivere districtiùs: respondebo: Vive ergo lege tuâ, quæ Dei non potes. Non quòd Deus universitatis Creator, & Dominus, intestinorum nostrorum rugitu, & inanitate ventris, pulmonúmque delectetur ardore: sed quòd aliter pudicitia tuta esse non possit. Job Deo carus, & testimonio ipsius immaculatus, & simplex,

(n) Psalm. 117.
(o) Psalm. 42.
(p) Psalm. 136.
(q) 1. Tim. 5.
(r) Ibidem.
(s) Ephes. 5. Rom. 14. Genes. 91.
(t) 1. Corinth. 6.
(u) Philipp. 3.

plex, audi quid de Diabolo ſuſpicetur: *Virtus* (p) *ejus in lumbis, & poteſtas in umbilico.* Omnis igitur adversùs viros diaboli virtus in lumbis eſt: Omnis in umbilico contra fœminas fortitudo. Vis ſcire ità eſſe, ùt dicimus? Arripe exempla. Samſon (q) leone fortior, & ſaxo durior, & qui unus, & nudus mille perſecutus eſt armatos, in Dalilæ molleſcit amplexibus. SEQUITUR POST PAUCA. Piget dicere, quot quotidie Virgines ruant, quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia, ſuper quot ſydera ſuperbus inimicus ponat thronum ſuum, quot petras excavet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas pleraſque viduas, antequam nuptas, infelicem conſcientiam mentitâ tantùm veſte protegere. Quas niſi tumor uteri, & infantum prodiderit vagitus, ſanctas, & caſtas ſe eſſe glorientur, & erecta cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ verò ſterilitatem præbibunt, & nec dum ſati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cùm ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortii venena meditantur: & frequenter etiam ipſæ commortuæ trium criminum reæ ad inferos perducuntur: homicidæ ſuî, Chriſti adulteræ, necdum nati filii parricidæ. Iſtæ ſunt, quæ ſolent dicere: omnia munda mundis: ſufficit mihi conſcientia mea. Cor mundum deſiderat Deus: cur me abſtineam à cibis, quos creavit Deus ad utendum? Et ſi quando lepidè & feſtivè volunt vivere, ubi ſe mero ingurgitaverint, ebrietati ſacrilegium copulantes, ajunt: abſit, ut ego à Chriſti ſanguine me abſtineam. Hæ ſunt, quæ per publicum notabiliter incedunt, & furtivis oculorum nutibus adoleſcentium greges poſt ſe trahunt: quæ ſemper audiunt per Prophetam: *Facies* (r) *meretricis facta eſt tibi.* Nolo habeas conſortium matronarum; Nolo ad nobilium domos accedas; nolo te frequenter videre, quod contemnens virgo eſſe voluiſti. Neque verò earum tantùm te cupio declinare congreſſus, quæ maritorum inflantur honoribus; quas eunuchorum greges ſepiunt, & in quarum veſtibus attenuata in filum auri metalla texuntur: ſed etiam eas fuge: quas viduas neceſſitas fecit. Sint tibi ſociæ, quas jejunia tenuant, quibus pallor in facie eſt, quas probavit & vita; quæ quotidie in cordibus ſuis canunt: ubi paſcis, ubi cubas in meridie? quæ ex affectu dicunt: cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Sit itaque tibi moderatus cibus, & nunquam venter expletus. Plures quippe ſunt, quæ, cùm vino ſint ſobriæ, ciborum largitate ſunt ebriæ. Ad orationem tibi nocte ſurgenti non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas. Crebriùs lege, diſce quamplurima. Tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat, ſint tibi quotidiana jejunia, & refectio ſatietatem fugiens: nihil prodeſt biduo, triduóque tranſmiſſo vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturitate jejunium. Illico mens repleta torpeſcit, & irrigata humus ſpinas libidinum germinat. Si quando ſenſeris exteriorem hominem florem adoleſcentiæ ſuſpirare; & accepto cibo, cùm te in lectulo compoſitam dulcis libidinum pompa concuſſerit, arripe ſcutum fidei, in quo ignitæ diaboli extinguuntur ſagittæ. Omnes adulterantes, quaſi clibanus corda eorum. SEQUITUR IN EADEM. Difficile eſt humanam animam aliquid non amare; & neceſſe eſt, ut in quoſcumque mens noſtra trahatur affectus, carnis amor ſpiritûs amore ſuperetur. Deſiderium deſiderio reſtinguitur: quidquid inde minuitur, hìc creſcit, quin potiùs ſemper ingemina: *Super* (s) *lectulum meum in noctibus meis quæſivi, quem diligit anima mea. Mortificate* (t) *igitur* (ait Apôſtolus) *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Unde & ipſe confidenter aïebat: *Vivo* (u) *autem, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Eſto cicada noctium. Lava per ſingulas noctes lectum tuum, lacrymis ſtratum tuum riga. Vigila, & fias, ſicut paſſer in ſolitudine. Pſalle ſpiritu, pſalle & ſenſu. Benedic anima Domino, & ne oblivifcaris omnes retributiones ejus; qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, & redimit ex corruptione vitam tuam. Illud quoque tibi vitandum eſt cautiùs, ne vanæ gloriæ ardore capiaris. *Quomodo,* (w) inquit JEſus, *poteſtis credere, gloriam ab hominibus accipientes?* Vide quale malum ſit, quod qui

[p] Job. 40. (q) Judic. 16. (r) Jerem. 3.
[s] Cant. 3. (t) Coloſſ. 3. (u) Galat. 2.
[w] Joan. 5.

qui habuerit, non potest credere. Nos verò dicamus: *Quoniam* (x) *gloriatio mea tu es.* Et: *Qui* (y) *gloriatur, in Domino glorietur.* Et: *Si adhuc* (z) *hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et: *Mihi* (a) *autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et illud: *In te* (b) *laudabimur totâ die, in Domino laudabitur anima mea.* Cùm facis eleemosynam, Deus solus videt. Cùm jejunas, læta sit facies tua. Vestis nec satis munda, nec sordida. ET MOX. Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis, quàm necesse est, ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis, misericordiæ, atque jejunii arbitros declinantes, hoc ipso cupiunt placere, quod placere contemnunt: & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. Sunt quippe non nullæ exterminantes facies suas, ut pareant hominibus, jejunantes, quæ statim ut aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium, & operta facie, vix unum oculum liberant ad videndum: vestis pulla, cingulum facceum, & sordidis manibus, pedibúsque, venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. His quotidie Psalmus iste canitur: *Dominus* (c) *dissipabit ossa hominum sibi placentium.* ITEM IBI. Post hæc quamquam Apostolus semper orare nos jubeat, & Sanctis etiam ipse somnus oratio sit, tamen diversas orandi horas debemus habere: ut si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque, & vesperam, nemo est, qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissâ: nec recedatur à mensâ; nisi referatur creatori gratia. Noctibus bis, térque surgendum, revolvenda, quæ de scripturis memoriter retinemus. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. Nulli detrahas, nec adversus filium matris tuæ ponas scandalum. Nec si biduo jejunaveris, putes te non jejunantibus esse meliorem. Tu jejunas, & irasceris: ille comedit, & fronte blanditur. Tu vexationem mentis, & ventris esuriem rixando digeris: ille moderatiùs alitur, & Deo gratias agit; unde quotidie clamat Isaias: *Non* (d) *tale jejunium elegi* (Dicit Dominus) *in diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ.* Nec illarum tibi exempla proponas, quæ carnis curam facientes, possessionum reditus, & quotidianas domûs impensas supputant. Nec dicas: illa, & illa suis rebus fruitur, honoratur ab hominibus; fratres ad eam conveniunt, & sorores: numquid ideò virgo esse desiit? Primùm dubium est, an virgo sit talis. Non enim quomodo videt homo, videt Deus. Homo videt in facie; Deus autem in corde. De hinc etiamsi in corpore virgo est, an Spiritu virgo sit, nescio. Apostolus autem ità Virginem definivit: *Ut sit* (e) *Sancta corpore, & Spiritu.* Hæc omnia, quæ digessimus, dura videbuntur ei, quæ non amat Christum. Qui autem omnem sæculi pompam pro purgamento habuerit, & vana duxerit universa sub sole, ut Christum lucrifaciat, qui commortuus est Domino suo & consurrexit, & crucifixit carnem cum vitiis, & concupiscentiis, liberè proclamabit: Quis nos separabit à caritate Christi? An tribulatio? An angustia? An persecutio? An fames? An nuditas? An periculum? An gladius? Et iterum: certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque excelsum, neque profundum, neque al'a creatura poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Habeto in mente, quomodo in Apocalypsi in virginitate permanentes laudantur: *Virgines* (f) (inquit Joannes) *permanserunt. Hi sunt qui sequuntur agnum, quocumque vadit.* Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad paradisum mente transgredere. Esse incipe, quod futura es, & audies à sponso tuo: *Pone* (g) *me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo*; & opere pariter ac mente munita, clamabis, & dices: *aquæ* (h) *multæ non poterunt extinguere*

(x) Psalm. 3. (y) 2. Cor. 10. (z) Galat. 1.
(a) Galat. 6. (b) Psalm. 43. (c) Psalm. 52.
(d) Isai. 58. (e) 1. Cor. 7. (f) Apoc. 14.
(g) Cantic. 8. (h) Ibidem.

guere caritatem, & flumina non operient illam.

II.

Unum illud tibi, nata Deo! præque omnibus unum prædicam, & repetens iterum, iterúmque monebo: ut animum tuum sacræ lectionis amore occupes, nec in bona terra pectoris tui sementem lolii, avenarúmque suscipias: ne dormiente Patrefamilias, inimicus homo zizania superseminet; sed semper loquaris, in noctibus quæsivi, quem diligit anima mea: & adhæsit post te anima mea, me suscepit dextera tua. Quando eras in sæculo, ea, quæ erant sæculi, diligebas: nunc autem, quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo: dicens ei: Renuntio tibi; diabole! & sæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis: serva fœdus, quod pepigisti: & esto consentiens, pactúmque custodiens cum adversario tuo, dum es in via hujus sæculi, ne fortè tradat te Judici, tradarísque ministro; & non indè exeas, nisi solvas novissimum quadrantem, id est, minimum quodque delictum. Quia & pro otioso verbo reddituri sumus rationem in die judicii. Hæc dicta sint non infausto contra te vaticinio; sed pavidi, cautique monitoris officio, ea quoque in te, quæ tuta sunt, formidantis, *Si* (i) *Spiritus*, inquit, *potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Vult nos loco movere hostis, & de gradu excedere: sed solidanda sunt vestigia, & dicendum: statuit supra petram pedes meos, &c. Si in cogitationes tuas coluber ascenderit, serva cor tuum, & cum David canito: *Ab* (k) *occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Claude cubiculum pectoris, & crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat. Post cogitationum diligentissimam cautionem, jejuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cum David: *Humiliavi* (l) *in jejunio animam meam, & cinerem, tanquam panem manducavi.* & : *cùm molesti essent mihi, induebar cilicio.* Salvator generis humani, qui virtutum & conversationis suæ nobis reliquit exemplum, post baptismum statim assumitur à Spiritu, ut pugnet contra diabolum; & oppressum eum atque contritum tradidit discipulis conculcandum. unde & Apostolus loquitur: *Deus* (m) *autem conteret satanam sub pedibus vestris velociter.* Et tamen hostis antiquus post quadraginta dierum jejunium, per cibum molitur insidias, & dicit: *Si Filius* (n) *Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* In Job scriptum est de dracone: *Virtus ejus* (o) *in lumbis ejus, & fortitudo ejus super umbilicum ventris ejus.* Adversùm juvenes, & puellas ætatis ardore hostis noster abutitur, & inflammat rotam nativitatis nostræ; & implet illud Oseæ: *Omnes* (p) *adulterantes, quasi clibanus corda eorum.* Quæ Dei misericordia, & jejuniorum frigore restinguuntur. Hæc sunt ignita diaboli jacula, quæ simul & vulnerant, & inflammant. Sic quoque debes jejunare, ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in Vigiliis solito quid minus facias. Jejunium non perfecta virtus, sed ceterarum virtutum fundamentum est: & sanctificatio, atque pudicitia, sinè qua nemo videbit Deum, gradus præbet ad summa scandentibus. Legamus (q) Evangelium sapientum, & stultarum Virginum, quarum aliæ cubiculum ingrediuntur sponsi, aliæ bonorum operum oleum non habentes, extinctis lampadibus excluduntur. Disce, quid boni habeat continentia, & quid è contrario mali saturitas. Scurrilitas, lascivia te præsente non habeant locum. Numquam verbum inhonestum audias, aut si audieris, non inesceris. Perditæ mentis homines uno frequenter, levíque sermone tentant claustra pudicitiæ. Ridere, & rideri sæcularibus derelinque, gravitas tuam personam decet. Superfluum reor te monere contra avaritiam; cùm Apostolus doceat, avaritiam esse (r) idolorum cultum: laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia. (s) Christum vestire in pauperibus, & pascere in esurientibus. Et præter Psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona

(i) Eccle. 10. (k) Psalm. 18. (l) Psalm. 94.
(m) Rom. 16. (n) Matth. 4. (o) Job. 4.
(p) Osee. 7. (q) Matth. 25. (r) Ephes. 5.
(s) *Hic desunt quædam, supplenda ex Epistola VIII. Hieronymi ad Demetriadem.* Nota Harduini.

na, ad vesperum, media nocte, & manè semper est exercendum, statue, quot horis Sacram Scripturam ediscere debeas, quanto tempore legere; non ad laborem, sed ad delectationem, & instructionem animæ. Cùmque hæc finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua sollicitudo animæ suscitaverit; habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusa vertantur, aliarúmque neta aut in globum collige, aut texenda compone. Si tantis operum varietatibus fueris occupata, numquam tibi dies longi erunt. Hæc observans, & te ipsam salvabis, & alias: & eris magistra sanctæ conversationis: multarúmque castitatem lucrum tuum facies, scriptura dicente: *In desideriis est omnis anima otiosi.* Ideo enim tibi cum omnibus laborandum est, ut per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servitutem. Simpliciter loquar. Quamvis omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris vel in usus proprios, vel in exemplum virginum cæterarum. Bonum est igitur obedire majoribus, parere perfectis; & post regulas Scripturarum vitæ suæ tramitem ab aliis discere: nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione sua. Matronarum, maritis, ac sæculo servientium tibi consortia declinentur, ne sollicitetur animus, & audias, quid vel maritus uxori, vel uxor locuta sit viro. Venenatæ sunt hujusmodi confabulationes, super quarum damnatione sæcularem versum assumens Apostolus, fecit Ecclesiasticum: *Corrumpunt* (t) *mores bonos confabulationes malæ.* Graves feminæ tibi comites eligantur, quarum probata est conversatio, sermo moderatus, sancta verecundia. Fuge lasciviam puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt. Illa tibi sit pulcra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulcram. Felix illa conscientia, & beata virginitas, in cujus corde præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia, cæteræque virtutes, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat, quem cùm viderit, nolit dimittere. Sanctarum Virginum propositum, & cælestium consimilem gloriam, quarumdam non bene se agentium nomen infamat. Finem jungo principio, nec semel monuisse contentus sum. Ama Scripturas Sanctas, & amabit te sapientia. Dilige eam, & servabit te: honora illam, & amplexabitur te. Hæc monilia in pectore, & in auribus tuis hæreant. Nihil aliud noverit lingua, nisi Christum: nihil possit sonare, nisi quod sanctum est.

III.

Arripe quæso occasionem, & fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis initia; sed fines. Paulus malè cœpit, sed bene finivit, Judæ laudantur exordia; sed finis proditione damnatur. Meretrix illa in Evangelio baptizata, lacrymis suis, & crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, salvata est. Non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos; quanto fœdior, tanto pulcrior. Vidua, quæ marito placere desivit, & juxta Apostolum vere vidua est, nihil habet necessarium, nisi perseverantiam. Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum, & vigiliarum rigore restinguendæ sunt. Aut loquendum nobis est, ùt vestiti sumus, aut vestiendum, ùt loquimur. Quid aliud pollicemur, & aliud ostendimus? Lingua personat castitatem, & totum corpus profert impudicitiam. Hoc quantum ad habitum pertinet, & ornatum. Cæterum vidua, *Quæ* (u) *in deliciis est* (non est meum; sed Apostoli) *vivens mortua est.* Quid sibi vult hoc, quod ait; *vivens mortua est*? Vivere quidem videtur ignorantibus, & non esse peccato mortua: sed Christo, quem secreta non fallunt, mortua est. Apostolus macerat corpus suum, & animæ subjicit imperio, ne, quod aliis præcipit, ipse non servet: & adolescentula, fervente cibis corpore, de castitate secura est? Neque verò hæc dicens condemno cibos, quos Dominus creavit ad utendum cum gratiarum actione: sed juvenibus, & puellis incentiva assero esse voluptatum. Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius, & Olympus tan-

Vvv tis

(t) 1. Cor. 15. (u) 1. Tim. 5.

tis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Grandis ergo virtutis est, & solicitæ diligentiæ, superare quod nata sis: in carne non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi, ùt fabulæ ferunt, centum oculis observare. Primùm igitur, si firmitas stomachi patitur, donec puellares annos transeas, aquam in potu sume, quæ natura frigidissima est: aut si hoc imbecillitas prohibet; audi cum Timotheo: *Vino* (x) *modico utere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Deinde in ipsis cibis calida quæque devita. Non solum de carnibus loquor, super quibus vas electionis profert sententiam: *Bonum* (y) *est non manducare carnem, & non bibere vinum:* sed etiam in ipsis leguminibus inflantia quæque, & gravida declinanda sunt. Nihil ità scias conducere Christianis adolescentibus, ut esum olerum. Unde & in alio loco: *Qui* (z) *infirmus est*, ait, *olera manducet:* Ardórque corporum frigidioribus epulis temperandus est. Nihil sic inflammat corpora, aut titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, ructúsque convulsus. Malo apud te, Filia! verecundia parum per, quam causa periclitari. Quidquid seminarium voluptatis est, venenum puta. Parcus cibus, & venter semper esuriens, triduanis jejuniis præferatur. Et multo melius est quotidie parum, quàm rarò satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram: subitus, & nimius imber in præceps arva subvertit. Quando comedis, cogita, quòd statim tibi orandum, illico & legendum sit. De Scripturis Sanctis habeto fixum versuum numerum. Illud pensum Domino tuo redde. Nec ante quieti membra concedas; quàm calathum pectoris tui hoc subtegmine impleveris. Post Scripturas Sanctas, doctorum hominum tractatus lege eorum dumtaxat, quorum fides nota est. Amorem monilium, atque gemmarum, sericarúmque vestium transfer ad scientiam scripturarum. Fac tibi amicos de inimico mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula. Juvenum fuge consortia: comatulos, comptos, atque lascivos, domus tuæ tecta non videant. Cantor pellatur, ut noxius. Fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina, proturba ex ædibus tuis. Noli in publicum subinde procedere. Pessimæ consuetudinis est, cùm fragilis sexus, & imbecilla ætas, suo abutitur arbitrio, & putat licere, quod libet: omnia quidem licent, sed non omnia expediunt.

IV.

Nunc nobis, inquit, ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, & incorruptum, Dei imago respondens ad Sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, & in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantóque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potiùs, quàm potestate. Ut quæ se Christo dicaverint, & à carnali concupiscentiâ recedentes, tam carne, quàm mente, se Deo voverint, consumment opus suum, magno præmio destinatum nec ornari jam, nec placere cuiquam, nisi Domino suo, studeant, à quo & mercedem virginitatis exspectant. SEQUITUR. Quod si Christum continentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis, quibus, dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt, non cogitantes esse prædictum: *Qui* (a) *hominibus placent, confusi sunt; quoniam Deus nihil fecit illos?* Et Paulum quoque gloriosè, & sublimiter prædicâsse: *Si* (b) *hominibus placere vellem, Christi servus non essem?* Continentia verò, & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultûs, & ornatûs honore pariter, ac pudore: ut secundùm Apostolum, quæ innupta est, sancta sit & corpore, & spiritu. SEQUITUR. Virgo non esse tantùm, sed & intelligi debet, & credi: ut nemo, cùm virginem videt, dubitet, an virgo sit. Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid

(x) 1. Tim. 5. (y) Rom. 14. (z) Rom. 14.
(a) Psalm. 52. (b) Galat. 1.

Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum aut habeat, aut quærat? Timeat potius placere, si virgo est: nec periculum sui appetat, quæ ad meliora, & divina se servat. Quæ virum non habent, cui placere se simulent, integræ & puræ, non tantùm corpore, sed etiam spiritu perseverent. Neque enim fas est, virginem ad speciem formæ suæ comi, aut de carne, & de ejus pulcritudine gloriari; cùm nulla sit illi magis, quàm adversus carnem, colluctatio, & vincendi corporis, ac domandi obstinata certatio. SEQUITUR. Neminem Christianum decet, & maximè virginem non decet, claritatem ullam computare carnis, & honorem: sed solùm appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. SEQUITUR. Scriptum est, & legitur, & auditur, & in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur: *Qui* (c) *dicit se in Christo manere, debet, quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.* Ambulandum est vestigiis paribus, æmulâ ingressione nitendum est. Tunc respondet ad fidem nominis sectatio veritatis, & credenti præmium datur, si quod creditur & geratur. Locupletem te dicis, & divitem: sed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum, atque ornatum tuum justo fine moderandum suâ voce præscribit: *Sint* (d) inquit, *mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non intortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa, sed, ùt decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem.* Item Petrus ad hæc cadem præcepta consentit, & dicit: *Sit* (e) *in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis.* Quod si illi mulieres quoque admonent coërcendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosâ observatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum: quanto id magis observare virginem fas est, cui nulla ornatûs sui competat venia, nec derivari in alterum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine? Locupletem te dicis, & divitem: sed non omne, quod potest, debet & fieri; cùm scriptum sit: *Omnia* [*] *licent, sed non omnia expediunt, omnia licent, sed non omnia ædificant.* Cætcrùm, si tu te sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, sperandi fomenta succendas, ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas: & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas; excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus: nec computari jam poteris inter puellas, & virgines Christi, quæ sic vivis, ut possis adamari. Ornamentorum, ac vestium insignia, & lenocinia formarum, non nisi prostitutis, & impudicis feminis congruunt. Fugiant castæ virgines & pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. Hoc Deus culpat, hoc denotat. Sericum, & purpuram indutæ, Christum induere non possunt: auro & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis, ac pectoris perdiderunt. Virgines certè, quibus hic sermo nunc consulit, quæ se ejusmodi artibus compserint, inter virgines se non putent debere numerari. Audite itaque virgines, ut parentem, audite, quæso vos, docentem pariter, ac monentem, audite utilitatibus, & commodis vestris fideliter consulentem. Estote tales, quales vos Deus artifex fecit: estote tales, quales vos manus Patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera. Vince vestem, quæ virgo es? quæ Deo servis; vince aurum, quæ carnem vincis, & sæculum. Arcta, & angusta est via, quæ ducit ad vitam: durus & arctus est limes, qui tendit ad gloriam. Lata & spatiosa itinera vitæ lethalis: illic illecebræ, & mortiferæ voluptates; illic diabolus blanditur, ut fallat, arridet, ut noceat, illicit, ut occidat. Servate virgines, servate, quod esse cœpistis, Servate, quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum castitatis. Quod futuri sumus, jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis. Per sæculum sinè sæculi contagione transistis: cùm castæ perseveratis, & virgines, Angelis Dei estis æquales. Tantùm maneat, & duret solida, & illæsa virginitas: &, ùt cœpit fortiter, jugiter perseveret: nec monilium, aut vestium quærat ornamenta, sed morum. Deum spectet, & cœlum:

Vvv 2

(c) 1. Joan. 2. (d) 1. Tim. 2. (e) 1. Petr. 30.
(*) 1. Cor. 6.

cœlum: neque oculos, aut sublime porrectos, ad carnis & mundi concupiscentiam deprimat, aut ad terrena deponat &c. *Primus* (f) *homo*, inquit, *de terræ limo*, *secundus homo de cælo. Qualis ille de limo*, *tales & qui de limo: & qualis cælestis*, *tales & cælestes. Quomodo portavimus imaginem ejus*, *qui de limo est*, *portemus & imaginem ejus*, *qui de cælo est*. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat, & veritas: portant discipulæ Dei memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraternâ pace unanimes, atque concordes. Quæ vos singula, ô bonæ virgines, observare, diligere, implere debetis: quæ Deo, & Christo vacantes, ad Dominum, cui vos dicatis, & majore & meliore parte præcessitis. Provectæ ætatis junioribus facite magisterium. Minores natu, præbete majoribus ministerium, comparibus incitamentum. Hortamentis vos mutuis excitate; æmulis de virtute documentis ad gloriam provocate. Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter.

V.

Gaudete & exultate in Domino, venerabiles Filiæ, & gratias illi jugiter uberes agite, qui vos de tenebrosâ hujus sæculi conversatione ad portum quietis, & religionis attrahere, & provocare dignatus est. Cogitate jugiter, unde exiistis, & ubi pervenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras, & lucem Christi feliciter videre cœpistis. Contempsistis libidinis incendium, & ad castitatis refrigerium pervenistis. Respuistis gulam, & abstinentiam elegistis. Respuistis avaritiam atque luxuriam; & castitatem, vel misericordiam tenuistis. Et quamvis vobis usque ad exitum vitæ non desit pugna, tamen Deo donante securi sumus de vestra victoria. Sed rogo vos, venerabiles Filiæ! ut quanto estis securæ de præteritis, tanto sitis sollicitæ de futuris. Omnia enim crimina, vel peccata cito ad nos revertuntur, si non quotidie bonis operibus expugnentur. Audite Apostolum Petrum dicentem: *Sobriæ* (g) *estote*, *& vigilate*, *quia adversarius vester diabolus*, *tamquam leo rugiens*, *aliquid devorare quærens circuit.* Quamdiu in hoc corpore vivimus, die, noctéque, Christo adjutore, vel duce, contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliquæ, quod pejus est, negligentes, & tepidæ, quæ de solo Christianitatis vocabulo gloriantur: & putant, quòd illis sufficiat, vestem mutasse, & religionis tantùm habitum suscepisse: nescientes illud Propheticum: *Fili* (h) *accedens ad servitutem Dei sta in justitia*, *& timore*, *& præpara animam tuam ad tentationem.* Nec sententiam Psalmistæ considerantes: *Propter* (i) *verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Et illud, quod Apostolus dixit: *Per* (k) *multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Vestes enim sæculares deponere, & religiosas assumere unius horæ momento possumus: mores verò bonos jugiter retinere, vel contra malas, dulcésque voluptates sæculi hujus, quamdiu vivimus, Christo adjutore, laborare debemus: quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit. Inprimis ergo omnis anima, quæ religionem servare desiderat, gulæ concupiscentiam vincere, & ebrietatem vitare, tota fidei virtute contendat: & ità temperatum convivium, mensámque mediocrem habere studeat, ut caro illius nec nimietate abstinentiæ debilitetur, nec per delitiarum abundantiam ad luxuriam provocetur. Deinde abjectâ superbiâ, cui Deus resistit, profundæ humilitatis jaciat fundamentum: invidiam, velut vipereum venenum, detestetur, ac fugiat, linguam refrenet, detractionem, quasi venenum, respuat, verba otiosa nec ipsa proferat, nec ab aliis prolata auribus suis libenter admittat. Vestimentorum habitum nec nimis abjectum, nec notabiliter pomposum, aut periculosè elegantem habere consuescat. Lectionem aut ipsa frequentiùs legat, aut legentis verba totâ pectoris aviditate suscipiat. De Divinis Scripturarum fontibus jugiter aquam salutis hauriat: illam utique, de qua Dominus dicit: *Qui* (l) *credit in me*, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. De paradisi etiam floribus, hoc est, sanctarum Scripturarum sensibus, anima sancta se jugi-

(f) 1. Cor. 15. (g) 1. Petr. 5. (h) Ecclesi. 2.
(i) Psalm. 16. (k) Act. 14. (l) Joann. 7.

jugiter ornare contendat. Ex ipsis pretiosas margaritas auribus suis indesinenter appendat: ex ipsis anulos, & dextralia, dum exercet opera bona, sibi componat. Ibi vulnerum medicamenta, ibi castitatis aromata, ibi compunctionis holocausta requirat. Quæ verò religionem immaculato corde, & puro corpore conservare desiderat, aut numquam in publicum, aut certè non nisi pro grandi, & inevitabili necessitate procedat. Nolite, quæso vos, nolite quibuscumque aut occasionem dare, aut familiaritatem tribuere. Quæ verò libidinem, Christo adjuvante, desiderat vincere, familiaritatem debet refugere: & quæ indignam familiaritatem non spreverit, aut se, aut alium citò perdet. Sed fortè dicit aliqua, ideo familiaritatem non fugio, quia volo habere, quod vincam, & adversarium meum cupio tenere captivum. Vide, ne contra te adversarius incipiat rebellare, vide, ne te ducat captivitas ista captivam. Audi Apostolum dicentem: *Fugite* (m) *fornicationem.* Contra reliqua vitia oportet nos omni virtute resistere: contra libidinem non expedit repugnare, sed fugere. Esto ergo libidinis fugitiva, si vis esse castitatis pugnatrix egregia. Sed quod dixi, diligenter attendite. Quando sola aliqua libidinis stimulis incitatur, Christo adjuvante repugnet, quantum prævalet contra se, quia non habet, quo possit fugere. Quando vero per alterius sodalitatem, opportunitatem voluptatis diabolus subministrat: ipsam familiaritatem, quantum prævalet, ùt diximus, anima sancta refugiat. Sed ut hæc omnia servare possimus, abstinentiam rationabilem teneamus, quia vera est illius Sanctissimi Viri sententia: " Prout continueris ventrem, " ità & venenosos motus ejus." Humilitatem etiam veram, quantum possumus, conservemus. Non enim diu carnis integritas servatur, ubi animus superbiæ tumore corrumpitur: præcipuè si iracundiæ flamma frequentiùs surgit, castitatis, & virginitatis flores citò consumit. Casta enim, & Deo devota anima, non solùm extraneorum, sed etiam Parentum suorum familiaritatem habere non debet. Si enim vasa, quæ Ecclesiæ offeruntur, ut in sacrosanctis Altaribus ponantur, sancta ab omnibus appellantur, & nefas est, ut de Ecclesia postmodum in domum laicam revocentur, aut usibus humanis aptentur: putas, qualem dignitatem apud Deum habeat anima ad ejus imaginem procreata? Sicut ergo vasa sancta humanis usibus servitura nec possunt, nec debent de Ecclesiâ revocari: sic religiosam quampiam non oportet, non decet, non expedit parentum suorum multis obligationibus implicari, aut quorumcumque extraneorum perniciosâ familiaritate constringi. Illud ante omnia admoneo, ut æmulationis malum, quasi venenum vipereum, fugiatis, & ità inter vos caritatis dulcedinem conservetis, ut vobis invicem per sancta colloquia medicamenta spiritalia præparetis. Sunt enim, quod pejus est, aliquæ, quæ, quando se pariter jungunt, magìs sibi detrahendo, vel contra præpositas murmurando, vulnera faciunt, quàm spiritalia medicamenta componunt. Vos vero, sanctæ, ac venerabiles Filiæ, si aliquam videtis pusillanimem, consolationem impendite; si superbientem, humilitatis medicamentum apponite; si iracundam videritis, refrigerium patientiæ ministrate. Si nobiles natæ estis, magìs de religionis humilitate, quàm de sæculi dignitate, gaudete. Tenete ergo firmiter manus in aratro, & nolite respicere retrò. Mementote uxoris Loth, quæ respiciens retrò versa est in statuam salis. Numquam juramentum, numquam maledictum de Virginis ore procedat. Non solùm enim corpora, sed etiam corda vestra omni solicitudine custodite, propter illud, quod scriptum est: *Omni* (n) *custodia serva cor tuum.* Et illud, quod Dominus in Evangelio dixit: *De* (o) *corde exeunt cogitationes malæ.* Si enim in corde nihil malè cogitatur, quidquid sanctum est, ex ore profertur: quia sicut scriptum est: *Ex abundantiâ* (p) *cordis os loquitur.* Hoc enim lingua proferre consuevit, quod ex officina cordis conscientia ministraverit. Et ideo, si ex ore vultis bona proferre, semper in corde, quæ sancta sunt, cogitate. Sic lectioni & orationi debetis incumbere, ut ante omnia etiam manibus possitis aliquid exercere, secundùm illud, quod Apostolus ait: *Qui* (q) *non operatur, nec manducet.* Melio-

(m) 1. Cor. 6.
(n) Prov. 4.
(o) Matth. 15.
(p) Matth. 12.
(q) 2. Thess. 3.

Meliorem quoque diei partem sancto operi dedicate: lectioni vacare consuescite, oratio vestra ità cum silentio procedat ex corde, ut vix audiatur in ore. Nam qui altâ voce orare voluerit, & sibi, & alteri multum nocet, dum per suam garrulitatem alterius mentem ab oratione sanctâ & secretâ suspendit. Pomposa indumenta, quæ non utilitati, sed vanitati serviunt, fastidite, atque contemnite. Multæ enim, quod in moribus diligunt, hoc etiam in operibus suis ostendunt: præparant sibi ornamenta sæcularia sæculum diligentes, & voluptati servientes, vel luxuriæ. Vobis verò nihil sit commune cum talibus, sed omnia ornamenta, quibus ad luxuriam caro componitur, velut inimica, & contraria à vestro proposito respuantur. Sunt enim, quod pejus est, quæ pro vanitate sæculi istius plus student terrenis cupiditatibus operam dare, quàm lectioni divinæ justitiæ: dum volunt stragula pulchra, & picta tapetia, plumaria etiam, & reliqua his similia, cum ingenti sumptu, & superfluâ expensâ ad oculorum libidinem præparare: nescientes illud, quod Dominus per Joannem Evangelistam clamat, & dicit: *Nolite* (r) *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, quoniam omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi est.* Quid prodest virgini integritatem corporis custodire, si oculorum concupiscentias noluerit evitare? Vos vero, sanctæ & Deo dignæ animæ, totum spiritaliter agite. Sequimini Christum tenendo perseveranter, quod vovistis ardenter. Iterum, atque iterum, sanctæ, & Deo dignæ animæ, rogo, & cum omni humilitate pro conservando virginitatis præmio consilium do, ut familiaritatem incongruam à vobis, vel à vestris animis totis viribus repellere laboretis. Nam ad conservandam sanctæ religionis dignitatem singularitas testis sanctissima est. Familiaritas enim cujuslibet, si frequens esse cœperit, nonnisi corruptionem seminat, vitia pullulat, libidinem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, excusationes inflammat, & catervatim simul in fascem conglomerat. Nam si anima sancta secretum suum custodire voluerit, & assiduè familiaritatis malum totâ animi virtute fugerit; ipsa sancta singularitas munimen illi invictum est sanctimoniæ, expugnatio fortis infamiæ, exercitium continentiæ, evacuatio luxuriæ, pax secura virtutum, & impugnatio inquieta bellorum; puritatis culmen, & libidinis carcer; honestatis portus, & ignominiæ naufragium; virginitatis mater, & hostis immunditiæ, integritatis dignitas, & fornicationis abdicatio; voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum; refrigerium pudicitiæ, & pœna petulantiæ, acquisitio triumphorum, & facinorum detrimentum, requies salutis, & perditionis exilium; vita spiritûs, & carnis interitus. Hæc omnia mala fortiter, Deo adjuvante, repellentur, & illa, quæ diximus, bona feliciter acquirentur, si ab animabus sanctis familiaritas inordinatà respuatur. Attendite vos, ô animæ sanctæ, quia inter omnia certamina, quibus semper comes est Christiana militia, sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna est, & rara victoria, castitatis dura sunt prælia, sed majora sunt præmia, castitatis palmam nemo securus accipit, cui, quantum duri sunt exitus, tantum gloriosi sunt fructus. Ut ergo castitatis præmia, & virginitatis coronam feliciter, Deo remunerante, possitis accipere, periculosam familiaritatem à vobis semper excludite. Currite fideliter, ut possitis pervenire feliciter, adjuvante Domino nostro JESU Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

VI.

Quantam in cœlestibus (s) beatitudinem Virginitas Sancta possideat, præter Scripturarum testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur, qua addiscimus, peculiare illi subsistere meritum, cujus specialis est consecratio. Nam cùm universa turba credentium paria gratiæ dona percipiat, & iisdem omnes Sacramentorum benedictionibus glorien-

(r) 1. Joann. 2.

(s) *Hæc paranesis multo integrior edita est in appendice codicis Regularum, pag. 9. Edit. Rom. anno 1661. operâ Lucæ Holstenii. Nota Harduini.*

glorientur; ista ad proprium aliquid præ cæteris habendum, de illo sancto, & immaculato Ecclesiæ grege, quasi sanctiores, purioresque hostiæ, & pro voluntatis suæ meritis à Sancto Spiritu eliguntur, & per summum Sacerdotem Dei offeruntur altario. Possidet ergò virginitas, & quod alii habent, & quod alii non habent, dum communem, & peculiarem obtinet gratiam, & proprio, ut ità dixerim consecrationis privilegio gaudet. Nam & Christi sponsas virgines dicere Ecclesiastica nobis permittit authoritas, dum in sponsarum modum, quas consecrat, Domino velat: ostendens eas vel maximè habituras spiritale connubium, quæ subterfugerint carnale consortium. Et dignè Deo per matrimonii comparationem spiritaliter copulantur, quæ ejus dilectionis causâ humana connubia spreverunt. In his quàm maximè impletur illud Apostoli: *Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus est.* Et quoniam multa sunt, quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio; attentiùs prævidendum est, ne fortè & virginitati aliqua sint necessaria, sinè quibus nequaquam fructum afferre sufficiat: & tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur, quod absque rebus necessariis possidetur. Æternam verò vitam non nisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri posse scriptura testatur: *Si vis* (a) inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata.* Vitam ergo non habet, nisi qui legis mandata servaverit: &, qui vitam non habuerit, cœlestis regni non potest esse possessor. Ergo pudicitiam, integritatémque servantibus, & ejus remunerationem à Dei æquitate sperantibus, ante omnia mandatorum sunt custodienda præcepta, ne gloriosæ castitatis, & continentiæ labor in irritum deducatur. Cupiens divinum implere consilium, ante omnia serva mandatum: volens virginitatis præmium consequi, vitæ amplectere merita, ut sit, cujus remunerari castitas possit. Nam ut vitam præstat observatio mandatorum, ità eorum è contrario generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem in morte fuerit, virginitatis coronam sperare non poterit, ueque pudicitiæ præmium expectare constitutus in pœna. Nolo enim putes in hoc constare justitiam, ut malum non facias; cùm & bonum non facere malum sit, & in utroque legis prævaricatio committatur; quoniam, qui dixit: *Recede* (b) *à malo*, ipse dixit, & *fac bonum.* Si à malo recesseris, & non feceris bonum, transgressor es legis, quæ non tantùm in malorum actuum abominatione, sed etiam in bonorum operum perfectione completur. Nolo enim in hoc tibi blandiaris, si aliqua non feceris, qui aliqua feceris, cùm scriptum sit: *Qui* (c) *universam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Adam enim semel peccavit, & mortuus est: & tu te vivere posse existimas, illud sæpe committens, quod alium, dum semel perpetrasset, occidit? Memento Adam, & Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Licitum quippe est matrimonii inire consortium. Nam quæ connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt. Ejusmodi autem si jurent, si maledicant, si detrahant, si detrahentes patiantur audire, si malum pro malo reddant, si cupiditatis in alienis, aut avaritiæ in propriis crimen incurrant; si zeli, aut livoris venena possideant, si contra legalia, & Apostolica instituta indecens aliquid aut loquantur, aut cogitent, si in carne placendi studio comptæ, & ornatæ procedant, si alia, ùt assolet, illicita faciant; quid proderit eis sprevisse, quod licuit, & exercere, quòd non licet? Si vis prodesse tibi, quod licite contempsisti, vide, ne quid eorum, quæ non licent, facias. Stultum est enim, timuisse, quod minùs est, & non timere, quod majus est. Dicit enim Apostolus: *Innupta* (d) *cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit Sancta corpore, & Spiritu: quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Dicat ergo mihi, quæ virum non habet, & tamen quæ mundi sunt cogitat, cui placere desiderat; nonne incipiat illi nupta præponi? quia illa cogitando, quæ mundi sunt, complacet vel marito: ista verò nec marito, quem non habet, potest placere, nec Deo. Sed nec illud silentio prætereire nos convenit, quod dixerit: *Innupta cogitat, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, ut*

[a] Matth. 19. [b] Psalm. 33. [c] Jac. 2.
[d] 1. Cor. 7.

ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ sunt ergo Domini, dicat Apostolus: *Quæcunque sunt sancta, quæcunque sunt justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ.* Ista sanctæ, veræ, & Apostolicæ virgines die, noctúque sinè ullo temporis intervallo meditantur. Sequitur: *Quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo*, Deo inquam non hominibus: *Ut sit sancta corpore & spiritu.* Non dixit, ut sit sancta membro, aut corpore tantùm: sed: *Ut sit sancta corpore & spiritu.* Membrum enim una corporis pars est, corpus verò omnium compago membrorum est. Cùm ergo dicit: *Ut sit sancta corpore*, omnibus membris eam debere sanctificari testatur. Quia non proderit cæterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. Et jam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel unius fuerit coinquinatione polluta. Unde quæso te, virgo, neque in solâ tibi pudicitiâ blandiaris, ne in unius membri integritate confundaris. Sed secundùm Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem. Munda ab omni inquinamento caput: quia crimen est, illud post chrismatis sanctificationem, cujuslibet pigmenti fuco, vel pulvere sordidari; aut auro, vel gemmis, vel quâlibet aliâ terrenâ specie componi. Munda frontem, ut humana, non divina opera erubescat, & illam confusionem recipiat, quæ non peccatum, sed Dei gloriam parit. Munda collum, ut non aurea ex capillis portet suspensa monilia; sed illa potiùs ornamenta circumferat, de quibus scriptura dicit: *Misericordia* (e) *& veritas non deficiant à te, suspende autem illa in collo tuo.* Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, & ab intuitu pauperum numquam avertis. Munda linguam à mendacio, quia os, quod mentitur, occidit animam; à detractione, à juramento, à perjurio: cohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum. Et memor esto Apostolum dicentem: *Benedicite* (f) *& nolite maledicere.* Nefas est enim, ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicujus polluantur sorde peccati. Nescio, quâ conscientiâ ea lingua quis Dominum rogat, quâ aut mentitur, aut detrahit. Labia enim Sancta exaudit Deus: & ipsis annuit citò precibus, quas lingua immaculata pronuntiat. Munda aures, ut non nisi sermonibus sanctis auditum præbeant: ut numquam obscena, aut turpia, aut sæcularia verba suscipiant, aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est: *Sepi* (g) *aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Manus ne porrectæ ad accipiendum sint, nec ad feriendum paratæ, sed ad omnia misericordiæ & pietatis opera satis promptæ. Munda pedes, ne latam, & spatiosam pergant viam, quæ ducit ad splendida sæculi, & pretiosa convivia: sed arduum magis & angustum gradiantur iter, quod tendit ad cœlum. Agnosce tibi à Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutem membra formata: & cùm universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, & toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam & cum omni fiducia palmam virginitatis exspecta. O virgo serva propositum tibi magno præmio destinatum: agnosce statum tuum, agnosce locum; agnosce propositum. Christi sponsa diceris, vide, ne quid indignum eo, cui desponsata videris, admittas. Christum sponsum habes, à domesticis, & familiaribus ejus interroga, & strenuè, ac solerter inquire in quibus præcipuè delectetur: qualem compositionem in te vestium diligat, cujusmodi concupiscat ornatum. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui nec nuptiis quidem corporalem permittit ornatum, sicut in Epistola sua scripsit: *Mulieres* (h) *similiter subjectæ sint suis viris, ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sinè verbo lucrifiant, considerantes in timore Dei castam conversationem vestram. Quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti Spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples.* Dicat & alius Apostolus Beatus Paulus: *Mulieres* (i) *similiter in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut Margaritis vel veste pretiosâ: Sed quod decet mulieres, promittentes*

(e) Prov. 3. (f) Rom. 12. (g) Eccl. 28.
(h) 1. Petr. 3. (i) 1. Tim. 2.

tes castitatem per bonam conversationem. Sed tu forsitan dicis: cur hæc iidem Apostoli non jusserunt? Quia non necessarium judicabant, ne talis virginibus commonitio potiùs injuria, quàm emendatio videretur. Sed nec eos umquam tantæ temeritatis fore credidissent, ut nec nuptæ concessa carnalia ornamenta, & terrena præsumerent. Revera ornare se, & componere virgo debet: nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita & ornata processerit? Ornetur planè, sed interioribus ornamentis, & spiritaliter, non carnaliter componatur: quia Deus non corporis, sed animæ decorem in illa considerat. Ergo & tu, quæcumque ánimam tuam à Deo diligi, & inhabitari concupiscis, omni eam diligentia compone, & spiritalibus indumentis exorna. Nihil in ea dedecorum, nihil fœdum appareat. Resplendeat auro justitiæ, gemmis refulgeat sanctitatis, ac pretiosissimo pudicitiæ margarito coruscet. Pro bysso, & serico, misericordiæ & pietatis tunicâ vestiatur: secundùm quod scriptum est: *Induite ergo vos* (k) *sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem.* &c. Hujusmodi Deus quærit ornatum, & animam taliter compositam concupiscit. Memento te Dei filiam dici; secundùm quod ait: *Audi* (l) *filia, & vide.* Sed & tu ipsa, quotiescumque Dominum Patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si Dei filia es, vide, ne quid eorum facias, quæ Deo Patri incongrua sunt; sed age omnia, quasi filia Dei. Originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte. Agnosce te non hominibus, sed Dei divinitatis nobilitate decoratam. Ità te exhibe, ut in te cœlestis nativitas pareat, ut ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & veræ pudicitiæ habitus, & sermo semper modestus, & suo in tempore proferendus, ut quisquis te viderit, admiretur, & dicat: Quæ hæc novæ inter homines gravitatis patientia est? quæ pudoris verecundia? quæ honestatis modestia? quæ maturitas sapientiæ? Non est ista humana institutio, nec disciplina mortalis: cœleste mihi aliquid in terreno corpore redolet. Puto enim, quòd habitat in quibusdam hominibus Deus. Et cùm te Christi famulam esse cognoverit, majore stupore teneatur; & cogitet, qualis sit ille Dominus, cujus talis & ancilla est. Si vis esse cum Christo, & cum Christo partem habere, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia fuit extraneus. Nemo te circumveniat; nemo fallaci te sermone seducat. Nonnisì sanctos & simplices, & innocentes, & puros cœlestis aula suscipit: & nullum apud Deum habet malitia locum. Ab omni nequitia & dolo mundum esse necesse est, qui cupit regnare cum Christo. Nolo enim illas respicias, quæ sæculi, non Christi sunt virgines: quæ propositi sui, & professionis immemores gaudent in delitiis, in opibus delectantur. Tu autem quæcumque Christi, non sæculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, ut eam, quæ in futuro promittitur, consequaris. Contentionum verba, & animositatis causas, & litium occasiones subterfuge. Nam si juxta Apostoli doctrinam (m) servum Domini litigare non oportet, quanto magis Dei ancillam, cujus quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior? Linguam à maliloquio cohibe; & ori tuo frenum legis impone, ut tunc fortè loquaris, quando tacere peccatum sit: secundùm id, quod Apostolus dicit: *Omnis* (n) *sermo malus ex ore vestro non procedat.* Semper linguam tuam de bonis loqui assuesce, & auditum tuum ad laudem bonorum magis, quàm ad malorum vituperationem commoda. Vide, ut omnia, quæcumque bene facis, propter Dominum facias: sciens ejus rei tantum te à Domino recepturam esse mercedis, quantum ejus timoris, & dilectionis causâ perfeceris. Sancta magis esse, quàm videri stude. In jejuniis verò magis, quàm in epulis delectare: illius viduæ memor, quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens Domino nocte, ac die. Divinæ magis lectionis convivium dilige, & spiritalibus te saturari dapibus concupisce; & illos potiùs quære cibos, quibus anima magis, quàm corpus reficiatur. Carnis, & vini species, quasi caloris fomenta, & libidinis incitamenta fuge.

(k) Coloss. 3. (l) Psalm. 44. (m) 2. Tim. 2.
(n) Ephes. 4.

fuge. Iracundiam vince, animositatem cohibe, & quidquid illud est, quod post factum pœnitentiam ingerit, velut proximi criminis abominationem declina. Satis tranquillam & quietam convenit esse mentem, & ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat. Cùm orationem celebrare desideras, talem te exhibe, quasi quæ sis cum Domino locutura. Cùm Psalmum dicis, cujus verba dicis, agnosce: & in compunctione magis animi, quàm in tinnulæ vocis dulcedine, delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis, quàm vocis gratiam comprobat. Omnium operum, & cogitationum tuarum speculatorem Deum crede: & cave, ne quid, quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites. Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate justitia. Omne tempus, in quo te non meliorem senseris, hoc te æstima perdidisse. Cœptum virginitatis propositum ad finem usque conserva: quia non inchoasse tantùm, sed perfecisse virtutis est. Esto ergo omnibus vivendi forma, esto exemplum. Virginem te in omnibus exhibe. Sit & inviolabilis conversatio: ut, quisquis vitam tuam audire saltim contigerit, in tantum sibi intelligat gratiam ex tua conversatione transfundi, ut, dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio & ipse sit dignus.

Ecce, quibus saluberrimis documentis sanctissimi, & eruditissimi viri Deo dicatas ad castimoniale propositum servandum instituunt. Ecce, quibus insignium virtutum indumentis eas exornant, ut illius sponsi, cui se dicaverunt, amplexibus dignæ fiant. Unde solerter sanctimonialibus vigilandum est, ut tantorum Patrum obedienter obtemperent monitis: ne scilicet his resultando, cum fatuis virginibus reprobentur; sed potius parendo cum prudentibus Christi thalamo admittantur. Diligenter itaque eorumdem Sanctorum Patrum sententiis prælibatis, dignum, & necessarium judicavimus, per singula capita distinguere, quid Prælatis, quídve subditis observandum sit. Et quoniam subditarum vita prælatarum est exemplis informanda, primùm, quales Abbatissæ debeant constitui, qualiter eis vivendum, qualiter subditas gubernandum, qualitérve in Monasteriis residendum, & instanter Domino totâ mentis, & corporis devotione serviendum; Dein quid subjectis specialiter observandum sit, ponendum censuimus.

VII.

Tales Abbatissæ regendarum animarum curam suscipere debent, quæ subditis verbis, & exemplis ducatum præbeant sanctæ religionis: quæ non propriis voluntatibus deserviant, sed magis subditarum solertissimam curam gerant: quæ se etiam, illásque, utpote vasa sancta, in quibus instanter incensum orationis Deo digne offerri possit, ab omni labe vitiorum custodire norint: & ità eas secum in sancto proposito pervigiles reddant, ut unà ad vitam tendentes æternam, societate supernorum civium mereantur perfrui. Quâ igitur auctoritate, aut quibus sanctorum Patrum documentis, sibi attribuunt licentiam foras vagandi, aut per villas residendi, aut sericas vestes inducndi, aut pompis vanis inserviendi? sed quia hoc nullâ auctoritate sibi licitum facere possunt, præsertim cùm à sanctis Patribus in superioribus capitulis id penitus sanctimonialibus legatur inhibitum; restat ut ab hinc hujuscemodi usus ab his, modis omnibus, quantum Dominus posse dederit, caveatur. Quia quamvis in sæculari dignitate positæ multigenis delitiis voluptuosè hujuscemodi soleant uti; in Monasteriis tamen, in quibus Christi sponsæ sumptibus Dominicis communiter sunt gubernandæ, prorsus est hoc censurâ æquitatis inhibendum. Nosse etenim eas oportet, quia non ideo prælatæ sunt, ut se solummodo, sed potiùs, ut se, subditásque pascant; carnaliter videlicet, & spiritaliter: nec ut præsint tantum, sed ut prosint à Domino sunt aliis prælatæ. Ergo necesse est, ut se, sibique subditas in proposito sanctæ religionis solerter constringant. Et sicut alias præcedunt prioratûs honore, præcedant etiam piæ conversationis exemplo: & quæ aliis facere prohibent, nullatenus perpetrent: Rectè enim, ut habet Beatus Gregorius, aliarum errata corrigit, qui ea, quæ reprehendit, minimè agit. Sed quia pastoris absentia ovium solet fieri præda: necesse est, ut Abbatissæ in Monasteriis consistant assiduè, & ovium sibi subditarum vigilantissimam curam gerant, ne illis absentibus prædæ fiant subditæ invisibilis lupi. Quales etiam esse debeant ductrices animarum, Sanctus Cæsarius in Epi-

Epistola, quam ad Oratoriam Abbatissam scripsit, plenissimè docet: ex qua quædam capitula ob instructionem Abbatissarum excerpere, & huic capitulo annectere curavimus. Dicit etiam ità: audi ergo me dulcissima soror, & filia! Tu quantumcúmque semper in studiis spiritalibus occupari desideras, propter sorores, tamen aliquando etiam exteriora tibi erunt negotia dirimenda. Curandum ergo tibi summopere est, ut si temporalia quasi pro tempore agas; at semper tenaciùs in spiritali devotione, & amore inhæreas: ut, cùm temporalia citiùs dispensaveris, ad orationem illico, vel lectionem, quasi ad matris sinum, recurras. Optare quippe debes, ut objectâ solicitudine mundi, semper cogites de servitio Christi, propter illud, quod dicitur: *Nemo* (o) *militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, & cætera. In omnibus, juxta Apostolum temetipsum præbe exemplum bonorum operum, vitaque tua velut pennatum animal ad alta semper per desiderium evolet, per verbum resonet, luceat per exemplum. Cùm verò ad annuntiandum verbum Dei te sororibus affectaveris, priùs cautâ consideratione pensa, ut, quod ore promis, factis impleas, &, quod aliis prædicas, operibus præbeas. Prior in Ecclesia inveniaris, postrema exeas. Par sis in communi cibo, cum quibus pari uteris in mensa confessu. Abstinentiam, quam lingua prædicat, proximæ fauces, vel vicinus stomachus sentiat: ne forsitan subditæ audientes, tacitis cogitationibus dicant: O quàm pulcre nobis abstinentiam prædicat plenus venter! Et in his omnibus, ceterisque, hoc tibi noveris convenire, ut angusti callis itinera, per quæ socias admones gradiendum, prior ipsa gradiaris. Non sis vestibus ornatior ceteris, sed moribus: non quæ tibi vultu, intuitúque placuerit, non quam tibi ad oculum cognoveris, vel cujus blandiori obsequio fueris delinita, sed quam amor Christi, & religiosior demonstraverit vita, præponas. Oportet enim, te propter quasdam cultrum nonnunquam habere in gutture, cauterium in lingua gestare, virgam tibi, & baculum in manu ferre: ut per cultrum deseces vitia, per cauterium verò ad sanitatem secta reducas, per virgæ disciplinam corrigas, per baculum verò disciplinatam sustentes. Si quando verò cum sæcularibus ad colloquendum fueris evocata, priùs arma frontem trophæo crucis, vexillo Christi pectus ingemina, ut cum sua virguncula Christus comitari dignetur. Confabulatio verò tua semper sit mixta gravitate, atque dulcedine: & tantum loquaris, quantum opportunitas flagitaverit rei, ac temporis. Si quid verò ab eis petitum fuerit, quod præstare deliberas, cum vultu hilari præsta. Si quid verò præstare non convenit, petitionem illorum saltim honestate sermonis mollifica. Nomen tuum plures noverint, beneficia tua, in quantum prævales, plures sentiant, vultum rari cognoscant. Si quando autem tibi pro necessitate Monasterii seorsum fuerit colloquendum, cum duabus, vel certè cum tribus electis sororibus facito. Quia opinio bonæ famæ, sicut etiam perfectæ vitæ custodia, tibi necessaria est, & tunc primùm despicienda humana detractio, cùm Christus in causa est. Omnis quoque actio tua semper sit propter Deum, semper de Deo cogitatio in Deum. Et exceptis vitiis, quibus non compassio, sed rectitudo debetur, omnibus te cupio esse compassibilem, omnibus gratam, omnibus te præfectam piam. Ut videlicet (p) juxta Paulum sis sancta corpore, & spiritu, ipso sponso, & Domino tuo mentem tuam regente, & vias tuas sanctas disponente, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

VIII.

Studendum summopere Abbatissis est, ut tot talésque in Monasteriis admittant sanctimoniales, quæ & morum probitate commendentur, & Ecclesiasticis possint rationabiliter sustentari stipendiis. Quæ verò adhuc carnalibus delectationibus irretiuntur, nequaquam sunt in Monasteriis admittendæ. Quia satius est illis, juxta Paulum Apostolum foris nubere, tantùm in Domino, quàm in Monasteriis admitti, & sub imagine simulatæ sanctitatis dissolutè vivere. Cùm igitur hujusmodi Religionis gratiâ Monasteria expetiverint, non eis facilis tribuatur ingressus, donec priùs eis hæc legan-

(o) 1. Tim. 2. (p) 1. Cor. 7.

legantur capitula: ut his perlectis noverint, quid eis in castimoniali proposito observandum, quidve vitandum sit. Quia postquam se Domino in hac militia devinxerint, nequaquam sibi licitum erit propriis uti consiliis, nec sæcularibus penitus posse implicari negotiis: nec frequentiam virorum, aut collocutionem familiarem absque causa inevitabili habere debent. Proinde scrutentur priùs arcana cordis sui, simúlque super annotatas Sanctorum Patrum sententias assidua meditatione perlegant: ne inconsultè, & minùs cautè vinculum continentiæ, & virginitatis arripientes, recedant post satan, & fiant, sicut canis reversus ad vomitum.

IX.

Providendum est his, quæ ob amorem Christi castimoniæ se dicaverint, & in collegio sanctimonialium se admitti postulaverint, ut res suas, antequam Monasterium ingrediantur, ità sapienter, prudentérque deliberent, atque disponant, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occasione patiantur perturbationem. Proinde si aliqua sanctimonialium res suas proprias Ecclesiæ ità contulerit, ut nihil ex his sibi proprium vindicare, sed tamen rebus sustentari velit Ecclesiæ, huic sufficienter in congregatione stipendia largiantur necessaria. Si autem Ecclesiæ eas tradiderit, & usufructuario habere voluerit, quæstor Ecclesiæ eas, utpote Ecclesiæ, defendat. Quod si eas Ecclesiæ conferre noluerit, Abbatissa, & ceteris sanctimonialibus conniventiam adhibentibus, committat eas per scriptum publicè roboratum, aut propinquo, aut alio cuilibet bonæ fidei amico, qui eas jure fori defendat. Secundùm hanc igitur constitutionis formam sanctimoniales suas proprias res deliberent, & disponant: & aut servis, aut certè aliis, quibus illis libuerit, eas ad procurandum, sibíque fideliter earum fructus administrandum, commendent. Quoniam ante ingressum Monasterii, cuncta ùt præmissum est, rationabiliter illis disponenda sunt; ut remotâ quarumlibet forensium rerum occupatione, suum liberiùs & quietiùs possint custodire propositum. Sed & de adolescentulis, & de his, quarum conversatione simultates, & dissensiones plerúmque pati solent Monasteria, cavendum abbatissis est, ne incautè, & indiscretè eas in congregatione admittant, ne fortè earum admissio aliquod inposterum generet scandalum.

X.

Meminisse debent, quæ se castimonialis nominis professione Domino devinxerunt, in Monasteriis jugiter residere, & Domino totâ mentis & corporis intentione instanter deservire debere, nec solum velamentum corporis sine ornamento mentis sibi prodesse posse. Quoniam nihil prodest corpus velare, & mentem vitiorum portentis maculare. Quid enim prodest corpus velare, & animum habere venenatum? quid prodest nigris vestibus indui, & à detractione linguam non cohibere? cùm Apostolus dicat: *Si quis* (q) *putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Numquid enim velamentum corporis celare potest cupiditatem mentis? Quia igitur oculis Dei cuncta opera filiorum Adam nuda, & aperta sunt, & humilitas vestium nihil valet sinè humilitate mentium, & quia non nisi corde mundo Deus videri potest; necesse est, ut quod habitu demonstrant, opere perficiant; & humilitas, quam in corpore gestant, in mente potissimùm resplendeat. Nam si, quemadmodùm apud Salomonem legitur, in domo patris positæ, instanter sunt monitis paternis erudiendæ; & nexu conjugali devinctæ, juxta Apostolum, debent viris esse subditæ, quantò magis in domo Dei, quæ se religiosè vivere devoverunt, divinis sunt erudiendæ disciplinis, & sponso suo Christo Domino cum omni humilitate, & castitate subditæ esse? Illud namque quod in domo patris & in vinculo conjugali constitutis prorsus fuit illicitum; quâ authoritate, immò qua dementia in Monasteriis positæ sibi, nisì ob suam perniciem, facere poterunt licitum? Præsertim cùm Beatus Hieronymus dicat; pessimæ esse consuetudinis, cùm fragilis sexus, & imbecillis ætas suo arbitrio abutitur, & putat licere, quod non licet. Quapropter oportet, ut sibi illi-

(q) Jac. 1.

illicita nequaquam faciant licita: sed earum voluntas Domini voluntati, immo servituti succumbat. In Monasteriis quoque positæ non otio torpeant: non detractionibus, & obscenis confabulationibus incumbant: sed aut Psalmorum modulationibus, aut manuum operationibus insistant, aut certè divinis lectionibus aurem accommodent. Frequentias, & familiaritates, atque confabulationes virorum, sicut à Sanctis Patribus inhibetur, modis omnibus caveant. Omnes in dormitorio dormiant, singulæ scilicet in singulis lectis. In refectorio quotidie pariter reficiantur, nisi quam infirmitas aut ætatis imbecillitas id facere prohibuerit. Omnes sibi caritatis officio vicissim serviant. Illis namque in refectorio comedentibus, & religiosè silentium tenentibus, continuatim legatur lectio, & intentissimè ab his audiatur. Ad collationem quotidie veniant, & hanc institutionem, sive aliarum divinarum scripturarum lectiones perlegant, & de animæ suæ salute pertractent. Ubi etiam delinquentes juxta modum delicti corripiantur. Horas canonicas cum omni devotione custodiant, & his divinum officium honestè expleant. Honorem sibi invicem humiliter deferant. Minores natu eas, quæ provectæ sunt ætatis, obsequio sanctitatis venerentur. Provectæ quoque annis, juniores dictis, & exemplis ad bene vivendum informent. Nobiles genere nequaquam ignobilioribus se præferant, scientes quia personarum acceptor non est Deus. Neque enim quæ castitate, & ceterorum bonorum operum prærogativis, aut scientiæ doctrinis pollent, se ceteris præferant: sed potiùs de muneribus, sibi divinitus collatis, Deo gratias agentes, ceterarum imbecillitatibus caritatis officio humiliter condescendant: semper illud Apostoli perpendentes, quod dicitur: *Qui* (r) *se putat stare, videat, ne cadat.* Et illud Hieronymi: timendum, inquit, & cavendum est, ne veterem gloriam, & solidam firmitatem unius horæ procella subvertat.

XI.

Summa intentione abbatissis satagendum est, ut Monasteria puellarum ità undique firmissimis circumdent munitionibus, ut nulli intrandi, aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus: quatenùs nec viri quidquam, quod non deceat, in earum claustris agendi, nec sanctimoniales foras vagandi habeant facultatem. Habeant itaque interiùs sanctimoniales refectoria, cellaria, dormitoria, & ceteras suis usibus habitationes necessarias præparatas; uti quæ Domino devoverunt, postposita omni excusatione, inviolabiliter custodire valeant.

XII.

Usum reprehensibilem, & emendatione dignum, in nonnullis Monasteriis puellaribus esse comperimus, eo quòd sanctimoniales stipendia Ecclesiastica non æqualiter accipiant: cùm utique hoc ità fieri debere nusquam sancitum possit reperiri. Sed quia hoc nulla auctoritate fulcitur, sed magis avaritiæ causâ, aut personarum acceptione constat esse inolitum; necesse est, ut æquitatis censura ab eisdem locis, in quibus sit, prorsus abdicetur. Dignum namque justùmque est coram Deo & hominibus, ut omnes, quæ ob amorem Christi in castimoniali proposito, in una videlicet societate se vivere proposuerunt, seclusâ causâ avaritiæ, & personarum acceptione, cibum & potum æqualiter accipiant.

XIII.

Quia perspicuè compertum est, nonnullas abbatissas negligenter & tepidè subditis stipendia necessaria conferre; opportunissimè, immo rationabiliter statutum est, ut in omnibus Monasteriis puellaribus, in quibus canonice vivitur, singulæ sanctimoniales per dies singulas tres libras panis accipiant; & in his regionibus, quæ viniferæ sunt, tres libras vini, si sterilitas temporis non impedierit: si autem plenè eadem regio vini ferax non fuerit, duas libras vini, & duas cervisiæ; & si minimè vini ferax fuerit, tres libras cervisiæ, & si facultas permiserit, libram vini. In locis verò minoribus, accipiant duas libras vini; & si eadem regio, ùt præmissum est, vini ferax non fuerit, duas libras cervisiæ, &, si facultas suppetit, libram vini. Licet enim in nonnullis provinciis

(r) 1. Cor. 10.

vinciis copia desit vini, abundat tamen sancta Dei Ecclesia, Domino attribuente, aliarum rerum copiis, è quibus industria prælatarum ex aliis provinciis vinum adipisci, sibique subditis juxta facultatem pocula conferre possunt. In locis igitur, ubi permodicæ sunt res Ecclesiæ, aut fortè quorundam abstractu valde attenuatæ; tot, talésque admittantur, quibus saltem præmissa minor mensura potûs sinè difficultate dari possit. In his itaque locis, ubi fortè nonnullæ prælatæ piarum prælatarum imitantes exemplum, magis subditis dare solitæ sunt, nullatenus bonum, quod faciunt, omittant. Sed & si cui ob æternam retributionem magis subditis supererogare libuerit, hilariter, quod poterit, tribuat: sin autem, nullatenus mensuram prædictam eis subtrahat. Diebus verò festis, & sicut moris est Ecclesiæ, prout melius possunt, sanctimonialibus stipendia administrent. In pulmentis namque eis dandis nihilominus solertissimè vigilare debet Abbatissarum industria, ut juxta possibilitatem eis carnem, pisces, legumina, & olera, ligna, & cætera necessaria attribuant, ut his adminiculatæ promptiores in Dei consistant servitio. Nam & talia eis debent constituere loca, in quibus aptissimè nutriant pecora, & horti olerum possint fieri, unde pulmenta habeant: exceptis his, quæ de villis Ecclesiæ, & de eleëmosynarum oblationibus accipiant. Caveant siquidem, ne propter earum incuriam, & insolentiam aliquam in Monasteriis patiantur inopiam: ut nec sibi in peccatum, nec sanctimonialibus proveniat in murmurationis lapsum. Sint quoque eis in refectorio convivæ; quatenus sanctimonialibus alimenta uberiùs administrentur, & quæ fortè minus habentur, æquiori animo communiter tolerentur. Quoniam si earum societatem, curámque parvipendentes, lautiores sibi cibos privatim domi præparaverint, exceptâ causâ infirmitatis, aut hospitum, procul dubio in detractionis, aut murmurationis noxam sibi subditas corruere compellent. Dent etiam eis annis singulis lanam, & linum, è quibus sibi conficiant necessaria indumenta: exceptis infirmis, & debilibus, quæ propter corporis incommoditatem, hæc sibi conficere nequeunt, & his, quæ nihil proprium habere velint, quibus misericorditer studeant necessaria quæque præbere. Eleëmosynarum verò oblationes æqualiter accipiant.

XIV.

Sicut ea, quæ superiùs præmissa sunt, Abbatissis ob necessitates corporum impendenda sunt sanctimonialibus: ità necesse est, ut in agro mentium sibi subditarum studeant plantare documenta virtutum; séque in omnibus illis, vita, moribus, actu, habitu, ipso etiam incessu irreprehensibiliter vivendo imitabiles exhibeant: ne per earum exempla perversitatum in lapsum occurrant voraginum. Doceant ergo eas, qualiter vitent superbiam, quæ radix est omnium malorum, avaritiam, invidiam, odium, detractionem, susurrationem, murmurationem, scurrilitates, bilinguitates, dissensiones, simulationes, vanas verborum confabulationes, & cætera his similia, quæ suos sectatores ad interitum pertrahunt. Curiositates etiam nihilominus vitent, quibus fœmineus sexus potissimùm implicatur. Defleant propria, aliena curiosè non interrogent: attendentes illud Hieronymi: " Sufficit (inquit) unicuique sua plangere, non aliena carpere." Instruant etiam eas ad sectandas bonorum operum virtutes, videlicet caritatem, humilitatem, patientiam, castitatem, continentiam, sobrietatem, benignitatem, obedientiam, mansuetudinem, & cæteras virtutes, quibus animus christianus, ad æternam patriam tendens, jugiter famulari debet. Provideant etiam, ut otio vacare non possint: sed potiùs orationi, aut lectioni, aut manuum operationi insistant, aut certè divinis lectionibus aurem accommodent. Quatenus sibi subditis hanc geminam pastionem tribuentes, quæ cavenda sunt vitare, quæque facienda sectari eas docentes, non de infideli, & negligenti administratione condemnari; sed potiùs de fideli à Domino mereantur feliciter remunerari. Meminisse itaque, & ante oculos ponere eas oportet, quòd de sibi commissis Domino procul dubio redditura sunt rationes.

XV.

Oportet, ut remoto totius excusationis obstaculo, expeditè, atque honestè

ftè fanctimoniales Dei exfequantur ministerium: sítque earum vigilantissima cura, ut ad horas canonicas, mox ùt fignum datum fuerit, impigrè occurrant: Ecclefiámque cum Dei timore & reverentia ingredientes, divinæ potentiæ famulatui religiofiffimè inferviant. Illúdq; femper caveant, ut in domo Dei nihil inhoneftatis corde, aut linguâ vel opere perpetrent, fed potiùs aut orent, aut legant, aut audiant. Si verò fuerit aliqua, exceptis his, quæ aut quâdam incommoditate corporis, aut obedientiâ fibi injunctâ detinentur, quæ præfatas horas canonicas frequentare, diligentérque cuftodire, & in his, ùt dignum eft, cœlefte neglexerit officium perfolvere, dignâ invectione corripiatur. Cuftodes namque Ecclefiæ harum horarum fpatia bene norint, ut fcilicet figna certis temporibus pulfent. Quibus etiam fit ftudii, ut nihil de fibi commiffis rebus Ecclefiæ pereat.

XVI.

Ad implorandæ divinæ pietatis folatia, hæc Domini verba petentium animum informant: *Petite*, (s) inquit, *& dabitur vobis; quærite, & invenietis, pulfate, & aperietur vobis.* Sed fi nobis pulfantibus aperiri geftimus, oportet ut Domino ad nos venienti, & oftium mentium noftrarum pulfanti, aditum dignum pandamus: ut impleatur illud: *Si quis* (t) *aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipfe mecum.* Quia ergo conftat, affiduitate orationum remiffionem adipifci poffe peccatorum, fi tamen labia cordi non difcrepaverint; ftudeant fanctimoniales mentem noxiis cogitationibus mundare, & Deum jugiter orando placare: fcientes, quia tunc mens bene Deum orando contemplatur, quando nullis terrenarum rerum curis, aut vitiorum illecebris implicatur. Quoniam, ùt ait Ifidorus, neceffe eft, ut cùm ad impetranda muneribus fuffragia affiftitur, munda, fimpléxque acies cordis ad Dominum dirigatur: quatenus illuc dirigatur deprecantis oratio, quo Propheta fuam dirigi optabat, dicens: *Dirigatur* (u) *oratio mea, ficut incenfum in confpectu tuo Domine.* Oratio námque, ùt ait beatus Gregorius, cordis debet effe, non labiorum: quia nequaquam Deus verba deprecantis intendit, fed orationis cor adfpicit.

XVII.

Vefpertinis officiis devotiffimo obfequio celebratis, & collatione divinarum Scripturarum folenniter habitâ, dato figno ad completorium celebrandum fanctimoniales pariter devotiffimè occurrant. Quo expleto, non ad epulandum, & bibendum, & fupervacuis loquelis inftandum fe convertant: fed his poftpofitis honeftè dormitorium petant. Caveatur etiam ab illis, ut nihil inhoneftum, aut indecens in dormitorio geratur: nec aliqua aliquam inquietare præfumat, nec ad verba inutilia, & otiofa prorumpere cogat. Si qua verò id fecerit, feveriffimâ invectione corripiatur. Lucerna quoque noctis tempore in eodem dormitorio jugiter ardeat.

XVIII.

Studendum vigilanter Abbatiffis eft, ut fubditarum vitia nullatenus diffimulent; fed mox ut oriri cœperint, ea radicitus evellant: ne per earum fcilicet defidiam, atque incuriam, animæ illarum laqueis irretiantur Diaboli. Quanto enim idem fexus fragilior effe dignofcitur, tanto neceffe eft majorem erga eum cuftodiam adhiberi. Modus verò correptionis circa delinquentes fanctimoniales, omiffis his, quarum latera, juxta Salomonem, ne indurefcant, virgis tundenda funt, ifte obnixè ab Abbatiffis teneatur. Si aliqua in congregatione fanctimonialium horas canonicas frequentare neglexerit, & opus Dei negligenter exfecuta fuerit, ad collationem venire diftulerit, obedientiam fibi injunctam agere recufaverit, in difcendis bonorum operum inftrumentis juxta vires operam non dederit, in dormitorio aliquid indecens, aut inhoneftum verbis, aut actibus perpetraverit, alibi, quàm in dormitorio, abfque caufa inevitabili dormire præfumpferit, fororibus caritatis officio fervire neglexerit, iræ, detractioni, fufurrationi, fcurrilitati, bilinguitati, verbofitati, diffenfioni, fimulationi, curiofitati, vanifque verborum confabulationibus infervierit; difcordiam inter forores feminaverit, huic inftitutioni contumax, aut fuperba, aut murmurans, feu in aliquo contraria exfti-

(s) Matth. 7. (t) Apoc. 3. (u) Pfalm. 140.

exstiterit,& cætera hujusmodi agere tentaverit: primò secundum Domini præceptum, non solùm semel, & secundò, ac tertiò, quin etiam crebriùs admoneatur; & si his admonitionibus non paruerit, publicâ objurgatione corripiatur. Quod si & huic renisa fuerit, cæteris alimentis sibi interdictis, panc tantùm usque ad dignam pœnitentiæ satisfactionem utatur, & aquâ. Si verò nec sic se correxerit, separetur à mensâ, & à cæterarum sanctimonialium in choro psallentium societate, & seorsùm in loco, hujuscemodi negligentibus ab Abbatissis constituto, stare cogatur; ut statim rubore sequestrationis emendetur. Si autem his modis admonita, atque castigata, incorrigibilis adhuc exstiterit, (w) congruet, si tamen ætas permiserit, verberum adhibeatur castigatio. Verùm si talis fuerit, quam aut ætas, aut qualitas personæ verberari non siverit, hæc & publicâ objurgatione, & jejuniorum continuatione, & sequestrationis rubore tamdiu corripiatur, donec dignâ pœnitentiæ satisfactione veniam consequi posse videatur. Si igitur ea, quæ flagellatur, & ea, quam flagellari, aut ætas, aut qualitas personæ prohibet, incorrigibiles apparuerint; sit locus intra claustra, quo ad tempus retrudantur, & secundùm modum culpæ castigentur. Quod si etiam aliqua in tantam insaniam devenerit, quæ post tot saluberrimas admonitiones, & castigationes necdum se correxerit, deprecetur pro ea communi voto ab omni congregatione, ut ab illo, cui nihil est impossibile, sanetur. Postremò, si his omnibus exhibitis inemendabilis, atque incorrigibilis apparuerit, quia nullatenus huic sæculum repetere fas est, advocetur, si necesse est, Episcopus, & illius sapientissimo, ac discretissimo judicio, ità ejusdem vitæ, quæ se tot vitiis fœdando, & in pertinacia permanendo, à collegio sanctimonialium quodammodo secrevit, intra septa monasterii moderetur: quatenus & pœnitentiam sibi ab eo injunctam salubriter gerat, & cæteris nullius contagionis morbum inferre valeat. Quæ autem criminale peccatum commiserit, huic nullatenus differenda est correptionis utilitas, quin aut sponte peccati sui facinus pœnitendo abluat, aut si id agere renuerit, ab Episcopo, ùt præmissum est, juxta modum taxatum sententiam excommunicationis, & modum pœnitentiæ excipiat. In castigandis namque, atque corrigendis delinquentibus, opem ferre non desistant Abbatissis cæteræ sanctimoniales.

XIX.

Scripturarum Sanctarum doctrinis demonstratur, quòd subditarum vita prælatarum sit exemplis informanda. Et quia sanctimoniales, secundùm Patrum documenta, virorum debent vitare familiaritates, & sermocinationes, decet, ut Abbatissæ, sicut in cæteris, ità quoque & in virorum confabulationibus, bonum sibi subditis exemplum præbeant. Si quando autem eis sermocinandi necessitas incubuerit, juxta supra notatam sententiam beati Cæsarii, adhibitis secum sanctimonialibus, quas & ætas, & morum probitas, & vitæ innocentia commendant, id faciant, &, quod deliberandum est, prudenter deliberent; &, quod disponendum, utiliter disponant. Quia, si earum consilio, & præsentiâ usæ fuerint, & morsum detractionis vitabunt,& exemplum sibi subditis salubrius præbebunt, licèt enim hujuscemodi sanctimoniales talium negotiorum experientiam non habeant, earum tamen præsentia capaces boni consilii castique factæ sunt.

XX.

Quia virorum frequentias sanctimoniales, juxta superiorum Patrum sententias, penitus vitare debeant, satis liquidò patet: restat, ut imminente inevitabili necessitate qualiter id facere debeant, demonstretur. Decet porro, ut abbatissæ tres, aut quatuor sanctimoniales vitæ probabilis constituant, coram quibus ceteræ sanctimoniales, aut cum propriis equis, aut cum propriis servis res sibi necessarias deferentibus tempore competenti, in loco videlicet ad hoc negotium constituto, loquantur, & id, quod delatum fuerit, recipiant. Ut videlicet hujuscemodi confabulatio nullam possit in quoquam sinistræ opinionis suspicionem afferre. Sed & tempore novarum frugum, coram memoratis sanctimonialibus, quidquid eis recipiendum aut recondendum est, recipiant, & recondant. Similiter quoque, quando

(w) *lege*: congrua.

do eis in propriis mansiunculis aliquid operis agendum est, quod non sine virorum labore perfici potest, hæ sanctimoniales coram sint, ut nullus in his negotiis possit oriri detrahendi, aut peccandi locus. Sed & hoc Abbatissæ, non solùm præpositarum suarum curâ, & memoratarum sanctimonialium instantissimâ procuratione, verùm etiam suo studio; immò sæpissimâ investigatione serutari, atque solerter inquirere debent, ne quid inhonestatis in mansiunculis sanctimonialium, aut in earum claustris quispiam quolibet modo perpetrare, aut ab aliqua alicujus familiaritatis occasione suscipi, aut clanculo abscondi possit. Tanta igitur sanctimonialibus in confabulando cum viris pudicitiæ fiducia inesse debet, ut aliis aspicientibus minimè erubescant. Ut enim Beatus Hieronymus dicit: " Speculum (x) mentis " est facies, & taciti cordis fatentur arcana. Unde ait & quidam: Frons " hominis propriæ mentis depromit amictum: Qualis vultus erit, talia corda " gerit. Si qua verò inventa fuerit his confabulationibus dedita, ità juxta superiorem modum corripiatur; ut & ipsa emendetur, & cæteræ timorem habentes nihil tale agere pertentent.

XXI.

Quia licitum est Deo dicatis canonicè viventibus, vernulas secum famulandi gratia in Monasteriis habere, cavendum est illis, ut in eis animæ potiùs salutem, quàm commodum terrenum, quærant. Solent enim hujusœmodi, effrenes, & impudicæ effectæ, cultu meretricio ornatæ incedere, & turpia quæque, & obscena, quæ foris vagando viderint, aut audierint, auribus Dominarum suarum impudenter ingerere, & animos earum à rigore divinæ servitutis emollire. Quapropter necesse est, ut in talibus congregandis modum adhibeant discretionis: ut non ampliùs, quàm necessitas exigit, sibi ad serviendum congregent, & erga congregatas curam adhibeant, ne illis, quolibet peccato ruentibus, illarum ruinæ participes existant. Si verò hæ famulæ, aut Abbatillarum, aut certè sanctimonialium, in claustris Monasterii quidpiam indecens admiserint, & crebrò admonitæ atque correptæ non se correxerint, extra claustra Monasterii procul ejiciendæ, atque eliminandæ sunt.

XXII.

Religio Ecclesiastica docet, ut puellæ, quæ in Monasteriis erudiuntur, cum omni pietatis affectu, & vigilantissimæ curæ studio nutriantur, ne si lubricæ ætatis annos indisciplinatè vivendo transegerint, aut vix, aut nullatenus postea corrigi possint. Quapropter præferuntur eis ex sanctimonialibus tales magistræ, quæ utique & probabilis sint vitæ, & erga eas talem exhibeant curam, ut nequaquam huc, atque illuc possint habere progressum, & aut desidiæ, aut lasciviæ vitio maculentur: quin potiùs sacris imbuantur disciplinis, quatenus his mancipatæ vagandi otio careant. Sed qui modus hujuscemodi erudiendis tenendus sit, Beatus Hieronymus in epistola, quam ad Lætam de institutione filiæ scripsit, plenissimè docet, dicens: " Igitur, quæ " de repromissione nata est, dignam ha- " beat ortu suo institutionem parentum. " Samuël enim in templo nutritus est: " Joannes in solitudine præparatur, lo- " custis alitur, & melle Sylvestri, & in " typum pœnitentiæ prædicandæ tortuo- " sissimi animalis vestitur exuviis. Sic " erudienda est anima, quæ futura est " templum Domini. Nihil aliud discat " audire, nihil loqui, nisi quod ad timo- " rem Dei pertinet: turpia verba non " intelligat, cantica mundi ignoret. Ad- " hue tenera lingua psalmis dulcibus im- " buatur: procul sit ætas lasciva puero- " rum. Habeat modestam gerulam, nu- " tricem gravem. Discat in pueritia, " cui Imperatori tiruncula nutriatur. " Ipse habitus, & vestitus doceat eam, " cui promissa sit. Aures ejus non per- " forentur, nec ora Christo consecrata, " cerusâ & purpurisso depingantur: nec " aurum, & margaritæ collum ejus de- " primant, nec caput sacratum gemmis " oneretur: sed habeat alias margaritas, " quibus postea venditis emptura est " pretiosissimum margaritum. Sit nutrix " (y) ejus sollicita & prudens, ut ea, quæ

(x) *In Epist. ad Furiam.*
(y) *Ex Hieronymi Epist. 7. ad Lætam, legi oportet:* Si nutrix ejus solicita providet, ut ea, quæ nutritur, ne feriatur à vipera; eadem cura provideat, ne bibat de aureo calice &c.

" quæ nutritur, ne percutiatur à vipera. " Ne bibat de aureo calice Babylonis; " nec cum Dina egrediatur videre filias " regionis; ne ludat pedibus, & trahat " tunicas: quia venena non dantur, nisi " melle circumlita, & vitia non decipiunt, " nisi sub specie virtutum. Postquam " grandiuscula fuerit, & in exemplum " sponsi sui sapientiâ, ætate, & gratiâ " apud Deum & homines crescere cœpe- " rit, pergat ad templum veri patris cum " parentibus suis: sed cum illis non " egrediatur è templo, & nusquam ab " eis inveniatur, nisi in auditu sacrarum " Scripturarum. Nusquam exeat foras, " ne inveniant eam, qui circumeunt ci- " vitatem, & vulnerent pudicitiam ejus, " auferentes theristrum, & nudam in " sanguine derelinquant. Non vescatur " in publico, ne videat cibos, quos desi- " deret. Discat jam nunc vinum non " bibere, in quo est luxuria: usque ad " perfectam tamen ætatem propter indul- " gentiam modico utatur vino, & car- " nium edulio sustentetur. Nullus ei ju- " venis, nullus cincinnatus arrideat. Vi- " giliarum dies, & solemnes pernoctatio- " nes sic celebret, ut ne transversum " quidem unguem à nutrice discedat. " Non cum ancillis in auribus susurret, " sed quod uni loquitur, omnes intelli- " gant. Sit ei comes non compta, atque " formosa, quæ gutture carmen dulce " moduletur; sed gravis, pallens, sub- " tristis, & pudicitiæ veterana, quæ illam " doceat, & assuescat exemplo, ad ora- " tiones, & psalmos nocte consurgere, " manè hymnos canere, & stare in acie, " quasi bellatricem Christi. Horarum " diei cursu peracto, accensâque lucer- " nulâ, reddat sacrificium vespertinum. " Sic dies transeat, sic nox inveniat labo- " rantem. Cibus ejus olusculum sit, & " simila, raróque pisciculi. Sic come- " dat, ut semper esuriat, ut statim post " cibum possit legere, orare, & psallere. " Non habeat colloquia sæcularium pu- " ellarum, & malarum virginum contu- " berniis non misceatur. Balnearum ve- " rò fomitibus sopitos non suscitet ignes. " Pro gemmis, & serico, divinos codi- " ces amet. Discat primò psalterium: " erudiatur in Proverbiis Salomonis ad " vitam: consuescat in Ecclesiaste cal- " care, quæ mundi sunt. Sectetur in Job " virtutis, & patientiæ exempla. Ad " Evangelia transeat, numquam ea po- " situra de manibus. Apostolorum acta, " & epistolas totâ cordis imbibat volun- " tate. Et sic per ordinem seriem novi, " veterisque testamenti. Cúmque pec- " toris sui cellarium his opibus locupleta- " verit, tunc virtutum floribus adornata, " soli sponso cœlesti, cui commissa est, " calcatis cunctis, quæ mundi sunt, pla- " cere studeat.

XXIII.

Quamquam intra claustra Monasterii sanctimoniales, canonicè viventes, proprias solitæ sint habere mansiunculas; propter anus tamen, & infirmas, debet intra claustra ab Abbatissis mansio fieri; ubi earum, quæ fortè suas non habent, imbecillitatibus, atque infirmitatibus misericordissime possit opitulari. Quarum curam Abbatissæ, utpote spiritales matres, ante omnia gerere debent, ut his ea, quibus opus habent, misericorditer administrent. Sed & ceteræ sanctimoniales, accessu eas frequenti visitantes, Divinarum Scripturarum collocutionibus demulceant, & suis facultatibus imbecillitates, & infirmitates cum caritate æquanimiter portent; ut meritò à Domino eis dicatur: *Infirmus* (z) *fui & visitastis me, &c.*

XXIV.

Quia constat Abbatissas exteriorum, & interiorum pondere gravatas, adeo, ut præpediente ignorantiâ fragilitatis humanæ multa nesciant, quæ in Monasteriis negligenter fiunt; necesse est, ut tales sub se constituant, cum quibus securè possint partiri onera regiminis. Quibus etiam talem conferent potestatem, ut vice sua fungentes, & bene agentes in melius proficere dictis, & exemplis exhortentur, & delinquentium errata districtissimâ invectione corripiant: & quæ in Monasteriis ab Abbatissis, ob diversarum curarum occupationes, perfici minimè possunt, ab his dignè & utiliter perficiantur. Quibus etiam expedit, ut se imitabiles ceteris præbeant, quatenus irreprehensibiliter vivendo, & sanctarum virtutum exempla præbendo, cœtibus sanctarum feminarum mereantur adsciscì. Quod si negligenter vixerint, &

(z) Matth. 25.

& his, quibus bene vivendo prodesse debuerant, exemplo suæ perversitatis aliquam læsionis maculam ingesserint, juxta modum præmissum judicentur: & si inemendabiles extiterint, à ministerio amoveantur, aliæque in loca earum probabilis vitæ constituantur.

XXV.

Expedit Abbatissis, ut de congregatione, sibi commissâ, tales eligant, quibus alimenta sanctimonialium committant, quæ non sint criminatrices, non vinolentæ, non prodigæ, & ceteris vitiorum illecebris mancipatæ; sed magis, quæ vitæ sint probabilis, & inviolabiliter congregata conservent, & fideliter ea, atque humiliter sanctimonialibus administrent, ut de fideli administratione à remuneratore omnium bonorum Deo fideliter remunerentur. Erga hujuscemodi verò delinquentes & inobedientes modus præmissus obnixè tenendus est.

XXVI.

Oportet ad portam Monasterii talis constituatur sanctimonialis, quæ ætate & morum probitate ceteris emineat: ut neque propter personarum acceptionem, neque propter alicujus adulationem, aut timorem, porta Monasterii, nisi horis statutis, reseretur. Quia nisi talis ad portam constituta fuerit, magnum procul dubio in Monasteriis degentibus poterit provenire periculum. Quod si alicujus gratiâ contra hanc institutionem facere tentaverit, & admonita non se correxerit, digna invectione correpta à ministerio amoveatur.

XXVII.

Presbyteris, qui in Monasteriis puellaribus Missarum solemnia celebrare debent, extra Monasterium sit locus, & Ecclesia, ubi cum ministris suis habitent, & divinæ servitutis obsequium expleant: & non nisi statuto tempore Monasterium ingrediantur puellarum, & cum eis Diaconus tantùm, & subdiaconus, qui scilicet & vitæ honestate clarescant, & non se, sed Christum amare cupiant; nec sua quærant, sed quæ Jesu Christi, & non ampliùs ibi immorentur, nisi in Missarum celebrationibus, ad sanctimoniales publicè faciendis. Quibus ritè, ac devote celebratis, illico foras egrediantur. Sanctimoniales nàmque velo ante posito, ut moris est, horas canonicas, & Missarum solemnia celebrent. Sed & hoc caveant, ut nulla earum cum eisdem Presbyteris, eorúmque ministris aliquam sermocinationem familiarem habeat. Si qua igitur peccata sua sacerdoti confiteri voluerit, id in Ecclesia faciat, ut ab aliis videatur, sicut in dictis Sanctorum Patrum, continetur: exceptis infirmis, quibus in domibus id facere necesse est. Nam Presbyter Diaconum, & Subdiaconum, qui utique boni sint testimonii, ob detractionem vitandam secum habeat, à quibus scilicet videatur, & suæ innocentiæ bonum testimonium exhibeatur.

XXVIII.

Quia Sanctarum Scripturarum auctoritatibus liquido demonstratur, quòd hospitalitas modis omnibus sit diligenda; & res Ecclesiæ oblationes sint fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum: quamquam ad portam Monasterii locus talis sit ritè habendus, in quo adventantes quique suscipiantur; oportet tamen, ut extra, juxta Ecclesiam scilicet, in qua Presbyteri cum ministris suis divinum explent officium, sit hospitale pauperum: cui etiam præsit talis, qui & avaritiam oderit, & hospitalitatem diligat. Et exceptis decimis, quæ de Ecclesia villis ibidem conferuntur, de rebus Ecclesiæ, prout facultas suppetit, eidem deputetur hospitali, unde pauperes ibidem recreentur, & foveantur. Sed & de oblationibus, quæ fidelibus sanctimonialibus deferuntur, decimæ dentur ad eorumdem sustentationem pauperum. Is namque, cui hospitale committitur, nequaquam res pauperum in suos usus retorqueat, ne cum Juda, loculos Domini furante, sententiam damnationis excipiat: sed etiam intra Monasterium receptaculum, ubi viduæ, & pauperculæ tantummodo recipiantur, & alantur: & si non possint alio, saltem quadragesimæ tempore, sanctimoniales, Domini implentes præceptum earum lavent pedes, juxta illud: *Si ego* (aa) *Dominus, & Magister vester lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes.*

Harduin. Tomo IV. Conciliorum pag. 1147. *& seqq.*

Yyy 2 EPIS-

(aa) Joann. 13.

EPISTOLA AD ARNONEM,

ARCHI-EPISCOPUM SALZBURGENSEM.

De confirmatione Regulæ Canonicorum, decretæ in Concilio Aquisgranensi anno DCCCXVI.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri JESU Christi, Hludouvicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus, venerabili Arnoni Archi-Episcopo in Domino Salutem. Sacrum, & memorabile Concilium divino nutu, nostróque studio in Aquisgrani Palatio nuper adgregatum, in quo multa ad propagandam Ecclesiasticam dignitatem, præcedente, & subsequente gratiâ Christi, diligenter tractata, atque instituta sunt, tuam nullatenus credimus latere Sanctitatem. Sed quia contigit eidem Sancto, & Venerabili Concilio tuam non interfuisse Paternitatem, ad tuam destinare decrevimus Beatitudinem, per præsentem Missum nostrum nomine Nothonem, formulam canonicæ institutionis ab eodem sacro Conventu ex Sanctorum Patrum sparsim digestis sententiis collectam, atque in unum congestam; quam etiam idcirco penes Palatium nostrum diligenter scribi fecimus, ut nihil in se scriptorum vitio depravationis, aut detruncationis habens, ad te usque incolumis perferretur. Quapropter volumus, atque decernimus, ut juxta Metropolitanæ Sedis tibi canonicè collatam dignitatem, nostræque auctoritatis sanctionem Diœceseos tuæ Episcopos, & cæteros Ecclesiæ Prælatos tempore, & loco congruenti ad te accersere facias, & his coram capitulatim memoratam institutionis formulam prælegi jubeas, & quòd ob exaltandum Ecclesiastici culminis fastigium, & animarum salutem idem sacer conventus eam ediderit, liquidò demonstres, sed & his, qui in uno collegio canonicè degunt tenendam, observandámque coram memorato Misso nostro conferas. Ac si alicujus cordis obtusio eam intelligere nequiverit, huic sive abs te, sive ab aliis Episcopis, Comprovincialibus scilicet tuis, doctrinæ fulgore renitentibus, sobriè tradatur. Sed & in hoc nihilominùs circumspectam monemus esse tuam prudentiam, ut ab iis, qui eam transcripturi sunt, ità transcribatur, ut nec depravata vitio scriptoris, nec detruncata ab aliquo fiat; sed sicut à prædicto Misso nostro eis demonstratum fuerit, absque aliquâ depravatione, aut detruncatione transcribatur.

Noveris etiam, quia ideo illius exemplum apud armarium Palatii nostri detentum est, ut eo probari patenter possit, quis eam incutiosè transcripserit, vel quis aliquam ejus partem detruncârit. Ut enim comperimus, dum in eodem sacro Concilio perlegeretur, antequam coram nobis ab eodem Concilio prolata, & necdum mensura cibi, & potûs statuta fuisset, quidam magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconsultè ex eâ transcripserunt. Unde necesse, ut, si aliquem in tuâ Diœcesi tale fecisse repereris, hujusmodi factum coram provincialium tuorum Episcoporum Conventu, & coram præscripto Misso nostro frustreris, & hanc authenticam, ùt præmisimus, diligenter, sicut Missus noster eis insinuaverit, transcribi percenseas. Omnes ergo tuæ Diœceseos Episcopi, & cæteri Prælati eam vigilanti curâ transcribere, solerti studio intelligere, instantissimæ assiduitatis exercitio divinitùs adjuti operibus complere decertent; ut cùm nos hujus rei gratia inquirendæ venturis Kalendis Septembribus, sicut eidem sacro, & memorabili Concilio meminimus nos dixisse facturos, Missos nostros per imperium à Deo nobis collatum destinaverimus, remotâ cujuslibet difficultatis oppositione, ejusdem salutiferæ institutionis Prælati, & subditi, prout Dominus posse iis dederit, strenui inveniantur operatores. Quoniam diligenti indagine, vitâ comite, perquirere jubebimus, quis Prælatorum injunctum sibi officium strenuè peregerit, vel quis in claustris Canonicorum, & cæteris habitationibus construendis, & in necessariis stipendiis eis tribuendis, & in domibus ad receptacula pauperum reparandis, San-

Sanctioni nostræ paruerit, quisve Clerum suum eadem institutione, & cæteris spiritualibus documentis instruere curaverit, vel quis causa avaritiæ eos, quos Christi militia rationabiliter alere poterat, propulerit: quia unius anni spatium dedimus, ut ea, quæ præmissa sunt, absque ullius difficultatis excusatione perfici, ubi necdum facta erant, facillimè possent. Proinde, qui hoc anni tempore in hoc negotio nostræ admodum jussioni pro viribus obedire neglexerit, cæteris sinè dubio terrori erit, ne tale præsumant admittere. Direximus sanè tibi institutionis formulam, quam ejusdem sacri Concilii par consensus, párque studium ex Sanctorum Patrum dictis enucleatim excerpsit, & castimoniæ dicatis in una societate canonicè degentibus observandam statuit. Quam volumus à te, sive à tuis comprovincialibus Episcopis studiosè jubere transcribi, & Monasteriis puellaribus, in tuâ Diœcesi consistentibus, in quibus scilicet canonicè vivitur, tenendam conferri, qualitérque ab Abbatissis, & cæteris sanctimonialibus religiosissimè, ac devotissimè observari debeat, apertissimè perdoceri. Quoniam, nisi quando nos aliquam Abbatissarum nostram adire jusserimus præsentiam, alio tempore volumus in Monasteriis residеant, & secundùm ejusdem institutionis formam vitam ducant, sibíque subditas in sancto religionis proposito constringant. Et nulla illarum foras evagandi, aut occasione qualibet acceptâ per villas residendi, suísque voluptatibus deserviendi licentiam sibi attribuat. Quanquam enim nonnulli Clerici Monasteria puellarum, & nonnulli laici Monasteria virorum etiam, & puellarum habeant, tua tamen debet prævidere solertissima industria, ut in omnibus locis sub tua Diœcesi constitutis, ubicunque congregationes Clericorum, & sanctimonialium sunt, juxta possibilitatem, & facultatem rerum secundùm hujus institutionis formam vivant. Quia nulla est omnino Ecclesia, quæ facultates habeat, ubi non possint tot, talésque gubernari, qui divinum expleant officium, & ubi hospitalitas juxta vires non possit diligi. Nos quoque præfatum Missum nostrum ad tuam Sanctitatem ideo direximus, ut tuum, cæterotúmque Ecclesiasticorum in tuâ Diœcesi existentium diligenter, atque subtiliter in hoc negotio intueretur studium, & tibi opem in cæteris commonendis ferret: qui etiam nobis referret, qualiter Prælati, & Prælatæ eas formulas libenter suscepеrint, diligenter transcribere studuerint, & devotè adimplere juxta vires curârint. Quoniam tamdiu illum in tuâ, vel comprovincialium tuorum Diœcesi immorari, & discurrere unà cum Misso tuo jussimus, donec ab omnibus memoratæ formulæ transcriberentur; ut videlicet cuncta procurans, diligentérque perficiens, cùm ad nos redire illum opere expleto tempus permiserit, cuncta, quæ acta sunt, vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsum, tuúmque commissum nostræ dignoscentiæ intimentur; ut sciamus, quibus gratiarum actiones referre, quósque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus. Si verò aliquis tuæ Diœceseos eidem institutioni, vestræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & eam, quæ ab eodem sacro Conventu constituta, atque decreta est, pro viribus observare neglexerit, & deinde admonitus non se correxerit, quicunque ille est; ante præsentiam nostram tuâ, vel Missi nostri admonitione venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur. Direximus præterea tibi pondus, & mensuram, secundùm quæ Clericis, & sanctimonialibus panis, & potus æquabiliter tribuenda sunt: quæ ut ab omnibus firmissimè, atque inviolabiliter teneatur, decrevimus, & nequid incrementi, aut detrimenti à quoquam patiantur, modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce epistolæ admonemus Sanctitatem, ut secundùm ministerium tibi divino munere collatum nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter, atque inexcusabiliter pareas, & cæteris in parendo bonum exemplum tribuas. Dignum quippe, justúmque est, ut quantò sublimius Sacerdotii dignitate aliis superemines, & à nobis venerabiliter diligeris, tantò magis ad Dei, nostrámque voluntatem exequendam devotiorem te, atque promptiorem exhibeas. Vale in Domino, & ora pro nobis.

Baluz. Tomo I. Capitularium.

CAPITULARE AQUISGRANENSE
ANNI DCCCXVI.

Anno DCCCXVI. Incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI Hludouvicus Imperator Christianissimus, ac Piissimus ex omni Imperio suo fecit Conventum Episcoporum, Abbatum, Comitum, vel majorum natu Francorum, ut sancirent Capitula pro utilitate totius Ecclesiæ. Quod ità factum est.

INCIPIT PROLOGUS HLUDOUVICI IMPERATORIS.

QUià juxta Apostolum, quamdiu in hoc sæculo sumus, peregrinamur à Domino, & nihil in præsenti fixum, nihil immobile, sed cuncta veloci pervolant cursu, & Scriptura testatur, quodcunque possumus, instanter operari debemus, quia nulli ad bene operadum crastinus dies promittitur omnésque secundùm Apostolum ante tribunal Christi stabimus, ut unusquisque rationem pro his, quæ gessit, reddat, nobis præcipuè, qui ceteris mortalibus conditione æquales existimus, & dignitate tantùm superiores sumus, secundúm Scripturam Sacram, quæ dicit, Quoniam interrogabit opera nostra, & cogitationes scrutabitur, rationes reddituri sumus, sòlicità circumspectione, totâque mentis intentione satagendum est, ut bonis operibus jugiter insistendo, his, quibus præesse videmur, modis omnibus, quantum nobis divinâ suffragante misericordia facultas attributa fuerit, prodesse curemus. Sed quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, debemus, continuis precibus Dominum humiliter exorare, faciémque illius humili confessione, & congruâ, prout ipse posse dederit, emendatione prævenire; ut sicut ejus est muneris, quòd regnamus, ejus sit pietas, quòd feliciter regnamus, quatenus, eo miserante, & regni gubernacula æquissimo libramine tenere, & ad eum, qui Rex Regum est, & Dominus Dominantium, cum multiplici fructu administrationis nostræ, justitia scilicet, & pietate, atque humilitate, sine fine cum eo regnaturi mereamur pervenire. Et quoniam per Apostolum suum nos adjutores suos appellare dignatus est, & Sancta Ecclesia, ejus videlicet sponsa, in Scripturis Sacris hortus est appellata, quotidianis exercitiis adhibito sarculo bonæ operationis est excolenda; ut sicut semper nociva in ea, velut in bono agro emergunt, ità semper laboris boni studio eradicentur noxia, plantentur utilia. Oportet & nos cunctis ejus necessitatibus, nisibus, quibus possumus, devotè consulere: quatenus in ejus emendatione, quantum Dominus posse dederit, tota cum mentis devotione elaborantes, in aliquâ parte ædificiorum illius, à fabricatore ejus, Domino scilicet Jesu Christo aptari mereamur, Proinde notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Ecclesiæ Dei, nostrisque Domino dispensante successoribus, quia, cùm nos nullis existentibus meritis divina pietas, genitore nostro à rebus humanis exempto, ad ejus imperii culmen provexisset, quomodo, aut qualiter desiderium divini cultus, quod ab incunte ætate Christo inspirante mente conceperamus, ad effectum Domino suffragante perduceremus, & quid studii, quidve laboris progenitores nostri, præcipuè tamen piæ recordationis genitor noster in utilitatibus Sanctæ Dei Ecclesiæ exhibuerit, adverteremus, & pia illorum facta non solùm inviolata conservare, sed etiam imitari pro viribus nobis à Domino concessis optaremus, scilicet, ut quidquid sive in Ecclesiasticis negotiis, sive in statu Reipublicæ, emendatione dignum prospexissemus, quantum Dominus posse dabat, nostro studio emendaretur. Et hactenus hinc inde mundanorum

norum turbinum procellis emergentibus, diversissimisque occupationibus præpediti, ut optaveramus, efficere nequivissemus tertio anno imperii nostri, accersitis nonnullis Episcopis, Abbatibus, Canonicis, & Monachis, & fidelibus, obtutibus nostris, studuimus eorum consulta sagacissima investigare inquisitione, qualiter unicuique ordini, Canonicorum videlicet, & Monachorum, & Laicorum, juxta quod ratio dicebat, & facultas suppetebat, Deo opem ferente consuleremus. Et quoniam, licèt sæpe de statu Ecclesiarum, & de ritibus præterito tempore ordinassemus, & missos nostros per singula loca destinassemus, sed invidente diabolo per tyrannicam pravitatem præpeditum fuisset, oportebat, ut hoc tempus pacis indultum ad communem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & omnium nostrorum utilitatem impenderemus, tribus videlicet modis; ut, quæ bene inchoata erant, Deo auxiliante effectum obtinerent; & si quæ bona voluntate, sed incautâ discretione, variis præpedientibus causis inchoata fuissent, ut diligenter inspicerentur, & discretè, prout facultas suppetebat, corrigerentur; si quæ etiam de his, quæ necessaria erant, deesse videremus, ut quærerentur, & Deo auxiliante ad effectum perducerentur: quatenus deinceps opus nostrum à nemine justè posset reprehendi, & tam nostris, quàm futuris temporibus multorum saluti proficeret, & Deo opitulante stabile permaneret. Sed qualiter de his Divinâ cooperante gratiâ, consultu fidelium, pro viribus, & temporis brevitate, licèt non, quantum debuimus, & voluimus, sed quantum à Deo posse accepimus, egerimus, & quid unicuique ordini communi voto, communique consensu consulere studuerimus, ità, ut quid Canonicis propriè de his, quidve Monachis observandum, quid etiam in legibus mundanis, quid quoque in capitulis inserendum foret, adnotaverimus, & singulis singula observanda contraderemus, tamen ut sive nostris, sive successorum nostrorum temporibus rata forent, & inviolabiliter Deo annuente conservarentur, libuit nobis ea, quæ gesta sunt, ob memoriæ, firmitatisque gratiam, in unum strictim congerere, & subjectis Capitulis annotare, & in publico archivo recondere; ut successores nostri Deo dispensante nostra pia facta conservantes, & ipsi nihilominus bona facta sua successoribus suis servanda perdoceant.

EXPLICIT PROLOGUS.

Hæc Capitula propriè ad Episcopos vel Ordines quosque Ecclesiasticos pertinentia, quæ non solùm ipsi observare, sed etiam sibi subjectis, vel commissis facienda perdocere debent.

INCIPIUNT CAPITULA.

INCIPIUNT SUBSCRIPTA CAPITULA, ET EORUM TEXTUS.

De rebus Ecclesiæ non dividendis.

I.

QUia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus, res Ecclesiæ esse vota fidelium, pretia peccatorum, & protrimonia pauperum, cuique non solùm habita conservare, verùm etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut ab Ecclesiasticis de non dividendis rebus illis suspicionem dudum conceptam penitùs amoveremus, statuimus, ut neque nostris, neque filiorum, & Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram, vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitùs divisionem, aut jacturam patiatur.

De Episcopis deligendis.

2. Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, adsensum ordine Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri, & populi secundùm statuta canonum de propriâ Diœcesi, remota personarum, & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo, & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.

De dictis Patrum congestis pro canonicâ professione, quia dehonestabatur.

3. Quia verò canonica professio à multis, partim ignorantiâ partim desidiâ, dehonestabatur, operæ pretium duximus, Deo annuente, apud sacrum conventum ex dictis Sanctorum Patrum, velut ex diversis pratis, quosdam vernantes flosculos carpendo, in unam regulam Canonicorum, & Canonicarum congerere, & canonicis, vel sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate possit servari. Et quoniam illam sacer conventus ità etiam laudibus extulit, ut usque ad unum iota observandam percenseret, statuimus, ut ab omnibus in ea professione degentibus indubitanter teneatur, & modis omnibus sive à canonicis, sive à sanctimonialibus, canonicè degentibus, deinceps observetur.

De collatis Ecclesiæ dividendis.

4. Statutum est, ut quicquid tempore imperii nostri à fidelibus Ecclesiæ sponte conlatum fuerit, in ditioribus locis duas partes, in usum pauperum, tertiam in stipendia cedere Clericorum, aut Monachorum, in minoribus verò locis æquè inter Clerum, ac pauperes fore dividendum; nisi fortè à datoribus, ubi specialiter dandæ sint, constitutum fuerit.

De Abbatibus eligendis.

5. Monachorum siquidem causam qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, & quomodo ex se ipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus, & qualiter Deo opitulante quieti vivere, propositúmque suum indefessè valerent, ordinaverimus, in alia schedula diligenter adnotari fecimus, & ut apud successores nostros ratum foret, & inviolabiliter conservaretur, confirmavimus.

De ordinatione servorum.

6. De servorum verò ordinatione, qui passim ad gradus Ecclesiasticos indiscretè promovebantur, placuit omnibus, cum sacris canonibus concordari debere. Et statutum est, ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi priùs à Dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet servus Dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis, vel corruptis, aut qualibet calliditate, vel fraude, ad gradus Ecclesiasticos pervenerit, decre-

decretum est, ut deponatur, & Dominus ejus recipiat eum. Si verò avus, vel pater ab alia patria in aliam migrans, in eâdem provincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, & ad gradus Ecclesiasticos promotus fuerit, & utrùm servus sit, ignoraverit, & postea veniens Dominus illius legibus eum adquisiverit, sancitum est, ut, si Dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eum catenâ servitutis à castris Dominicis extrahere voluerit, gradum amittat; quia juxta sacros ordines vilis persona manens Sacerdotii dignitate fungi non potest. De rebus verò illorum vel peculiari, qui à Dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus Ecclesiasticos jure promoveantur, statutum est, ut in potestate Dominorum consistat, utrùm illis concedere, an sibi vindicare velint. Cæterùm, si post ordinationem aliquid adquisiverint, illud observetur, quod in Canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est. De Ecclesiarum verò servis communi sententiâ decretum est, ut Archi-Episcopi per singulas Provincias constituti nostram autoritatem, Suffraganei verò illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de familiâ Ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remotâ qualibet calliditate libertatem consequatur, & tum demum ad gradus Ecclesiasticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum est, quos laici de familiâ Ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint. Sed & de his, quos Præpositi Canonicorum, aut Monachorum ordinandos expetiverint, eadem forma servanda est.

De personis, à quibus res non sunt accipiendæ.

7. Statutum est, ut nullus quilibet Ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi, aut propinqui hâc inconsultâ oblatione possint rerum propriarum exhæredari. Quòd si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ut & acceptor, synodali, vel imperiali sententiâ districtè feriatur, & res ad exhæredatos redeant.

Ut nullus Presbyter aliquâ cupiditate quemquam tonsurare suadeat.

8. Statutum est etiam, ut nullus in canonicâ, aut regulari professione constitutus aliquem tonsurare propter res adipiscendas deinceps persuadeat: & qui hoc facere tentaverit, synodali, vel imperiali sententiâ modis omnibus feriatur.

De Presbyteris constituendis.

9. Statutum est, ut sinè auctoritate, vel consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur, nec expellantur. Et si laici Clericos probabilis vitæ, & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant.

De mansis uniuscujusque Ecclesiæ.

10. Statutum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio adtribuatur, & Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter Ecclesiasticum. Et si aliquid ampliùs habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

De Presbyteris uniuscujusque Ecclesiæ.

11. Statutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque Ecclesia Presbyterum suum habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit.

De villis novis, & Ecclesiis in eis noviter constitutis.

12. Sancitum est, de villis novis, & Ecclesiis in eis noviter constructis, ut decimæ de illis villis ad easdem Ecclesias conferantur.

De sacris vasis Ecclesiæ in pignus datis.

13. De sacris vasis Ecclesiæ, quæ in pignus à nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est, ne deinceps à quoquam fieri præsumatur, nisì solummodo necessitate redimendorum captivorum compellente.

De Ecclesiis destructis, vel de nonis, & decimis.

14. De Ecclesiis sanè destructis, vel de nonis, & decimis, sive de claustris Canonicorum, qualiter constitui, & ordinari nobis placuerit, aliis capitulis subter adnotavimus.

De Ecclesiarum honore.

15. Sed & de Ecclesiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nos est, vigeat, similiter in subter adnotatis capitulis insertum esse dinoscitur.

De Episcopis Italiæ.

16. De Episcopis verò in Longobardiâ constitutis, qui ab his, quos ordinabant, sacramenta, & munera contra Divinam & canonicam auctoritatem accipere, vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est, ne ulteriùs fiat: quia juxta sacros Canones uterque à gradu proprio talia facientes decidere debent.

De Presbyteris, qui fœminas in domibus habent.

17. Statutum est ab Episcopis de Presbyteris, qui fœminas secum indiscretè habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur, ut, si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum Canonum, canonicâ invectione feriantur.

De Presbyteris, qui pro Chrismate in cœna Domini veniebant.

18. De Presbyteris, qui accipiendi Chrismatis gratiâ ad civitates in cœna Domini venire soliti erant, sancitum est, ut de his, qui longè positi sunt, de octo, vel decem unus ab Episcopo eligatur, qui acceptum Chrisma sibi, & sociis diligenter perferat. Hi verò, qui non longiùs à civitate, quàm quatuor, aut quinque milibus habitant, more solito ad accipiendum Chrisma per se veniant. Discendi verò gratiâ alio non quadragesimæ tempore ad civitates convocentur.

De prædicatione, & confirmatione Episcoporum.

19. Ne verò Episcopi occasione prædicandi, aut confirmandi oneri essent populis, à nobis admoniti polliciti sunt se deinceps hoc cavere velle, & eo tempore suum ministerium, in quantum facultas dabatur, exequi, quo eorum profectio, quantum in illis erat, his quibus prodesse possunt, & debent, non sit importuna, vel onerosa.

De pueris tondendis, & puellis velandis.

20. Ne pueri verò sinè voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum est; & qui hoc facere tentaverit; multam, quæ in capitulis legis mundanæ à nobis constitutis continetur, persolvere cogatur.

De fœminis viros amittentibus.

21. De fœminis, quæ viros amittunt, placet, ne se sicut hactenus indiscretè velent, sed ut triginta dies post decessum viri sui expectent, & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum Sacerdotum, suorúmque parentum, atque amicorum, id, quod eligere debent, eligant. Et quia à sacro conventu rogati, ut hi, qui publicam gerebant pœnitentiam, & fœminæ, quæ viros amittebant, nostrâ auctoritate, donec deliberent, quid agant, tuerentur, specialiter pro his capitula fieri, & legis mundanæ capitulis inserenda decrevimus.

De raptis, & de earum raptoribus.

22. De raptis verò, & de raptoribus quamquam specialiter decrevissemus; quid pati debeant, qui hoc nefas deinceps facere tentaverint, quid tamen super his sacri canones præcipiant, hic inserendum necessarium duximus, quatinus omnibus pateat, quantum malum sit, & non solùm humanâ, sed etiam divinâ authoritate constricti, abhinc malum hoc caveatur.

De puellis raptis, necdum desponsatis.

23. De puellis raptis, necdum desponsatis, ità in Concilio Chalcedonensi, ubi DCXXX. Patres adfuerunt, capitulo XXXVIII. habetur: "Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes, & cohibentes raptoribus, decrevit sancta Synodus, siquidem Clerici sunt, decidant gradu proprio,

prio; si verò Laici anathematizentur. Quibus verbis apertè datur intelligi, qualiter hujus mali autores damnandi sunt, quando participes, & cohibentes tanto anathemate feriuntur, & quod juxta canonicam autoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt.

De desponsatis, & ab aliis raptis.

24. De desponsatis puellis, & ab aliis raptis ità in Concilio Ancyrano capitulo decimo legitur: "Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit. Proinde statutum est à sacro conventu, ut raptor publicâ pœnitentiâ multetur, raptæ verò, si sponsus eam accipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quòdsi & ipsa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quod si ipsi post hæc se conjungere præsumpserit, utrique anathematizentur.

De his, qui Virginibus Deo dicatis se sociant.

25. De his verò, qui sacris Virginibus se sociant, ità in decretis Papæ Gelasii capitulo vigesimo continetur: "Virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegáque miscere, quos protinùs æquum est à sacrâ communione detrudi, & nisi egerint publicam, probatámque pœnitentiam, omnino non recipi; aut his certè viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur." Si verò de copulatione sacrarum Virginum tam severè feriuntur, quantò severius feriendi sunt, qui eas rapiunt? Ideo, sicut præmissum est, necesse est, ut ab omnibus in Christiana religione consistentibus rigore autoritatis Divinæ, vel humanæ hoc malum radicitùs amputetur,

De Puellis, quo tempore velentur.

26. Ne verò puellæ indiscretè velentur, placuit nobis etiam de sacris canonibus qualiter observandum sit, hìc inferre. De tempore velandarum puellarum in Africano Concilio capitulo decimo sexto continetur, ut non ante viginti quinque annos consecrentur. Item in eodem Concilio capitulo XCIII. de virginibus velandis ità continentur: "Item placuit, ut quicunque Episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus Parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit ante viginti quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est." Unde colligitur, quia juxta priorem sanctionem virginis vigesimo quinto ætatis suæ anno ritè consecrandæ sint. Quodsi præmissæ necessitates antè id fieri compulerint, nullum possit Episcopo afferre præjudicium consecranti.

De examinatione sanctæ Crucis non facienda.

27. Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem facere præsumat; ne, quæ Christi passione glorificata est, cujuslibet temeritate contemptui habeatur.

De pabulo verbi divini nuntiando.

28. Episcopos verò, ut sive per se, sive per vicarios, pabulum verbi divini sedulò populis adnuntient (quia, ut ait Beatus Gregorius, iram contra se occulti judicis excitat sacerdos, si sinè prædicationis sonitu incedit) & ut Clerum sibi commissum in sobrietate, & castitate nutriant, divinisque officiis imbuant, quo ritè ad Sacrosanctos Ecclesiasticos ordines promoveri possint, & ut operam dent, quatenus presbyteri Missalem, & Lectionarium, sive ceteros libellos sibi necessarios bene correctos habeant, & qualiter Ecclesias destructas sibi pertinentes juxta vires emendent, qualiter etiam viduas diligenter instruant, quomodo etiam secundùm Apostolicam authoritatem conversari debeant, edoceant, & ut superstitiones, quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent, & ut exemplo suæ innocentiæ alios ad bene vivendum provocent, & cunctis Ecclesiasticis negotiis, in quantum Dominus juverit, totis viribus consulere satagant, diligenter admonuimus

mus, & ut liberiùs exequi valeant, nos, in quantum Dominus posse dederit, opem ferre modis omnibus optamus.

De incestis nuptiis, & de Ecclesiis non dividendis.

29. Nonnulla verò capitula, sicut de incestis nuptiis, nec non & de Ecclesiis, quæ inter coheredes dividuntur, & tali occasione proprio honore carent, sive de his Ecclesiis, quæ nimium rebus propriis sunt adtenuatæ, vel certè de his rebus, quæ nuper, necessitate compellente, à nonnullis Ecclesiasticis sunt ablatæ, & si qua sunt talia sive in Ecclesiasticis, sive in publicis rebus emendatione digna, quæ pro temporis brevitate efficere nequivimus, in tantum differendum illud dignum judicamus, donec Domino favente consultu fidelium facultas nobis id efficiendi ab eo tribuatur. Inventa verò, ut Deo opitulante effectum obtineant per tempora, jam emendata, & correcta, ac restituta scriptis confirmare optamus.



